IIV 13

PANEGYRICI VETERES.

VOL. IV.

PANEGYRICI VETERES

EX EDITIONIBUS

CHR. G. SCHWARZII ET ARNTZENIORUM

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN QUARTUM.

LONDINI:
CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.
1828.

NOTÆ VARIORUM

IN

PANEGYRICOS UNDECIM RELIQUOS.

EX EDITIONIBUS ARNTZENIORUM,

AMSTEL. 1753—1790.

NOTÆ VARIORUM

IN

PANEGYRICOS UNDECIM RELIQUOS.

PANEGYRICUS II.

PANEGYRICUS] Varie titulus hujus Panegyrici in libris vett. notatur: *F. Genethliaci Rhetoris optimi πανηγυρικὸς dictus Divo Maximiano Aug.* Pulman. *Panegyricus Maximiano de natali Romæ die*; alius, *Incerti auctoris Maximiano.* Sigonius Mamertino tribuit, et Treveris, ubi tunc Constantinus agebat, dictum existimat. *Puteanus. Maximiano A.* soli hunc inscripsi, non *Maximiano et Diocletiano AA.* quod habitus natali Romæ die celebrando, et quidem Treveris, ut existimo, absente et occupato in Oriente Diocletiano; extrema oratione, 'credo enim, hoc idem Diocletianum Oriens rogat.' *Livineius.* Sunt qui putent, quos inter Gerh. Jo. Vossius de Rhetor. Nat. c. 15. orationis hujus auctorem eundem Mamertinum esse, qui et Juliano Gratiarum Actionem dixit, ut infra. Verum ut illis assentiar, adduci nequeo: septuaginta enim circiter post annos illa Gratiarum Actio dicta est, quod temporis spatium nimis longum sane videtur: nam hinc nonagenarius saltem Mamertinus ille fuisset. At ex eadem illa oratione facile conjectes, Mamertinum sub Juliano senem quidem fuisse, ut c. XVII. et XVIII. colligi potest, sed non adeo probabile videtur extitisse, præsertim quod ab eodem Imperatore præfecturæ prætorii per Illyricum, et aliis muneribus laboriosis addictus fuerit, quæ sane nonagenario seni non consona. Idem putavit et Jo. le Clerc. Bibliot. tom. III. Cellarius Mamertino huic Senioris nomen recte præfigit. Creditur autem dicta oratio hæc Treveris, quo die Maximianus natalitiam Romæ diem celebrabat. *Patarol.* Puteolanum non moror, Panegyricum Maximiano Diocletianoque inscribentem. Solius Maximiani nomen jure præfigi, demonstrat tum Diocletiani in Oriente absentia, tum quod potissimum Maximiani se laudes canere profitetur orator c. 1. § 4. persequitur ideo illius originem, patriam, gesta, alia. Neque tamen eos sequor, qui cap. XI. § 4. ediderunt, 'vestra hæc, Imperator, vestra laus est:' et § 7. 'Vestræ felicitatis est, Imperator:' utroque enim loco 'Imperatores' legi suadet cod. Guelferbytanus, ubi loquitur orator de Diocletiani et Maximiani facinoribus: ut cap. VIII. § 5. 'ambo sacri Imperatores ipso estis

Scipione potiores.' Codicum suffragium, soli Maximiano inscribentium, addidit Schwarzius præcedenti Dissert. § 2. et 3. Baunium miror, et Fabricium Biblioth. Lat. vol. II. p. 769. statuentes Panegyricum hunc A. C. CCXCII. dictum. Baunium ideo jam notavit Pagius Dissert. Hypat. pag. 135. et jure. Ad an. enim CCLXXXIX. ut orationem referas, varia suadent: viderunt id, qua erant perspicacia, Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. c. 4. Schwarzius Dissert. præced. § 5. et Pagius dicto loco, qui non priori, ut Schwarzius adfirmat, sed huic vel circa tribuit. Dictum certe post annum CCLXXXVI. Augusto jam Maximiano, adeo certum est, quam quod certissimum. Ad sequentem annum referri nequit, quia tum primum cum Diocletiano fuit Cos. Maximianus, atque adeo, si hoc anno dicta fuisset oratio, fasces illos haud dubie Imperatori fuisset gratulatus Mamertinus. Eadem est ratio, quo minus anno CCLXXXVIII. adscribamus, quo cum Pomponio Januario consulatu fuit functus Maximianus. Præterea secundum jam consulatum fuisse prælerlapsum, cum diceretur oratio, patet ex c. VI. init. 'Illum tamen primi consulatus tui auspicalem diem,' ita enim legendum est. Tantum, puto, 'consulatus' meminisset, si secundus nondum fuisset gestus. Sequitur annus CCLXXXIX. hoc Panegyricus omnino dictus videtur. Cap. enim XII. memorat classes adversus Carausium (is namque pirata est) ornatas et ædificatas; ex tota orationis serie adparet, classem anno præcedenti deductam, quo dicta est oratio; ad hunc itaque, quem dixi, annum manu velut nos ducit rerum gestarum series. Adversus Bagaudas enim, anno CCLXXXV. rebellantes, egregiam Maximiano operam præstiterat Carausius. Aur. Victor Cæs. XXXIX. 18. Præfectus itaque fuit classi per Belgicam parandæ et observandis Oceani littoribus, quæ tunc Franci et Saxones infestabant; at vero negligenter cuncta tractando, quo facilius transeuntes cum præda exciperet, eamdem prædonibus ereptam sibi soli vindicavit, nec dominis restituit. 'Accendit itaque,' inquit Orosius VII. 25. 'suspicionem, quod ipsos quoque hostes ad incursandos fines artifici negligentia permitteret.' Ubi ex codd. Leidensibus, et Gronoviano restituendum fuisset 'admitteret,' jubente ita Eutropio IX. 21. 'consulto ab eo admitti barbaros.' Ob suspicionem itaque hanc sibi metuens defecit, quæ defectio ad annum CCLXXXVI. referenda. Sequenti anno CCLXXXVII. pace cum Persis composita, in Occidentem redit Diocletianus, cumque Maximiano colloquium instituit: infr. cap. IX. ubi male Mediolanense colloquium intelligit Livineius, quod ab hoc diversum serius contigit, notatus ideo a Norisio de Num. Dioclet. Diss. I. c. 4. Byzantii institutum esse conjicit Basnag. Annal. tom. II. p. 451. ob legem 6. C. 'An ser. pro suo fact. illic.' II. Idus April. datam: sed infirmum illud est argumentum: locum ipse in medio reliquerim. Instituti colloquii ratio fuit de Carausio debellando, placuitque classem contra eum ædificari, qua occupati fuerunt ad ver anni CCLXXXVIII. tum eadem deducta est, eique felicem successum auguratur c. XII. et prospere adversus Carausium fuisse pugnatum, patet ex c. XI. in fin. hinc et 'fugientem piratam' eum adpellat Eumenius Constantio cap. XII. deinde tamen hæc classis a Carausio capta est, et tempestate disjecta. Illud itaque felicis expeditionis augurium docet orationem habitam esse ante, quam hæc clades contigerit, quam ad annum CCXC. refert Basnag. d. l. pag. 454. nescio tamen, utrum contigerit post habitum anno CCXCI. Genethliacum: ita enim illic cap. ult. § 4. 'præter victorias toto

orbe terrarum partas etiam navalia tropæa promittunt:' ita vix ausus videtur loqui orator, classe deleta, nisi malis, eum adulandi studio cladem consulto pressisse silentio. Constantium anno CCXCII. mare ingressum fuisse, et deinde classem dissipatam, statuit Baune ad Eumen. Constantio c. XII. quidquid sit, hoc certum, diu ante habitum Genethliacum, inter cladem illam, et deductam classem orationem haberi debuisse: ante cladem habitam adparet ex cap. XII. in fin. 'Facile itaque quivis intelligit, Imperator, quam prosperi te successus in re maritima secuturi sint.' Persecutus hæc sum copiosius, ut adpareat Baunii hoc, aliisque locis error, de quibus inferius videbo. Treveris dictam esse orationem constituo: civitatem enim, in qua dicebat, ita extollit, ut reliquis facile credas fuisse honoratiorem: vide c. XIV. § 3. ea autem Treverorum erat honoratior, in qua sæpius degebant Impp. etiam Maximianus, unde in ipsius nummo litteras S. M. T. exponit de Bie Numism. Imp. p. 128. et de similibus notis Jobertus Notit. Num. p. 303. Ed. Belg. Post Maximianum fuit hæc Imperatorum apud Gallias sedes, et Gratiani domicilium. Cf. Teschenmacker. Annal. Cliviæ p. 21. et illic Dithmarum, et Cannegieter. in Postumo c. 6. Hinc repetendæ tot principum constitutiones Treveris datæ, ut recte Gothofred. ad L. II. C. Theod. de Medic. qui ad L. I. Cod. Th. de sentent. ex peric. in subscriptione L. 3. C. Justin. eod. jure pro 'Trebus,' quod editur, emendat 'Treveris.' De hac urbe adde Auson. Clar. Urb. Carm. IV. et Incerti Epigramma in Anthol. Latin. III. 20. Denique hic Panegyricus Rhenano, aliisque est decimus; sextus in Guelferb. sed Livineii ordinem secutus sum, a quo Rivinus male recessit, Rhenano magis adhærens. Temporis ordo hunc ei locum tribuere jubet, a quo in colligendis hisce Panegyricis perperam recesserunt nonnumquam codices et editores. *Arntz.*

CAP. I. § 1 *Debet honor*] *Debent* Vet. et Bertin. *honos*, Vet. *Debeat* meis auribus suadent numeri. Pacatus in Theodosium: 'Cui cum difficile sit pro amore, quo in te præditus est, de te satis fieri, cum difficilius,' &c. Iterum, 'nam cum per se vivax sit recordatio calamitatum, tum mihi metus,' &c. Eumenius in Constantinum: 'Nam cum omnes homines gratia non indigentes curare boni sit Principis, tum præcipue bene meritis et graviter affectis subvenire sapientis est.' Ipse Cicero pro Cornelio Balbo: 'Nam cum ex omnibus civitatibus via sit in nostram, tum vero ut quæque nobiscum maxime societate, pactione, fœdere conjuncta est, ita mihi maxime communionem beneficiorum, præmiorum civitatis continere videtur.' Plinius Panegyr. 'Sed cum ita comparatum sit, ut de nullo minus Principe querantur homines, quam de quo maxime licet, tum tuo sæculo nihil est, quo non omne hominum genus lætetur.' Ep. VII. 8. 'Nam cum omnibus virtutibus abundet, tum hac præcipue, quod habet maximam in amore constantiam.' Ep. VIII. 18. 'Nam cum aures hominum novitate lætentur, tum ad rationem vitæ exemplis erudimur.' Divus Nerva ad Tullium Justum Epist. X. 59. 'Cum rerum omnium ordinatio, quæ prioribus temporibus inchoatæ sunt, observanda sit, tum epistolis etiam Domitiani standum est.' *Livin.* Mamertinus habuit hanc orationem die natali urbis Romæ, h. e. XI. Kal. Maii, prout ex sequentibus verbis liquet: ergo in exordio ait, æquum esse, ut Maximianus eo die honoretur colaturque; cum Imperatores omnibus festis diebus divino quodam honore sint colendi; cumque ii, si non conditores, tamen conservatores sint urbis ejusdem. Verba hæc ora-

toris satis sunt perspicua; neque, quantum nobis constat, hoc usque ab alio solicitata, nisi a Livineio, qui, quum in duobus vetustis codicibus Mss. reperisset, *debent honos*, conjecit scribendum esse *debeat honos*, cum litera *a* imperito librario facile commutari potuerit in *n*. Atque plane ita scriptum, non solum in codice nostro, sed in utroque etiam libro Gudiano ex aliis codicibus annotatum, deprehendimus. Novimus quidem, particulas 'cum,' 'tum,' quando simpliciter copulandi vim habent, et per 'non solum,' 'sed etiam' commode reddi possunt, utrimque verbum modi indicativi admittere, quemadmodum, e. g. Cicero Epist. Fam. XVI. 6. loquitur: 'Cum tua et mea valde interest, te valere; tum multis est curæ.' At enimvero, quando particula 'cum' non tam copulativam, quam caussalem vim habet, et velut pro 'quoniam' ponitur, uti hoc loco; utique rectius cum verbo conjunctivi modi conjungitur. Id quod jam Livineius variis exemplis veterum auctorum comprobavit. Cujus structuræ exempla quædam, et nos afferre possumus. Sic enim Cicero exorditur librum de natura Deorum: 'Cum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sint; tum perdifficilis, Brute, (quod tu minime ignoras) et perobscura quæstio est de Natura Deorum.' Idem in initio Orationis pro Deiorato: 'Cum in omnibus caussis gravioribus, C. Cæsar, initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus, vel ætas mea postulare: tum in hac caussa ita me multa perturbant,' &c. Idem in Lælio cap. 7. 'Cum plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bonam spem prælucet in posterum.' Idem Fam. IV. 4. 'Consilium tuum cum semper probavissem, tum multo magis probavi, lectis tuis proximis literis.' Idem ad Attic. VII. 4. 'Pompeius cum ante intelligeret, Cæsarem ab se plane alienatum; tum vero proxime judicavit.' Mittimus multo plura hujus generis exempla. Eam adeo emendationem hujus loci, etsi non necessariam ducamus, cum et vulgatior lectio aliis se exemplis tueri queat, haud tamen dissimulandam existimavimus. *Schwarz.* Vossii excerpta, *debeat honos videtur divinis*, uti *videtur* illic ex *vester* corruptum, ita verior est altera lectio *debeat honos*, ab aliis quoque codd. confirmata. Hanc itaque revocavi, codicibus obsecutus, ut in iis par est, quæ in utramque possunt partem disputari, licet minus necessaria Schwarzio videatur emendatio. Præter codicum auctoritatem adcedit quædam distinctionis ratio in usu τοῦ 'cum' sequente 'tum.' Tradit quidem Manutius ad Ciceron. ad Divers. XV. 9. utrique ita modo, indicativo et subjunctivo, 'cum' jungi. Vereor, ut hoc verum sit: indicativus probatur magis in orationis serie conjunctim positæ, ut apud Ciceron. pro Domo cap. 1. 'Cum multa divinitus a majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius.' Plinius Paneg. LXXIV. § 2. 'Sed cum multa illo die dicta sunt sapienter et graviter, tum vel inprimis hoc.' Ubi non probo 'sint,' quod est in Pataviuo et Vossiano. Si vero caussæ adsit notio, adsentirer Schwarzio subjunctivum præferenti. Adcuratius quædam potuisset exempla distinguere Noltenius Lexic. Antib. p. 1874. ubi cum proferat Ciceronem in Lælio cap. 1. 'cum sæpe multa narraret, tum memini,' videtur quidem is locus huic obstare sententiæ, sed 'narraret' in codd. non exstat, recte in melioribus editionibus rejectum. Vid. illic Gruterus. In hac constructione duobus Plinii locis usus est Livineius, sed corruptis. In altero enim ex optimis codd. emendatum est,

'abundat,' in altero, 'lætantur.' Vid. Cortius ad eumdem Epist. VII. 8. 3. Recte Mamertinus præcedenti *cum* junxit *tum præcipue;* in paribus enim 'tum, tum,' in diversis, ex quibus majoris est momenti posterius, 'cum, tum' obtinet: dixi quædam in Miscellan. pag. 64. Itaque Bibliothecæ Daventriensis codex, quem aliquando consului, recte apud Sallustium Jugurth. cap. 94. 'tum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur,' non 'cum propter,' utraque res enim momento nihil distabat: recte etiam cod. Trajectinus apud Ciceron. de Orator. II. 43. 'tum erga oratorem, tum erga illum.' In posterioris autem rei incremento eleganter 'præcipue,' aut 'maxime' additur, præcedente 'cum.' Oudendorp. ad Sueton. Cæsar. cap. 75. male adeo cod. Daventr. apud Sallust. Jugurth. cap. 47. 'tum propter bonas artes, tum maxime,' et Trajectinus apud Ciceron. de Orator. II. 13. 'tum ad ceteras res illustres, tum ad scribendum historiam maxime se adplicaverunt;' probo illic *scribendum* præ vulgari *scribendam* ex eodem codice, quod et in Wagstaffiano, et Coll. Nov. illic invenit Thomas Cockmannus. *Arntz.*

Nobis] Ante Livineium legebatur *nobis*, male retentum a Rivino, cum aliud suadeat sententia, et *vobis* legatur in Guelferb. et Schonhovii excerptis. Frequenter hæc permutata esse docent Notæ ad Livium XXXIV. 2. 2. et Arator. I. 541. in Panegyr. Eumenii Constantio XX. 4. 'quæ a nobis ita recuperata est.' Lege ex Guelferb. 'a vobis,' sequitur enim 'vestris nutibus obsequantur;' frequenter ita inferius 'noster' et 'vester' permutata videbimus. *Idem.*

Die] Natalitio urbis Romæ, qui erat XXI. Aprilis, dicebaturque Palilia, a Pale pastorum Dea, cui dies eadem sacra. Tibull. IV. 2. 'Urbi festus erat; dixere Palilia patres: Hic primus cœpit mœnibus esse dies.' Inde Imp. Caligula primum diem imperii sui vocari jussit Palilia, 'velut argumentum rursum conditæ urbis,' teste Sueton. cap. 16. *Patarol.* Plinius H. N. XVIII. 26. 'Hoc est vulgo adpellatum sidus Palilicum, quoniam XI. Calend. Maii urbis Romæ natalis, quo fere serenitas redditur, claritatem observationi dedit.' Cicero de Divinat. II. 47. 'L. quidam Tarutius Firmanus, familiaris noster, inprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in jugo cum esset luna, natam esse dicebat.' Vid. illic Davisius. Tarutii, sive, quod Salmasio placebat, Torruntii auctoritate etiam usus Plutarchus in Romul. p. 24. B. et Solinus Polyhist. I. qui urbem addit conditam hora post secundam ante tertiam plenam. Vere id factum dicitur XI. Kal. Maias; quod apud Eutropium I. 1. antea legebatur, X. Kal. cujusque loco est corrupto usus Demster. ad Rosin. I. 1. postea ex codd. recte fuit emendatum. Adde de natali urbis Thysium Miscellan. Exercit. 20. Gothofred. ad L. 2. C. Theod. de Feriis, Brisson. Oper. Minor. p. 282. Fabrum Semestr. I. 9. *Arntz.*

Sacræ urbis] Romæ. *Cellar.* Quæ tamquam Dea culta. Conveniunt Juliani verba Orat. I. p. 6. σεβόμενοι εἰκότως τὴν πόλιν· ubi commode Mamertini verba adhibuit Spanhemius. Hinc in numis Θεὰ dicitur, de quo idem de V. N. Diss. III. p. 138. 140. et 145. Elsner. ad Apocal. XVII. 1. Templum hinc et ei erectum, primum quidem a provincialibus, deinde et in ipsa urbe ab Hadriano, in regione IV. de quo Pancirollus, Valesius ad Ammian. XVI. 10. et Donatus de Urb. Rom. III. 5. præsertim de Rhoër in Otio Daventr. p. 182. ubi et Velleii Paterculi locum adtigit, I. 11. § 5. ex quo nonnulli Metellum jam antea

Romæ ædem exstruxisse sunt perperam opinati. Eleganter de hoc Romæ honore Rutilius Itin. I. 47. 'Exaudi, regina tui pulcerrima mundi, Inter sidereos Roma recepta polos. Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum, Non procul a cælo per tua templa sumus. Te canimus, semperque, sinent dum fata, canemus, Sospes nemo potest inmemor esse tui. Obruerint citius scelerata oblivia solem, Quam tuus ex nostro corde recedat honos. Nam solis radiis æqualia munera tendis, Qua circumfusus volvitur oceanus.' Locum adscripsi longiorem, ut turpiter a librariis corruptum sanem. 'Solem sceleratum' non concoquo, neque Barthii expositionem, absonum, horrendum, inmane. Heinsius eleganter 'celatum;' magis tamen mihi placet 'velatum,' quia potius hoc in 'celatum' abiit, ut in codd. apud Lucan. II. 867. videatur et Burman. ad Ovid. Heroid. v. 131. Sic 'velata Lunæ cornua' habet Valer. Flaccus VIII. 29. quod Heinsium nollem in 'alata' mutasse. Deinde apud Rutilium 'munera tendere' Latine dici recte negat Burmannus. 'Mœnia tendis' est Barthii, 'munera fundis' Grævii conjectura, quam expressit Bronkhus. ad Tibull. II. 5. 59. Burmannus mavult, 'munera pensas.' Vir doctus in Observ. Miscellan. Vol. III. p. 369. 'brachia tendis.' Præ omnibus placet Grævianum, 'fundis,' sed cum splendorem solis Romanæ gloriæ, totum terrarum orbem inplenti, comparet, 'munera' quoque mutes, hoc pacto, 'Nam solis radiis æqualia lumina fundis:' ut apud Valer. Flacc. I. 572. et 'flamma fusa' apud Livium XXV. 39. 16. Virgil. Æneid. II. 683. *Arntz.*

Palatium] Domum in colle Palatino. *Patarol.*

§ 2 *Regem advenam condidisse*] Regem advenam Euandrum cape, et Halicarnasseum adi Antiq. Roman. lib. I. Livii. Euandrum ex Arcadia, qui Palanteum oppidum, sive Pallanteum in monte Palatino juxta Tiberim condidit. Virgil. Æneid. VIII. 54. 'Posuere in montibus urbem Pallantis proavi de nomine Pallanteum.' Mons etiam Palatium Ciceroni dictus Catilin. I. 1. et in eo domus Principum: sive Augustorum Palatium, quia Augustus Cæsar in illo colle habitaverat. *Cellar.* In priore hujus loci periodo, quantum scimus, nullus adhuc editor commentatorque aliquid desideravit; cum tamen si posteriorem periodum priori jungas, et utramque expendas accuratius, haud ægre suspicari possis, subesse nonnihil lacunæ inter eam utramque periodum. In priore enim periodo orator ait, regem advenam, scilicet Euandrum, condidisse Palatium Romanum, quod fuerit in civitate Romana prima sedes regia, et primarium palatium numinis, h. e. majestatis imperatoriæ Diocletiani et Maximiani; cum et multa alia essent palatia; prout idem Mamertinus in Genethliaco cap. XI. nominat 'Mediolanense palatium,' et incertus orator in Panegyrico Maximiano et Constantino dicto cap. VI. 'palatium Aquileiense,' &c. In altera autem periodo, quæ, propter formulam connectendi, 'neque enim fabula est,' αἰτιολογίαν prioris afferre, ejusque sententiam probare debet, nihil orator de Euandro habet; sed potius ex monimento aræ maximæ Herculis, et ex officio familiæ Pinariæ demonstrat, ibi aliquando Herculis fuisse hospitium, ubi postea exstiterit domus Cæsarum. Aut ergo, particula causalis *enim*, quæ tamen hucusque omnium librorum, et manu scriptorum et typis excusorum, auctoritate firmatur, mutanda erit in copulativam particulam *etiam;* ut quasi alia res a priore narrari videatur; aut ducimur ad suspicandum, ante periodum posteriorem jam etiam Herculis

mentionem factam esse oportuisse. Huc accedit evidentius vestigium defectus alicujus ex quorundam codicum Mss. testimonio. Jam enim Livineius testatur, se in codice Bertiniensi scriptum reperisse, *regem advenam condidisse, sed Herculem hospitem condidisse.* Quæ scriptura, licet et ipsa fuerit depravata, saltem indicat, mentionem Herculis quomodocunque præcessisse. Quam lectionem juvare quidem conatus est Livineius, dum rescribendum existimavit, *regem advenam, et Herculem hospitem condidisse;* verum non satis feliciter. Herculem enim fabulæ quidem narrant, hospitatum esse, et aliquandiu consedisse in Palatio, vel Palanteo, ab Euandro condito, sed eundem ipsum Palatium condidisse nusquam indicant. Propiorem ergo aditum ad necessarium quoddam supplementum non solum noster, sed et alii codices Mss. in utroque libro Gudiano annotati nobis aperiunt: quamquam neque hi locum hunc sine omni corruptela exhibeant. Ita vero ibi scriptum legimus: *Verum est enim profecto, quod de origine illius civitatis accepimus; primam in ea sedem numinis vestri, sanctum illud venerandumque Palatium, regem advenam condidisse; sed Herculem hospitem consedisse. Neque enim fabula est, &c.* Particula *sed* omnino parum commoda congruensque huic loco videtur; ideo autem eo facilius indicium affert, eam aliunde accessisse, et pro voce *sede*, fortasse aliquantum obliterata, ab imperito librario agnitam, adscitamque fuisse. Ut nimirum hoc supplementum, quod non de nihilo esse videtur, conciliaremus cum oratione Mamertini, ductu nexus, et quadam necessitate sententiæ constituendæ, conjecimus locum istum ita restituendum esse: *regem advenam condidisse, eaque sede Herculem hospitem consedisse.* Facile enim fieri potuit, ut nonnulli librarii inciderint in codicem pervetustum, in quo (ut non raro in ejusmodi codicibus fieri solet) temporis aliusque causæ vitio, voces istas obliteratas, vel difficulter, vel plane non legere potuerint. Unde alii eas prorsus omiserunt: alii aliquantum corruptius, aut certe non sine omni defectu retulerunt, adeoque, extincto pronomine *eaque*, tantum ex evanescente voce *sede* solas tres priores litteras adhuc agnoverunt, atque exinde effinxere particulam *sed.* Utcumque est, emendationem hanc non indignam existimavimus, quam ennotaremus. Equidem alicui in mentem venire possit, utique assumentum illud quorundam codicum Mss. superfluum videri; quoniam omnino, si non expressa, tamen latens mentio Herculis jam in his verbis præcesserit, *primam in ea sedem numinis vestri*, i. e. Herculis. Etsi enim solus Maximianus cognominaretur Herculeus, uti Diocletianus Jovius; adeoque orator, cum Maximianum coram alloqueretur, tunc stricte dicere debuisset, *primam sedem numinis tui*, i. e. Herculis; attamen cum ambo isti Imperatores, concordiæ studiosissimi, omnia inter se communia habere videri vellent, orator etiam, quamvis solum alloqueretur Maximianum præsentem, non minus recte dicere potuit, *sedem numinis vestri*, haud secus ac in Genethliaco c. XIV. 1. dixit ‘de Jove vestro,’ licet alioqui solus Diocletianus a Jove cognominaretur Jovius. Verum ea loquendi ratio, ejusque interpretatio nihilominus hoc loco obscurior foret, neque constaret, quomodo palatium Romanum vocari possit ‘prima sedes’ Herculis, qui sine dubio jam alibi suas habuisset sedes. Atque adeo lubentes interim admittimus supplementum, quod noster nobis codex suggerit, et ab aliis confirmatur, usque dum certior lux huic loco affulgeat. *Schwarz.* In Gudii codice, qui Guelferbyti est, Cortius

legi notaverat, *regem advenam condidisse, sed hospitem advenam consedisse.* Is itaque in eo a Schwarzii membranis differt, quod *hospitem advenam* exhibet, ubi illæ *Herculem hospitem.* Herculis mentionem requiri rationes Schwarzii, ex sequentibus Panegyrici verbis, prorsus persuadent; is autem per *hospitem advenam* jure intelligi potest. Eoque magis suppressum ipsius nomen placet, cum et in Euandro idem obtineat. Opposuit adcuratius *regem advenam,* et *hospitem advenam* Mamertinus, quam *regem advenam* et *Herculem hospitem.* Herculis nomine addito utique et Euandrum nominare debuisset. In contextu igitur Guelferbytani codicis scripturam reposui, et codd. quidem multum debemus, qui sententiam deperditam, atque adeo in editionibus omnibus neglectam revocaverint. Schwarzii conjectura *eaque sede* non est inelegans; jam ad marginem editionis suæ adscripserat Cortius legendum esse, *ea sede hospitem advenam consedisse;* quæ Gudii, an ipsius Cortii sit conjectura, in medio reliquerim. 'Considere' verbum est de illis frequens, qui novas sedes quærentes illic maneant. Burman. ad Valer. Flacc. VII. 119. et ita 'consederunt' forte ex cod. Reg. restituendum Floro II. 9. 3. ubi 'sederunt' editur. Vid. Dukerus. Metaphora ab examine apum deducta, illud adhibuit Tertullianus Apol. 40. ubi Havercamp. Sed in Guelferbytani codicis scriptura hæc est difficultas, quod *consedisse* quarto casui tum junxisse videatur Mamertinus, contra vulgarem usum, qui sextum cum præpositione requirit. Justinus II. 4. 2. 'In Cappadociæ ora juxta omnem Thermodonta consederunt.' XVII. 3. 3. 'In his locis consedit.' XXIV. 4. 4. 'In Pannonia consedit,' qui locus ostendit, quam vitiose alter Bibliothecæ Franequeranæ cod. apud eumd. XXXII. 3. 12. legat, 'In Pannonium consedit.' Sulpicius Sever. H. S. I. 5. 2. 'In loco, cui Sichem nomen est, consedit:' ubi notæ. Itaque in vulgata apud Mamertinum scriptura, vel ex superioribus ἀπὸ κοινοῦ repetendum est, *in ea sede,* quod sæpius factum, et hoc quidem loco sit verisimile, vel admittenda, quam dedit Cortius, conjectura; nisi forte magis placeat, quod mihi in mentem venit, *primam in ea sedem ... condidisse, sed hospitem advenam insedisse:* ita nihil est, quod quemquam offendat. 'Insidere' cum quarto casu inlustravit Drakenborch. ad Silium XII. 487. et pater meus ad Plinii Paneg. XXVI. 1. 'Insidere collem,' Burman. ad Lucan. V. 16. Dicitur autem id quoque verbum de illis, qui locum domicilio occupant. Valer. Flacc. II. 176. 'Sarmaticas utinam, Fortuna, dedisses Insedisse domos:' et 'insidere jugis Hetruscis,' Virgil. Æn. VIII. 480. *Arntz.*

§ 3 *De fama*] Similis hæc est locutio, ut apud Quinctilian. I. O. VI. 3. p. 557. 'versus tunc dicere cœpit de libro Ennii:' ubi non opus fuerat, ut Francius 'e libro' conjiceret. Lactantius Divin. Instit. V. 19. 15. 'sepulcra de libris noverint:' atque hæc tuentur satis vulgatam apud Minucium Felicem scripturam, Octav. cap. 7. 'Specta de libris memorias,' ubi frustra quidam malunt 'libris memoriarum,' aut 'de his rebus,' quæ conjectura est Wopkensii in Observ. Miscell. tom. X. p. 19. vulgatum aliis potuisset exemplis tueri Gronovius, quod successit felicius Rhoërio Feriis Daventr. p. 230. *Arntz.*

Hodie quoque] Ante Gruterum exhibuerunt *hodie quoque;* sequentes, præter Rivinum, omnes *hodieque,* confirmantibus illud codd. *Hodieque* est hodie quoque, ut recte exponit Marcilius ad Catull. Epigr. II. *que* enim pro *quoque* adhiberi docent Heinsius ad Vellei. Paterc. I. 8. 2. Wopkens. Observ. Miscellan. tom. VIII. p. 30.

aurea ætate indignam judicavit hanc vocem Scioppius Infam. Famian. p. 56. Borrichius, aliique contra sentiunt, sed quæ ex Cicerone protulerunt exempla, Noltenio non persuadent in Lexic. Antib. p. 76. quia copulative magis capienda videntur pro 'et hodie.' Sed in loco Vitruvii x. 7. id vix verum videtur: 'Hodieque, quot mensibus magistratus in eum locum proficiscitur, et ei sacrificium facit.' Qui purioribus proximo adcedunt, Velleius, Livius, sæpius adhibuerunt; et, licet *hodie quoque* Latine dici posse non negaverim, est tamen *hodieque* elegantius. Confer ea de re disserentes Dukerum et Drakenb. ad Livium v. 27. 1. et xxxi. 7. 9. recte adeo Oudendorpius suum *hodieque* restituit Suetonio in Claud. 19. ubi Burmannus *hodie quoque* tuebatur. Nescio, cur non et eandem ex Cujac. et Voss. elegantiam, quam reddiderat jam Jac. Gronovius, servaverint in Galb. cap. 1. ut factum in Tito cap. 3. alia exempla congessit pater meus ad Victor. Illustr. 42. 6. addo Quinctilian. I. O. X. I. p. 910. 'Sunt clari hodieque.' Declam. xvii. 19. 'Ut me hodieque coneris occidere.' Tacitum Germ. 3. 'Hodieque incolitur.' Dialog. de Orator. 24. 'Quas hodieque cum admiratione legimus.' Sulpicium Sever. Dial. iii. 3. § 4. 'Ut Presbyter hodieque fatetur.' Cyprianum de Idolor. Vanit. p. 394. 'Cur non hodieque nascuntur:' male illic *hodie quoque* est in aliis apud Crenium de Furib. Librar. Dissert. i. p. 108. varietas hæc orta est ex frequenti permutatione *que* et *quoque*; utriusque enim vocis apices in codd. parum distant. Vid. ad Sueton. Vitell. 5. patrem meum ad Plinii Paneg. v. 7. Drakenb. ad Livium v. 27. 1. infra Genethliac. cap. iii. § 4. pro 'omniumque' in aliis est 'omnium quoque.' Apud Celsum de Medicin. vi. 6. legendum suspicor, 'Nonnumquam, per duos menses duret, aliquando quoque brevius finitur,' editur 'quandoque,' id vero elegantia Celsi indignum est; 'ali' in 'aliquando' absorptum est ex ultima præcedentis vocis syllaba. Apud Sulpicium Sever. Dial. iii. 10. § 5. 'Christum quoque in se monstrabat.' Cod. Trajectinus, 'Christumque,' quod tamen illic vulgatæ non prætulerim, ut neque ex Trajectino apud Ciceron. ad Divers. i. 3. 'Tuum in me amorem, nostram quoque necessitudinem.' *Arntz.*

Maxima] Livius lib. i. Dionys. lib. i. *Putean.* Lege Livium ix. 29. *Cellar.* Quam Hercules ipse Jovi Inventori posuit post inventa armenta, et Cacum eorundem raptorem interemptum. Fuit autem hæc ara Romæ prope portam Trigeminam, ipsiusque mentionem faciunt Dionysius, et Origo Gentis Rom. *Patarol.* Schwarzii notam omisi longiorem ob exscriptum Livii locum integrum. Addit tamen eandem fabulam, aliquantum variatam, legi apud Dionys. i. p. 30. Victorem O. G. 6. et 7. Macrobium Saturn. ii. 6. Solinum, Virgil. Æn. viii. 269. Ovid. Fast. i. 579. Tacit. Annal. xv. *Arntz.*

Familia primaria] *Pinaria* procul dubio verum, allusumque est aperte ad Virgilii versum Æn. viii. 'Et domus Herculei custos Pinaria sacri.' *Livin.* Idem Liv. i. 7. et ix. 29. ac Valer. Max. i. 1. 17. et Virgil. Æn. viii. 270. *Cellar.* Recte notat Cerda ad Virgilii locum Pinarios tantum memorari, qui hoc tempore soli his sacris præerant, Potitiis dudum exstinctis ob facinus, quod ministerium illius sacri servis delegassent. Vide Livium ix. 29. et Antholog. Latin. i. 39. *Arntz.*

Tui generis] Infra: 'An divinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris?' Rursum: 'Eadem scilicet auxilii opportunitate, qua tuus Hercules Jovem

vestrum quondam Terrigenarum bello laborantem magna victoriæ parte juvit.' Nam Maximiano 'Herculius' cognomen, ut Diocletiano 'Jovius.' *Livin.* Adparet hinc, cognomina 'Jovii' et 'Herculei' inde repetenda esse, quod ad Deos hosce originem referebat uterque Imperator. Neque aliter cap. VII. § 5. 'Jovis sui more, nutu illo patrio.' Genethliac. II. 4. 'Siquidem vos Diis esse genitos et numinibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus approbatis,' ubi mox § 4. Schwarzius emendat 'cognominibus,' sed ex quorumdam conjectura, et Gudiano cod. magis placet 'nominibus,' et firmat ipse Mamertinus cap. III. 2. 'Vestri illi parentes, qui vobis et nomina et imperia tribuerunt.' Ibid. § 8. 'Parentes Deos videamus imitari.' Epithalam. Incerti VIII. 2. 'Hic est, qui nomen, acceptum a Deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobavit:' ita enim is locus ex Guelferb. est legendus. Iisdem fere exemplis usum jam conspicio Cuperum ad Lactant. M. P. p. 147. ut ostendat Imperatores hos Jovem Herculemque patres habuisse. Arbitratur de Bie in Numism. Imper. pag. 123. Maximianum dictum fuisse 'Herculeum,' et ad roboris gloriam, et quia Diocletiani Jovii filius erat adoptivus et consors. Tantum ita dictum arbitror ob virtutem, ut loca superius prolata confirmant. Vid. et Josephus Monterchius ad rariora Numism. Principis Carpegnæ p. 128. Male igitur Aurel. Victor Cæsar. XXXIX. 18. 'Huic (Maximiano) postea cultu numinis Herculei cognomentum accessit, uti Valerio Jovium.' Quod miror etiam de Bie secutum Numism. Imper. p. 122. saniora dedit Grunerus. Adrogantiam hanc sugillat Lactantius M. P. cap. ult. 'Ubi sunt modo magnifica illa et clara per gentes Joviorum et Herculiorum cognomina, quæ primum a Dioclete et Maximiano insolenter adsumta?' Adde Spanhem. de V. N. Dissert. XII. p. 494. *Arntz.*

Addidisse] Suadet argumentum, legamus *adiisse*, veluti conjecere Bongarsius ac Livineius: propius tamen ad literas divinarat Claudius Puteanus V. C. *adivisse;* sic enim ad marginem libri adpictum manu Petri Danielis, harum literarum, dum fata Deusque sinebant, eruditissimi. *Gruter.* Mendosum: forte, *Palatina mœnia condidisse victorem.* Acidal. Divinat Acidalius legendum *Palatina*, frustra tamen; diximus enim Palatium olim Palantium fuisse dictum. Adde, quod nonnulli, teste eodem Dionys. non a Palantio Arcadica urbe, sed ab Herculis filio Palante nomen inditum tradunt, quare potiori jure *Palantea* legendum, ideo et Virgilio Æn. VIII. 341. dictum, 'et nobile Palanteum.' *Patarol.* Plurimi libri editi, qui nobis innotuerunt, habent, *Palantea mœnia addidisse victorem.* At codex noster, et alii in utroque libro Gudiano, pro *Palantea*, scribunt *Pallantea.* Satis bene: nam a Pallante, rege Arcadiæ, proavo suo, Euander urbem ad Tiberim conditam vocavit 'Pallanteum,' unde et Virg. Æn. VIII. 51. sqq. canit: 'Arcades his oris, genus a Pallante profectum, Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti, Delegere locum, et posuere in montibus urbem, Pallantis proavi de nomine, Pallanteum.' Inde tamen postea deductum est nomen Palatium, quod docet Pausanias lib. VIII. p. 689. ubi narrat, Euandrum nympha, Ladonis filia, et Mercurio genitum, consilio et bellica virtute Arcadas ceteros antecelluisse; hunc in coloniam missum, deducta e Pallantio in locum Tiberi proximum, Arcadum manu opidum condidisse, quod urbis Romæ postea pars fuerit; appellatum vero de Arcadici opidi no-

mine ab ipso Euandro, et inquilinorum comitatu 'Paliantium:' posteros vero hoc nomen, duabus litteris *L* et *N* submotis, immutasse, nempe dixisse 'Palatium.' At illud opidum ipsum jam apud Dionysium Halicarnass. lib. I. p. 25. per λ simplex scriptum legitur: Ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ τίθενται Παλάντιον, ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως· νῦν μέν τοι Παλάτιον ὑπὸ Ῥωμαίων λέγεται, συγχέαντος τοῦ χρόνου τὴν ἀκρίβειαν, καὶ παρέχει πολλοῖς ἀτόπων ἐτυμολογιῶν ἀφορμάς. *Huic opidulo a vetere patria nomen imponunt Palantium; nunc vero Palatium a Romanis dicitur, corrupta voce injuria temporum: unde multis absurdarum etymologiarum occasio.* Sic idem Dionysius lib. II. p. 77. narrat, Arcadas, digressos ab opido Palantio, secutos Euandrum, Mercurii et Themidis nymphæ filium, ducem coloniæ; hos domicilium fixisse ad unum e septem collibus, in media ferme Roma situm, quem locum ab Arcadia patria denominarint Παλάντιον, nec multo deinde post Herculem in Italia esse appulsum. Nominis Pallantei, sive Palantii aliquot absurdas etymologias, non solum Dionysius Halicarnasseus priore loco, sed etiam Festus, seu potius Paulus Diaconus, interpolator Festi, recensent. *Schwarzius. Addidisse* edidit quoque Baunius. Patarolum secutus dedi *adiisse.* Deinde *Pallantea* reposui ex Guelferb. et locis adhibitis ad Livium I. 5. 1. apud Stephanum Byzant. de Urbib. Arcadiæ oppidum dicebatur Παλάντιον, vere Παλλάντιον emendavit Salmas. ad Solin. p. 99. idque jubet elementorum ordo. Solinus Polyhist. 9. 'Pallanteum Arcadiæ, quod Palatio nostro per Euandrum Arcada adpellationem dederit.' Aurel. Victor O. G. v. 3. 'Illi a Pallante Pallanteum, postea nos Palatium diximus.' Adde omnino Eustathium ad Dionys. Perieges. vs. 347. atque hinc *Pallantium* quoque reddendum Plinio Hist. Nat. IV. 6. *Arntz.*

Licet tunc regia] Virgil. Æn. VIII. 362. 'Ut ventum ad sedes; Hæc, inquit, limina victor Alcides subiit; hæc illum regia cepit.' Ad quem locum Servius in V. C. 'Hic jus pontificale quibusdam videtur subtiliter tangere: domus enim, in qua pontifex habitat, regia dicitur, quod in ea rex sacrificulus habitare consuescit, sicut Flaminia domus, in qua flamen habitare dicebatur, quod hic ostendit ex persona Euandri.' *Putean.*

Susceptum] Turbat magis Acidalii conjectura sententiam, quam adjuvat, sive *suscepta* referas ad *religione*, sive ad *primordia*. Si emendatione indigeret locus, interpungi mallem, *et parva licet tunc regia, summa tamen religione susceptum*, ut *religione* potius cum *regia* jungeretur, hac sententia, regia quidem parva, sed maxime venerabili. Vulgatum tamen servemus potius. 'Suscipere' ad illos pertinet, qui veneratione quadam, aut amore alios domo, hospitio excipiunt: infra c. II. § 5. 'Quæ castra dominum habitura susceperunt.' Genethliac. III. 8. 'Ardorem etiam earum, quæ primæ vos suscepere, regionum.' IV. § 2. 'Illum modo Syria viderat, jam Pannonia susceperat.' Justinus XXVIII. 4. 10. 'A quo honorifice susceptus;' ubi in duobus Franequeranis, et totidem D'Orvillii codd. inveni 'exceptus.' In Cornelio Nepote Dion. I. 5. quædam membranæ, 'Hunc a Dionysio missum Karthaginenses susceperunt.' Ob sequens tamen 'admirati' probo illic vulgatum 'suspexerunt.' Ovidius Heroid. XII. 29. 'Suscipit hospitio juvenes Æëta Pelasgos.' Ita duo Moreti, nec male. Burmannus illic hoc Mamertini loco *susceptum* monet legendum; cur ita monuerit, nescio, cum in omnibus ita constanter fuerit expressum. Hegesippus Excid. Urb. I. 38. fin. 'Suscepit eos Archelaus opimo convivio.' Ruffinus

Hist. Eccles. x. 17. 'Hospitio Athanasium suscepisse:' ubi ex Ms. Gruteri 'recepisse' mavult Janus Gebhardus Crepund. I. 11. cui ægre adsentior, quia ipse Ruffinus mox cap. 19. 'honorifice religioseque susceptus est.' Ὑποδεξαμένη, quod in Epistola adhibuit Jacobus II. 25. vertit vulgatus interpres, *suscipiens*. Ὑποδέξασθαι hac notione est apud Ælianum Var. XIII. 10. et 26. Antonin. Liber. Metam. 37. Polybii locum adhibuit Raphelius ad Lucæ Evang. XIX. 6. Quod additur, *esse posset domus*, interpretor 'esset,' de qua elegantia late dixi ad Arator. Epist. ad Vigilium 15. et de Actib. Apostol. I. 530. Apud Sulpicium Sever. Vit. Martin. XX. 6. ex Trajectino emendandum, 'nullum scilicet existimans digniorem, qui possit prior bibere.' Editur jam, 'qui post se biberet.' In Actib. Apostol. XVII. 19. δυνάμεθα γνῶναι verti malim, *scimusne*, neque opus est, ut illic cum Toupio ad Suidam, part. III. *ob* inseratur. *Arntz.*

§ 4 *Dominæ gentium*] Sic in fine hujus Panegyrici: 'Interim tamen te gentium domina,' et paullo post, 'domina gentium Italia,' et in fine, 'vestri imperii mater;' et in Genethliac. Maximiani cap. XII. et passim. *Putean.* Vide Livineium ad Genethl. XII. 1. Patarol. infr. XIV. 3. Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. II. p. 67. et quæ dixi ad Arator. II. 1226. Incerti Epithalam. Maxim. II. 7. 'Quibusnam tu, domina gentium, potes compensare beneficiis?' Et Italia 'gentium domina' mox cap. II. 2. Eumenius Constantio X. 3. Quod vero hic plures genitivi junguntur, id neque aliis insuetum, ut docet Drakenb. ad Livium Præfat. § 3. Moller. Dissert. Jurid. p. 28. Laberii Prologus ante Mimos apud Macrobium Saturnal. II. 7. 'Si tibi erat libitum litterarum laudibus Floris cacumen nostræ famæ frangere.' Justus Specim. Observ. Critic. cap. I. emendat, 'Florem;' sed sententiam non satis adsecutus est. Per 'litterarum laudes' intelligendi sunt mimi, ad quos scribendos Cæsar Laberium invitaverat, quosque in scena agi jusserat, inde autem 'cacumen floris famæ' fractum dolet Laberius, utique qui eques erat Romanus. Pari vestigio in vulgata defendenda institit vir eruditus in Actis Lipsiens. an. 1768. pag. 4. cujus mihi consensum gratulor. Alia dedit exempla Cannegieterus meus ad Fragment. Vet. Jurisprud. p. 317. pater ad Plinii Paneg. XXIX. 2. *Arntz.*

Stirpis tuæ] Tanta vanitas Diocletiani et Maximiani Augustorum fuit, ut ille 'Jovii,' hic 'Herculei' sibi cognomen adsumerent, quasi ex stirpe Deorum progeniti: quod passim ex hoc Panegyrico apparet cap. II. 3. cap. VII. 5. et Genethliaci cap. III. 3. quamquam de Maximiano Aurelius Victor cultu numinis Herculei cognomentum accessisse tradit. *Cellar.* Vide superius § 2. *Arntz.*

Vis tacita] In codice nostro, et in altero libro Gudiano legimus, *ac vis tanta naturæ*. Haud absurde, ut opinamur. Ita Cicero de Orator. I. 44. de patria loquitur: 'cujus rei tanta est vis ac tanta natura.' Nolimus tamen rejicere lectionem vulgatam, *vis tacita naturæ;* est enim virtus et potestas latens atque occulta naturæ. Quinctilianus Instit. Orat. III. 5. 'Subest,' inquit, 'et temporis et qualitatis tacita vis.' Atque idem Declam. 321. 'Fratrem suum potuit aliquis occidere? Non obstitit tacita natura?' Cicero de Orator. III. 50. 'In hoc ipso magna quædam vis incredibilisque naturæ. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quæ sint in artibus recta ac prava, dijudicant.' Certe hæc loquendi ratio *vis tacita naturæ* nobis elegantior, et huic loco convenientior videtur, quam ut eam aliunde intrusam putemus. Ceterum 'similitu-

dinem stirpis' Maximiani, de qua loquitur, adulatorie orator refert ad stirpem Herculis. Etsi enim, teste Aurelio Victore, Maximianus fuerit ortu agresti, in Pannonia natus, cujus parentes opera mercenaria exercuerint; et licet, eodem Victore commemorante, cognomen 'Herculei' Maximiano primum accesserit a cultu numinis Herculis, nihilominus Mamertinus in hoc ipso capite Herculem vocat 'principem generis ac nominis Maximiani Herculei.' Et cap. II. 3. 'An divinam,' inquit, 'generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris?' Adhæc idem Mamertinus Genethl. cap. II. 4. Diocletianum et Maximianum Imperatores allocutus: 'Vos Diis,' inquit, 'esse genitos, et numinibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus approbatis,' in quo quidem loco pro 'et numinibus' legere malimus 'cognominibus.' *Schwarz.* *Tacita* excerpta quoque Vossii. Intellige naturam ab Hercule oriundam, sed cum idem in *similitudine stirpis* jam lateat, servem *tacita*, id est occulta, innata, uti 'tacitis facibus' aliquem 'incitare' dixit Valer. Max. VIII. 14. extern. 1. ubi Perizon. et 'virtus tacita' apud Boëth. Consol. Philos. II. Pros. 7. Passim utraque vox confusa est. Vid. Drakenb. ad Livium XL. 8. 5. Quædam hinc loca emendavit Heinsius ad Ovid. Metam. v. 498. *Arntz.*

§ 5 *Tuumque fratrem*] Diocletianum. Duo enim Augusti Imperatores instar fratrum erant, exemplo Marci et Lucii Antoninorum, quos 'Divos fratres' Romanæ leges appellant. *Cellarius.* *Fratrem* adpellat, quia imperii erat consors, quod hac ætate consuetum erat, imitatione eorum, qui ejusdem collegii consortes hoc nomine indicabantur. Puto Orosium Histor. VII. 19. ita Balbinum adpellare Pupieni *fratrem*, quod male factum scribit Havercampus, quia nulla cognatione erant juncti, sed tantum collegæ in imperio. Rectius de Rhoër. Feriis Daventr. p. 210. adde et Cannegieter ad Fragm. Vet. Jurisprud. p. 52. simili modo loquitur Lactantius Mort. Persec. 8. 'Quid frater ejus (Diocletiani) Maximianus,' ubi elegantia contulit Cuperus et Bunemannus. Infra cap. IX. § 3. 'estis .... virtutibus fratres.' Genethl. VII. § 5. 'vos .... pares victoriæ fecere fratres.' Vide et mox IV. 1. Epithalam. incerti VIII. 5. et passim. Non aliter hæc accipi posse, inde patet, quia Maximianus erat Pannonius, quam patriam ipsius dicit cap. II. § 2. Diocletianus autem Dalmata, oppido Dioclea, Anulini senatoris libertinus, ut tradit Victor, Epit. 39. aut scribæ filius, ut Eutropius IX. 19. Uti vero Augusti sese fratres adpellabant, ita Cæsares erant quasi filii. Spartianus Ælio Vero 2. 'Maximianus atque Constantius Cæsares dicti sunt, quasi quidam principum filii viri, et designati augustæ majestatis heredes.' Pro 'viri' conjicit Janus Cannegieterus ad Collat. Leg. Mosaic. Tit. X. § 3. 'veri:' posset quoque legi 'jure,' ut in adrogationis formula, 'tam jure legeque filius.' Interim in Galerio Maximiano, quem Spartianus intelligit, et Constantio, adcedebat in filii adpellatione quoddam quoque adfinitatis vinculum: Galerius enim Valeriam, Diocletiani filiam duxit, Constantius Theodoram, Herculii privignam. Eutrop. IX. 22. Orosius VII. 25. Jornandes de Regn. Success. I. p. m. 700. De 'filii' adpellatione erudita habet Spanhemius ad Juliani Orat. p. 48. *Arntz.*

Quod pertineat] Vox *pertineat* turbat magis cursum orationis, quam ut adjuvet; itaque induci posset. *Grut.* Lege *quod*, id est quantum, *pertinet*. Acidal. Verbum *pertinet* per modum indicativum jam ex codice Bertinien-

si annotavit Livineius, similiterque protulere Gruterus, Parisienses, et alii recentiores; cum Cuspinianus, Rhenanus, uterque Stephanus, Livineius, noster codex, et alter liber Gudianus exhibeant modum potentialem *pertineat*. Ubi vero, si omnino hoc verbum sit retinendum, malimus priorem, quam posteriorem lectionem admittere. Integra formula est, 'quod,' i. e. quantum, 'pertinet ad originem populi Romani.' Sic certe loquitur Plinius Epist. VIII. 16. 14. 'Quantum ad decernentes pertinet.' Cicero lubentius videtur dicere, 'quod ad me attinet.' Gruterus censuit, verbum *pertinet* hic turbare magis cursum orationis, quam adjuvare, idque induci posse. Et nos quoque id verbum tollendum censeremus, dummodo ne omnes libri scripti et excusi, quos hucusque vidimus, id tuerentur. Alioqui sane multa occurrunt loca, ubi verbum 'attinet,' vel 'pertinet' in hac loquendi formula eleganter suppressum est. V. G. apud Ciceronem de Orator. II. 81. 'Verum hoc, ut dixi, nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad vos.' Cœlius ad Ciceron. Famil. VIII. 1. 'Quod ad Cæsarem; crebri, et non belli de eo rumores.' At in re nota non opus est pluribus exemplis. *Schwarz.*

Ad salutem] Putabamus primum, forte in ultimis verbis pronomen *quod* repeti debuisse, hoc modo: *sunt principes, quod ad salutem*; ut scilicet posteriora hæc verba responderent prioribus, *quod ad originem populi Romani*. Sed nunc existimamus, nihil esse, quod hic mutemus, aut addamus. Ipse Cicero vocabulum 'princeps' quatenus dicitur dux et auctor, simpliciter conjungit cum præpositione 'ad.' In Orat. Philipp. X. 11. 'Testis est per literas Brutus, M. Apuleium principem fuisse, ad conatum exercitus comparandi.' Item in Lælio cap. 8. 'Amor enim princeps est ad benevolentiam conjungendam.' Et Plancus ad Ciceronem Fam. X. 17. 'Frater meus ad omnia pericula princeps esse non recusabat.' Denique et illud adhuc observandum est, Baronium in Annalibus ex hoc ipso Mamertini loco deducere voluisse, eundem urbi Romæ, qui et Maximiano Herculio ac Diocletiano, fuisse natalem, ideoque eos ipsis Parilibus, h. e. XI. Kal. Maias, imperium auspicatos esse. At dudum hunc Baronii errorem notavit Petavius Doctrina Temp. II. 30. negavitque, ullam his in verbis literam esse, qua probari id possit, cum diversi potius dies natales, urbis Romæ, et duorum ipsorum Imperatorum constituantur, et κατ' ἀντίθεσιν sibi opponantur. Confer, si lubet, etiam Antonium Pagium in Critic. Baron. ad A. C. 284. n. 3. *Schwarz.* Patre amisso, cum, ex nimio fletu, oculorum dolore correptus esset Numerianus, et lectica veheretur, fraude Arrii Apri, præfecti prætorio et soceri, violenta nece sublatus est. Ex fœtore cadaveris milites facinus, quod tegebatur, odorantes, Aprum ante signa protraxerunt, cædisque vindicem legerunt Diocletianum, comitem domesticorum, aut domesticos regentem, qui tum creatus est Imperator, suaque statim manu Aprum interfecit. Vid. Orosius Histor. VII. 25. Eutrop. IX. 20. Vopisc. Numer. 13. Hoc factum a. CCLXXXIV. constat, ad quem Diocletiani jure refertur imperium a Norisio de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 1. quædam habet quoque Valesius ad Ammian. Marcell. XXIII. 1. Ex hoc autem Mamertini loco olim fuit creditum, Diocletianum, eo, quem dixi, anno ad imperium fuisse provectum ipso urbis natali, XI. Kal. Maias, quo quidem nihil fingi potuit veritati magis contrarium. Aliam hujus loci sententiam esse, jure ostendit Schwarzius. Licet autem verus dies, quo cæsus est Numerianus, memoriæ non pro-

datur apud historicos, vixisse tamen videtur adhuc anno CCLXXXIV. exeunte Augusto. Legi enim 4. Cod. de Delator. hoc anno III. Kal. Septembr. datæ, præfigitur hæc inscriptio: 'Impp. Carus, Carinus et Numerianus A. A. A. Candido.' Nomen Cari, diu ante non amplius superstitis, illic delendum esse facile largior Relando Fast. Consul. p. 251. Numerianum vero hinc adhuc in vivis fuisse, tuto statuas. Sed quid, si tum jam fuerit cæsus, at vero cædis nuncius ad Carinum pervenire nondum potuerit, isque ideo Numeriani nomen præfixerit? ita Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 1. sed non probo: statim namque, cognita cæde, lectus est Imperator Diocletianus. Ita Victor, de Cæsar. XXXIX. 1. 'Sed postquam odore tabescentium membrorum scelus proditum est, ducum consilio tribunorumque Valerius Diocletianus—deligitur.' Legendus itaque tum fuisset mense Augusto, et tamen Chalcedone demum creatus est XV. Kal. Octobres, quod ex Chronico Alexandrino jure contendit Petavius Doctr. Tempor. XI. 30. et Pagius Dissert. Hypat. pag. 93. itaque aliquot dies ante XV. Kal. Octobr. cæsus est Numerianus, quot quidem fœtori ex cadavere excitando sufficerent, qui in homine, violenta nece exstincto, citius oritur, et ex cruore major est. Quod itaque tradit Victor Cæsar. XXXVIII. 8. 'diu facinus illud occultatum,' intelligendum est de diebus 'aliquot,' ut scribit Eutropius IX. 18. neque aliter capiendi 'dies plurimi,' quos memorat Vopiscus Num. 12. eadem itaque hic valet expositio, quæ in 'procul,' quod tam longe, quam prope designat. Erudita de eo est observatio Cerdæ ad Virgil. Æn. III. 13. et hinc vindicatur recte a Bosii crisi Cornelius Nepos in Observ. Miscell. vol. I. pag. 387. Cumque adeo Imperium vere auspicatus est Diocletianus XV. Kal. Octobr. hinc Idibus Octobribus Imperator memoratur in inscriptione L. 1. Cod. 'Ut nemo invit. ager.' Baluzius quidam ad Lactant. M. P. cap. 17. p. 39. incertam hujus inscriptionis fidem arguit, magisque Diocletianum XII. Kal. Decembres imperium fuisse auspicatum putat, quia vicennalia hoc die celebrata fuisse testatur Lactantius. Sed contra Pagius in Dissert. Hypat. pag. 93. est argumentatus, id fieri, quia hoc die Maximianus Cæsar fuerat factus, uti sæpius Imperatores auspicia sui imperii celebranda retulerunt in eum diem, quo collega Cæsar factus erat. Norisius de Epochis Syromaced. Diss. III. 6. pag. 206. a Baluzio nihil dissentit. *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Nunc Romæ omnes magistratus*] Olim editionem Rhenani, et H. Stephani inquinaverat mendum, cum in his verbis *tunc* pro *nunc* excudissent. Sed veram lectionem jam Cuspinianus evulgavit, quem secuti sunt posteriores editores, eandemque scripturam referunt codices Mss. Vocabulum *omnes* in nostro codice omissum, idemque in libro altero Gudiano deletum est, et Claudius Puteanus testatur, omnes veteres libros, quos inspexerit, habere, *quare si Romæ nunc magistratus et pontifices, &c.* Sed non est, quod vocem *omnes* contra ceterorum librorum suffragia exturbemus. *Schwarz.* In prima editione *tunc* retinuit Rivinus, in secunda correxit in *nunc* quod et exstat in Schonhovii excerptis. *Omnes*, in Guelferb. sive Gudii codice omissum servant tamen excerpta Vossii, et retinendum videtur, ut adfirmatio sit fortior. *Arntz.*

Pontifices et sacerdotes] Quæritur, an pontifices non fuerint sacerdotes, cum Mamertinus eos ab his distinguere videatur? Fuere omnino sacerdotes, teste Livio X. 6. 'Rogationem,' inquit, (A. U. C. 454.)' ut, quum quatuor augures, quatuor pontifices ea tempes-

ime ut sis, Antipho.' Sic et Cicero pro Cluent. cap. 5. 'Quæ multos jam annos, et nunc cum maxime filium interfectum cupit.' Multa hujus generis exempla collegit Zinzerlingius in Promuls. Crit. Juven. c. 22. itemque Cortius ad Plin. Epist. XVII. 31. 16. qui utrique volunt, elegantem hanc particulam valere fere, in præsens, hoc ipso momento. Unde Zinzerlingius putat, in illis locis, ubi præterea addatur particula 'nunc,' hanc tanquam superfluam, et ex glossa prognatam esse delendam. Verum quamvis largiamur, loquendi formulam *cum maxime* ut plurimum, idque in hoc ipso loco, commode reddi posse, in præsenti, hoc ipso momento; negari tamen vix potest, eam etiam pro re nata valere, 'valde,' 'prorsus,' 'inprimis;' prout jam bene animadvertit Westerhovius ad Terent. Adelph. IV. 1. 2. quasi dicatur 'ita nunc, ut, cum maxime;' vel, 'ita tunc, ut, cum maxime,' Gr. ὡς μάλιστα· quemadmodum ipse Terentius plene expresserit, Hecyr. I. 2. 40. 'Amabat, ut cum maxime, tum Pamphilus.' Et Cicero ad Q. Fratrem II. 6. 'Domus celebratur ita, ut cum maxime.' Atque idem vir doctus eadem commentatur ad Terent. Heaut. IV. 5. 40. 'Est ἔλλειψις,' inquit, 'plene: *ita tunc, ut, cum maxime.* Græce ὅτι μάλιστα.' Priscianus Instit. Gram. lib. XVII. p. 1194. edit. Putschii: 'Nostri,' inquit, 'cum maxime pro ἐπὶ μάλιστα frequenter ponunt.' Præterea cum particula 'nunc' in tam multis locis diversorum scriptorum conjungatur cum eadem formula, nolimus eam undique exturbare; maxime cum et per πλεονασμὸν aliquando abundare possit, ut v. g. 'jam nunc.' Terent. Andr. I. 1. 44. 'Eamus jam nunc intro.' Adelph. II. 1. 2. 'Otiose nunc jam illico hic consiste.' Ibid. vs. 14. 'I intro nunc jam.' Cicero Fam. XIV. 1. 8. 'Nunc quidem jam abiit pestilentia.' *Schwarz.* *Nunc quidem maxime* lectum quoque videtur in excerptis Vossii. Alterum est rectius, sive id exponas per præsenti tempore, de qua significatione Grævius ad Auctor. ad Herenn. IV. 6. sive per opprimentem ita, ut cum maxime quis opprimat. Erudita est de hac ellipsi observatio Ernestii in Clav. Ciceroniana: recte *cum maxime* restituit Quinctiliano Declam. XI. 6. Burmannus, et adstipulantur excerpta codicis, quæ possideo. Confer Cuperum ad Lactant. M. P. 45. Oudendorp. ad Sueton. Tiber. cap. 14. Domitian. cap. 10. Ruhnken. ad Aquilam Rom. p. 165. Zinzerlingio in hac locutione 'nunc' rejicienti jure restitit Drakenb. ad Livium XXIX. 17. 20. simili notione *tum maxime*, quibusdam damnatum, vindicavit Dukerus ad Florum II. 16. 3. *Arntz.*

Pastorem] Geryonem, cui tria fuisse capita fabulati sunt poëtæ. Vide Apollodor. lib. II. et Natal. Com. Mythol. VII. 1. *Patarol.*

Prodigum] Innuit puto Carausium, qui tyrannidem arripuerat in Britannia. Hunc cum Maximianus ipse vincere non potuisset, pacem eidem concessit, totiusque insulæ imperium. Eutrop. lib. IX. Seu fortasse 'prodigii' nomine Bagaudas intelligit, ab eodem Imp. debellatos, de quibus infr. cap. IV. *Patarol.* Apud Rhenanum et Henr. Stephanum in hoc ipso loco inquinate *prodigum* excusum erat, ubi in ceteris libris emendatius legitur *prodigium*. Per *prodigium* vero Geryone, rege tricorpore, *multo tetrius*, Mamertinus non intelligit Carausium, utpote quem tunc nondum oppresserat Maximianus, sed forte Bagaudas, factionem agrestium, quasi monstrum multorum capitum, de quibus infra dicemus. *Schwarz.* Quo possit modo dici Maximianus Bagaudas *cum maxime* opprimere, non video, anno præsertim CCLXXXIX. quo hæc oratio habita. Illi enim CCLXXXV.

rebus novis studuerant, sed eodem sunt anno oppressi; levibus enim prœliis illos domuit, teste Eutropio IX. 20. et facile; erat enim agrestium hominum inperita et confusa manus, militari haud difficulter virtute compescenda. Orosius VII. 25. domiti itaque sunt eodem anno, et paucos forte intra dies, quæ Norisii est suspicio de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 4. et quidem ita domiti, ut Galliæ fuerit pax reddita, teste Jornande de Regn. Success. I. p. m. 700. Non ausim itaque cum Gothofredo ad L. 1. Cod. Theod. 'Ne pastor. dent. fil.' verba L. II. Cod. Justin. de Adcusation. 'ad sequens crimen, id est, pastorum latronumve,' de Bagaudis interpretari. Lex illa, anno CCXCII. lata, nimium est ab illo tempore remota, quo Bagaudæ fuerunt oppressi, nisi nomen illud de quibusvis latronibus adhibitum putes, neque speciatim de iis semper, qui Gallias infestaverant. Vid. Scaliger. ad Euseb. Chronic. p. 243. tempori convenientius in illa lege Carausii milites intelligas, potius tamen accipio de pastoribus plerumque latrocinio infamibus: ita interpretor Eutropium Brev. I. 1. 'cum inter pastores latrocinaretur,' ubi 'latrocinari' per vitam in armis degere exponit Anna, feminarum decus; vulgata tamen notione potius accipio, atque ita Pæanii Paraphrasis: βίον τε ἔχων τοῖς ποιμέσι συλληστεύειν. Temporis itaque serie adductus, hoc quidem loco *prodigium* potius ad Carausium refero, verba enim Mamertini hostem indicare videntur, quo erat debellando adhuc occupatus Maximianus, is vero non alius est quam Carausius, qui inde ab anno CCLXXXVI. defecerat. Eo autem opprimendo jam erat intentus: classes erant ædificatæ, aliaque peracta, de quibus ad initium hujus Panegyrici dixi; feliciter etiam forte jam contra eum pugnatum; hinc cap. XII. 'Quid nunc animi habet ille pirata.' De eo autem recte *prodigium* potuit adhibere, quod loco *prodigum* egregie restituit Livineius, omnesque eum secuti præter Rivinum. Erat is perfidus, et reip. maxime noxius. Similiter Cicero in Vatin. cap. 15. 'In duobus prodigiis reip.' in Pison. cap. 4. 'A P. Clodio, fatali portento prodigioque reip.' in Catilin. II. 1. 'A monstro illo atque prodigio.' Similiter Cleopatram 'fatale monstrum' dixit Horat. Od. I. 37. 21. et Maxentium Auctor Incertus Panegyr. Constantino cap. III. § 5. quem et 'portentum' vocat cap. XIV. 2. et 'prodigium' Arcadius in L. 17. Cod. Theodos. de Pœn. *Arntz.*

Habemus] Cuspinianus, Rhenanus, et H. Stephanus pro *habemus*, edidere *habeamus*, prout etiam Livineius in suo vetere codice scriptum repererat, similiterque in utroque libro Gudiano annotatum est. Nos vero nihil mutandum existimamus, cum et noster codex, et ceteri editores exprimant *habemus;* quamvis alioquin fateamur, Mamertinum sæpe modo potentiali uti, ubi indicativus usitatius locum obtineat; v. g. in hoc ipso capite § 2. 'Quis enim dubitat, quin multis jam sæculis, ex quo vires illius ad Romanum nomen accesserint, Italia quidem,' &c. cap. III. 1. 'Cum ad restituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus,' ubi dicere orator potuisset, 'accesserunt; fuisti invocatus,' &c. *Schwarz.*

Absumere debemus] Livineius grave mendum admisit, ubi edidit, *sed, si res poscat, absumere debemus.* Etsi enim idem animadvertisset a vetere codice, item et a Cuspiniani, Rhenani et H. Stephani editione abesse verbum *debemus*, illud tamen ipse æque ac Paulus Stephanus, nescio unde, intrusit orationi, cum non observasset, infinitivum *absumere* dependere potius a superioribus verbis,

'quanto tandem studio nos hic convenit . . . quicquid spiritus et vocis habemus, omne id in laudibus tuis non occupare modo, sed, si res posset, absumere?' Unde vides, per assutum verbum *debemus* prorsus corrumpi hunc locum. Neque est, cur putes in superioribus istis verbis scribi debuisse, *quanto tandem studio nobis hic convenit;* etenim pronomen *nos* non refertur ad verbum *convenit*, sed pertinet ad structuram accusativi cum infinitivo, *convenit nos absumere.* Sic loquitur et Cicero pro Sext. Rosc. cap. 52. 'Vos iis rebus maxime mederi convenit,' et pro Rabir. cap. 6. 'Quid tandem C. Rabirium facere convenit.' *Schwarz.*

§ 2 *Patriæ*] Sirmii, quæ olim Pannoniæ urbs, nunc vicus XXII. leucis a Buda distans versus Savum fluvium, incolis modo *Szrein*, Germanis autem *Sirmisch.* Patarol.

Accesserint] Nihil muto, etsi ex arte *accesserunt* dixisset, nam et infra sic locutus est: 'Cum ad restituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus,' &c. Et paulo post: 'Hæc omnia cum a fratre optimo oblata susceperis,' &c. pro 'fuisti' et 'suscepisti.' *Livin.* Guelferbytanus legit, *vires illius Romanum nomen accesserint.* Construitur quidem 'accedere' sæpius cum quarto casu, omissa præpositione. Nepos Hannib. VIII. 1. 'Africam accessit.' Virgil. Æn. III. 293. 'Et celsam Buthroti accedimus urbem.' Ita illic codex Clermontii, cujus variantes possideo, aliique, de quibus Burmannus, pro vulgato 'adscendimus;' eum illic confer, et ad Phædr. I. 25. 6. Silius Italic. VI. 604. 'Tarpeium accedere collem.' Per ascendere illic interpretatur Drakenborchius, malim accipere de hostili accessione cum Cortio ad Sallust. Jugurth. XX. 3. adde Drakenb. ad eund. Silium XIV. 26. et ad Livium IX. 40. 19. sed tum huic verbo magis inest adeundi, et convenientiæ significatio, quam adjungendi, quæ hoc Mamertini loco obtinet, tum præpositio potius videtur addenda, unde vulgatum retinui. Quod vero de Pannonia, imperio Romano addita, memorat, ad Augusti tempora pertinet, qui cum aliis regionibus Pannoniam adjecit. Eutropius VII. 9. victo potissimum Pannoniorum rege Batone. Sextus Rufus in Breviar. 7. a quo differt Bato Dæsitiatarum dux, de quo Strabo Geogr. VII. pag. 483. ubi Casaubon. *Arntz.*

Pannonia] Pannones robore ac viribus clari, ex iisque nonnulli inter Imperatores Romanos fortissimi quidem prodiere, ut Aurelianus, Probus, anteque illos Claudius, qui e Dalmatia quidem, sed ea ipsa olim in Pannonia, teste Plinio III. 25. ideo Pacato cap. XXXIII. dictum, 'ingentium corporum durator Ister,' qui Pannoniæ fluvius est. *Patarol.* Infra Genethliac. cap. III. in fin. 'Non enim in otiosa aliqua deliciisque corrupta parte terrarum nati institutique estis, sed in his provinciis, quas ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiæ . . . armis semper instructus limes exercet, in quibus omnis vita militia est.' Priscianus Perieg. vs. 313. 'Hujus ad australes terras Gerræque feroces, Noriciique colunt bellaces Pannoniique:' qui locus docet, apud Dionys. Perieg. cap. 321. pro Γέῤῥαι non emendandum esse 'Ραῖτοι, quod Tanaquillo Fabro videbatur Epist. I. 21. Stephanus Byzant. de Urbib. Γέῤῥος τόπος, καὶ ποταμὸς προσεχὴς τῷ Βορυσθένει· apud Solinum Polyhist. 21. antea legebatur: 'Pannonia vero fortis, solo plano læta atque uber:' sed Salmasius dedit, 'Pannonia solo plano uberique læta,' quod variantes codicis penes me probant: hunc locum nescio utrum respexerit Isidorus Orig. XIV. 4. de Pannonia: 'regio vero fortis et solo

lata:' ita cod. Groninganus, et antiqua Petiti editio; male Gothofredus, 'fortis et solida,' utrum vero Isidorus, corrupto Solini codice usus, scripsit? 'regio viro fortis.' De Pannoniis insignis locus est Velleii II. 110. 4. 'In omnibus Pannoniis non disciplinæ tantummodo, sed linguæ quoque notitia Romanæ, plerisque etiam litterarum usus, et familiaris animorum erat exercitatio, itaque, Hercules, nulla umquam natio tam mature consilio belli bellum junxit ac decreta patravit.' Confer Dionem Cassium XLIX. p. 413. quem locum erudite inlustrat Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. 21. *Arntz.*

§ 3 *Divinam*] Aurel. Victor ignobili loco natum ait: 'Aurelius,' inquit, 'Maximianus cognomento Herculeus, ferus natura, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti Pannonioque; nam etiam haud longe Sirmio eminet locus palatio ibidem constructo, ubi parentes exercebant opera mercenaria.' *Puteam.*

Immortalibus] Scio, 'facta' pro factis fortibus, et omni prædicatione dignis adhiberi. Vid. Passerat. ad Tibull. pag. 83. hoc Paneg. XIV. 2. 'Vestra illi facta demonstrent.' Eumen. pro Instaur. Schol. X. 2. 'Principum facta celebrare.' Lysias Orat. in Corinthior. Socios p. 27. λόγον ἴσον παρασκευάσαι τοῖς τούτων ἔργοις. Sed cum non infrequens quoque sit epitheton addere, nihil quidem hoc loco mutaverim. Eumenius Constant. cap. IV. in fin. 'cujus immortalia facta vivunt:' et 'facta fortia,' Mamertin. Grat. Act. II. init. 'pulcherrima,' Incertus Constantino c. XXIV. *Arntz.*

§ 4 *In illa*] In Pannonia enim quoque, sicuti et in aliis provinciis Romanæ legiones stationes habebant, tutandæ regioni hostique repellendo, qui ex ea potissimum parte infensissimus et in arma frequens. Legionum exercituumque Romanorum per provincias memoria extat in nummis, quorum alter Coloniæ Cæsareæ Augustæ (indicant literæ C. C. A.) legiones, alter Illyricianum exercitum indicat. Primus nummus Tiberii est, alter Trajani Decii. *Patarol.* Codices in delenda præpositione secutus sum. Eumenius pro Instaur. Schol. XVIII. 4. 'Toto Rheni, et Istri, et Euphratis limite:' et ita per 'limitem' intelligit Danubium Pacatus Paneg. XXXII. 3. *Idem.*

Obstrepentes] Minucius Felix cap. 21. n. 10. 'Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.' Ludicra hæc cum armorum sonitu comparantur. *Cellar.* Nota fabula de Curetibus, Jovi puerulo ære obstrepentibus, ne Saturno patri ipsum ad necem quærenti vagitibus se proderet. Vide Apollod. lib. I. init. *Patarol.* *Sonitus tui* ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et prima editione Rivinus; sed illud quidem nihili est. Apud Ælianum Var. Hist. III. 18. Silenus refert homines esse, qui γίνονται μεθ' ὅπλων, *nascuntur in armis*, deterius alii vertunt *sunt in armis*. Non male hæc Claudiani comparavit Barthius Cons. Honor. IV. 152. 'Sentit adorantes galeas, redditque ferocem Vagitum lituis.' *Arntz.*

§ 5 *Deduxerat*] *Diduxerat* Bertin. *Livin.* Rectius alterum. Genethl. II. § 4. 'Quæ vos tantis discursibus toto, quem regitis, orbe deducit:' qui locus tueri potest 'orbe deducto,' quod pro 'diducto' ex cod. Trajectino eruit apud Senecam Herc. Fur. vs. 281. pater meus ad Plinii Paneg. LXVI. 1. De permutatione hac late Drakenb. ad Liv. XXI. 55. 5. *Arntzenius.*

§ 6 *Colligendis*] Quia imperium Romani fluminibus magnis terminaverunt, Rheno, Danubio, Euphrate; sed Danubio maxime, quem ab Aureliani temporibus nunquam sunt transgressi, neque ante Trajanum. Vide Sex. Rufi c. 8. et nostrum infra c. VII. *Cellar.*

Quo indicantur Germania, Pannonia, Thracia, ubi Maximianus plures victorias retulit. Eutrop. lib. xi. de Istro plura Genethl. cap. xvi. *Patarol.*

Euphratem] Locus hic interpretatione adjuvandus est, quem nimis laxe accepit Patarolus. Ab imperii initiis, hoc usque tempus, in Oriente et ad Euphratem nihil egit Maximianus, qui Occidentem curabat pacandum, Orientem Diocletianus, infra cap. vii. § 5. Genethl. iv. § 2. et sic dona Persica Diocletianus, Germanica Maximianus ostendisse dicitur, infr. ix. § 2. cap. x. § 6. Spanhemius itaque ad Juliani Cæsares p. 56. et Cuperus in Epist. ad P. Voëtium pag. 12. hæc accipiunt de rebus ante imperium a Maximiano, sub imperatore Caro, contra Persas gestis, de quibus Vopiscus in Caro, cap. 8. Verius, ni fallor, Norisius de Numism. Dioclet. Diss. i. cap. 4. ex eo more hæc exponit, quo victoriarum inter se titulos communicabant Imperatores, uti Maximianus in lapidibus Persicus dicitur eo tempore, quo nondum adversus Persas erat profectus. Sic hoc loco Mamertinus ei tribuere potuit, quod ad Diocletianum pertinebat: haud aliter in Genethl. cap. vi. § 6. 'Vobis Rhenus, et Ister, et Nilus ... tam facili sunt æquanimitate communia.' Clarius cap. vii. § 3. 'Dividere inter vos Dei immortales sua beneficia non possunt. Quidquid alterutri præstatur, amborum est.' De Maximiano Imperatore saltem, contra Persas bellante, intelligi hic quidem locus nequit; demum enim post hanc orationem anno ccxcvi. eo profectus est, cum Diocletianus, Achilleum in Ægypto debellaturus, provinciam daret Maximiano, ut in Mesopotamiam progressus Persas arceret, a quibus tamen Carras inter et Callinicum pulsus, et ad Diocletianum reversus, superbe ab eo exceptus est; comparato tamen iterum exercitu, Narseum vicit, et in ultimas regni solitudines compulit. Lactant. Mort. Pers. ix. § 6. Ante hanc victoriam semel tantum, an ter infeliciter pugnaverit, sub judice lis est. Posterius adfirmat Orosius vii. 15. quem vera scripsisse putat Verheikius ad Eutropium ix. 24. Potius Valesio adsentior ad Ammian. Marcell. xiv. 11. Orosium errasse, ex male intellecto, aut forte corrupto Eutropii loco, de cujus vera lectione nondum res est expedita, abeuntibus in diversa Mss. sane non alius historicorum tria memorat prœlia, et in Chronicis ita hæc narrantur, ut unum tantum inde prœlium conficias, quo tendunt hæc etiam metaphrastæ: *τὸ μὲν πρῶτον, ἐναντίαν ἔσχε τὴν ἔκβασιν.* Oudendorpii in Eutropii loco conjectura 'et' vel 'at scævum' hujus auctoris stilo parum convenit. *Arntz.*

Oceani] Intelligit fortasse Britanniam, cujus tamen tyrannum, ut supra diximus, non subegit. *Patarol.* De subigendo in Britannia Carausio, rebusque illic gestis non cogitare potuit orator: intelligo tantum arma primo tempore adversus eum feliciter mota in Batavia, quo pertinet locus cap. ii. in fine: 'Vestræ felicitatis est, Imperator, quod jam milites vestri ad Oceanum pervenere victores, jam cæsorum in illo litore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt,' licet deinde a militibus, in re maritima novis, parum prospere pugnatum sit, de quo exponit Eumenius Constantio cap. xii. et xiii. *Arntz.*

Cap. iii. § 1 *Compendium orationi*] Rivinus retinuit *compendium orationis*, alterum rectius est, sese orationem lucrari, et brevitate uti posse, sed citra voluntatem. 'Orationis operam compendii facere' simili modo exponit Taubman. apud Plautum Mostell. i. 1. 57. sic 'quæstum' et 'compendium' jungit Cicero in Verr. ii. 3. 'compendium pacis,' Eumen. Gratiar. Action. iv. 3.

'exiguum compendium,' Lactant. de Ira XIII. in fin. deinde *quidem* rejeci, quod et ignorabant Vossii excerpta, ante *sed* passim id reticetur. Phædr. I. 30. 7. 'Est statio separata ac diversum genus, Sed pulsus regno:' ubi Burman. et Cortius ad Plin. Ep. III. 4. 5. *Idem.*

Voluntatis] Turbata hæc: sic forte restituenda: *voluntatis. Omittam cetera: quod huic tempori maxime congruit, potissimum illud arripiam, quod multis, &c.* Acidal.

Congruit, omittam] *Congruit: omittam cetera et potissimum*, ita libuit distinguere, suadente nexu sententiæ; aliter postrema editio, sed perperam, meo quidem judicio. *Grut.* Olim edebatur: *Faciam igitur compendium . . . quod huic tempori maxime congruit, omittam:* verior est Gruteri interpunctio, sed pro *et potissimum*, quod omnes habent, ex Guelferb. et Vossii excerptis rescripsi, *ut potissimum*, quod et Schwarzio placuit superiori observatione. Passim hæc duo confundi, inferius videbimus. *Arntz.*

Cognato] Non sanguinis affinitate, sed imperii consortio. *Patarol.* Vide ad cap. I. § 5. *Arntz.*

Numine] Jove, Diocletianus enim Jovius dici volebat. *Patarol.* Non est, ut cum Guelf. scribamus *nomine*, de qua sollemni permutatione vid. Gothofredum in Not. ad Cod. Theodos. Tom. I. pag. 155. Klotz. Miscell. Crit. pag. 9. infr. Geneth. II. 4. et quæ dixi ad Arator. II. 698. apud Juvenc. Hist. Euang. II. 223. ex Cantabrig. cujus excerpta possideo, legendum. 'Illius ad nomen,' non 'numen,' respicit enim Euang. Joannis III. 18. εἰς τὸ ὄνομα. In sequentibus forte imitatus est Plinium Paneg. VI. 3. ubi hunc quoque locum contulit pater meus: 'Tempus, in quo liqueret, non tam accepisse te beneficium, quam dedisse.' Vocem 'invocatus' explicuit Schwarzius ad Plin. Paneg. LXXX. 4. *Arntz.*

§ 2 *Fasces*] Duodecim lictores cum fascibus, ex quo senatus id Augusto decreverit, Imperatoribus prævisse docet Vales. ad Ammian. XVI. 10. De trabea habet erudita Albertus Rubenius de Re Vestiar. I. 5. Not. Patern. ad Pacat. Paneg. XXVIII. 4. 'Regales trabeas' adpellant Imperatores in L. 4. Cod. Theod. 'Ne quid publ. lætit. nuncii,' ubi Gothofr. et ad L. 23. 'de Petit. et ultro dat.' *Idem.*

Obsequiorum] Clientum et venerantium stipatio ac comitatus. Adde infra cap. II. 4. *Cellar.*

Fulgur] Edidit *fulgur* Paull. Stephanus, et ita sæpius codd. variant, observante Oudendorpio ad Sueton. Aug. cap. 29. sed *fulgor*, quod constanter hic Mss. tuentur, et meliores editiones, magis probo. Vell. Paterc. II. 50. 4. 'Ipsius adventus vigore ac fulgore occupatus;' ubi nulla necessitate, 'vigore haud secus ac fulgure' emendabat audacior Crusius Prob. Crit. p. 119. *Arntz.*

Divinum verticem] Στέμμα et coronamentum, meo animo, sentit, quod in Imperatorum aliquot capitibus, atque ipsius adeo, quo de loquimur, radiatum nummi repræsentant. *Livin.* Plinius Paneg. cap. LII. 'radiatum caput' dixit, signum divinitatis, quale in Imperatorum multis imaginibus observamus. *Cellar.* Alludit ad radiatam coronam, qua Imperatorum capita cingi passim observamus in nummis; seu ad aurum et gemmas, quibus eadem aliæque ornatæ visuntur. *Patarol.* Auratos radios innuit, στέμματος et coronamenti genus, quod regi Latino tribuit Virg. Æn. XII. 163. et nummi in Imperatorum aliquot capitibus, præcipue Augusti, Probi, et hujus ipsius Maximiani exhibent; ut recte ad h. l. observant Livin. et Baun. Solebant radii signis Deorum apponi; inde adulatio eos principibus non modo consecra-

tis, sed etiam vivis adhuc tribuit. Vid. Lucan. vii. 458. Lips. ad Tacit. Annal. i. 10. Plin. Paneg. lii. 1. 'Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput,' &c. ubi vid. Schwarz. Add. Plutarch. πρὸς ἡγεμ. ἀπαίδευτ. p. 1397. ed. H. Steph. et Lucian. Timon. tom. i. ed. Græv. p. 154. *Jæger*. Parum hunc faciunt Pataroli gemmæ, a quo vix dissentit Barthius Advers. xi. 18. de diademate gemmato hæc interpretatus. Diocletiani enim ævo id Imperatorum nondum fuit insigne. Diadema sibi inponere voluit Caligula, teste Sueton. Calig. cap. 22. in nummis Tarsensium Antoninus Caracalla ita quidem conspicitur, sed is id in Oriente fecit Parthorum regum instar, non Romæ, atque ita Antoninus Elagabalus diademate gemmato usus, at vero domi; unde hæc exempla nihil juvant ad Imperatorium insigne inde probandum. Vid. Spanhem. V. N. Diss. xii. p. 389. Aurelianum hoc fecisse primum tradit Aurel. Victor, Epit. xxxv. 5. sed cum Cedrenus testetur, coronam gemmatam primum a Constantino M. adhibitam fuisse, Victorem potius errasse patri meo adsentior, quam ut cum Valesio ad Ammian. Marcell. xxi. 1. distinguam, Aurelianum id primum fecisse diebus sollemnioribus, Constantinum semper; aut cum Paschalio de Coron. ix. 13. statuam, Constantinum in eo fuisse Aurelianum imitatum, confer Cuperum ad Lactant. M. p. 19. Coronam gemmatam primum a Constantino adhibitam, atque ex ejus tempore demum insigne Imperatorum Rom. fuisse, jure docet Spanhem. V. N. Diss. xii. p. 389. et Jobertus Notit. Num. pag. 199. gemmatum, si lubet, Constantinum vide in Nummis Ducis Arschotani, Tab. xxvi. num. 1. Hoc insigni Constantinum putat usum Valesius religionis caussa, quia crucis Christi clavus id connectebat, sed in illo Constantini nummo, neque in duobus Juliani apud Spanhemium, nulla quidem crucis imago, in sequentibus vero Impp. frequens: potuit tamen Valesii ratio vera esse, quia crucem gemmis his innexam fuisse auctoritate Hieronymi docet Cannegieterus Biblioth. Hagan. Cl. iv. pag. 444. recte hinc demonstrans, coronam radiatam, Valenti in nummo tributam, ad eum non pertinere. Adparet hinc, Mamertini locum de corona gemmata exponi non posse, ubi de Maximiano agit, sed tantum de corona radiata, de qua eum recte accepit Barthius, parum sibi constans, ad Claudian. Stilicon. iv. 158. et alios eum inscite de diademate accipere, quod ipsum tamen in Adversariis fecisse vidimus, scribit ad Claudian. Consul. Honor. iv. 199. Uti autem radii xii. regum erat gestamen, quod ex Virgilio Æn. xii. 162. constat, sic idem ad coronam radiatam translatum, quæ tamen in Augusto divinitatis magis et consecrationis erat insigne, hinc ei post mortem tantum data est, erudita est observatio Schwarzii ad Plinii Paneg. lii. 1. Florum, Cæsari vivo distinctam radiis coronam adscribentem l. iv. 2. 91. errasse statuit Dukerus: videantur tamen Schegk. ad Velleium ii. 58. 5. et Græv. ad Cic. Philipp. ii. 34. Augusto post mortem datam fuisse, patet ex Ducis Arschotani Numism. Tab. xvi. num. 17. et 22. ubi stellæ adpositæ, et adpellatio Divi, et consecratio. Tales nummi retinere potuissent virum eruditum, in Actis Litterariis a Schirachio continuatis, Vol. vii. p. 271. scribentem, non probabile esse, nummos, in quibus Divi adpellatio, post mortem fuisse cusos, aut Principum mortuorum nomina nummis inscripta. Primus autem corona radiata vivus Nero usus est, ex quo tempore alii, eum secuti, hanc non amplius habuerunt divinitatis insigne, sed fastigii et dignitatis, qua effulgebant Imperatores adhuc vivi.

Si quid tunc sancti fuerit eidem tributum, tantum id ex adulatione factum, uti hic *divinum verticem* Mamertinus memorat, quatenus Imperatores Dis similes dicebant, et supra humanum fastigium evectos. Coronæ itaque huic divinitatis quidem signum adscribere potuerunt adulatores, quæ tamen in ipso Imperatore non nisi summæ erat dignitatis indicium, quo et eam hoc loco retulerim, non vero ad dignitatem consularem, quod opinatus videtur Morellus Specim. Rei Numar. p. 82. male hinc post Neronem corona radiata habetur a quibusdam Imperatoris, in Deos relati, indicium; consecrationis post Neronem potius in nummis signum est, si omne capitis ornamentum fuerit amotum, quod docet Vignolius de Columņ. Anton. Pii cap. 8. a Schwarzio ad Plinium jam citatus. Idem vero recte cum hac corona contulit 'nimbum,' qui splendor est circa Deorum capita: vocem hanc Ausonio quidam reddere sunt conati, (vide Omissa ad eumd. p. 799.) ex quo more Christianos Servatoris optimi, Apostolorum, Mariæ, aliorumque capita nimbo circumdedisse observat Cerda ad Virgil. Æn. XII. 163. Taubman. ad eumd. III. 151. et late Raynaudus de Pileo Sect. 18. Solerius de Pileo p. 578. de tali nimbo hunc Mamertini locum accepit Schwarzius ad Plinii Paneg. LII. 2. et Tollius ad Auson. p. 799. sed de corona radiata magis est, ut accipiam cum Steph. le Moyne in Epistola de Melanophoris, post Caperi Harpocr. p. 272. et Cannegietero Biblioth. Hagan. Cl. IV. p. 441. aurum enim fulgens, ex quo corona constabat, lucem præbebat solis instar, radiis adpositis XII. vel minoribus, de quo copiose Paschalius de Coron. IX. 16. *Arntz.*

§ 3 *Meræ gratiæ*] Non prorsus improbamus conjecturam Puteani: attamen ea loquendi ratio magis poëtica videtur, uti Lucanus IX. 998. cecinit: 'Restituam populos: grata vice mœnia reddent: Ausoniæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.' Quin et ambigua formula videtur, nam Horatio 'grata vice' dicitur pro grata vicissitudine, Od. I. 4. 1. 'Solvitur acris hiems, grata vice veris et Favoni.' Ac nescio, cur non lectionem tot libris probatam retinere velimus. Est enim 'vice gratiæ' idem ac loco gratiæ, prout v. g. Terentius Andr. I. 5. 57. dixit, 'fratris loco diligere.' Si quid mutandum videretur, rescribendum potius putaremus, *vicis gratia*, i. e. grati animi declarandi caussa. Nam 'vicem reddere,' vel 'referre' idem est ac gratiam referre. Sic Plinius loquitur, Ep. II. 9. 'reddam vicem, si reposces.' *Schwarz.* Per Viennensem codicem intelligit Baunius ed. Cuspiniani, Viennæ editam. Ipse autem primus *vice* recepit, eumque secutus est Cellarius. Priscam lectionem *meræ gratiæ* revocavit Patarolus, sed injuria: *vice* etiam tuentur Vossii excerpta, id est, loco gratiæ, ut 'vice lavacri' apud Apuleium Metam. IV. p. 66. ubi posteriorem male vocem omittunt excerpta codicis penes me: et 'vice structi parietis' ibid. p. 67. sic 'vice sacra judicare' est loco Cæsaris, de quo Burmannus Secundus ad Anthol. Tom. I. p. 324. cujus et patruum confer ad Sueton. Galb. 6. 'ad vicem' simili ratione exponit Ernesti Clav. Ciceron. v. 'Vicem,' et Vorstius ad Sulpic. Sever. Hist. Sacr. I. 33. 3. *Arntz.*

Oblitum] Cicero de Offic. I. 25. hoc Platonis præceptum memorat de iis, qui Reip. sunt præfuturi: 'Uti utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum.' Non illic Mamertini inmemor est Grævius. *Idem.*

Despicias] An *prospicias?* id est, e longinquo, ex alto videas. Drakenb. ad Livium XXII. 6. 8. Scheffer. ad

Phæd. I. 17. 8. Marckland. ad Statii Silv. II. 2. 45. Burman. ad Antholog. Tom. I. p. 706. infra Genethliac. XII. 1. 'E speculis suorum montium prospicere.' Eumenius Constantino VII. 2. Incertus Maxim. XIV. 1. atque ita nonnumquam a 'despicere' differt. Acta Lips. 1761. p. 153. Potius tamen conjectura abstinuerim. Incertus Constantino XXVI. 1. 'Ex altiore naturæ arce despicias.' Mamertinus Julian. X. 1. 'In idem illud editum reponatur ac despiciat.' XXVIII. 5. 'Deum .... cum despiciat in terras.' Cf. patrem meum ad Victor. Inlustr. VII. 4. Burman. ad Velleium II. 14. 3. Oudend. ad Sueton. Neron. cap. 19. De comparatione Maximiani cum Jove agit Schwarzius ad Plinii Paneg. cap. LXXX. in fine. *Idem.*

§ 4 *Perpeti sollicite*] *Perpeti sollicitudine* scriptum existimo pro perpetua. *Pet. Faber. Sollicitudine* Vet. Bertin. *Livin.* Aut *perpetim* lege, aut *perpeti sollicitudine.* Sic Mamertin. Genethliac. Maxim. Aug. 'Præpeti cura quamvis compositum gubernet imperium;' nam et hic *perpeti*, id est perpetua emendamus. *Acidal.* Nihil in hoc loco deprehendimus, quod mutandum censeamus, sed id tantum agimus, ut ejus lectionem confirmemus. *Perpes* est perpetuus, jugis, v. g. apud Plautum Trucul. II. 2. 23. 'noctem in stramentis pernoctare perpetem,' et ipse Mamertinus, Genethl. cap. 3. 'perpeti cura gubernat imperium.' *Schwarz.* Festus in v. 'Perpetem pro perpetuo dixerunt poëtæ. Pacuvius in Iliona: Fac, ut cœpisti, hanc operam mihi des perpetem.' Justinus V. 7. 6. 'perpeti nocte,' qui locus a Grævio, aliisque jure adhibitus firmandæ apud eumdem vulgatæ, XII. 16. 5. 'aquilæ tota die perpetes supra culmen domus ... sederunt;' ubi 'perpedes,' quod in Bongarsiano est, inveni quoque in altero Franequerano, 'præpetes' autem in duobus D'Orvillii, quos a Wopkensio collatos habeo. L. 2. Cod. Theodos. Si cert. pet. de Suffrag. 'contractus habebit perpetem firmitatem:' in Cod. Justinianeo L. unic. de Suffrag. illic est 'perpetuam,' sed prius jure placuit in Notis Gothofredo. Prudentius Hymn. IX. 42. 'cruore qui fluebat perpeti:' alii 'perpetim,' quod jure damnat Spiegelius. 'Annus perpes,' Lactant. Mort. Pers. 23. ubi Columbus. Juvencus Hist. Euang. II. 513. 'gaudebit perpete vita.' III. 511. 'istæc semper mihi perpete cura Observata reor.' Adde Priceum ad Apul. Metam. II. pag. 112. Fabric. ad Poët. Christian. p. 102. Davies. ad Minuc. Fel. Octav. 11. Ex his patet, Goldastum ad Valerian. de Bon. Disciplin. Sermon. p. 26. male 'perpeti' habere infinitivum a 'perpatior,' ut 'perpeti transigere' sit eadem constructione, atque 'patior facere,' et similia, quamvis interpunctionem post *perpeti* recte censuerit delendam, quæ in nonnullis edd. exstat. *Sollicitudine*, quod Gruterus primum jure recepit, placuit quoque Rivino, in secunda editione, dum in prima *sollicite* retinuit. Si emendatiorem illa Pauli Stephani editionem in Panegyricis adhibuisset Eruditiss. de Rooy in Spicil. Critic. pag. 48. emendationem *sollicitudine* premere potuisset. *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Susceperis*] Seu quarto, seu secundo imperii, ut vult Eusebius in Chron. et Zonaras: Ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ γενόμενος, τῶν τῆς ἀρχῆς πραγμάτων ἀντεποιήσατο, και τῆς τούτων ἥψατο διοικήσεως, ἀπιδὼν δὲ πρὸς τὸ τῆς βασιλείας ὑπέρογκον, κοινωνὸν αὐτῆς προσλαμβάνεται, κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς ἡγεμονίας, ἢ καθ' ἑτέρους κατὰ τὸ δεύτερον Μαξιμιανὸν τὸν Ἑρκούλιον. *Putean.*

§ 2 *Inpleret*] *Impleret* recte, sed rectius hoc de velis, quam ipsa navi: de hac potius *impelleret*, quod vide ne reponendum. *Acidal.* *Impleret* lege-

batur ante Gruterum, post quem in prima editione id male retinuit Rivinus. *Inpelleret* recte codd. et Schonhovii excerpta; parum emendata editione usus ita quoque ex ingenio de Rooy Spicil. Crit. p. 48. recte in id proferens Virgil. Æneid. v. 241. et Ovidium Metam. xv. 697. adde Senecam Agam. vs. 431. 'Hinc aura primo lenis inpellit rates.' Boëtius Consol. Philos. II. Pros. 1. 'sed quo flatus inpelleret;' ita melius excerpta cod. penes me, non 'inpellerent.' Homerus Odyss. H. 277. *ἐπέλασσε φέρων ἄνεμος.* Apollon. Rhodius Argon. I. 958. *Ἔνθ' Ἀργὼ προὔτυψεν ἐπειγομένη ἀνέμοισι.* Similis librorum est varietas in Genethl. cap. III. 4. quem ex codice suo locum jam emendabat Livineius in Epist. ad Lipsium, Tom. I. Syll. Burmannianæ p. 639. Ceterum ventus a puppi 'secundus' eleganter dicitur, quæ notio, ab *ἕπω* derivata, eadem est atque in 'sequendus,' a quo origine sua 'secundus' nihil differt. Græcis ille ventus venire dicitur *ὄπισθεν, πρύμνηθεν.* Homerus Odyss. Λ. 6. *Κατόπισθε νεὸς κυανοπρῴροιο Ἴκμενον οὖρον ἵει πλησίστιον.* Apollon. Rhod. IV. 910. *Νῆα δ' ὁμοῦ ζέφυρός τε καὶ ἠχῆεν φέρε κῦμα Πρύμνηθεν ὀρνύμενον·* contra Latinis est 'ventus a vertice.' Drakenb. ad Silium XVII. 256. *Arntz.*

Labem] Motus rusticos intelligit, de quibus infra, 'cum militaris habitus ignari agricolæ appetiverunt,' &c. Bagaudæ fere scriptoribus dicuntur, *Βακαῦδαι* Pæanio, qui Eutropianum Historiæ Romanæ breviarium Græce expressit. Addit, *ὄνομα δ' ἐστὶ τοῦτο τυράννους δηλοῦν ἐπιχωρίους.* Boagandas appellare Salvianus videtur v. de Provident. Dei. Hi, ducibus Amando et Æliano (Æmilianum Pæanius vocat) intolerandis Carini Cæsaris injuriis irritati Galliam fere omnem ferro ignique vexarunt. Eutropius, alii. *Livin.* Hic locus juvare Baunium posset apud Eumen. pro Instaur. Schol. XVIII. 1. emendantem, 'quæ priorum temporum labe conciderant.' Sed ibi nihil opus est. De Bagaudis, quos hic intelligit cum Persis vide ad Eumen. d. l. cap. IV. *Arntz.*

Quid est unicum] Fallitur Baunius. Schwarzius, rationibus accuratius subductis, in Proleg. ad hunc Panegyricum, § 5. ostendit, eum dictum fuisse A. C. CCLXXXIX. Galerius vero et Constantius Chlorus adoptati declaratique sunt Cæsares A. C. CCXCII. cum Mamertinus jam alterum Genethliacum dixisset, uti idem vir summus satis probabiliter docet in Proleg. ad Paneg. sequentem § 7. Rectius igitur sic exposueris: cum ad restituendam post priorum temporum labem rempublicam Princeps modo, divina origine clarus, (qualis ferebatur Diocletianus,) ac ne is quidem unicus, sufficeret; sed alter adhuc desideraretur, cujus genus itidem cum Diis conjunctum esset. Diocletianus generis sui auctorem Jovem, Maximianus Herculem haberi voluit. Vid. infr. cap. VII. et Schwarz. in Proleg. ad seq. Mam. Paneg. Genethl. § 4. *Jæger.* Cæsares, Constantium et Galerium, hic intelligi, nemo facile Baunio concesserit, qui res hac ætate gestas consuluerit. Cæsares illi sunt facti Kal. Martiis anno CCXCII. quo orationem hanc fuisse dictam supra scripsit Baunius, sed veriora docui ad cap. 1. Per *unicum*, quod non sufficiebat, *auxilium*, tantum intelligit Mamertinus Diocletianum. Is enim *post temporum labem*, id est, Bagaudarum seditionem Maximianum fecit Augustum, hinc supra cap. III. § 1. 'Cum ad restituendam remp. a cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus;' factum vero illud esse Nicomediæ in hibernis, ex L. 6. C. de Fide instrum. colligit Norisius de Num Dioclet. Diss. I. cap. 4. Solus autem juvandæ reip. non sufficiebat Diocle-

tianus, hostibus imperium gravissime infestantibus inpar. Eutropius IX. 22. 'Cum per omnem orbem terrarum res turbatæ essent, Carausius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Ægypto, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum inferret, Diocletianus Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum, Constantium et Maximianum Cæsares.' Paria Orosius Histor. VII. 25. uterque tamen parum adcurate. Carausius enim rebellare demum cœpit, Maximiano jam Augusto, saltem post Kalendas Apriles. Superiori enim anno operam adhuc egregiam Maximiano præstiterat in debellando Æliano Amandoque. Norisius quidem d. l. victoriam Maximiani de Æliano refert ad annum CCLXXXVI. sed injuria; dicitur enim adversus eum pugnasse Maximianus Cæsar, apud Oros. VII. 25. vide et quæ dixi ad initium hujus Panegyrici. Ob Carausium itaque, nondum hostem, Augustus legi non potuit Maximianus, neque etiam ob Quinquegentianorum et Achillei seditiones, ab Eutropio et Orosio additas. Eæ enim serius contigerunt, atque ob periculum inde metuendum lecti Cæsares Constantius et Galerius anno CCXCII. Vid. Eusebius in Chronico, Victor Cæsar. XXXIX. 22. et Spanhem. ad Juliani Cæsar. p. 56. Sola, qua Augustus fuit factus Maximianus, ratio mihi in bello Persico quærenda videtur, ut in Occidente imperio prospiceret, quia Diocletianum Nicomedia in Orientem evocabant res contra Persas gerendæ, quorum tamen regem Eutropius et Orosius male Narseum adpellant, ut inferius demonstrabo. Alterum utriusque scriptoris errorem, quo eodem tempore Constantium et Galerium Maximianum Cæsares creatos adfirmant, castigarunt jam Baluzius ad Lactant. Mort. Pers. 8. et Noris. de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 2. Uti autem Maximianum Kal. April. Augustum esse factum constat, ita de anno dissentiunt: ad CCLXXXV. quidam referunt ob locum Incerti Paneg. Maxim. cap. VIII. 'Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octavo consulem.' Et cap. XI. 'Curis, quas viginti annis expertus fueras, reddidisti.' Octavus Maximiani consulatus incidit in ann. CCCIV. cui si conveniat annus imperii vicesimus, concludunt eo, quem dixi, anno legi debuisse: pluribus confer Baluzium ad Lactant. Mort. Pers. p. 18. quem Spanhemius sequitur ad Julian. p. 54. Sed si Auctoris incerti locus ita stricte sit accipiendus, lectus fuisset Augustus a. CCLXXXIV. Amplector potius sententiam Norisii de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 2. et 3. ad Kal. Apriles anni CCLXXXVI. id referentis, et Auctoris incerti locum ita exponentis, Maximianum vicennalia, anno CCCVI. celebranda, biennio anticipasse, quia Diocletianus ea tum celebrabat. Sed quid si Auctor ille vicesimum imperii annum numeraverit ex eo, quo Cæsar factus est Maximianus, qui annus fuit CCLXXXIV.? et id quidem malim. Interim Augusti in Maximiano dignitatem non ab alio anno repetendam esse docet inscriptio apud Smetium pag. CXLV. 7. aliosque memorata, et posita Diocletiano TRIB. POT. X. Maximiano TRIB. POT. IIX. IMP. VIII. imperium itaque Maximiani Diocletianeo fuit biennio serius; conveniunt enim in eo tribuniciæ potestatis anni et imperii, quia hæc potestas una cum imperio ipsi data est, observante Pagio Dissert. Hypat. p. 160. quod in aliis Impp. nonnumquam aliter obtinere ostendit Spanhem. V. N. Diss. XII. p. 426. Corruptæ hinc sunt vel a librariis, vel ipso Triboniano omnes legum in codice inscriptiones, quæ ante Kal. April. CCLXXXVI. Diocletiani et Maximiani AA nomen præferunt. Sic anno CCLXXXV. men-

se Januario ita inscribitur L. 2. 'Si quis aliq. test. prob.' Augusto, L. 3. 'Quib. ex caus. major.' Septembri, L. 10. 'ad Leg. Corn. de Fals.' Novembri, L. 3. et 4. 'de Decurion.' L. 1. 'Si adv. donat.' L. 4. 'Quib. ex caus. major.' L. 8. et 9. 'de Præd. et al. reb. min.' L. 6. 'de Testam.' Decembri, L. 7. 'de Hered. instit.' Similiter anno CCLXXXVI. mense Januario, L. 2. 'Ne fil. pro patr.' L. 6. 'de Fide instrum.' L. 3. 'Qui adm. ad bon. poss.' Februario, L. 16. 'de Pact.' L. 4. et 5. 'de Inoffic. donat.' L. 2. 'Quib. non objic. long. temp. præs.' L. 6. 'de Remiss. pign.' L. 6. 'de Donat.' L. 6. 'de Gener. abolit.' Omnes illæ soli sunt Diocletiano adscribendæ, in quibusdam id jam monuit Basnage Annal. tom. II. pag. 450. et Norisius de Num. Diocleț. Diss. I. cap. 3. Frustra Spanhemius et alii ex illis inscriptionibus collegerunt, Maximianum numquam fuisse Cæsarem, de quo mox dicendum. Gravissime erravit in Chronico Cassiodorus, qui Augusteam in Maximiano dignitatem refert ad Coss. Bassum et Quinctianum, quorum consulatus pertinet ad annum CCLXXXIX. *Arntz.*

Præcipitanti] Incertus in Maximianum et Constantinum: 'Statim igitur ut præcipitantem remp. refrenasti,' &c. Nazarius in Constantinum: 'Cujus cum divina virtus, et ejus misericordia comes appendixque victoria urbem Romam non præcipitantem exceperit, sed afflictam ac plane jacentem excitarit,' &c. Ipse Cicero pro P. Sextio: 'Cum illi soli essent præter furiosum illum tribunum duo Reip. turbines, qui non modo præcipitanti patriæ non subvenirent, sed etiam nimium tarde concidere mœrerent.' Pro C. Rabirio Postumo: 'Satis est homines imprudentia lapsos non erigere, urgere vero jacentes, aut præcipitantes impellere certe est inhumanum.' Plautus Trinummo: 'Qui in amorem præcipitavit pejus perit quam si saxo saliat.' Virgil. Æn. II. 'Et jam nox humida cælo Præcipitat.' Statius Theb. IV. 'Non aliter silvas humeris et utroque refringens Pectore montano duplex Hylæus ab antro Præcipitat.' *Livin.* Vid. Drakenb. ad Livium V. 18. 7. et XXV. 11. 6. Burman. ad Antholog. tom. II. p. 376. Vechner. Hellenol. lib. I. part. I. cap. 6. *Idem.*

Subiisti] Recte Baune interpretatur, una cum principe subvenisti. *Id.*

Victoriæ parte] Capio ab hac mente, quod in laudatione Herculis chorus qua juvenum, qua senum apud Euandrum canunt Æneid. VIII. 'Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhœus Arduus, arma tenens.' Macrobius Saturnal. I. 20. de Hercule: 'Ipse creditur et gigantas interemisse, cum cælo propugnaret quasi virtus Deorum.' *Livin.* Apollodorus I. 6. hanc fabulam scripsit, quam et Horatius tangit Od. II. 12. 'Domitosque Herculea manu Telluris juvenes, unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris.' *Cellar.* Cum Sigonius Histor. de Occidentali Imper. lib. I. p. 8. locum hunc ex Mamertini Panegyrico protulit, pro verbis *magna victoriæ parte*, reposuit *magnæ victoriæ pace*; sed, ut opinor, perperam, aut certe codice ex hac parte vitiato usus est. Vulgata lectio uti commodam affert sententiam, ita omnium ceterorum librorum auctoritate adjuvatur. *Schwarz.* Herculis virtute gigantas, cæleste regnum affectantes, repulsos esse narrant poëtæ. Horat. Od. II. 12. 5. seqq. 'Domitosque Herculea manu,' &c. Seneca Herc. Fur. vs. 444. sq. 'Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio Sparsam cruore, postque defensos Deos, Nondum liquet de patre?' Macrob. Saturn. I. 20. 'Ipse (Hercules) creditur et gigantes interemisse, cum pro cælo pugnasset, quasi virtus Deorum.' Add. Claudian. de Consul.

Honor. IV. vs. 532. seqq. ibique Gesner. *Jæger.*

Probavitque] Post verbum *probavitque*, pronomen *se* noster codex, et uterque liber Gudianus, itemque variæ lectiones a Schonhovio et Puteano collectæ, habent; quod præter Cuspinianum in ceterorum omnium libris excusis desideratur. Non quidem nescimus, pronomen hoc sæpe juxta verbum infinitum omitti, cujusmodi exempla collegit Cortius ad Sallust. Catil. cap. 31. 7. et, ne putes id omitti sola librariorum culpa, habebis poëtas hujus ἐλλείψεως testes certiores, v. g. Ovid. Metam. II. 697. 'Simulat Jove natus abire.' Idem lib. IV. 338. 'Simulatque gradu discedere.' Nihilominus id pronomen, si in antiquis codicibus reperio sic positum, haud libenter dimitto. *Schwarz.* Pronomen illud *se* adeo frequenter nunc additur, nunc a scriptoribus omittitur, ut non nisi optimorum codd. fide de eo constitui queat. Dixi quædam ad Sedulium IV. 80. et Arator. II. 538. quædam juris loca ex vetustis membranis hinc emaculavit Stewechius ad Arnobium advers. Gent. I. p. 56. apud Sallustium Jugurth. 97. cod. Daventriensis: 'ad cælum se ferre:' cap. 115. 'se credere illum nihil ausurum:' cap. 117. 'edocet, quæ sibi responderentur,' quod et in suis invenit Cortius: cap. 120. 'quæ imperarentur se facere:' idemque pronomen omissum scriptores sæpius corrupit. Uno utar Martialis loco XI. 40. 'Et vix a ferulis abstinet ira manum.' Præfero, quod ex Thuaneo enotatum habeo, 'a ferulis temperat ira tua,' supple 'se.' Heinsius ex ejusdem codicis vestigiis emendabat, 'temperat ira sibi,' ad Virgil. Georg. I. 360. Sequentibus Mamertini paria sunt hæc Plinii Paneg. VI. § 4. 'Ita filius ac parens, uno eodemque momento, rem maximam invicem præstitistis, illa tibi imperium dedit, tu illi reddidisti.' De Hercule in cælum recepto vide etiam Genethliac. III. § 6. et Taylor. ad Lysiæ Orat. p. 34. Boëtius Consol. Philos. IV. in fin. de Hercule: 'Pretiumque rursus Ultimi cælum meruit laboris:' ubi non probo 'cælo,' quod in Cantabrig. sese invenisse testatur Wasseus Indice ad Sallust. v. 'Nuda.' Vulgatum tuetur Antholog. Græca IV. cap. 8. Epigr. 4. Δέρκεο μυριόμοχθε τεοὺς Ἡράκλες ἀγῶνας, Οὓς τλὰς ἀθανάτων οἶκον Ὄλυμπον ἔβης. Emendo Rutilium Itiner. I. 75. 'Aras Pæoniam meruit Medicina per artem, Factus et Alcides nobilitate Deus.' Illud 'nobilitate' turbas dedit eruditis, quod exponere sunt conati Oudendorp. ad Lucan. IV. 521. vir clariss. in Observ. Miscell. Vol. III. p. 563. et Cannegieter. ad Avian. 24. vs. 2. putaverim legendum, 'Alcides nobilis arte Deus.' Sollemni poëtarum more, ex superiori versu, repetitur 'arte,' id est, virtute, ut apud Horat. Od. III. 3. 9. 'Hac arte Pollux, et vagus Hercules, Enisus arces adtigit igneas.' Scholiastes Crucquii exponit 'animi virtute,' sive τῇ Ἡρακλέους ἀρετῇ, quam memorat Lysias Orat. in Corinthiór. Socios p. 36. Crusio in Probab. Crit. p. 56. et Observ. Miscell. Nov. tom. ult. p. 377. emendanti, 'Prodit et Alciden nobilis ara Deum,' haud dubie locus Martialis Spectac. I. 4. neglectus fuisset, si egregiæ Barthii conjecturæ in Martialis loco fuisset memor, 'Dissimulet Delum.' Vide ad Statium Theb. VI. 6. quam lectionem ex vestigiis cod. feliciter eruit de Rooy Spicil. p. 19. *Arntz.*

§ 3 *Biformium*] Infra in Genethliac. Maximiani. *Puteanus.* Miror Schwarzium, mox non perspicientem, quo potuerit Mamertinus modo gigantes dicere 'biformes,' ideoque 'deformes' adpellari potuisse contendit. Sed quid, si hæc acceperit eodem pacto, quo in Genethl. III. § 4. 'Præter depulsos quondam cæli possessione Titanas, et mox biformium

bella monstrorum,' ubi et a quibusdam peccatum est, 'deformium' substituentibus. Vereor, ut Schwarzius illic satis memor fuerit eorum, quæ hic scripserit. Hic eo magis dixit *biformium*, quia, ut recte vidit Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 4. intelligit agrestium et latronum duces, Amandum et Ælianum, quem Aulum Pomponium Ælianum, distinctum a Lucio Æliano, qui sub Gallieno imperium invasit, Rupertus credidit ad Besoldum p. 356. et Tristanus apud Spanhem. V. N. Diss. XI. p. 264. alii contra. Pomponii nomen nititur auctoritate numi, quem Goltzius produxit, de quo tamen ampliandum judicat Cannegieter Neglig. Trebell. cap. 5. De duobus his ducibus eo magis 'biformia' adhibuisse mihi videtur, respiciens forte ad nummum Diocletiano cusum, quem dedit Begerus Continuat. Thesaur. Brandenb. p. 777. ubi Juppiter Fulgurator exhibetur, et ad ejus pedes prostratus homo 'biformis,' inferiori parte pedibus serpentinis. Ad Achilleum hunc refert Begerus; dubitanter vero Schwarzius in Dissert. Mamertini Genethliaco præfixa, § 6. ipse ex hoc loco ad Bagaudarum duces, de quibus dixi, referre maluerim. *Arntz.*

Et hisce terris] Vet. *in hisce*; scilicet in Gallia. Eutrop. lib. IX. 'Ita rerum Romanarum potitus cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, et factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, ad subigendos eos Maximianum Herculium Cæsarem misit, qui levibus prœliis agrestes domuit et partem Galliæ reformavit.' Orosius lib. VII. Vacandas nominat, qui collecti ab Amando et Æliano. Vide Paulum Diaconum et Zonaram, Eusebium in Chronic. qui vocat eos Bacchareda. *Puteanus.* Bene se nunc habet hic locus. *Schwarz.* Quum alii libri habeant *et hisce terris*, nisi vera est, certe haud abhorret a verisimilitudine, correctio Lindenbrogii ad Anthol. Lat. I. p. 22. *biformium et excetris fuit.* Hæc Bibliotheca Critica. Correctione hac probata habemus exemplum utriusque casus conjuncti cum adjectivo 'simile,' quemadmodum apud Sallust. Cat. XXXIII. 1. 'patriæ et fama atque fortunis expertes' junguntur; ubi vid. Cort. Eadem variatio in iis, quæ adhærent substantivis, e. g. Gell. N. A. III. 16. 'Eodem nomine et ejusdem argumenti comœdia, non insolens est.' *Jæger.* Depravatam lectionem conjectura adjuvare conatus est Lindenbrogius ad Anthol. Lat. Epigr. I. 42. emendat, *monstrorum biformium et excetris fuit.* Speciosum hoc est, inprimis ubi de Hercule agitur. Servius ad Virgil. Æn. VI. 287. 'Hydram dicit, serpentem inmanis magnitudinis, quæ fuit in Lerna Argivorum palude; sed Latine excetra dicitur, quod uno cæso tria capita excrescebant.' Descripsit hæc Isidorus Orig. XI. 3. quem tamen corruptum recte emendavit Munker. ad Hygin. Fab. 30. et adstipulatur codex Groninganus. De excetra dedit ex Glossario Ms. Leidensi, et Papiæ Vocabulario similia Burmannus Secundus ad Anthol. lib. II. Epigr. 162. et hinc etiam pro quovis malo et noxio adhibetur. Drakenb. ad Livium XXXIX. 11. 2. neque in Lindenbrogii conjectura obstat duplex casus, *simile monstrorum* et *excetris*. Ita apud Avienum recte defenditur 'expertes nimborum' et 'tempestatibus,' in Observ. Miscell. tom. I. p. 277. Nullus tamen dubito, quin hoc loco verum sit, *in hisce terris*, confirmatum a codicibus. *Cœlo*, Diis reddito, commode opponit *terras*, id est, Belgicam, ut exponit Gothofred. ad L. 1. Cod. Theodos. Ne pastor dentur fil. Similiter cap. IX. § 1. 'quidquid pro hisce terris feceras.' *Arntz.*

Arator equitem] Paulli Stephani editione usus de Rooy, pro *auctor* ex

conjectura substituit quoque *arator*, in Spicil. Crit. pag. 46. sed *equitem* haud emendatum reliquit, quod ex Puteolani editione in reliquas transiit. *Idem.*

Cultorum rusticus vastator] *Culta* hoc loco dicuntur 'rura,' vel 'arva culta,' per ἔλλειψιν, ut 'novalia,' et plura alia. Ceterum manifestum est, et alii etiam jam annotarunt, Mamertinum per istos 'agricolas' et 'rusticos,' 'vastatores cultorum suorum' significare Bagaudas, vel Bacaudas, h. e. multitudinem et factionem ruricolarum, qui sumtis armis tumultum excitarant, omniaque vastarant. Cujusmodi factionem rebellium agricolarum, ducibus Amando et Æliano, temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum, in Galliis exortam, at mox repressam fuisse, ex Aurel. Victore, Eutropio, et Orosio constat, de quibus alibi plura afferemus, rati interim, nomen hoc 'Bacaudarum' antiqua Francorum lingua ortum, et ex *Bag*, vel *Bac*, vel *Pak*, et *auwe*, vel *gau*, sive *gew*, aut *gow*, compositum, idem fere valere, quod nonnulli dicerent, *ein back Gau-Diebe*. Certe ejusmodi notio factionis, seu multitudinis probrosæ, in vocabulo *back* adhuc hodie superest in istis vulgaribus, *das Lumpenback*, *das Diebes-back*, *das Hurenback*, &c. *Gau* autem, sive *Gew*, de pagis, et rure, et certo territorio dictum esse, notissimum est. Hos vero Bagaudas Mamertinus comparat cum 'monstris biformibus,' hoc est, cum Titanibus et gigantibus, qui Jovi bellum inferre ausi erant. Quos nescio, cur orator appellet 'biformes,' quos dicere potuisset 'deformes;' nisi id respiciat, quod Ovidio Metam. I. 184. dicantur 'anguipedes.' *Schwarz.* Sine dubio respicit, quod gigantes Ovidio dicantur 'anguipedes.' Simili ratione Centauri dicuntur 'gemini,' Ovid. Met. II. 630. 'biformes,' ib. vs. 664. 'bimembres,' eidem Ovidio Ep. Her. II. 71. et Met. xv. 288. Virg. Æn. VIII. 193. Vid. Gronov. ad Sen. Herc. Fur. vs. 93. et ipsum Schwarzium ad Mam. Genethl. cap. III. De Bagaudis cf. Basnag. Annal. Polit. Eccles. ad a. CCLXXXV. n. 11. Rittershus. ad Salvian. de Gub. D. p. m. 50. Heumann. in Addend. ed. Eutrop. Gruner. ad p. 172. ubi ex voce 'Bugad,' i. e. tumultuatio, natum esse censet vocabulum 'Bagaud.' Satis probabiliter. Ex Francorum lingua id nomen ortum esse non videtur. Franci ea tempestate nondum in Gallia sedem ceperant. Præter ea Eutrop. IX. 13. 'rusticanos tumultuantes' dicit 'factioni suæ Bagaudarum nomen imposuisse;' quod proinde tam ignominiosum esse haud potuit. *Jæger.* De Rooy Spicil. Crit. p. 48. emendat, *vastatorem*, et primam sequentis vocis syllabam corruptelæ putat caussam dedisse. Tueor *vastator;* rustici, factione inita, agros ipsi suos vastaverant, ad morem barbarorum. Trotzius in Jure Agrar. Rom. pag. 283. Mamertinum reprehendit, tamquam parum memorem, militiam apud majores nostros ex pastoribus præcipue constitisse. Sed ad illud tempus, de quo loquitur Noster, parum facit illa observatio. *Arntz.*

Cap. v. § 1 *Quod vero*] *Quid enim statim* Vet. Scriptam lectionem juvo, et rescribo, *Quid enimvero? statim, &c.* Apud Senecam quoque de Benef. I. 14. ubi vulgatur, 'illa enim inque quantum volet, exeat, sedeat, non erret:' in Leodiensi Ms. est, 'illa vero in quantum vol.' mihi liquet emendandum, 'illa enim vero in quantum.' *Livin.* Anceps hæreas, quo prima vocula *quod*, sive sit pronomen relativum, sive conjunctio caussalis referatur? Tanquam locum salvum sanumque omnes prætermittunt commentatores, neque alicujus varietatis indicium vel libri excusi, vel nunc Gudiani illi faciunt, nisi quod Cuspinianus et H. Stephanus

pro *cum* substituunt *tum*, ut quasi tunc istæ particulæ sic, sed parum commode, conjungantur cum verbo: *quod vero tum omnes barbaræ nationes excidium Galliæ minarentur, &c.* Et quamvis Livineius in codice vetere, pro *quod vero*, invenisset *quid enim*, atque inde finxisset, *quid enim vero?* prout fere et in nostro codice legitur, *quid vero*, vix tamen connexionem satis aptam inde eruas, nisi intelligas, suppleasque id, quod per ἔλλειψιν omissum videatur: *Quid vero dicam?* sive, *Quid vero factum, sive consecutum est, statim, &c.* At enimvero nondum induci possum, ut rejiciam illud vulgatum *quod.* Certe enim particula *quod* alioqui non raro παρέλκει, cum quidem ad periodum cum antecedente connectendam assumta videatur; v. g. apud Hyginum Fab. 16. 'Quod postero die, cum prope littus appropinquasset, et vidisset se regem interfecisse, sepulturæ eum tradidit.' Apud Livium XLI. 10. 'Quod cum milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cum is more majorum, secundum vota in capitolio nuncupata, cum lictoribus paludatus profectus ab urbe esset; furens ira vocatum, qui pro quæstore Manlii erat, eatenus poposcit.' Potissimum vero ille πλεονασμὸς particulæ *quod* sæpius occurrit, si ea cum sequentibus particulis conjungatur, 'quod si,' 'quod nisi,' 'quod utinam,' 'quod cum,' 'quod quia,' 'quod ubi,' 'quod tametsi,' cujusmodi plura exempla præter alios collegere Munkerus ad Hyginum Fab. 16. et Cortius ad Sallust. Catil. XVIII. 8. Itaque et hoc loco particula *quod*, quantumvis interjectis quibusdam vocibus, jungitur cum adverbio *cum;* imo et ad sequentia referri potest, 'quod .... nisi tu adfuisses.' *Schwarz.* Exempla, quæ contulit Schwarzius, vulgatæ tuendæ parum conveniunt. Quis credat, *quod* cum sequente *nisi*, aut *cum* jungi posse, quibusdam interjectis? et quocumque construas modo, semper obstabit *vero.* Conjeceram, *Quin vero*, aut *quid vero?* Sed ingeniosissima est acutissimi Eldikii, quocum de hoc loco egeram, conjectura, *Quod vero fatum.* Eleganter hoc connectitur sequentibus, *quis Deus*, utraque enim vox sæpius ita jungitur. Eumenius Constantino XIV. § 3. 'Neminem hominem peccare, nisi fato, ... contra autem Deorum munera esse virtutem.' Incerti Maximiano IX. 1. 'Non illis (Diis) hauriuntur volentibus, sed aut aliorsum adspicientibus, aut fatali rerum cursu.' Plinius Paneg. I. 5. 'Potestate fatorum, sed ab Jove.' Florus I. 13. 1. 'sive invidia Deum, sive fato.' *Arntz.*

Cum omnes] Quæ terrestribus copiis Galliam infestabant, dum interea Franci etiam et Saxones maria proxima turbabant. Testis Eutrop. l. IX. *Patarol.* Per 'furorem sopitum' bellum civile cum rusticis recte intelligit Norisius ad Num. Dioclet. Diss. I. cap. 4. *Arntz.*

Burgundiones] Pars Vindilorum fuere juxta Plinium IV. 14. in Scandia. In Germaniam primum delapsi regiones juxta Vistulam tenuere; mox post discursus varios Galliam ingressi Burgundiæ nomen indidere provinciæ, quæ fuit olim Æduorum et Sequanorum. *Patarol.* Confer Wagenaer Hist. Patr. lib. III. pag. 219. *Arntz.*

Alamanni] A Germanis omnino distincti, de quo Trivorius Observ. Apolog. cap. 16. Vopiscus tamen in Procul. 13. 'Alemannos, qui tum adhuc Germani dicebantur,' sed posteriora pro glossemate habet Spanhem. V. N. Diss. XII. p. 505. Cf. et Rhenan. Rer. German. I. p. 152. et Dithmar. ad Teschenmak. Annal. Cliv. I. pag. 75. Wagenaer Hist. Patr. III. p. 197. *Idem.*

Chaibones] Ita fere nominantur. Libri tamen cariosi nunc *Caybones* exhibent, nunc *Cayvones*, nunc *Cavi-*

ones, nunc *Chabiones*. Quid potissimum sequendum, δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν. *Livin.* Obscura gens Germaniæ, subsequenti Genethliaco cap. VII. n. 2. *Caviones* dicti. Forte sunt Χαῦβοι, *Chaubi* Strabonis, quos ille a Chaucis sive Cauchis distinxit l. VII. post initium. Eruli sunt Heruli, satis noti ex Historia Romana. *Cellar.* De Chaibonibus quid afferam non habeo, nisi forte legendum sit *Cavionibus*. Fuere autem Caviones Germaniæ populi ad Albim fluvium, ubi nunc fere Ducatus Luneburgensis. Paneg. Seq. cap. VII. etiam dicitur 'gens Cavionum Erulorumque.' Erulorum mentio fit apud Agathiam lib. I. et Jornand. lib. de Reb. Gothor. Hi quoque ex iis Daniæ Sueciæque populis, qui cum Gothis aliisque non modo Germaniam ac Gallias, sed ipsam Italiam vastavere. *Patarol.* Plena manu de illis mox Schwarzius. *Arntz.*

Erulique] De his statim Schwarzius. *Idem.*

Viribus primi] De Erulis Jornandes cit. 'qui inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant.' *Patarol.* Guelferb. et excerpta Vossii, *locis ultima*, quod quo pertineat, non video. Curtius IV. 9. 1. 'ultimis gentibus.' Justinus XII. 7. 4. 'ultimo oriente.' Cicero ad Divers. XV. 9. 'ultimi locis' sunt populi longissime remoti. *Arntz.*

§ 2 *Quibus ipsa*] Nos non spernimus codicis nostri scripturam, duorum etiam aliorum codicum consensu stabilitam; inprimis si per vocem *perduelles* potissimum principes et auctores hostium intelligas. Ciceroni de Offic. I. 21. 'parentiores exercitus' dicuntur, qui promtius ducibus dicto sunt audientes. *Schwarz.* Miror itaque neminem, ne Jægerum quidem, codicibus apud Puteanum et Schwarzium esse obsecutum, ut suum Mamertino redderent, *quibus parebat ipsa*. Consentiunt excerpta Vossii, forte ex Puteaneo. Eadem, et Guelferb. transponunt *multitudo pestifera*, quod auribus suavius ex suis quoque codicibus produxerunt Puteanus et Schwarzius. Eleganter additur, 'ire in famem,' de quo Drakenb. ad Livium III. 53. 7. Cannegiet. ad Avian. Fab. XIV. 10. Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. II. 10. 'fami' jungit 'pestilentiam,' ut Florus III. 5. 17. 'fames, ex fame pestilentia urgeret,' quem cum nostro contulit recte Dukerus, et Davies. ad Cæsar. B. C. III. 84. 1. In excerptis Vossii legitur *ex fame pestilentia*, in Guelferb. autem, *ex fame pestilentiam*. Arntz.

Mox triumphi] Acidalius suasit præpositionem *ad* inserendam, quam etiam Puteanus inter variantes hujus Panegyrici lectiones reposuit. Cui et nunc nostri codicis, et duorum librorum Gudianorum suffragia favent. Livineius pro *ad* in margine, ex Lugdunensi quadam editione, annotavit *ubi*, quod vero ex ingenio editoris natum videtur. *Schwarz.* Præpositionem ipsa jubet sententia inserendam. *Arntz.*

Chaibones] Quod adtinet ad *Chaibonas* (ita enim casus quartus scriptus est in codice nostro et in libris Gudianis) nomen hujus populi varie scribitur. Livineio enim teste, libri cariosi nunc *Caybones* exhibent, nunc *Cayvones*, nunc *Caviones*, nunc *Chabiones*. Omnium scriptura eodem recidit, quamvis origini primæ convenientius scribantur *Cayvones*. Mamertinus eos annumerat barbarorum, ut vocat Germanos, primis, sive præcipuis, si vires spectes; ultimis, quod ad loca habitationis. Mirum est, tam fortis et numerosi populi non alibi, quantum nobis constat, nisi in his Panegyricis fieri mentionem, nisi forte ab aliis scriptoribus alio nomine designentur. Cellarius conjicit, hos fortasse esse Χαύβους Strabonis, quos hic a Chaucis, sive Cauchis distinxerit libr. VII. post initium p. 291. Πρὸς δὲ

τῷ Ὠκεανῷ Σούγαμβροί τε, καὶ Χαῦβοι, καὶ Βρούκτεροι, καὶ Κίμβροι, Καῦκοι τε, καὶ Καοῦλκοι. Hac conjectura nihil puto esse verisimilius. Primum enim situs locorum convenit: *Chaibones* enim Mamertino dicuntur locis ultimi; hoc est, inter extremos Germaniæ populos ad Oceanum Germanicum habitantes; at et Chaubi a Strabone ad Oceanum hunc collocantur. Deinde nec nomina differunt. Vix enim dubito utrumque nomen descendere ab antiquo *Chay*, *Caya*, vel *Chaia*, domus, casa, et maxime ejusmodi casa, quæ ad littora ponebatur; unde et *Cay* adhuc appellatur area in littore, onerandarum et exonerandarum navium caussa, e compactis tabulis trabibusque firmata, ac desuper tecta instar domus, quod Carol. du Fresne in Glossar. Lat. docet, et ultimam originem hujus vocis a Cambro-Britannica voce *cæ*, id est, sepe et claustro derivat. Cum vero hi populi Mamertino dicantur *Chaibones*, vel *Cayvones*, indicio est, nomen id esse compositum a *caya* scilicet, et itidem Germanica voce *wohnen*, morari, habitare, ut ita dicerentur quasi incolæ casarum littoralium; prout et alii Germaniæ populi dicti sunt; v. g. 'Ingevones,' 'Inwohners,' prima Germaniæ gens, sic dicta, quod proxima Oceano ab utroque latere Isthmi, inter duo maria protensa, sedes suas in locis maritimis fixisset. Porro 'Istævones,' sive 'Æstivones,' *Ost-woners*, ad orientem colentes. Ad hæc 'Herminvones,' id est, *Herum-wohners*, qui intra ambitum reliquorum habitarunt, a Rheno prætenti. Item 'Hillevinones,' monticolæ, de quibus nominibus plura tradit Wachterus in Præf. ad Germanos § 38. 39. 40. qui vero, quod mirum est, nihil de voce *cay*, sive *caya* habet. Quod autem Strabo hunc populum non, uti Mamertinus, vocavit *Chaibones*, vel *Caivones*, (litteræ enim *b* et *u* et *w* facile inter se permutantur,) sed decurtata syllaba Χαύβους, *Chaubos*, inde fortasse evenit, quia vel librarii veterem scripturam mutarunt, vel quia ipse Strabo, cum vim Germanici nominis non intelligeret, id magis ad Græcæ Romanæque linguæ rationes inflexit. Jam dudum vero Cluverius Antiq. Germ. III. 27. monuit, hos *Chaibonas*, seu, ut in Mamertini Genethliac. cap. VII. legimus *Caviones*, fuisse eosdem, quos Tacitus de Morib. German. cap. 40. vocavit 'Aviones.' Nec mirum est, potuisse istorum nominum scripturam vitiari; aut etiam per ἀφαίρεσιν mutari, cum ita aliquando etiam 'Ildericum,' item 'Clotharium' scriptum dictumque reperiamus, quem alii vulgo dixerunt 'Childericum,' 'Lotharium,' ut longe plura hujus generis exempla taceam. *Schwarz.* Ante Livineium constanter fuit editum *Chaibonas*, quod ex veteri Livineii codice, excerptis Vossii, et Guelf. revocavi, retentum quoque in prima Rivini editione. Cum 'Avionibus' Taciti hos quoque contulit Dithmarus ad Teschenmak. Annal. Cliv. part. I. p. 78. iidem sint, se nescire profitetur Wagenaerius Hist. Patr. lib. III. p. 220. 'Aviones' facile transire potuissent in Caviones, ut 'Auchi' in Cauchos, de quibus Alting. Notit. German. part. I. p. 12. et Cannegieter. Briteub. p. 89. Cluverius Geogr. III. 2. collocat eos ad Albim, finitimos Thuringis, ubi nunc Daneberga et Lavemburgum. Aviones quoque Althamerus Comment. German. p. 278. in maritima Saxoniæ plaga constituit, ubi Mechelburgensis regio, sed deinceps in Fioniam, insulam Holsatiæ objectam, secessisse contendit. Ortelius in Thesauro jam suspicatus est, Strabonis Χαύβους esse hos Chaibonas, vel Chabionas; collocat autem circa Frisiam. Si Schwarzii suspicio vera foret, essent incolæ ad littus. Kilianus enim *Kaeije* interpretatur, 'acte,' 'acta,' 'littus,' et *Kaijen* 'adpellere,' 'intra-

re portum.' Dubito tamen, utrum terminatio *venes* tuto semper explicetur per *wooners*, uti 'Ingevones' Pontanus interpretatur *inge*, *eng wooners*, Histor. Danic. pag. 640. et Origin. Francic. I. 5. II. 1. alii id in aliis commenti. Potuit enim terminatio esse eadem, quæ in 'Senones' et aliis, præcipue cum Gallorum Germanorumque nomina passim in *o* exierint, quidni et populorum, ut 'Saxo,' 'Frisio,' 'Franco,' 'Burgundio?' de quibus Cannegieter Britenb. p. 7. haud aliter et 'Chaibo' dici potuit. *Arntz.*

Eruloque] Herulorum, quos Mamertinus noster conjungit cum Chaibonibus, frequentior occurrit mentio apud veteres scriptores. Cluverius docet, eos ad Vistulæ ostia, tanquam terminum Germaniæ ab Oriente, inter Rugios et Gothos consedisse. Et eosdem ad Oceanum collocat Sidonius Apollinaris Epist. VIII. 9. 'Hic glaucis Erulus genis vagatur, Imos Oceani colens recessus, Algoso prope concolor profundo.' Sed horum migrationes et fata commemorare, nunc nimis longum foret. De iisdem non pauca annotavit Gundlingius de Henrico Aucupe p. 159. item Dom. Mascovius in egregio opere, quod inscribitur, *Geschichte der Teutschen*, XI. 23. Quod si Gundlingius ex eo recte arguit, Herulos quondam etiam in Marchia Brandenburgica sedes habuisse, quia ibi adhuc hodie supersit mons, ab Herulis 'Harlungus' cognominatus; similiter conjecturam facere possumus, eosdem etiam in Misniæ partem, quæ Osterlandia dicta est, devenisse, et sigillatim prope Leisnicium, vetustum opidum, aliquando consedisse, cum ibidem supersit mons ruderibus antiqui castelli insignis, qui hodieque 'Harlungus,' *der Harlungs-berg* nominatur, de quo non nihil diximus in notis ad Petri Albini librum de Comitibus Leisnicensibus tom. III. Menkenii Scriptorum Rerum Misnicarum pag. 839. *Schwarz.* Heruli quibusdam videntur antea dicti Lemovii, a Vipera ad Vistulam habitantes. Cellar. Geogr. II. 5. Fuerunt certe Germaniæ populi, de quibus Ludewigius Vit. Justin. p. 381. *Arntz.*

Pariter prodere] Non muto, et tamen proclive sit *perdere*. Ut neque mox pro *proculisti* substituendum *perculisti*: ab illo *procella*. Acidal. Olim legebatur, *pariter prodere*, deinde *pariter perdere*. Jam tamen Cuspinianus, qui in paucorum aliorum editorum manus venisse videtur, eam, quam nunc recepta est, lectionem evulgarat, quam et primus liber Gudianus exhibet. At in altero libro Gudiano, et in nostro codice, pro *astu* scriptum est *æstu*. Arridebat nobis primum hæc lectio, quod Mamertinus videbatur dicere voluisse, Maximianum non dignatum esse pari æstu, id est, pari ardore et fervore Chaibones et Erulos perdere, quo perdidisset hostes ceteros. Sed ubi rem curatius pensitavimus, utique non possumus non priorem lectionem *astu* approbare. Postquam enim Mamertinus dixerat, Maximianum quidem a ceteris hostibus, ex Germania in Gallias tunc irruentibus, cum ipsi sacra fame ac deinde sæviore pestilentia infestati fuissent, arma abstinuisse, ac sua sponte illis duobus malorum generibus confligtari consumique permisisse, nunc ait, Chaibonas vero Herulosque non dignatum esse pari consilio et astu perdere, sed tanquam hostes, viribus primos barbarorum, aperto Marte aggressum primo certamine profligasse. 'Astus,' cui opponitur 'vis aperta,' dicitur hic prudentia militaris et calliditas, quæ et laudi ducitur imperatoribus, ducibusque belli. *Schwarz.* *Æstu* etiam excerpta Vossii. Ob præcedens tamen *consilio* alterum probo, quod quoque in excerptis Schonhovii fuit, ut apud Tacitum Annal. VI. 32. 'consi-

liis et astu res externas moliri;' per 'scientiam bellicam' id interpretatur Servius ad Virgil. Æn. x. 522. Justinus IX. 2. 14. 'Cum virtute et numero (uterque Franequeranus et tres Orvillii, 'animo') præstarent Scythæ, astu Philippi vincuntur.' Recte pro 'ingenio' vox hæc reddita est Livio XXVII. 20. 9. ubi Notæ: apud Justinum XXI. 5. 7. pro 'omnia ista facere,' forte non male 'omnia astu' emendabat Wopkensius in Observ. Miscell. Nov. Tom. ult. p. 195. Ante Baunium omnes *pariter* ediderunt. *Prodere* dedit Henr. Stephanus, et prima edit. Rivinus. *Arntz.*

§ 3 *Dimicares*] Gruterus mox hanc vocem, tanquam glossema, delet, ut una periodo sequentia conjungantur. Displicuit nimirum duplex verbum *pugnares* et *dimicares*; hoc ut vitetur, vide, an rectius legatur, *emicares*; videtur enim indicare, tota acie Imperatorem subito, et fulminis instar fuisse præsentem, quo me ducit sequens, 'undique occurreres.' Ita Florus IV. 12. 1. 'diversis orbis oris emicabant:' et quæ Cortius ad Plinium Epist. II. 10. 3. *Idem.*

Ipsi hosti] Gruterus suspicatus est, a glossa manasse vocem *dimicares*, qua expuncta, recte retineretur vulgata, et in codicibus etiam Mss. expressa lectio, *ipsi hosti*. Verum cum verbum illud *dimicares* omnes libri tueantur, malo cum Acidalio, Cellario et Patarolo, levi mutatione, *ipse hosti* recipere, quam verbum illud de sede sua dejicere. *Schwarz.*

Et qua fugeret] Mihi hæc olim, *et qua fugeret*, glossa et interpretamentum visa ejus, quod præcessit, *et qua cederet*. Itaque expunxeram, nec video, cur sententiam mutem. In *oceano* tamen mihi aqua hæret. *Livin.* Adstipulor Livineio arbitranti interpretamentum, *et qua fugeret*; sed et amplius puto a glossa manare vocem *dimicare*; ea certe etiam expuncta belle omnia processerunt. *Grut.* Nec verba, *et qua fugeret*, sollicitanda existimo, quamquam et Livineius et Gruterus pro glossa et interpretamento ejus, quod præcessit, *et qua cederet*, habuerint. Sufficit ista verba in omnibus libris legi, atque hæc duo commata, *et qua cederet, et qua fugeret*, satis a se invicem distingui posse. Aliud est enim 'cedere hosti,' quod aliquando consilii et prudentiæ est; aliud 'fugere,' quod ad desperationem et ignominiam propius accedit. *Schwarz.* Vestigiis scripturæ in cod. Bertiniensi apud Livineium, *et qua fugeret Oceanum, occurreres*, insistens Eldikius meus locum ita putabat sanandum, *et qua accederet, et qua fugeret, obviam occurreres.* Non dubito, quin *accederet* sit verum, sed *Oceanum* ex Bertiniensi cod., quem magni facio, non puto negligendum. Chaibones enim et Eruli, de quibus loquitur, ad Oceanum Germanicum habitabant, unde eos 'locis ultimos' adpellavit § 1. Oceanum itaque illum, irruente in eos Maximiano, vel adcedebant, resistere amplius non ausi, vel fugiebant in fugam versi. Ante Livineium edebatur *occurrens*, quod retinuit Rivinus. Sed etiam *occurreres* probant Schonhovii excerpta. *Arntz.*

Saltim] Sunt, qui ex analogia hoc tuentur, ut in 'strictim,' 'cursim' et similibus. Vide Cellar. Orthogr. p. 109. 'Obtutu sequi' dixit Arator II. 833. ubi not. adde Eumenium Constantino cap. XVII. fin. Incertum Constantino cap. XIX. Cerdam ad Virgil. Æn. VIII. 592. *Idem.*

Tanto quippe] Similis locus in Incerti Paneg. Constantino cap. IX. 'Toto quippe impetu ferebare torrenti similis amni, quem abruptæ radicitus silvæ, et convulsa funditus saxa sequerentur.' Horatius: 'Monte decurrens velut amnis imbres Quem super notas aluere ripas,' &c. *Putean.* Imago, uti monet Bibliotheca Critica, ducta ex Homer. Iliad. E. 85. sqq.

jus ipso die auspicali, hoc est, ipsis Calendis Januariis, quibus in urbe Treverorum auspicatus erat consulatum, victoriam reportaverat de Alemannis Galliam invadentibus, ne ea res gesta ad secunda consulatus ejus tempora referretur. *Schwarz.* Respice ad initium Panegyrici. *Arntz.*

Auspicalem] Sicut lubentes pronique amplectimur verum casum vocis *primi*, a Cuspiniano proditum, et a quibusdam codicibus Mss. confirmatum, ita fere dubitamus eundem Cuspinianum sequi, cum evulgavit *diem auspicabilem*, pro quo omnes, quos vidimus, libri habent *diem auspicalem*. Licet enim neutra vox, *auspicalis* et *auspicabilis*, usu bonorum Latinitatis auctorum facile comprobetur, malumus tamen nunc plurimorum librorum consensui locum relinquere. Congruentius autem Latinitati probatæ loquitur Latinus Pacatus loco ante excitato : 'Det igitur mihi sermonis hujus auspicium ille felicitatis publicæ auspex dies, qui te primus inauguravit imperio.' *Schwarz.* 'Auspicalis' Lexica tuentur auctoritate Plinii Hist. Nat. XXXII. 1. neque illic variam in codd. lectionem deprehendo ; aliud non succurrit exemplum. Mamertinum itaque Plinii, et codicum auctoritate tueamur. Ceterum imitationem ex Cicerone pro Marcell. cap. 1. recte notat vir clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. 1. p. 19. *Arntz.*

Curriculo] Sensus et historia talis est : Treveris in Gallia Maximianus consulatum inibat, et, ut moris fuit, vota faciebat in futurum. Vix peracta erant solemnia sacra, quum nuntius affertur, Germanos trajecto Rheno accelerare. Eodem ergo die obviam progressus vicit, fudit hostes, et victor in urbem Treverorum revertit. *Cellar.* Cicero in Timæo cap. 9. 'Ad originem temporis, curriculum inventum est solis et lunæ :' quod fragmentum exstat quoque apud Nonium Marcell. cap. 3. n. 55. quatuor anni tempora 'curricula' dici notat Isidorus Orig. v. 35. 'curricula mensium' sunt apud Hegesippum Excid. Hier. I. 2. et 'annorum,' I. 45. et v. 15. Male Bannius verba cap. IX. ad Mediolanense colloquium retulit : dixi ad principium hujus Panegyrici. *Arntz.*

Incipiendis] Magistratum ineuntes, primo ejus die, auspicandi gratia, leviter officia sua delibare solebant. Vid. Lips. ad Tacit. Annal. IV. 36. *Jæger.*

Imperatoris implentem] Sine varietate in omnibus fere exemplaribus sic excusa leguntur : *et officia te consulis inchoantem videret, et Imperatoris implentem.* Et certe, absque indicio codicum Mss. esset, non facile alicui in his verbis suboleat defectus. At enim vero indicium alicujus defectus faciunt et codex noster, et uterque Gudianus liber. Quibus præterea accedit Cuspiniani editio, in quibus singulis vox *ora* inseritur ultimis verbis, *et ora imperatoris implentem.* Equidem hæc ipsa vox *ora* hic nullum locum habet ; interim tamen nos perducit ad veriorem lectionem indagandam. Nimirum suspicamur, aliquando librarios *opera* per compendium scripsisse, *opra* vel *ora*, inde alios rudiores, dimisso compendii signo, prodidisse *ora*. Quod nomen cum nullam commodam sententiam hic efficeret, id a ceteris editoribus prorsus omissum rejectumque est, cum existimarint, antecedens vocabulum *officia* jam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ posse repeti. At omnino illud nomen *opera* huic loco vindicandum censemus. Per singularem enim ἔμφασιν *opera officiis* opponi putamus. Primo enim illo consulatus sui die Maximianus *officia* quidem consulis, auspiciis scilicet rite captis, votisque nuncupatis inchoaverat, sed nulla adhuc *opera* præstiterat consularia. Contra vero cum, sumptis armis, exiisset adversus

hostes ingruentes, eosque forti manu repulisset, victorque gloriosus revertisset, non solis officiis Imperatoris functus est illo tempore, sed et ipsa opera imperatoria et militaria cum magna virtutis suæ gloria implevit. Atque adeo sic significatur, eum non solo ductu suo, sed et manu conserta tunc rem confecisse. Ita vero *opera* non raro dicuntur de laboribus militaribus, ad usum militiæ pertinentibus, imo et generatim de rebus gestis. Eumenius in Orat. pro Restaur. Scholis cap. XIX. 'Quo magis,' inquit, 'horum nova et incredibilis virtus et humanitas, qui inter tanta opera bellorum ad hæc quoque literarum exercitia respiciunt.' M. Valerius Corvus tertium consul, qui dicitur 'omnia inter infimos militum haud gravate munia obiisse,' apud Livium VII. 32. designavit opera militaria ducis belli, vel Imperatoria. 'Intuendum est,' inquit, 'cujus ductu auspicioque ineunda pugna sit: utrum, qui ad audendum duntaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers: an qui et ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat. Facta mea, non dicta vos, milites, sequi volo: nec disciplinam modo, sed exemplum etiam a me petere.' Hinc et Clitus, Alexandri M. dux belli, apud Curtium VIII. 1. dicitur 'multis bellicis operibus clarus:' et Jul. Cæsar, cum Britannicæ insulæ bello injecisset manus, cum quatuor commilitonibus rate transvectus, Valerio Max. III. 2. ex. 23. dicitur 'non contentus opera sua Oceani claudere littoribus.' Verbum autem 'implere,' quod opponitur verbo 'inchoare,' hoc loco idem est ac præstare, perficere et absolvere, cujus notionis exempla passim occurrunt. Quod si vero orator duo hæc participia, *inchoantem* et *implentem*, ad unicum illud nomen *officia* referre voluisset, hac translocatione verborum usurus fuisse nobis videretur: *unoque sol curriculo suo, eoque brevissimo, officio te et consulis inchoantem videret, et Imperatoris implentem.* Schwarz. Formulam Ciceronianam esse monet Bibliotheca Critica, petitam ex Orat. pro M. Marcello cap. 1. 'Tantam enim mansuetudinem, . . tam denique incredibilem sapientiam, ac pæne divinam tacitus nullo modo præterire possum.' Ceterum non adeo necessarium videtur huic viro docto, quod Schwarzius in fine hujus loci vocem *opera* revocat, ut oratio ita expleatur: *unoque sol curriculo suo, eoque brevissimo, et officia te consulis inchoantem videret, et Imperatoris opera implentem?* Quis enim dubitet, quin *officia* quoque ad vocem *Imperatoris* pertineant? Contra vero in Bibliotheca Philologica Schwarzius, propter vitium sagaciter indagatum, laudatur; orationis enim concinnitatem ante vocem *Imperatoris* verbum aliquod requirere, quod alteri *officia* respondeat: desiderari quidem exemplum locutionis *implere opera*, sed hæc talia facilem et paratam excusationem habere ex ipsius orationis, membris sibi invicem oppositis contextæ, figuratione. Hæc satis probabiliter disputantur. Verbo *officia* bene et *συνωνύμως* respondet alterum *opera*. Vid. Gronov. ad Sen. Phœniss. vs. 108. nec est, quod locutio 'implere opera' quemquam offendat, cum simili fere ratione apud Herodot. II. 117. τὸν νόμον ἐκπλῆσαι, in Claudiani Carm. de Nupt. Hon. et Mar. vs. 255. 'explere labores' usurpetur. Taceo formulam πληροῦν τὸ ἔργον in libris N. Test. obviam. Denique librarii omittendis, vel depravandis, quam intrudendis vocabulis, sæpius peccare solent. *Jæger*. Posset *officia* ex præcedentibus repeti, quod etiam visum viro clariss. in Bibl. Critic. vol. II. part. I. p. 19. cujusmodi exempla dedit pater meus ad Plinii Paneg. LXXI. 3. sed cum codices, in-

que iis Vossii excerpta, exhibeant *ora Imperatoris*, a librariis hic aliquid admissum suspicor. Non male Schwarzius ex eo *opera* eruit, Livineii tamen immemor, ut 'opera bellorum' apud Eumenium pro Instaur. Schol. cap. XIX. adde Incerti Paneg. Maxim. 12. et Duker. ad Flor. Procem. § 1. Mihi ad veram lectionem, ex codd. vestigiis eruendam, ducere videtur historiæ series. Imperatorem lectum esse Maximianum a. CCLXXXVI. ostendi ad cap. IV. § 2. Sequenti anno fuit consul, tunc itaque versabatur in Augustem dignitatis initiis; videtur itaque scripsisse Mamertinus, *et Imperatoris orsa inplentem*, quod in *ora* mutatum, eodem modo, quo in locis apud Interpretes ad Valer. Flacc. v. 471. inchoabat itaque consulis officia, capiendis in muneris initio auspiciis, orsa Imperatoris inplebat in bello gerendo et perficiendo; hæ enim Imperatoris præsertim partes. Hoc sensu *orsa* de initiis cujusque rei majoris apud Livium Præfat. § 13. Ovidium, Heroid. XIV. 18. Valerium Flacc. I. 20. Prudent. Apotheos. vs. 236.

Cæsar] Cave, de secundo fastigio capias, quo Cæsares dicebantur futuri successores, est enim Cæsar nihil aliud, atque Augustus, qualis anno CCLXXXIX. quo hæc oratio habita, Maximianus jam erat, et Diocletiani frater. Vid. Cuperus ad Lactant. M. P. cap. 8. et quæ disserui ad cap. IV. § 2. similiter Cuperus hæc exponit ex cap. 4. 'quod tua, Cæsar, nescio, utrum magis fortitudine repressum sit:' neque valde intercedo. Cum tamen illic agat de Bagaudis, a Maximiano nondum Augusto domitis, de secundo posset fastigio accipi, si qui contenderent. At Maximianum numquam fuisse Cæsarem, sed statim Augustum placet Baluzio ad Lactant. M. P. p. 19. id tamen ex legum inscriptionibus adfirmare cum eodem vix audeo, vel enim illæ sunt corruptæ, vel ex Triboniani arbitrio adscriptæ, quod jam monuerunt Basnage Annal. T. II. p. 450. et Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 2. nisi malis Maximianum, quamvis adhuc Cæsarem, dici tamen Augustum ex more, quo duorum Impp. nomina posuit Tribonianus, quorum alter diu post latam legem demum factus est Augustus, de quo vir eruditus in Observ. Miscell. T. IV. p. 281. quo tunc etiam referenda sunt exempla, quæ dedi ad c. II. § 2. *Arntz.* Neque rem omnem conficit, Cæsaream Maximiani dignitatem in numis non occurrere, ut argumentantur Cuperus ad Lactant. p. 140. et Spanhem. ad Juliani Cæsares p. 55. Vellem, Baluzius, aliique Ammiani locum XXVII. 6. adcuratius exposuissent, adfirmantis Valentinianum primum statim Augustos, non Cæsares, creasse. Id vero testimonium efficit, ut Maximianum quoque fuisse Cæsarem credamus, cum Pagio Dissert. Hypat. p. 157. et 160. Basnagio Annal. Tom. II. p. 447. et 449. Addam, quod aliis neglectum, Incerti testimonium Paneg. Maxim. cap. VIII. 'Hic est (Maximianus Herculeus) qui in ipso ortu numinis sui Gallias, priorum injuriis efferatas, reip. ad obsequium reddidit.' Intelligit Bagaudas domitos, idque factum dicit 'in ipso ortu numinis:' hoc per primum annum, quo Augustus fuit, interpretatur Noris. Numism. Dioclet. Diss. I. cap. 4. sed tum scripsisset, *ortu imperii*, ut cap. I. 'oriens Imperator' notat Constantinum factum Augustum; 'incipientem Imperatorem' cum eo contulit Acidalius ad Tacit. Annal. I. 19. Rectius itaque 'ortus numinis' illic sola est Cæsarea dignitas, sive 'majestatis ortus,' ut eamdem adpellat Eumenius Paneg. Constantii cap. II. eamdemque 'ortum Cæsarum' dicit idem cap. III. Locutionem hanc exposuit Cuperus in Præfat. Notarum ad Lactantium de Mort. Persec. Ita-

que cum apud Victorem Cæs. XXXIX. 17. Maximianus, Bagandas debellaturus, dicatur 'Imperator,' id tantum interpretor ducem militiæ, non ut Augustea possit inde dignitas confirmari. *Arntz.*

§ 3 *Conjuncta debere*] Leg. *conjuncta reddere;* nam Cicero de Legib. 'caute vota reddunto.' Imo nihil muto, nam 'debendi' verbo Plinius utitur: 'invita ne debeat.' *P. Faber.* Sententia hujus loci satis est plana, nisi quod vocem *conjuncta* habeamus suspectam. Nemo enim nobis facile explicaverit, quæ dicta sint *vota conjuncta.* In utriusque quidem libri Gudiani margine annotatum est, *concepta vota;* sed cur sic non dicerentur *suscepta vota,* cum proxime dixerit orator *vota suscipere?* Deinde nec proprie *vota concepta,* sive *suscepta* dicebantur 'deberi,' nisi ea antea fuissent impleta. Jacobus De la Baune testatur, quosdam legere *conjuncte.* Non prorsus male, si *conjuncte* pro simul dicatur, uti est apud Ciceronem de Orator. II. 61. 'Maxime homines delectantur, si quando risus conjuncte re verboque moveatur.' Sic enim 'votum suscipere,' et 'conjuncte,' id est simul, 'debere' is diceretur, qui statim post nuncupata vota fieret eorum compos. Nescio tamen, quomodo illud *conjuncte* hic frigescere videatur, cum non statim appareat, cur ea vota suscepta debeantur. Nobis in mentem venit, pro voce *conjuncta,* hic reponi debere *convicta. Vota* enim *convicta* dicuntur, quorum conditio adimpleta affert obligationem, ita ut is, qui ea nuncupavit, jam sit votorum reus, eaque solvere debeat. Ita sane loquitur Cicero Orat. pro Domo sua, cap. 57. 'Hanc ego devotionem capitis mei, cum ero in sedes meas restitutus, tum denique convictam esse et commissam putabo.' Quid enim aliud hic est 'devotio convicta et commissa,' quam devotio adimpleta, et exitu comprobata, quæ obligationem solvendi affert? Jam vero 'devotio' est genus voti, cum in omni devotione etiam insit votum quoddam, ut ii serventur, quorum caussa aliquis se devovet ad periculum, vel calamitatem subeundam. Quæ autem qualisque fuerit illa 'devotio Ciceroniana,' et quibus conditionibus suscepta, patet ex ejusdem formula: 'Me, ac meum caput ea conditione devovi, ut si et eo ipso tempore, et ante, et in consulatu meo commodis meis omnibus, emolumentis, præmiis prætermissis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil nisi de salute meorum civium laborassem, tum mihi republica aliquando restituta liceret frui. Sin autem mea consilia patriæ non profuissent, ut perpetuum dolorem avulsus a meis sustinerem.' Vid. Ciceronis Orat. pro Domo sua cap. 57. et Orat. ad Quirites post Red. cap. 1. ibi nimirum testatur Cicero, se, cum discesserit in exilium, votum Diis nuncupasse, ut, si sua commoda reipublicæ saluti anteposuerit, in exilio periret; sin secus, tum in patriam salvus rediret. Ubi ergo salvus rediit in patriam, votum illud, seu 'devotio' ex ea parte erat 'convicta et commissa.' Neque vero tantummodo votum, cujus conditio impleta erat, dicebatur 'convictum,' et exitu ipso validum declaratum, sed et is, qui voverat, votique compos redditus erat, dicebatur ex manifestis indiciis impleti voti 'convictus,' aut 'reus,' et 'damnatus voti;' qui tanquam debitor ex sponsione obligatus erat ad solvendum reddendumque votum. Unde et Cicero in eadem Orat. ad Quirites cap. 1. post reditum in patriam dicit, 'se ejus devotionis esse convictum, judicio Deorum immortalium, testimonio senatus, consensu Italiæ, beneficio divino immortalique Quiritum.' Istæ autem loquendi formulæ e jure civili, et sigillatim a sponsione et stipula-

tione sunt petitæ, quia votum existimabatur sponsio, vel justa promissio alicujus faciendi, vel non faciendi pro felici eventu, aut alicujus salute facta, cujus conditione impleta, spondentes fiebant rei debendi, et ad promissum solvendum Deo obligati. Sicuti ergo, secundum jureconsultos, omnis obligatio nascitur vel ex contractu, vel ex maleficio, et inde 'obligati,' 'rei,' 'debitores,' 'damnati' existunt, ac nominatim ii, qui sub conditione spoponderunt, impleta conditione sunt 'obligati,' et 'rei debendi,' ita et ii, quorum vota erant impleta, et *convicta*, id est obtenta, et manifestis indiciis probata, dicebantur 'convicti,' 'rei,' 'damnati,' 'debitores votorum,' 'votisque obligati,' item et 'votis promissisque teneri,' cujusmodi formulas collegit, exposuitque Robigius in Codice Critico XI. 14. Et sicut 'committi stipulationem' dixere jurisconsulti, cum id, quod per eam promissum est, debetur, et 'commissa stipulatio' appellatur, quæ impleta est facto et commisso promissoris. Vid. Tit. ff. de V. O. et Salmasium de Mod. Usur. cap. 14. p. 615. quis, qui tale quid commisit, legi, quam ipse sibi dixit, fit obnoxius ex conventione, ubi id commisit, quo debiti conditio ex pacto impleta est, ita hoc sensu etiam Cicero in Orat. pro Dom. sua cap. 57. 'devotionem capitis sui,' cum ejus conditio esset impleta, 'convictam commissamque' vocavit. Igitur arbitramur, etiam Mamertinum nostrum bene apteque *vota convicta*, non *conjuncta* dixisse, quæ erant jam obtenta, et statim felici rerum eventu evidenter comprobata. Ad quam emendationem uti primum sola conjectura, et comparatione Ciceronianæ loquendi formulæ sumus deducti, ita non parum lætati sumus, ubi deinceps forte animadvertimus, eandem emendationem etiam auctoritate Caroli Sigonii, viri quondam eruditissimi, confirmari. Etsi enim nobis quidem haud constet, ab eo unquam integros Panegyricos veterum editos esse, in ejus tamen historiis de Occidentali Imperio lib. I. pag. 14. ubi enarrat res gestas Diocletiani et Maximiani Augustorum, hunc ipsum locum Mamertini, fortasse ex antiquo quodam codice, ita exscriptum affert: *Vidimus enim te, Cæsar, eodem die pro republica, et vota suscipere, et convicta delere.* Commemorabilis est hæc lectio. Quæ dicantur *vota convicta* modo exposuimus. 'Delere' autem vota idem est ac vota solvere. Quæ loquendi formula de codice et rationibus impensarum atque expensarum est desumta. Perscribebantur nimirum nomina debitorum in Calendario, vel tabulis. Si qui igitur persolvissent pecuniam debitam, eorum nomina delebantur. Adeo tunc expungi et deleri nomen debitoris dicebatur, cum omne ejus debitum esset persolutum. Unde Plautus Cistell. I. 2. 40. et 41. 'Nunc quod reliquum restat, volo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam.' Alioquin etiam ii, qui debita solvebant, dicebantur nomina 'expedire,' 'explicare,' 'tollere de tabula.' Simili modo ii etiam 'vota delere' dici potuerunt, qui eadem persolverunt. Vota enim, quorum conditio erat expleta, habuerunt rationem debitorum, atque homines, votorum compotes, qui ad vota sua solvenda obligati erant, dicebantur 'debitores votorum.' Sic Martialis IX. 43. ubi Apollini nuncupabat vota, ut Stella consulatum adipisceretur: 'Felix tunc ego,' inquit, 'debitorque voti Casurum tibi rusticas ad aras Ducam cornibus aureis juvencum.' Et ipse Mamertinus noster in Geneth. cap. I. 'dicendi munus, quod tunc voti promissione susceperam, nunc religione debiti repræsento.' Equidem vota, sub conditione nuncupata, non statim nuncupantes efficiebant 'reos

debendi,' sed ab eventu exoptato suspendebant promissum, ac, quemadmodum Justinianus Instit. de V. O. § 4. de stipulatione conditionali loquitur, saltem spem dabant 'debitum iri;' attamen ubi votorum conditio erat impleta, sive ubi vota jam erant convicta, et ad bonum exitum ducta, tunc ii, qui ea nuncupaverant, vota acta secundo 'debere' incipiebant, et ubi jam reipsa præstabant, quod voventes promiserant, 'vota exequi,' 'vota perficere,' 'vota reddere,' 'vota solvere' aut 'persolvere,' ac, si sequimur Sigonii lectionem, etiam 'vota delere' dicebantur. Plus adeo omnino est 'delere vota,' quam 'debere vota.' Et hinc credas Maximianum a Mamertino dici, eodem die pro republica et vota suscepisse, et convicta 'delevisse,' sive persolvisse, cum idem orator mox narret, Maximianum eodem die, quo mane auspicia consularia et vota fecerat, vespere ex acie cum triumpho reversum, 'urbem lætitia et exultatione, et aris flagrantibus, et sacrificiis et odoribus accensis numini suo implevisse,' quamquam sub vesperem magis populus isto gratulationis genere excepisse Imperatorem, quam ipse Imperator jam vota Deo solvisse videatur. Utcunque est, uti in hoc Mamertini loco participium *convicta* lubenter amplectimur, ita de recipiendo verbo *delère* pro *debere* adhuc ampliamus. *Schwarz.* 'Victa' et 'vincta' inter se permutari docet Drakenb. ad Sil. Ital. VI. 348. et 'vincta' et 'juncta' confundi ostendit Heins. ad Ovid. Fast. IV. 661. ubi habet 'junctis,' 'victis,' et 'vinctis.' Cf. Eumen. pro Restaur. Schol. c. X. 3. in fin. ubi pro 'conjunctum' occurrit 'convinctum,' et Incert. Paneg. Maxim. et Const. I. 5. in fin. et Broeckhus. ad Tibull. I. 1. 77. *Jæger.* *Delere* multum displicet. Schwarzio adstipulatur vir clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 20. ut 'conjunctus' et 'convictus' permutata reperiuntur apud Cæsarem B. G. I. 40. 12. Livium II. 40. 13. Ciceronis 'devotionem convictam' adtigit Mencken. Observ. L. L. p. 199. Dubito tamen, an rarior vocis usus, ad elegantiæ Tullianæ exemplum, Mamertino conveniat. Eldikio meo placuit, *et nuncupata debere.* Mihi fit verisimilius, *et conjunctim debere,* id est, simul, ut vota susceperit, et suscepta simul eodem die debuerit. Rem ita intelligo; primo consulatus die, ex more vota pro rep. mane suscepit, et ita officia consulis inchoavit, simul vero pro rebus eo die feliciter in bello gestis vota debuit vespertino tempore, quæ tunc solveret, et ita Imperatoris orsa inplevit. Ut ita explicem, faciunt verba hoc cap. in fin. 'Ita utroque illius diei supremo tempore (id est mane ob consulatum, vespere ob victoriam) his divina res pari religione celebrata est, Jovi, dum pro futuris vovetur; tibi, dum pro victoria solvitur.' *Eodem die* est, quo consulatum inieras, ut exponit Schwarz. ad Plinii Paneg. LVI. 4. *Arntz.*

Ornatu] Paludamento Imperatorio, de quo jam diximus ad Plinii cap. LVI. seu intelligit de armatura ferrea, seu thorace. Noster infra. *Patarol.* 'Pacis habitus' est toga prætexta cum consulatus insignibus, 'virtutis ornatus' paludamentum et thorax. Ita 'paludamento mutare prætextam' dixit Plinius Paneg. LVI. 4. ubi Schwarzius: adde Fabrum Semestr. I. 19. *Arntz.*

§ 4 *Venia*] Alii 'pace alicujus dicere.' Eumenius Constant. IX. 2. utramque locutionem copiose inlustrarunt Elmenhorst. ad Arnob. I. p. 8. Stephan. ad Saxon. Gramm. Histor. Danic. V. p. 128. V. D. ad Livium III. 19. 7. usumque in invidia amolienda adtigit Rittershus. ad Oppiani Cyneg. I. 9. *Idem.*

Juppiter, totam] Vat. *tu, Imperator,*

togam. Vide P. Fabrum ad L. 1. de Justit. et Jur. *Putean*. Lego *tuam*, ut respondeat illi verbo, *cæli sui*, nisi fortasse pro *totam* legendum est *togam*, sic 'toga prætexta' dicitur a Vopisco in Aureliano. Sic et apud Senecam Controvers. VI. 26. idem error deprehensus est a me in illo loco: 'Qui non fuerant contenti unius linguæ eloquentia, cum Latine declamaverant, tota posita (lego 'toga posita,' nam sequitur 'sumpto pallio') quasi persona mutata redibant, et Græce declamabant.' Prioris loci emendationem notavimus in tractatu ad Leg. 1. de Justit. de Jur. qui Commentario ad Regulas a nobis adjunctus est. *P. Faber*. *Imperator, togam* malui cum Bertiniensi codice, quam ut erat in aliis, *tu Jupiter*, quod non viderem ullam in eo emphasim. *Grut*. Gruterus conjecit *togam*, rectissime. Idem *Imperator*, etiam recte, sed defendere tamen aliquis vulgatum possit. Ut enim Imperatores hi Jovii dicebantur et Herculei, sic quoque Jupiter alter, alter Hercules; quamquam Maximianus, de quo hic, Hercules, non Jupiter, qui audiebat Diocletianus. *Acidalius*. Ante Livineium constanter editum, *tu, Jupiter, totam prætextam*. Quod ex ingenio *togam* conjectabat Faber, repetiit de Magistrat. Roman. cap. I. et Semestr. I. 19. idque codd. et Vossii excerpta confirmant, probante etiam patre meo ad Plinii Pan. LVI. 4. miror itaque in utraque editione deteriora secutum Rivinum. *Arntz*.

Scipione] Cassiodori e Variar. VI. verba commentarii vicem huc transscribam. Igitur in formula consulatus: 'Pinge,' inquit, 'vastos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali scipione nobilita, Lares proprios etiam calceis auratis egredere, sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende.' *Livin*. Scipio olim triumphi insigne, et eburneum quidem teste Livio XXXI. 11. 11. ubi Not. aquila ei imposita, cujus rei rationem reddit Isidor. Orig. XVIII. 2. neque tamen ideo confundendus cum legionum aquilis, ex quarum parte inferiori acuta differentiam adtigit Reinesius Epist. 21. ut autem is triumphi die gestus, sic sub Impp. gestus quotidie, cum esset consulatus insigne, quod cum aliis consulatus ornamentis exposuit P. Faber de Magistr. Roman. c. I. et Salmas. ad Vopisc. Aurelian. 13. Vim summæ celeritatis, quæ voci 'rapere' inest, indicavit Barthius ad Claudian. in Eutrop. I. 375. *Arntz*.

Venisti in campum] *Venisti* edidit Livineius et Paullus Stephanus: altera lectio, ut melior, sic quoque ab omnibus codd. confirmatur; ipsam rem, quam tangit Baunius, explicat Norisius de Num. Diocletian. Diss. I. 2. *Idem*.

In equum] Non possum, quin huc advocem Justini locum de Mithridate XXXVII. 4. 'Hieme deinde imminente non in convivio, sed in campo, non in advocationibus, sed in exercitationibus, nec inter sodales, sed inter coæquales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat.' Accurrit non unus medicus ad membrum istud, tanquam si ægrum esset, et varie adhibuere medicinam. Verum si et mihi hiscere licet, tyroni inter archiatros, dixerim omnia illo loco sana, integra. 'Advocationes' enim hoc loco nihil aliud, quam opera impendenda tribunali, vultque minime reis et accusatoribus vacasse, ut mos regum aliorum, sed magis exercitiis campestribus: id ipsum pluribus confirmavi in libellis Suspicionum, sed præcipue fide Senecæ Consolat. ad Marciam cap. 36. 'Et foro, et advocatis, et hujusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris levabat mala proh pudor imperii! Principis Romani lugentis sororem alea solatium fuit.' En quod Trogi decurtator vo-

cat 'advocationes,' Seneca interpretatur 'forum' et 'advocatos.' *Gruter.* Excerpta Vossii et Guelf. ignorant *in.* De Rooy Spicil. Crit. p. 49. emendat, *in equum transiluisti.* Locum emendatione egere suspicatus est vir amicissimus, quia P. Stephani, qua sola videtur usus, editio exhibebat, *venisti in campum,* posito sine pronomine verbo *transtulisti:* emendatiorem ex codd. locum dederunt alii, quo nihil facile sit mutandum. *Arntz.*

Aras flagrantibus] Sequor *aris,* non *auris.* Auctor Geneth. Maxim. 'Concursare inter se agricolæ, aræ incendi, tura poni, victimæ cædi.' Tum reliqua sic constituo: *et sacrificis odoribus, et accensis num. t. luminibus implesti.* Livin. Nescio, an non melius fuerit, *et aris,* ut extat in Cuspiniani editione, neque abludunt Mss. in quibus *auris.* Ceterum, qui, expuncto *et,* repositum eunt, *et aris flagrantibus, et sacrificis odoribus, et accensis numini tuo luminibus implesti,* adsentior quidem eis, quod attinet ad vocem *luminibus:* haud tamen cetera mutarim. Nam non video, cur inepte dicantur *aræ flagrare* partim *sacrificiis,* partim *odoribus,* hoc est, tum victimis, tum aromatibus; hoc enim vult Mamertinus. Sic idem noster Genethliaco Maxim. cap. x. 'Concursare inter se agricolæ, aræ incendi, tura poni, victimæ cædi.' Nimirum vult, exceptam victoriam Maximiani omnis generis honoribus, ditiores victimis, medios odoribus, infimates cereis accensis gratulationem suam testatos. De tædis et luminibus in re læta egregia multa cumularunt amici mei summi, Lipsius ac Casaubonus, quorum testimoniis et nos haud pauca adjecimus, comprehensa libellis Suspicionum. *Gruter.* Recta etiam *aras;* sed malim *aris,* expressius ad ritum, quo omnia passim aris impleta in adventum principum aut regum, de quibus Lips. ad II. Histor. Taciti. Atque ibi disertim hunc locum citat, et scripsit *aris,* non *aras.* Acidal. In constituenda h. l. lectione potissimum secutus sum auctoritatem Cuspiniani, et judicium Gruteri. Baunius cum plerisque edidit, *aras flagrantibus et sacrificiis et odoribus accensis numini tuo implesti.* Illud *aris,* quod et Livineio, et Acidalio, et Grutero, et Cellario placuisse video (melius nimirum exprimit ritum, quo omnia passim aris impleta sunt in adventu principum. V. Bern. ad Plin. Paneg. XXIII. 5. p. 640. ed. Schwarz.) confirmatur veteri cod. Puteani, et Fr. Modii apographo Bertiniens. quorum in illo *aris,* in hoc *auris* legitur. Vox *luminibus* soli Cuspiniano debetur. Pro *sacrificis odoribus,* ut Livineius voluit, inductus auctoritate Cusp. et Bert. in quibus est *sacrificiis odoribus* sine interposita vocula *et,* retinui *sacrificiis et odoribus,* quod ceteri omnes habent, ac probat quoque Gruterus: qui et *aras flagrantes* tuetur alio Mamertini loco Genethl. cap. x. ubi aræ dicuntur 'incendi.' Adde Ovid. Met. III. 691. et VII. 258. itemque Plin. Hist. Nat. XV. 30. 40. 'Adeoque in profanis usibus pollui laurum et oleam fas non est, ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his altaria aræve debeant.' Ad quem locum vid. Harduin. Not. et Emend. n. 19. Flagrabant eæ *sacrificiis,* i. e. victimis, et *odoribus.* Ostendit scilicet orator, adventum Maximiani summa lætitia ab omnibus hominibus cujuslibet sortis fuisse exceptum; lautiores victimis, tenuiores ture et odoribus, pauperes tædis et luminibus accensis gaudia sua esse testatos. V. quæ adfert Lipsius ad Tacit. Hist. II. 70. *Jæger.* Guelferb. et Vossii excerpta, *auris,* ex altera voce oriunda, ut apud Ovid. Her. I. 110. et Virgil. Æneid. VII. 593. confirmat me Plinius Paneg. XXIII. 5. 'ut plena altaribus, angusta victimis cuncta:' ubi

plura de hoc more Berneccerus. Loquitur orator de aris flagrantibus tum sacrificiis, tum odoribus accensis; prius pertinet ad victimas, posterius ad tura, ut recte Gruterus. Cf. Lipsium ad Taciti Histor. II. 70. alteram lectionem, *aras flagrantibus et sacrificiis et odoribus accensis*, premit constructio durior, quæ evanesceret, si legeretur, *et aras flagrantibus sacrificiis et odoribus accensis.* Ita saltem locum excitat Stewechius ad Arnob. advers. Gent. VII. p. 143. unde tamen, me latet. 'Turis odore' exstat apud Priscian. Perieges. 877. sed propter invenustam illius vocis repetitionem ter in fine proximorum versuum, illic ex cod. Leidensi præfero, 'turis honore, et casiæ,' secutus Bondamium Var. Lect. II. 13. n. 12. idem ex cod. Regio Burmannus Secundus ad Antholog. I. 63. quod pari ratione Ovidio vindicavit ipsius patruus, Trist. II. 76. 'honore' apud Priscianum tuetur θεοπρεπίοιο Dionysii Perieg. 938. *Arntz.*

Implesti] In excerptis Vossii est, *et sacrif. odoribus et accensis numini tuo implesti.* Posset favere hæc lectio voci *luminibus*, tamquam librarii culpa neglectæ, ut integre legatur, *et sacrificiorum*, vel *sacrificii, odoribus.* Neque *luminibus* displicebat Grutero. Nec tamen voci locum dare sine codicibus audeo. *Idem.*

§ 5 *Illius die*] Mane ac vespere. Mane auspicia consularia et vota facta, vespere ob victoriam relatam sacrificatum. *Cellarius.* *Diei* habent codices, sed Rhenanus et H. Stephanus *die*, quod Acidalio dictum videtur pro *diei.* Ut enim, in casibus per i terminatis, Græci illud postea subscripserunt, ita simili modo Latini veteres i omiserunt, unde ex 'mihei' factum 'mei,' et 'me,' 'fructu' ex 'fructui,' 'die' ex 'diei.' Confer erudite disputata a Perizon. ad Sanct. Minerv. I. 6. Mox *celebranda* in prima edit. Rivinus, quod rei jam gestæ parum convenit. *Arntz.*

CAP. VII. § 2 *In Germania*] Vet. *Germaniam.* Puteanus. Nec placet, quod idem codex pro nomine *Germaniam* exhibet *Galliam.* Treveris enim in urbe Galliarum tunc degebat Maximianus, ex qua urbe supra Rhenum transgrediebatur in Germaniam. Sed Puteolanus, Rhenanus, et Navius perperam casu sexto posuerunt, *in Germania.* Ad hæc nihili est *congressione*, quod in primo libro Gudiano annotatum est pro *transgressione.* Schwarzius. *Germaniam* quoque excerpta Schonhovii, et hunc casum, quem codd. servant, poscit rei gestæ series, exposita a Norisio de Num. Diocletian. Diss. I. cap. 2. *Arntz.*

Primus] Plures quidem trajecerant Rhenum, etiam prœliis vicerant, nec nihil possederant, pacare autem nondum potuére. *Cellar.* Encomiastice ac adulatorie; quot enim ex Romanis Imperatoribus ante Maximianum in Germaniam, superioresque provincias arma intulerunt? *Patarol.* Similiter tamen Incertus Epithalam. Maxim. VIII. 4. 'Hic, quod jam falso traditum de antiquis Imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit,' neque hic locus fugit industriam Wagenaerii Hist. Patr. lib. III. p. 221. Vossii excerpta *Imperator.* Arntzenius.

Arborum] Non dissimile est Spartani cujusdam dictum apud Plutarch. in Apophthegm. Lacon. Ἔλεγε δὲ οὗτος τείχη εἶναι τῆς Σπάρτης τοὺς νέους, ὅρια δὲ τὰς ἐπιδορατίδας. Ibid. Ἐρωτηθεὶς δὲ πότε, ἄχρι τίνος εἰσὶν οἱ τῆς Λακωνικῆς ὅροι, τὸ δόρυ κραδάνας εἶπεν, ἄχρις οὗ τοῦτο φθάνοι. *Putean.* Fallitur Rhenanus, qui putat legendum *arbitriorum.* Unica enim mutata littera eleganter reponendum est *armorum.* Confer autem hunc locum cum Eumenii Paneg. Constantio cap. XX. et adde, quæ habet Vopiscus in Caro in fin. 'Pleriqua dicunt vim fati

quandam esse, ut Romanus princeps Ctesiphontem transire non possit,' &c. *Juretus.* Henricus Stephanus legit *arbitriorum*, quod nimium quantum a vulgata scriptura recedit. Ego, minima mutatione, *qui tuorum esset armorum.* Meursius. Quid facilius, quam litera reformata reponere, *ardorum?* quemadmodum conjeceram ante annos sexdecim, et tamen hariolationes ceterorum quam alia omnia nobis substituerint, in promptu est. Lepida tamen emendatio Danielis, *armorum*, quam lectori impartiendam putabam, ut constaret de elegantia ingenii hominis, qui licet infinita nobis communicarit monumenta veterum, at nihil tamen voluit manare in vulgus, quod domi suæ natum esset. *Grut.* Schonhovius *laborum* conjecit. Præstat codd. sequi. *Arntz.*

§ 3 *Limite Rom. provinciæ*] Sic cap. VIII. Incertus Auctor in Paneg. Maximiano et Constantio, loquens de eodem Maximiano: 'Hic quod jam falso traditum de antiquis Imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit.' Vid. Eumenii Paneg. Constantino cap. XI. Auson. Ep. IV. 'Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.' *Putean.* Relege ad cap. II. dicta. *Cellar.* Galliæ, quæ Romanis serviebant, et pace quidem plerumque firmiori: plus enim motuum semper in Germania. *Patarol.* Eumen. pro Instaur. Schol. XVIII. 4. 'Rheni limite.' Constant. Cæs. XIII. 3. Incertus Constantino II. 6. per excellentiam 'limitem' dicit Eumenius Constantino XXI. 2. de limitibus imperii ad Rhenum erudite Cannegieter. Trebell. Pollion. Neglig. pag. 182. *Arntz.*

Barbariæ] Germaniæ, in quam barbaræ nationes identidem ex ultima Europa confluebant. *Patarol.*

Vendicarentur] Et Schonhovii excerpta, et codd. *vindic.* Tuetur hoc recte Dausquius Orthogr. vol. II. p. 331. et vocis compositio ex 'vim dicere,' quam ex juris Romani principiis inlustravit Vossius Etymol. in v. aut ex 'vim dicare,' ut Wielingio de Furt. per Lanc. cap. I. § 5. videbatur. *Arntz.*

§ 4 *Et quis*] Vulgatum tuentur notata apud Emmeness. ad Virgil. Eclog. I. 26. Heinsium ad eumd. Æneid. III. 341. patrem meum ad Plinii Paneg. XLIX. 3. et LIV. 1. *Arntz.*

Illorum amne] *Illo* emendavi secutus membranas Langii. Prius erat *illorum*, quod cui adplicari queat, non video. *Gruter.* *Illorum* capio facile principum. Sed rectius certe sit, *illo amne.* Acidal.

Eum sine metu] *Sine?* imo *cum.* Ergo scribendum pro *sine*, *nisi.* Malim tamen hercle, *quando non cum metu nostro*, ut statim subdit, 'quando non cum securitate nostra illius diluvia creverunt?' Illud teneam, etsi et recte sententia exeat, abjectis vocculis *non cum.* Acidal.

Minuit] Unde et Tacitus Hist. IV. 26. 'Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque, et vetera imperii munimenta desererent,' &c. *Gruter.* Bibliotheca Critica addit similem huic locum ex Eumenii Paneg. ad Constantin. Aug. XI. § 1. et præterea monet, utrumque colorem duxisse ex Ciceronis Orat. de Provinc. Consul. cap. 14. et in L. Pison. cap. 33. *Jægerus.* Excerpta Vossii, et Guelferb. *munivit:* male; intelligit enim serena tempestate aquarum inopiam fuisse exortam, per quam populi feroces, Rheno facillime trajecto, Galliam invadere poterant, ut id factum fuisse ex hoc loco recte suspicatur Wagenaerius Hist. Patr. III. p. 220. Egregie huc facit Claudianus Bell. Get. vs. 46. 'Alta nec incertis metimur flumina votis, Excidio latura moram, non poscimus amnes Undosam servare fidem.' *Arntz.*

§ 5 *Optimam*] Regio fertilis non male *optima* dicitur; ita sane Virgilius Georg. II. 205. et 263. Avienus Descript. Orb. 1070. ' Hic Tyrus est opulens, Berytus et optima,' ex emendatione Cellarii Geogr. III. 12. et recte edidit Friesemannus; ideo non adcesserim Wopkensio, apud Fulgentium Mythol. I. 26. emendanti, ' regnum opimum ;' illic enim ' optimum ' est, quod colendo fructificandoque melius Medusa reddiderat. Hoc loco tantum *opimam* probo, lectum jam in editione principe Puteolani, et in quo restituendo Cellarium, quamvis de mutata lectione nihil monentem, sequi debuisset Jægerus. Suspicor etiam de consensu cod. Gudiani, cum ad oram edit. Cellarianæ nihil pro varia lectione adscripserat Cortius. Confirmat me Cicero pro Dom. cap. 9. ' opimam fertilemque Syriam :' et Agrar. II. 19. Galilæam, Syriæ vicinam, ' terram opimam et feracem ' dicit Isidorus Orig. XIV. 3. quamvis illic in cod. Groningano etiam sit ' optima.' ' Opimam Larissam,' et similia contulit Heinsius ad Claudian. in Eutrop. II. 215. Eadem utriusque vocis permutatio est apud Livium XXXVIII. 8. 8. Apuleium Metam. VIII. p. 216. ed. Elmenh. nisi illic ' opimis ' tueatur Seneca de Benef. I. 6. et apud eumdem II. p. 27. ed. Pric. pro ' porcum opimum ' in Ms. vidi ' optimum ;' alterum ex ingenio prætulit Stewech. ad Frontin. Strateg. IV. 5. 4. apud Isidorum Orig. XIV. 3. ex cod. Groningano, et Petiti editione legendum, ' opima balsamis.' *Arntz.*

Syriam] Vid. infra ad cap. X. § 6. ' Euphratem geminum ' dicit Genethliac. VI. 6.

Jovis sui] Quia Diocletianus vocatus fuit Jovius. Infr. Paneg. seq. ad Maximian. ' Itidem quoque, Maximiane, Hercules tuus :' quia Maximianus dictus Herculius. *Puteanus.* Respicit Virgilii versum Æneid. X. ' Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum :' quæ his Homericis respondent H. Καὶ *κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε* Κρονίων. Ἀμβρόσιαι δ' *ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος* Κράτος *ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν* Ὄλυμπον. *Sic ait, atque oculis Saturnius annuit æquis, Ilicet et sacri capiti intremuere capilli, Immortale decus, concussaque regia cœli est.* Diocletiano autem, ut hoc addam, cognomen Jovio fuisse supra jam notavi. Unde proxime ' Jovis sui ' dixit. *Livin.* Firmare hic locus posset Lipsii emendationem, apud Florum I. 17. 5. scribentis, ' in subjectos Jovis more detonuit,' quæ placuit quoque de Rooy Spicileg. Critic. cap. 2. videtur tamen vulgatum recte tuitus illic Grævius, et ad Ciceron. in Verr. II. 14. *Arntz.*

Nostri nominis] *Vestri nominis* recte legitur, non *nostri*, ut in Rhenano, et Imperatorii expono. *Livin.*

§ 6 *Invicte*] Locum hunc ex numo inlustrat Cannegieter. Monum. Dodenwerd. cap. 6. *Arntz.*

Virtuti debere] Fidem codd. secutus emendavi, *fatum est, tuæ virtuti debere, quod vindicas :* cum antea legeretur, *fatum est, virtuti debere, quod vindicat.* Illa *tuæ virtuti* debentur Livineii cod. excerptis Vossii, et Guelferb. *vindicas* autem iisdem, et excerptis Schonhovii, et Cuspiniani editioni, hac sententia, Diocletianus non adeo quidem ipse res egit, quam Jovis exemplo terrorem Persis tantum injecit; tu ipse manu tua domuisti, id enim Herculeo generi, ex quo originem ducis, fato destinatum est, ut, quodcumque vindices, virtuti tuæ debeas. *Fatum* est, quod generi fato sit destinatum, ut ' fata principum,' apud Florum III. 17. 3. et ' generis humani,' ibid. IV. 2. 48. Deterius itaque Guelferb. hic exhibet, *factum*, ut in eodem apud Eumenium Constantin. XIV. 6. adde patrem meum ad Plinii Paneg. LXXX. 6. Drakenb. ad Livium II. 40. 9. locum

Martiani Capellæ simili remedio lib. I. p. 21. ex cod. Leidensi sanavit Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. 7. sed non persanavit, ex eodem enim Leidensi ita constituo: 'Hæc mox, ut Fata conspexit .... subnotare, ad eorum libros ... cucurrit, et licentiore quadam fiducia, quæ facta conspexerat,' &c. In l. 1. C. de Offic. judic. legendum 'facta panduntur,' et in l. 14. de Advocat. divers. judic. 'ambigua caussarum facta:' in hoc judicium sequor Ritteri ad cod. Theodos. tom. I. p. 58. in l. 21. pr. ff. de Evictiou. præplacet 'fatum humanæ sortis,' adsentiente in notis Gebanero. Apud Martialem I. 43. in Thuaneo vidi, 'conjugis factum:' in Statio Theb. I. 466. in quibusdam edd. exstat, 'mens conscia facti,' quod codex Christii confirmat apud Klotzium Miscell. Critic. p. 64. adde Observat. Miscell. tom. I. p. 176. qualis permutatio est in eodem cod. III. 191. VIII. 227. XI. 299. alia Petrus Daniel ad Auctor. Querol. ad p. 40. Scnlting. ad Senec. Controv. III. p. 213. *Idem.*

§ 7 *Arescat*] Sic fere Eumen. in Panegyr. Constantino cap. XI. 'Neque enim jam gurgitibus Rheni, sed nominis tui terrore munimur: quamlibet ille aut arescat æstu, aut residat gelu, neutro hostis audebit uti vado.' *Putean.* Commode hunc locum adhibuit Ruhnkenius, ut Theocrito suum λάλλαι redderet, in Auctar. Emend. ad Hesychium tom. II. ad pag. 420. Unde vero totus hic locus sit adumbratus, docte indicat vir clariss. in Bibl. Critic. vol. II. part. I. p. 22. *Idem.*

Romanum est] Sic fere Claudianus de Laud. Stilic. lib. I. 'Geminasque viator Cum videat ripas, quæ sit Romana, requirat.' *Putean.* Oratoriæ hoc adulationi tribuo cum Dithmaro ad Teschenmacheri Annal. Cliv. part. I. p. 78. et Wagenaerio Hist. patr. lib. III. p. 220. Post Amandum et Bagaudas, vicit quidem Maximianus Chaibonas et Erulos, ad Rhenum inferiorem, ad superiorem Alemannos et Burgundiones, vide supr. cap. V. et hinc GERMANICI in numis et inscriptionibus titulum deduxit Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 3. sed tantum abest, ut regiones ita omnes ultra Rhenum subegerit, ut, quo tempore hæc oratio habita, nondum Franci et Saxones in Batavia, maria infestantes, subacti fuerint, teste Eutropio IX. 21. qui sunt Germani illi, quos memorat Victor Cæsar. XXXIX. 20. adde, quæ adtigi supra p. 2. *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Dis æmula*] Dictio est, judice Bibliotheca Critica, Sallustiana, Catil. cap. 10. 'Carthago, æmula imperii Rom.' Vellei. II. 1. 'Remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula:' ubi vid. Ruhnkenius. *Jæger.*

§ 2 *Ipsa per te*] Forte, *an ipse per te.* Sic quoque Eutropius initio Breviarii sui ad Valentem Imp. 'Ut tranquillitatis tuæ possit mens divina lætari, prius se illustrium virorum facta in administrando imperio secutam, quam cognosceres lectionem.' Sic fere etiam Vegetius in Præfat. *Putean.* *Ipsa* ad *mente* retulerunt editores ante Baunium, post quem ex Puteani conjectura *ipse* sibi locum retinuit. In codd., etiam Guelferb. et Vossii excerptis, est *ipsa parte,* sed alterum prævalet, ut opponantur, quæ aut ex aliis, aut suo ipsius Imperator consilio intellexisset, quod aliis dicitur *per se,* de quo Drakenb. ad Liv. IV. 46. 8. et XXXIX. 12. 8. id restituendum puto Lactantio Mort. Persecut. XXI. 3. 'Quia id aperte jubere non poterat, sic agebat, ut et ipse libertatem hominibus auferret.' Nihil est, quod opponatur τῷ 'aperte;' pro 'et ipse' legit Heumannus 're-apse,' sed Bunemannus 'tacite;' conjicio ex vestigiis litterarum, 'ut tectim per se.' *Arntz.*

Prospexeras] *Prospexeras* habet, quo

se tueatur, si capiamus Imperatorem jam ante vidisse, hostes ita vinci posse, quod 'præsumere divina mente' dixit Incertus Epithalam. VII. 1. et 'prospicere animo,' Justinus IX. 1. 1. et ita ex cod. Trajectino legendum puto apud Ciceron. ad Divers. IV. 13. 'videor mihi prospicere ipsius animum:' loquitur enim de iis quæ futura auguratur. Hic tamen ex Bertiniensi, Gudianis, et Vossii excerptis malui *perspexeras*, ea sententia, quam Suetonio vindicavit Oudendorp. Tiber. cap. 57. Sequens *sedibus* exposuit Gronovius Diatrib. Statian. p. 15. *Idem.*

Et liberos] *Ac* receperunt Parisienses, et reliqui præter Rivinum. Cum vero Guelf. servet *et*, priorem potius lectionem revocavi. Mox pro *capta* pater meus conjiciebat *capita*. Unde Rivinus in secunda editione ediderit *capta manerent*, me latet. *Idem.*

§ 3 *Auctores*] *Auctores* tuentur notata Wasseo ad Sallust. Catil. 3. *Idem.*

§ 4 *Intentatæ*] Aperta sententia est, nec sollicito, etsi in Vet. *intentæ*, in Bertiniens. est *intemptæ*, in quo vestigia quædam propiora veræ lectionis, fere enim vetus scriptura *intemptatæ*. Mox pro *rei* emendaveram *recti*, nec pœnitet. Mendum a librariorum compendiis. *Livin. Intentæ* etiam excerpta Vossii, frequenti permutatione, de qua Drakenb. ad Livium IX. 6. 2. optime oratoris mentem explicuit Baunius. *Arntz.*

Iteratum idem] Ex iis quæ in præcedenti interpretatione Baunii sibi opponuntur, probo lectionem Bertiniensis, Gudianorum, et Vossii excerptorum, *iteratum vero idem*, editoribus neglectam, quia *quamvis* cum *committitur* construxerunt, et ita *vero* sententiæ obesse videbatur; sed id factum ex prava interpunctione, quam ita restituo; *Quin imo, quamvis optimum, intentatæ, &c.* Idem.

Rei gloriam pertinet judicii] Si quis dictionem *rei* mutaverit in *recti*, minime ei adverser; moneam tantum non comparere in libris pluteariis, sine quibus nihil mutandum in scriptis antiquorum, quamvis aperte falsum, jam plus semel testatus sum. *Grut.* Dele hoc posterius *rei*. Acidal. *Ad certam judicii gloriam pertinet* etiam Guelf. et Vossii excerpta, eaque lectio post Gruterum est recepta, præ altera illa deteriori, quam tamen in prima edit. retinuit Rivinus, sed in secunda dedit, *ad certam gloriam pertinet judicii*, haud dubie sola ductus conjectura, quia non erat, quo *rei* referret. *Arntz.*

§ 5 *Hoc nunc*] Pater meus pro *hoc nunc* conjiciebat *hoc in uno*, sed vulgatum tueri videtur Mamertinus cap. seq. 3. 'ambo nunc estis.' *Idem.*

CAP. IX. § 1 *Ingressus es*] Aperte *est*, non *es* legendum; nam ad Diocletianum pertinet. Genethliaco Maximiani: 'Laurea illa devictis accolentibus Syriam nationibus, et illa Rhætica, et illa Sarmatica te, Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare.' Lege reliqua. Iterum: 'Transeo limitem Rhætiæ repentina hostium clade promotum.' *Livin.* Ita retinui, quamvis contenderit Livineius omnino substituendum *est*. Præstat enim, mea opinione, in periodis obscuris et intricatis, errare cum vulgo, quam sine ratione certa ire via regia, forte non regia. *Grut. Ingressus est*, puta Diocletianus, quum ex Oriente reverteretur per Pannoniam. Livineius illud *est* restituit, libri habent *es*, ad Maximianum referentes. At Genethliaci cap. VII. noster, utriusque Augusti victorias enumerans, Diocletiano Ræticam manifesto adscribit. *Cellar.* De Diocletiano dici hæc adnotat Acidalius, legendumque *est*. Contra tamen censeo, et nihil immuto. *Paterol.* Plurimi libri editi habent *ingressus es*. Hinc nonnulli referunt ea, quæ hic commemorat Mamerti-

nus, ad Maximianum Augustum. Sed utique referenda sunt ad Diocletianum, quod indicat ipsius orationis series. Paullo ante enim cap. VII. et VIII. Mamertinus comparaverat inter se res gestas Diocletiani et Maximiani Augustorum. Diocletianum ait, veluti Jovem, quasi nutu solo, et majestatis nominisque sui terrore, Persas eo redegisse, ut hi sponte se suaque regna ipsi dederint: Maximianum vero, velut Herculem, conserta manu, feras Germanorum gentes domuisse, et exemplo Scipionis, qui, trajecto in Africam exercitu, Hannibalem ab Italiæ vastatione revocaverit, transgressione in Germaniam hostes in propriis sedibus vicisse. Ideo porro dicit orator, utrumque hos Imperatores ipso Scipione esse potiores, quia Maximianus Africanum, et Diocletianus Maximianum sint imitati. Ut vero Mamertinus probet, jam Diocletianum etiam exemplum Maximiani secutum esse, et hostes in ipsorum finibus oppugnasse, nunc cap. IX. indicat, quid Diocletianus egerit, postquam ex Oriente reversus erat per Pannoniam: 'Ingressus est,' inquit, 'nuper illam, quæ Rhætiæ est objecta, Germaniam, similique virtute (qua Maximianus usus erat in invadendis vincendisque Germanis) Romanum limitem victoria protulit.' Quorum verborum nexus etiam indicium facit, legi oportere *ingressus est*, propterea quod verbum *protulit*, omnium librorum consensu, in tertia persona exprimitur, quod per copulam connectitur cum antecedente verbo ejusdem personæ, *ingressus est*. Ergo utrumque verbum, *ingressus est*, et limites Romanos *protulit*, non ad præsentem Maximianum, quem coram in secunda persona alloquebatur Mamertinus, sed ad absentem Diocletianum est referendum. Huc accedit, quod laus occupatæ Rhætiæ etiam alibi Diocletiano, non Maximiano adscribatur, quamvis alioqui hi duo Imperatores, pro insigni concordia sua, omnes rerum gestarum laudes inter se communes habere videri vellent. Ita diserte Mamertinus in Geneth. Maxim. VII. 1. 'Laurea,' inquit, 'illa de victis accolentibus Syriam nationibus, et illa Rhætica, et illa Sarmatica (hæ omnes victoriæ a Diocletiano erant partæ) te, Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare. Itidem hic gens Chabionum Erulorumque deleta, transrhenana victoria, et domitis oppressa Francis piratica bella (hæ erant victoriæ Maximiani) Diocletianum votorum compotem reddiderunt.' Mirum ergo est, Gruterum, Jacobum De la Baune, et Patarolum, viros doctissimos, illam lectionem *ingressus est* admittere noluisse, ut eam rem gestam ad Diocletianum referre possent, quamvis illam ipsam veriorem lectionem jam laudarit Livineius, et in vetere codice a se observatam testatus sit Puteanus: quam nos quoque jam auctoritate codicis nostri, et testimoniis utriusque libri Gudiani confirmare possumus. *Schwarz.*

Ratis] Leve est, quod in codice nostro pro *Rhætis* legitur *Rhætiæ*. Perinde enim est, utram recipias scripturam. Rhætia vero duplex est: prima, vel superior, quæ Alpes complectitur, quas Grisonum vocant *Graupunden*: secunda vero, sive inferior, quæ a Lico amne ad Œnum usque porrigitur. Ita quemadmodum Maximianus Alamannis vincendis Romanum limitem ultra Rhenum, sic Diocletianus vindicanda Rhætia, quæ sub Gallieno amissa erat, et hinc subigendis Quadis, aliisque vicinis populis, qui Rhætiam infestabant, ultra Danubium protulit. *Schwarz.* Licet perinde sit, tamen Guelferb. Vossii excerpta, aliosque codd. secutus *Rhætiæ* reposui, quod et verbo *objecta* videtur convenientius; ita Geneth. v. 4. memorat 'li-

mitem Rhætiæ promotum.' *Germaniam* vero per Alamaniam exponit Gabriel Trivorius in Observ. Apolog. XVI. 2. *Arntz.*

Victoria protulit] Ne duo casus sexti *virtute*, *victoria* concurrant, aut malumus pro *victoria* legere *victor*, (prout infra sub finem cap. XI. hujus Panegyrici codd. Mss. habent 'victores,' ubi vulgo excusum est, 'jam milites vestri ad Oceanum pervenere victoria,') aut satius ducimus, hanc admittere lectionem, quæ in codice nostro, et ambobus libris Gudianis reperitur, *similique virtute ultra Romanum limitem victoriam protulit.* Schwarz. Prior lectio quidem accipi posset ea ratione, qua 'imperium proferre' dixit Ovidius Metam. V. 372. et Eleg. ad Liv. VI. 20. adde Burman. ad Antholog. Epigr. I. 103. et 'limitem promotum' Lucanus I. 404. Genethl. V. § 4. et ita Eumen. Constant. III. § 3. 'terminos virtute protulerant.' Sed codices magis sequor, quos a Jægero neglectos miror, quorum scripturam auctoritate tueor Taciti Annal. XIV. 29. 'quin ultra bellum proferret.' *Arntz.*

Illius simpliciter] Pronomen *illius* refertur ad Diocletianum, de quo proxime sermo. Adverbium *simpliciter* hoc loco idem est, quod aperte, candide, sine simulatione, ut Plinius loquitur Epist. II. 3. 'me amice simpliciterque reprehenderent.' *Schwarzius.*

Pro his ceteris] Puto legendum, *hisce terris*. Nam ante dixit hic auctor, Maximianum delevisse barbaros, qui cum magnis copiis in Galliam irruperant. Vel etiam ad illud pertinet, quod attigit supra de rusticis, qui seditiones in Gallia excitarant, ab Herculio oppressis. *Putean.* In verbis *pro hisce terris* vulgo latebat vitium, cum Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Navius, uterque Stephanus, Livineius, Gruterus, Parisienses et Patarol. in excusis libris exhibuerint *pro his ceteris*. Quia nec codex noster meliorem ostendit lectionem. Acidalius parum utilem attulit medicinam, cum suaderet legendum esse, *pro his ac ceteris*. Primum Livineius annotaverat in margine, *f. pro hisce terris.* Deinde et Claud. Puteanus in notis ad h. l. similiter rescribendum censuit, *pro hisce terris.* Quam appositam conjecturam acutissimi Puteani vocavit Gruterus, ac jam bene recteque in contextum Panegyrici recepit Cellarius. Est autem *pro hisce terris* idem, ac pro hac Gallia, quam tunc tuebatur, et a Bagaudis hostibusque externis defenderat Maximianus. Unde et supra cap. IV. 3. Mamertinus dixit, 'An non illud malum simile monstrorum biformium in hisce terris fuit, quod tua, Cæsar, nescio, utrum magis fortitudine sit repressum, an clementia mitigatum?' Mirum vero est, ad hunc usque diem ne unum quidem codicem Ms. repertum indicatumque ab aliis esse, ubi ista verba hujus loci vere recteque sint perscripta, ut adeo suspiceris, omnes superstites codices horum Panegyricorum ex unico quodam codice, hac ex parte corrupto, dimanasse, quorum tamen alii aliis deinceps evaserint adhuc corruptiores. Facilis tamen in hac scriptura labendi occasio apparet. Videtur scilicet primus librarius fortasse necessitatem habuisse dividendi pronomen *hisce*, ita ut in fine alicujus versus scripserit *his*, in initium autem sequentis versus transtulerit syllabicam adjectionem *ce*, quam sequitur nomen *terris*. Cum autem forte istæ voculæ, *ce teris* vel *ce terris* nimis conjuncte essent scriptæ, inde alii effinxere *ce teris* pro *in hisce terris*. Schwarzius. Recte Schwarzius, hanc etiam lectionem probante Marcklando ad Stat. Silv. IV. 6. 65. neque inpedio: in codicum enim, quantumvis conspirantium, lectione nihil sani est. *Arntz.*

Retulisti] Aut dicitur pro exposuisti, narrasti, aut hoc significat: Tu tuas res, pro hisce terris tuendis gestas, vicissim attulisti ad Diocletianum, et quasi cum eo communicasti, sicut ille suas res gestas tecum communicat, teque in societatem laudum suarum admittit. Ita Latini dicunt 'referre salutem,' id est, resalutare; 'referre auxilium,' id est, vicissim auxiliari; 'referre controversiam,' id est, vicissim accusare. *Schwarz.* Posterior notio hic tantum vera est, atque ita accepit Marckland. ad Stat. Silv. IV. 6. 65. quem consule. Recte Bannius in addita interpretatione: 'Ita candide et benevole ejus potentiæ adtribuisti.' *Arntz.*

Diversa orbis parte] Ovidius Epist. 'Nec tibi diversa quamvis a gente venires.' *Putean.* Mediolani. Fuse Genethliaco Maxim. *Livin.* Mediolani, inquit Livineius, ut colligitur ex Genethliac. Maxim. Ego tamen, si locum hunc cum Eutropio confero, varie distrahor. Constat enim ex ipso, Maximianum primo et secundo prælio victum a Persis, tertio demum in Armenia commisso ingentem de illis victoriam retulisse, ipsa Narsei regis gaza ac familia capta, inde ovantium more ad Diocletianum reversum fuisse in Mesopotamiam, a quo honorifice susceptus est. Quomodo igitur Mediolani convenerunt, aut quomodo Diocletianus Maximiano dona Persica ostendit, quæ hic quinimmo ad illum detulerat? Dicam igitur alterum a nostro intelligi Imperatorum occursum, et posteriora inani Persarum spolia, quæ victi hostes ad Diocletianum miserint. *Patarol.* Difficultatem superare potuisset Patarolus, a Bannio aliisque in errorem ductus, si accuratior rerum gestarum habita fuisset ratio; de iis enim, quæ contra Narseum gesta, cogitare haud potuit Mamertinus, utique diu post hanc orationem perpetrata; adde Narseum sexennio demum post hanc orationem regem esse creatum, ut deinde dicam. Nihil itaque hoc etiam Mediolanense colloquium. Potius ita cape, Diocletianum hoc quidem tempore contra Persas bellum ursisse, sed cum Carausii defectionem audisset, pace cum iis composita, in Europam profectum, ut cum Maximiano de novo hoste debellando consilia caperet, quod colloquium contigit anno hanc orationem antegresso, a quo longius distat illud Mediolanense. Rem confecit Norisius de Num. Diocletian. Diss. I. cap. 4. et quæ dixi supra ad Tit. Paneg. *Arntz.*

Fidum firmumque fuit] *Fraternumque* vera lectio. Supra, 'Merito quivis te tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores.' Rursum: 'Hæc omnia cum a fratre optimo ablata susceperis,' &c. et alibi frequenter. *Livin.* Vera, et a ceteris libris confirmata lectio est, *fraternumque.* Diocletianus enim et Maximianus vocabantur 'fratres,' non quidem natura, sed voluntatum et dignitatis similitudine. Hinc et Mamertinus supra cap. I. hujus Paneg. 'Revera enim,' inquit, 'sacratissime Imperator, merito quivis te tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores.' Optime autem idem Mamertinus Geneth. c. VII. hanc exponit fraternitatem: 'Vos castra, vos prœlia, vos pares victoriæ fecere fratres. Dum virtutibus vestris favetis, dum pulcherrima invicem facta laudatis, dum ad summum fortunæ fastigium pari gradu tenditis; diversum sanguinem affectibus miscuistis. Non fortuita in vobis est germanitas, sed electa. . . . Certissima fraternitatis est usque ad imperium similitudo.' Et in hoc ipso Panegyr. cap. IX. § 4. orator noster Diocletianum et Maximianum vocat 'virtutibus fratres, quod omni consanguinitate sit certius.' Atque ita hodieque reges se invi-

eos honoris caussa vocant 'fratres.' *Schwarz.*

Eloquium] *Eloquium* retineo, id est, colloquium. Ita enim et eodem Geneth. 'Quam invicti sedent! quam concorditer eloquuntur!' *Livin.* Lege *colloquium.* Sed Genethliaco sequenti, 'quam concorditer eloquuntur,' id est, colloquuntur. *Acidal.* In his verbis codex noster quasdam voces transponit, et loco nominis *eloquium* reponit *obsequium*, hunc in modum: *adeo fidum illud fuit fraternumque obsequium.* Eandem lectionem etiam produnt ambo libri Gudiani, atque ex vetere codice quoque annotavit Claud. Puteanus. Nostra quidem opinione *obsequium*, quatenus exprimit Gallorum *la complaisance*, satis bene dici poterat de Diocletiano et Maximiano, qui, mutuis officiis et gratificandi studiis, quasi inter se certare dicebantur. De cujusmodi obsequio loquitur Terentius Andr. I. 1. 36. seqq. 'Cum quibus erat una, iis sese dedere, Eorum obsequi studiis, advorsus nemini, Nunquam præponens se illis. Ita facillime Sine invidia laudem invenias et amicos pares ... namque hoc tempore Obsequium amicos, veritas odium parit.' Sed omnes editiones constanter promunt *eloquium*, idque commentatores interpretantur per colloquium, cum idem Mamertinus in Geneth. cap. XI. 4. de colloquio Mediolanensi Diocletiani et Maximiani dixerit, 'quam junctim sedent! quam concorditer eloquuntur!' sed et ibi in Bertiniensi codice legi 'colloquuntur' monuit Livineius. Quin et in nostro codice, et in utroque libro Gudiano hic scriptum invenimus *colloquuntur*, eandemque lectionem ex libris veteribus annotavit probavitque Puteanus. Itaque nisi *obsequium* satis placeat, certe malimus legere *colloquium*, quam *eloquium*. Facile enim *e* ex inverso *ɔ*, quo librarii aliquando pro syllaba *con* vel *co* usi sunt, oriri potuit. *Schwarz.* Quem omnes ante me locum editores dederunt depravatum, eum ex codd. sanitati suæ restitui. *Eloquium* nihil est aliud, quam facundia, ut apud Eumenium pro Instaur. Schol. XVII. 4. quod hic nullius est efficaciæ. 'Obsequii' vox indicat adcommodationem ad alterius voluntatem, ea dicendo vel faciendo, quæ grata esse sciamus, de quo Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. VIII. 8. aut licet capere de superioris erga inferiorem studio; illius usus exempla collegit Schwarzius ad Plinii Paneg. LXXVIII. 1. ita enim indicaret orator Diocletianum, licet majorem, in eadem consilia Maximiani, quamvis minoris, conspirasse; Diocletiano enim minor erat, quia, eodem imperante, Cæsar fuerat, et ab eo in imperium adsumtus; namque Cæsares, quamvis jam Imperatores, 'minores' dicti. Lactantius Mort. Pers. XVIII. 5. 'Ut duo sint in rep. majores, qui summam rerum teneant, item duo minores, qui sint adjumento.' Ad hunc locum propius idem Lactantius § 6. Maximianum adfirmat consulturum, 'ne amplius minor et extremus esset.' Non tempero mihi, quin hinc emendem eumdem Lactantium cap. 8. § 2. præsertim cum ad Mamertinum faciat. Tradit, qua in parte Diocletiani et Maximiani indoles differret: 'Avaritiæ minori altero fuit plus, majori vero minus, sed plus timiditatis, plus vero animi non ad bene faciendum, sed ad male.' Qui uno spiritu majori, id est Diocletiano, et timiditatem et animum tribuat, non video. Varie hæc tentant eruditi, omnes tamen parum commode; tu scribe, *plus vero animi minori, non*, id est Maximiano; *minori* absorptum fuit a voce *non*, et præcedentis ultima syllaba. *Arntz.*

§ 2 *Nobis mutua*] Tò *vobis* multo accommodatius est illo altero ad vocem sequentem *mutua*, adeoque præferendum esse duxi. *Jæger.* Etiam

ob sequentia, *invicem vos*; recte igitur hoc jam restituit Patarolus, quamvis de mutata lectione nihil monuerit. *Arntz.*

§ 3 *Neque illius*] Guelf. *nec*; probo, in bis repetita voce secutus Grævii judicium ad Ciceron. ad Divers. x. 11. Bentleii ad Horat. Od. III. 11. 43. Vide, an idem restituendum Ovidio Metam. II. 55. et 293. Suetonio Cæs. 86. Ciceroni ad Divers. x. 12. alia dedi in Miscell. p. 58. *Idem.*

Ab hac ipsa vestri] Lectionem cod. Schwarz. et utriusque Gudiani veriorem esse vulgata adfirmare non ausim. Particulam *a*, *ab*, interdum idem valere ac propter, satis constat. Curt. VI. 4. 1. 'Tum castris undique aperto loco positis, non consultare modo, quid agendum esset, sed vates quoque adhibere cœpit a superstitione animi.' Livius VII. 10. 'Armatum adornatumque adversus Gallum stolide lætum, et ... linguam etiam ab irrisu exserentem producunt.' Alterum illud *vestri similitudine* convenit Ovidiano Met. I. 29. seq. 'Densior his tellus, elementaque grandia traxit, Et pressa est gravitate sui.' Et Virgiliano Æn. IV. 654. 'Et nunc magna mei sub terras ibit imago.' Cap. proxime sequenti orator noster: 'discrimen sui,' et cap. XIII. 'præsentia vestri.' Cf. quæ Schwarzius ipse docet ad Paneg. seq. cap. II. et quæ disputat Sanctius in Minerv. II. 13. et Perizon. et Cort. ad Cic. Ep. ad Divers. II. 6. 13. *Jæger.* Adde infr. XIII. § 4. unde *vestri* retinui. *Atque hac* etiam excerpta Vossii, unde in iisdem Schonhovii, *at quæ*. Similitudinem utriusque tangit etiam Lactantius Mort. Pers. VIII. 1. 'Quid frater ejus Maximianus ... non dissimilis ab eo.' Posteriorem locutionem damnant interpretes, locumque corruptum pronunciat Bunemannus, emendat Heumannus substituendo, 'nihil similius eo.' Potius lego, 'non dissimiles ambo,' sequitur enim continuo, 'nec enim possent in amicitia tam fideli cohærere, nisi esset in utroque mens una.' Illud *ambo* ipse hic Mamertini locus confirmat egregie, 'ambo estis largissimi, ambo fortissimi.' *Arntz.*

§ 4 *Gemini*] Euristhenes et Patrocles, seu Procles, Aristodemi Spartæ regis et Argiæ filii, teste Pausan. in Lacon. At Ælianus Hist. Anim. II. 31. Aristomachi filios dicit, cui pater fuit Cleadas, Hyllus avus, proavus Hercules, ad quod si Livineius advertisset, non exprobrasset auctori, quod Heraclidas illos appellarit. Horum mentionem faciunt etiam Apollodor. lib. II. Strabo lib. VIII. ac X. Herodot. lib. VI. Cicero de Divinat. *Patarol.* Quod de Livineio memorat, pertinet ad ipsius observationem cap. seq. Refer huc Nazarium Constantin. XXXVI. 2. 'Nec Lacedæmoniis magis licuerit hoc instituto remp. tueri suam, cum regem nisi ex stirpe Herculis non haberent.' De Procle, an Patrocle, vid. Clariss. de Rhoër ad Porphyr. I. § 25. *Arntzenius.*

§ 5 *Faciatis*] Rectius codex noster, item Bertiniensis, et vetus Livineii, ambo libri Gudiani, item et Cuspinianus, pro *faciatis*, habent *facitis*, cum id conveniat cum indicativo superioris verbi *coëgit*, quod utrumque verbum a præcedente particula *quod* dependet. *Schwarz.*

Summis rebus] Tam suprema imperii auctoritate. *Patarol.*

Cap. X. § 1 *Uno die*] Dictum hoc exaggerationis gratia. Cæterum Laconica regio non adeo brevis: a sinu enim Argolico, Boream versus, usque ad mediterraneum ad austrum protendebatur, continebatque centum oppida. Vide præter veteres auctores Ubb. Emmium de Græc. Vet. lib. II. *Patarol.* Sed ita rem quoque auget Cicero pro Leg. Manil. cap. 12. *Arntz.*

Terminatis] Hausit ex Cicerone Ca-

til. III. 11. 'Quorum alter fines vestri imperii non terræ, sed cæli regionibus terminaret.' Virgilius Æn. I. 287. 'Imperium Oceano, famam qui terminet astris.' Sunt itaque illi οὔτε γῆς ἄπειροι οὔτε θαλάττης οὐδεμιᾶς, ut Lysias in Corinth. Soc. p. 28. ed. Taylor. Rem ipsam adtigit Columb. ad Lactant. M. P. p. 277. *Arntz.*

§ 2 *Herculeæ*] Non excuso auctorem, qui Eurysthenem et Proclem fratres Herculeæ gentis nominet. Contra enim profecto occupatum ab Heraclidis regnum receperunt, ut jam dixi, et historia probat. *Livin.* Sed vide Patarol. ad cap. præcedens. *Arntz.*

§ 3 *Indo regi*] Scilicet Poro. Vide Diodor. Sicul. lib. XVII. Plutarchum, Curtium lib. VIII. Justinum lib. XII. et alios. *Putean.* In nostro codice pro *Indo regi* scriptum est *modo regibus.* Liber secundus Gudianus simpliciter habet *regibus.* Sed tuemur lectionem vulgatam, omnino enim Mamertinus reges multos voluisse videtur opponere uni. Hic vero fuit Porus, quem, teste Justino XXII. 8. Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. *Schwarz.*

Receperit] *Susceperit* Bertin. *Receperit* probo, non *susceperit;* nam sequitur statim, 'cum te, Maximiane, placasset.' Genethliac. Maxim. 'Francos ad petendam pacem cum rege venientes.' *Livin.* Utrum vero armis tunc Franci fuerint devicti, mihi non liquet. Adfirmat Wagenaer. Hist. Patr. tom. I. p. 221. sed ex Genethliac. v. § 4. magis patere videtur terrore armorum, quam ipsis fuisse armis hæc facta. Adde Matthæum de Nobilit. I. p. 74. *Arntz.*

Genobon: Esatech] In nominibus regum non una scriptura. In Vet. *Genneboud Esaret* lego; in Bertin. *Gennobonde Sathi;* in Cuspin. *Genobon Udesadech.* Divæus noster priorem *Genebaudum* rescribebat; fuisse enim eo nomine regem Francorum. Mihi non hic modo, sed omnino in historia rerum a Maximiano gestarum, meræ tenebræ apud scriptores, qui nunc extant. Persecutus hæc olim diligenter Claudius Eustheuius, Diocletiano ab epistolis, quem Vopiscus Carino refert quatuor principum, Diocletiani, Maximiani, Galerii, Constantii vitam singulis libris complexum. Sed monumenta ea vixerunt. Itaque fides sit penes Mamertinum. *Livin.* De regulis, quos nominat Mamertinus, nihil habemus, quod in medium afferamus. Præter enim Mamertinum nullus scriptor, ex antiquitate reliquus, horum meminit. Id facile patet, utrosque fuisse duces, vel reges Germanorum, et alterutrum sigillatim regem Francorum. Ita idem Mamertinus in Geneth. Maximiano dicto cap. v. commemorat 'tropæa Germanica, in media defixa barbaria; et Francos ad petendam pacem cum rege venientes.' Varie autem in antiquis libris scripta deprehendimus obscura hæc nomina. Alter dicitur *Genobon, Genoboc, Genobu, Genobonus, Genneboud, Genobond, Gennobonde, Genebaudus.* Est hoc nomen compositum: nam docente Wachtero, felici originum Germanicarum indagatore, id descendit a *Gun,* id est, vir, et a *Bald,* id est, audax, fortis, robustus; quod in compositis exprimitur per *baudes, baudus,* et *bodus,* litera *l* in media voce omissa. Hinc *Genobaldus,* et *Genobaudes* erant nomina Francorum, et eadem notione significabant virum audacem et fortem. Quamquam idem Wachterus hujus nominis alteram partem etiam referat ad vetustam vocem Germanicam *Bod,* quæ in nominibus propriis veterum videatur denotasse ducem, vel alium aliquem auctoritate jubendi potentem, a *bieten,* mandare, præcipere. Unde *Bauto,* quasi regnator, nomen nobilis Franci, et belli ducis in exercitu Gratiani

apud Zosimum IV. 33. item Marobodaus, et Marobaudes eadem significatione; quorum duorum nominum prima pars deducitur ab antiquo *Mar*, id est, princeps, dominus. Sed illæ antiquæ Germanorum voces, *bald*, *wald*, *bot*, facile inter se conciliari possunt. Quod vero ad alterius regis nomen attinet, id æque varie scriptum invenimus: *Esadech*, *Esathech*, *Desathe*, *Udesadech*, *Esaret*, *Sathi*. Laudatissimus Wachterus hujus ducis Francorum nomen scriptum exhibet *Atech*, idque ait nihil aliud significare, quam felicem vel fortunatum, cui simile nomen Allamannicum sit, *Otich*, *Ædich*, vel *Oticho* in Indice Goldasti. Refert id ad primitivum *Od*, et in Anglosaxonum lingua *Ead*, id est, divitiæ, felicitas; *Eadig*, felix: inde et derivat nomen ducis Herulorum et Rugiorum *Otaker*, *Odoacer*, id est, felix, dives. Sed hæc aliorum diligentiæ penitius excutienda relinquimus; id unum ad hunc locum jam addimus, per *munus*, quod Esatech dicitur a Maximiano accepisse, videri nobis significari munus pacis; prout hæc conjungit alter Mamertinus in Grat. Act. Juliano dicta cap. VII. 3. 'Innumerabilibus barbaris data venia, et munus pacis indultum.' Certe Francos cum rege, ad pacem a Maximiano petendam, venisse testatur noster Mamertinus in Geneth. cap. V. 4. Sed et munera proprie sic dicta dare, potius erat regum devictorum et supplicantium, quam victoris. Unde parum abest, quin suspicemur vocabulum *pacis*, propter syllabam aliquantum similem sequentis verbi *acceperit*, forte ex codicibus Mss. excidisse. Codex noster pro voce *munus* habet *minus*. Schwarz. Vossii excerpta, *Genobaudes atek*, in iisdem Schonhovii, Aldus, *Genebond et Esadech*. *Genneboud* probat Pontanus Origin. Francic. III. 6. IV. 3. sed *Esatech* putat corruptum. Pronior sum, ut Mamertinum scripsisse credam, *Genobaudes*, *Atech vero munus*. Genobon, sive Genobaudem Francis, qui in Batavia consederant, imperasse docet ex Annalibus Treverensibus Wagenaer. Hist. Patr. lib. III. p. 221. quamvis id ex hujus loci auctoritate in illius Annalibus scripsisse videatur Brouwerus. Nomina hæc, ita in codd. corrupta, frequenti librariorum in nominibus propriis errori sunt tribuenda. Abundant exemplis Mss., quædam dedit Boudam Var. Lect. I. 3. apud Josephum Iscanum IV. 5. felicissime alia restitues ex Dict. Cretens. II. 35. Darete Phrygio cap. 18. juvat addere ejusdem Iscani locum ex lib. IV. 484. quo memorat Teuthrantem a Telepho sepultum, in funere autem facta ipsius sculpta fuisse spectaculo, et in illis mortis ipsius genus, quo ab Achille vulneratus, et a Telepho clypeo obtectus, tandem exspiraverat: 'tres ære propinquo Hærent, irata Pelides fronte, precanti Telephus, exanimi Teuthras: pallere videres Ora, genas, aurumque mori:' pro 'aurum' substituit Vonckius Lect. Lat. p. 148. aut 'ævum,' aut 'artus,' aut 'totum:' non dubito, quin scripserit, 'Teuthranta mori.' Apud Ampelium Memor. 16. est, 'a regibus deditus:' quinam illi reges? unum 'regulum Thraciæ' in eadem caussa memorat Florus II. 15. 5. tu scribe, 'a rege Byza deditus;' ita eum adpellat Zonaras Annal. IX. 28. ubi male 'a Byzo' Interpres Latinus; 'Byza' est a recto Βύζας· porro apud Spartianum Hadrian. 16. 'ut sero Kalendis Januariis scripserit,' omnino admitti debuisset Meursii conjectura apud Gruterum, 'ut Vero,' nempe Ælio Vero, et ita Lipenius Strenar. Histor. T. III. Thes. Grævii p. 433. hoc prætulerim aut Salmasii interpretationi, aut τῷ 'fere,' quod divinabat de Rooy Spicil. Critic. p. 2. Denique apud Martial. I. 43. 'Rus-

tica lactentes nec misit fiscina metas.' Interpretantur 'fiscina' canistrum agreste, idne vero satis commode dici potest 'metas lactentes mittere,' id est caseos ex lacte coagulato in metæ formam? in Thuaneo vidi 'Sasina,' unde eruebam 'Sassina,' urbs Umbrorum casei dives; jam video idem in mentem venisse Heinsio ad Silium Ital. VIII. 463. et Advers. II. 9. in fin. cujus in emendatione certa consensum mihi gratulor. *Arntz.*

§ 4 *Conspectum*] Potissimum huic loco restituendum est pronomen *tuum* post vocabulum *conspectum*. Etenim *ad conspectum tuum* extat in nostro codice; annotatum est in altero libro Gudiano; id in vetere codice etiam reperit Puteanus, et jam evulgavit Cuspinianus. *Schwarz.*

Gente] Puto cum integra gente, sive 'popularibus suis,' ut mox scribit, et Francos, id est, gentem cum suo rege venisse tradit Genethliac. V. 4. *Arntz.*

§ 6 *Modo rex*] Infr. in Paneg. Contantio Cæsari cap. X. 'Toties obtrita Sarmatia, Vitungi, Quadi, Carpi, toties profligati, submittente se Gottho pace poscenda, supplicante per munera rege Persarum.' *Putean.* Narzeum Sext. Victor nominat. *Livin.* Narseus, a Galerio Cæsare victus, a Diocletiano Augusto regnare permissus. Adi Aurel. Victorem Schotti, qui invidiæ Diocletiani in Galerium tribuit, ne provincia tum Persis fieret. *Cellar.* Narseus, seu Ormisdas ejusdem nepos. *Patarol.* Rerum gestarum seriem hic confundunt interpretes, et in Vita Diocletiani Bannius. Uno omnes ore 'regem Persarum' interpretantur Narseum. De eo ne cogitare quidem hic potuit orator, cum demum sexennio post hanc orationem ad regnum pervenerit, a. CCXCV. ut demonstrarunt Scaliger ad Euseb. p. 243. et Cuper. ad Lactant. de Mort. Persecut. p. 145. Videntur in errorem ducti ab Eutropio IX. 22. et Orosio Histor. VII. 25. Narseum regem inter caussas memorantibus, quare Maximianus ex Cæsare factus sit Augustus. Id quidem ob bellum Persicum contigit, sed non cum Narseo gestum. Neque vera Gruneri ad Victor. Cæsar. XXXIX. 22. suspicio. út, quæ de Narseo apud Eutropium et Orosium memorentur, referantur ad tempus quo Constantius et Galerius Maximianus creati sint Cæsares; id enim factum a. CCXCII. triennio ante, quam Narseus rex fuerit. Est itaque hic locus de alio contra Persas bello intelligendus, quod ex Bithynia movens gessit Diocletianus, sed, ut videtur, a. CCLXXXVI. compositum fuit, cum res in Occidente ordinandas juberet Carausii defectio, ita ut Diocletiano Syriam cesserit rex Persarum, et legatione cum muneribus missa pacem oraverit. Is autem debuit esse Vararanes II. qui aliis Warharan, Parthum adpellat Genethliac. V. 4. Narseum adhuc præcessit Vararanes III. sive Segansa; is autem per quatuor tantum menses præfuit, sed Vararanes II. per annos septemdecim, qui incidunt in hujus orationis tempus. Vid. Agathias de Reb. Justinian. IV. pag. 130. ed. Vulcan. Spanhem. ad Julian. Orat. pag. 156. Norisius de Num. Dioclet. Dissert. I. cap. 4. Basnage Annal. Polit. tom. II. p. 451. Cuperus Epist. ad Voëtium p. 11. Locum hunc Mamertini imitatus est Pacatus Paneg. XXII. 5. de Persarum rege: 'Ipse ille rex ejus, dedignatus se antea confiteri hominem, jam fatetur timorem.' Inserui illic omissum 'se' ex Schwarzii codd. Vossii excerptis, et hoc Mamertini loco. Convenit præterea Sidonius Apollin. Epist. VIII. 9. de Parthorum rege: 'Qui, cognata licet sibi astra fingens Phœbea tumeat propinquitate, Mortalem hic tamen inplet obsecrando.' *Arntz.*

Se ut ingredi] Olim obfuscarat sententiam hujus loci depravata scrip.

tura, dum Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Navius edidere, *totumque se, ut ingredi ille dignetur, regnum suum pandit*. Sed jam veriorem lectionem evulgarunt Gruterus et Parisienses, quæ etiam codicis nostri suffragio confirmatur, ac jam a Livineio ex suo, et Bertiniensi codice in margine notata erat. Quibus testibus etiam *dignetur* rectius, quam *dignaretur* legitur. *Schwarz. Totumque se ut ingredi ille dignetur*, quod Puteolano, Rhenano, aliisque antiquioribus placuerat, dederunt quoque Stephani, et Rivinus. Alterum, quod codd. confirmant, et edidi, post Gruterum sequentibus placuit, nisi quod Bannius et Cellarius expresserint *dignaretur*. Prius *dignetur* jure revocavit Patarolus. Denique Bannius dedit *totumque*, sententia quidem idonea, sed contra codd. *Arntz.*

§ 7 *Miracula*] Infra in Geneth. Maximiani: 'Parthum vobis munerum miraculis blandientem.' *Putean.* In his vitium latere videtur, interpretibus neglectum. In Guelf. et Vossii excerptis est *varia maria*, unde effingebat Vossius, *varia munera*, Cortius in margine edit. suæ, *varia mira*, hisce tamen acutior et vere Eldikius meus, *offert munerum varia miracula*; illud *munerum* latet in *interim*. Emendationem ipse probat Mamertinus Genethliac. v. 4. ubi de eodem hoc rege: 'Parthumque vobis munerum miraculis blandientem:' Eumenius Constantio x. § 4. 'Supplicante per munera rege Persarum.' Non tentandam esse vocem *miracula* ostendit addita interpretatio, *eximiæ pulcritudinis feras*, ea enim est hujus vocis notio de feris miræ magnitudinis et pulcritudinis, præsertim de elephantis. Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 6. hoc sensu Claudian. Consul. Mall. vs. 280. 'Miracula plebi Colligite, et claris nomen celebrate theatris.' Ubi Barthius. 'Miracula avium' dixit Mamertinus Gratiar. Action. c. XI. adde Cannegiet. ad Avian. Fab. 5. princ. et Dissertat. de Avian. cap. 22. Oppianus Halieut. I. 360. cete adpellat πελώρια θαύματα πόντου· cum quo loco Lambinus recte contulit illa Horatii Od. I. 3. 18. 'Qui siccis oculis monstra natantia.' Bentleio illic placebat *rectis*; puto potius latere *fixis*, quod propius codd. accedit, quos 'oculos defixos' adpellet Epist. I. 6. 14. et 'inmotos' Ovidius Metam. II. 502. *Arntz.*

CAP. XI. § 1 *Hoc*] Codex noster pro *hoc* habet *hæc*, et præpositionem *in* prorsus prætermittit. Quæ lectio etiam in altero codice Gudiano observatur. Videant alii an pronomen *hæc* commodius referri possit ad vocem *concordia*; item an non præpositio *in* recte omitti possit, ut *æqualitas successuum* non significet id bonum, quod jam adsit Imperatoribus, sed quod fortuna eorum concordiæ rependat. Sic certe sine præpositione loquitur Cicer. XV. 21. ad Famil. 'Cui quidem ego amori (utinam ceteris rebus possem!) amore certe respondebo.' *Schwarz. Hæc* etiam excerpta Vossii, quod fortius sententiam exprimit, neque negligere debuisset Jægerus. *Arntz.*

Invictis] Puto legendum, *junctis dexteris*, quemadmodum infr. in Geneth. Maximiani: 'Ambo sunt, pariter sunt: quam invicti sedent! quam concorditer eloquuntur!' legendum 'juncti,' vel potius 'junctim.' Similis locutio in Paneg. Max. et Const. 'Ita non dexteras tantum, sed etiam omnes sensus vestros mentesque junxisse.' *Putean.* Totus sermo monet, ut emendent potius *junctis dextris*. Sic Incerti Paneg. Maxim. 'Ita non dexteras tantum, sed etiam omnes sensus vestros mentesque junxisse.' Et Geneth. cap. XII. 'Pono quotidiana vestra colloquia, conjunctas in omni sermone dexteras.' *Juretus.* Lege *eam*, scilicet rempub. de qua præcessit: et *junctis*. Acidal. Equidem

jam supra cap. IX. pag. 1. dixerat Mamertinus, 'Ex diversa orbis parte coëuntes invictas dexteras contulistis.' At jam recte observarunt alii, eandem loquendi rationem hic locum habere non posse, ubi non tam de fortitudine, quam de conjunctione, et concordia Imperatorum sermo sit. Particula *velut* male adjiceretur *invictis dexteris*, quasi hæ non proprie vereque essent *invictæ manus;* at bene illa adjici potest *junctis manibus*, quia Imperatores, multorum locorum intercapedine et diversitate disjuncti, non proprie et ipso corpore, sed μεταφορικῶς et animo 'manus jungere,' ac veluti junctis dexteris gubernare dici possunt. Etsi igitur plurimi quidem libri referunt, *velut invictis dexteris*, jam tamen Juretus, Livineius, Puteanus, et Gruterus agnoverunt poscere sententiam, ut legatur, *velut junctis dexteris*, cui lectioni bene locum dedit in eximia editione sua Patarol. *Schwarz.* Recte locum explicuit Schwarzius. In *invictis dextris* alia est ratio supra cap. IX. et apud Eumenium Gratiar. Action. I. 3. hic totius loci series confirmat *junctis;* id flagitat oppositio 'locorum diversitas,' præterea locutiones additæ, 'æqualitas successuum, una mens, singulare imperium consentiendo' retentum: ideo et supra IX. 4. eos dicit 'pari sorte,' aut 'pares,' remp. tenuisse; 'conjunctas in omni sermone eorum dexteras' prædicat Genethliac. XII. 3. proxime accedit locus Incerti Epithalam. I. 3. aliis jam notatus. His motus *junctis* revocavi, Patarolum secutus, Schwarzium, et Jægerum, quibus jam præiverat quoque Spanhem. ad Julian. Orat. p. 58. neque aliter locum excitavit Baluzius ad Lactant. de Mort. Persecut. p. 20. Summam itaque utriusque concordiam indicat, quorum ὁμόνοιαν Diis etiam amatam fuisse scribit Julianus Cæsar. p. 316. unumque iis mentem, eamdem cogitationem, parem voluntatem, æquam sententiam tribuit Lactantius Mortib. Persecut. cap. 8. Quædam ad cap. IX. dicta, huc pertinent. *Arntz.*

§ 2 *Utilitatem imperii*] Elegantiam hujus epiphonematis non parum diminuit τὸ *utilitatem;* pro quo rescribo *unitatem*. Opponit enim 'geminatum numen,' et 'unitas imperii singularis.' *Ritters.* Oppositio est quærenda inter 'geminatum numen,' et 'imperium singulare,' hac sententia, aucta majestas non efficit, ut alter alterius sibi rapere imperium conetur, sed quisque suum sibi singulare retineat, quia id utilius. Simili modo in Genethliac. XII. 3. 'pietatem utilitate reip. vincere.' Vulgatum etiam recte tuetur Wopkensius in Miscell. Obs. vol. VIII. p. 80. In Vossii excerptis, et Guelf. pro *consentiendo*, legitur *consuetudo*, ex quo nihil expedio. Tamen licet inseruerit Cuspinianus, habeantque Schonhovii excerpta, recte neglexerunt posteriores, ex illa elegantia, quam adtigi ad Arator. II. 733. 'Majestatem regiam' Impp. tribuit consueto more, quo 'reges' dicebantur. Athanasius Opp. tom. I. p. 931. Barth. ad Claudian. p. 1235. ad Rutilium I. 556. 'regalia' hinc posteriori ævo Imperatorum jura. Cerda ad Virgilium Æneid. VIII. 242. 'regia lex,' qua Imperatori Romano summa data potestas, Triboniani tamen commentum in l. 1. pr. ff. de Constit. Princip. l. 1. § 7. C. de Vet. jur. enucl. § 6. l. de I. N. In Epistola Petri I. 2. § 13. βασιλεῖ Beza exponit Cæsari, haud dubie, quia illic opponitur ἡγεμόσιν· sed dubito: Petri tempore nondum reges dicti Impp. Romani; scio apud Tacit. Annal. XII. 66. 'instrumenta regni,' et XIII. 14. 'arbitrum regni' memorari, sed utroque loco de inpotenti dominatione, ut ea Romanis placuit notio, quamdiu libertatis superessent vestigia. *Arntz.*

§ 3 *Græci poëtæ*] Ostendit mihi

Johannes Bochius, Antverpiensium urbi a secretis, vir et multa lectione et eruditus, Platonis e lib. II. de Republ. locum, qui ad argumentum, quod in manibus, Hesiodi, et Homeri testimonia protulit. Versus utriusque plenius, et inde a capite, ut sic dixerim, apponam, qui illic curte leguntur. Sic igitur Hesiodus Oper. et Dier. lib. I. Οὐδέ ποτ' ἰθυδίκαισι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ, Οὐδ' ἄτη, θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται. Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον· οὔρεσι δὲ δρῦς Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσσῃ δὲ μελίσσας. Εἰροπόκοι δ' ὄϊες μαλλοῖς καταβεβρίθασι. Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι. Θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές· οὐδ' ἐπὶ νηῶν Νίσσονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα. *Justitiæ non ægra fames cultoribus instat, Non noxæ, læta usque epulis quin munera curdi, Uber et annona tellus, montesque per almos Luxuriant summa glandes, media ilice mella, Balantum et molli densentur vellere sæcla, Et similes patrum dat casta puerpera natos, Perpetuisque bonis florent; nec cura per altum Puppe vehi, lætumque tumet seges omnibus arvis.* Ulyssis vero ad Penelopen Odyss. T. hæc sunt verba: ἦ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, Ὥστε τεῦ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅστε θεουδὴς Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων Εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα Πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ, Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς, Ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ. *Nam cælo tua vivida gloria surgit, Qualis honorati regis, cui numinis instar Armiferos late populos ditione tenenti Justitiæ pia cura. Olli stat hordea totis Triticeusque labor campis, devexaque pomis Arbor, oves et fetu, et lætum piscibus æquor, Et fortunatæ placido sub principe gentes.* Magnum, et illustre utriusque poëtæ præmium justitiæ, citra duplicem tamen feturam aut annonam. Quod meo animo verisimile scriptum laudatori ab heroum memoria, qui in Insulis Fortunatis. Pomponius Mela extremo de Situ Orbis III. 'Contra Fortunatæ insulæ abundant sua sponte genitis, et, subinde aliis super aliis innascentibus, nihil sollicitos alunt beatius quam aliæ urbes excultæ.' Alii passim. Hesiodus liberalius: τρίσιν μελιηδέα καρπὸν Τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα· *quibus alma quotannis Terra tumet ter fuge nova, ter penit aristas.* Livin.

Repromittunt] 'Repromittere' quidem proprie dicitur in stipulatione et restipulatione. Vid. Taubmann. ad Plaut. Curc. V. 2. 67. Cicer. pro Rosc. Comœd. c. 13. Sed, in scriptoribus sequioris præcipue ætatis, sæpe idem est ac simplex promittere. Vid. Plin. Epist. IV. 27. 5. et Sueton. Tib. c. 17. et Ernestium τὸν πάνυ ad ejusd. Octav. c. 78. ubi pluribus exemplis adlatis docet, in idiomatis ac characteribus stili, ætate aurea inclinante et argentea, jam esse verba composita ex 're,' pro simplicibus, contra Ciceroniani ævi consuetudinem, usurpata. *Jæger.*

Bonos gregum] Fertilitatem justitiæ præmium laudat Homer. Odyss. T. vs. 109. sqq. et largior Hesiodus 'Εργ. vs. 171. non simplices, sed triplices fructus promittit; κάρπον Τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα. *Cellarius.* Adde etiam laudatum a Livineio locum Hesiodi 'Εργ. vs. 228. sqq. et Pomp. Mel. III. 10. de Insulis Fortunatis. *Jæger.*

§ 4 *Affinitate*] Quia Theodoram privignam Constantio tradiderat. Eutrop. lib. IX. Orosius lib. VII. Paulus Diaconus, et Zonaras. Dissentit tamen in hoc ab aliis Zonaras, quod Theodoram Maximiani filiam fuisse scribit. *Putean.* Miscet hic quædam Baunius, saltem quæ de Mediolanensi colloquio tradit; dixi supr. ad Tit. Paneg. et ad c. IX. quæ deinde de Panegyrico serius habito addit, non persuadent. Fateor ad Constantium ducere nos posset 'adfinitas,' de nup-

tiis Constantii et Theodoræ ab historicis quoque adhibita, et Incerto Paneg. Maximian. cap. II. init. et cap. VII. Sed quid tum fiet de orationis habitæ tempore, quod supra ad an. 289. constitui? datam enim Constantio esse Theodoram, postquam jam esset Cæsar, indicant Aurel. Victor Cæsar. XXXIX. 24. Epit. XXXIX. 2. Eutropius IX. 22. Orosius VII. 25. Jornandes de Regn. Success. I. p. 700. Victoris etiam testimonio adhærescere videtur Couperus ad Lactant. M. P. p. 218. Aut itaque Theodora a Constantio nondum Cæsare fuit ducta, quod forte suspiceris ob Anonymum Valesii post Ammian. Marcell. p. 710. 'Cæsar factus est. Relicta enim Helena, priore uxore, filiam Maximiani Theodoram duxit uxorem;' caussam itaque dignitatis Cæsareæ matrimonium fuisse vox *enim* indicat; aut hæc ad Constantium non pertinent, in quem etiam parum congruere videntur *timoris obsequia*, et quæ de gente barbarorum jam affecta addit. *Arntz.*

Obsequia] Sunt asseclæ, et satellites Imperatorum: sic hoc libro, 'sellæ curules, et hæc obsequiorum stipatio.' *Putean.* Timidos servos. Sic supra cap. III. n. 2. 'obsequiorum stipatio.' *Cellar.*

Barbarorum] Id est, Francorum, ut fere his Panegyricis. Incertus in Maximian. et Constantinum: 'Multa ille (de Constantio sermo) Francorum millia, qui Bataviam, aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit.' Fuse Eumenius in Constantium Cæsarem. In moribus, ut hoc addam, convenit et Salvianus, cujus e lib. V. de Provid. Dei verba ascribam: 'Gens Saxonum fera est, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, et Hunnorum impudica.' Iterum mox: 'Numquid tam accusabilis Francorum perfidia, quam nostra?' et alibi sæpius. *Livin.* Qui de Bononia, diu post Panegyricum capta, hæc intelligantur, non video. Neque locus Incerti, a Livineio adhibitus, huc pertinet; ad sequentis capitis initium notanda illud demonstrabunt. Magis itaque est, ut ad felicem contra Carausium pugnam hæc referam. De Francorum perfidia vide Bessel. ad Eginhart. Vit. Carol. c. 7. *Arntz.*

Adfecta] Puta, clade, damno: aut fracta, debilitata est. Tacitus Hist. II. 69. 'opes adfectæ,' id est, attritæ, exhaustæ. *Cellar.* Clade maxima. Ingentem barbarorum vim a Constantio fusam testantur Eutrop. lib. IX. et Aurel. Victor. *Patarol.*

§ 5 *Imperator*] Hanc conjecturam, confirmatam a Gueiferb. et Vossii excerptis, recipiendam duxi. Confr. supr. ad hujus Paneg. Tit. *Arntz.*

Et quod] *Etiam quod* Bertin. *Livin.* *Etiam* habent quoque Guelf. et Vossii excerpta, primusque recepit Gruterus, eumque secuti, præter Rivinum. *Arntz.*

§ 6 *Pacatore*] Universum enim orbem pacasse dicitur, hinc in numis et inscriptionibus 'Pacifer.' Vid. Drakenb. ad Silium II. 483. *Idem.*

Diocletianus facit] Si hæc sana lectio, sic acceperim, ut Plinio dictum Nat. Histor. XXII. 19. 'Seritur interim, quoniam cæliacis præclare facit in cinere tosta.' Hoc est, subvenit, juvat. *Livineius.* Suspectum est mihi illud *facit.* Quid? si legas *faciem.* Ritters. Non parum nos sollicitos habet hic locus. Miramur enim insolentem loquendi rationem, 'rebus facere effectum,' neque satis capimus, quomodo ista inter se luculenter differant, 'rebus facere effectum,' et 'tribuere effectum,' ut hinc aliud Diocletianus, aliud Maximianus præstitisse intelligantur. Neque tamen ulla varietas in libris animadvertitur, nisi quod unice in altero libro Gudiano annotatum est, hæc verba, *sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quæ aliorum ductu geruntur, Diocletianus*

facit, a quodam cod. Ms. prorsus abfuisse, quæ tamen ad sententiam constituendam implendamque necessario requiruntur. Livineius, qui et ipse de integritate hujus loci dubitasse videtur, hæc sola notis suis inseruit, 'Si hæc,' &c. Sed ne sic quidem satis luminis huic loco conciliatur, quia *facit* tunc proprie ponitur pro medetur. Cunradus noster Rittershusius, cujus nomen Musæ Altorfinæ nunquam sinent mori, unice pro verbo *facit* reponendum suadet nomen *faciem*, ut sic integer locus hic legatur: *Sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quæ aliorum ductu geruntur, Diocletianus faciem, tu tribuis effectum.* Credimus acute rem perspexisse Rittershusium. Mamertinus perpetuo Diocletianum cum Jove, Maximianum cum Hercule comparat, quia ille Jovius, hic Herculeus est cognominatus. Ergo res hæc ex Mythologia explicanda est. Constat Jovem existimatum esse auctorem, et parentem rerum omnium, qui omnia procrearit, hoc est, omnibus naturam propriam, formam, et ordinem attribuerit. Ergo qui hæc *facit*, dici potest tribuisse, et imposuisse rebus formam et *faciem*. Quod docet Varro L. L. v. 8. 'Proprio nomine,' inquit, 'dicitur facere a facie, quod rei, quam facit, imponit faciem. Ut fictor, cum dicit, fingo, figuram imponit, eum dicit, informo, formam. Sic cum dicit, facio, faciem imponit, a qua facie discernitur, ut dici possit aliud esse vestimentum, aliud vas,' &c. Sic Cicero, cum honesti naturam exprimere vellet, de Offic. I. 5. dixit: 'Formam quidem ipsam, Marce fili, et tanquam faciem honesti vides.' Sic ab ordine, statu, et tota forma ac conditione rei publicæ, Ciceroni in Orat. pro Flacc. cap. 15. dicitur 'facies civitatis,' et Sallustio in Catil. cap. 31. 'immutata urbis facies;' in Jugurth. cap. 44. 'insolita facies;' ibid. c. 51. 'facies totius negotii varia, incerta, fœda, atque miserabilis;' c. 78. 'facies locorum.' Huc pertinent, quæ Gellius Noct. Att. XIII. 29. ad explicandam notionem vocabuli 'facies' affert: 'Quidam,' inquit, 'faciem esse hominis putant os tantum, et oculos, et genas, quod Græci πρόσωπον dicunt: cum tamen facies sit forma omnis et modus, et factura quædam totius corporis, a faciendo dicta, ut ab aspectu species, et a fingendo figura... Non solum autem in hominum corporibus, sed etiam in rerum cujusque modi aliarum facies dicitur: nam montis, et cœli, et maris facies, si tempestive dicatur, probe dicitur.' Quod ad Herculem attinet, ei præ ceteris Diis virtus, vis, et efficacia adscribebatur. Quamobrem ex hac similitudine bene dici potuit Diocletianus Jovius, senior Augustus, Jovis more, omnibus rebus pulcherrimis et negotiis, quæ, suis auspiciis et aliorum ductu, in imperio Romano gererentur, *faciem*, id est, formam, ordinem, et decus tribuisse; nec minus Maximianus Herculeus, cum ipse divinam virtutem suam exercitatione solita exeruisse, ipse pugnasse, ipse omnibus locis totaque acie dimicasse, atque hosti undique occurrisse perhibeatur cap. v. Paneg. recte dici potuit, Herculis more, tribuisse iisdem rebus veram efficaciam, et ipsum effectum. Si quibus hæc nondum sufficiant, satis habebunt, cum hinc excitabuntur, ut melioribus ingenii, codicumque veterum subsidiis instructi, veriorem lectionem, aut lectionis vulgatæ certiorem interpretationem in lucem proferant. *Schwarz.* Vulgatum Vales. ad Ammian. XVI. 12. ad consuetudinem refert, qua suorum sibi ducum victorias adscribere solebant Imperatores, partamque laudem sibi vindicare. Emendatione locum indigere, nondum mihi persuadeo; sententia est, Diocletianus *facit effectum*, id est, Jovis sui more res

ita moderatur, ut effectum habere queant; ita 'facere senatusconsultum' dicitur, qui in caussa est, ut fiat, interprete Gronovio ad Livium v. 50. 1. sed Maximianus *effectum tribuit*, id est, sua virtute, more Herculis, res ad effectum perducit. Inter hæc duo itaque idem mihi videtur interesse, quod inter 'facere' et 'efficere,' id est, faciendo perficere, ut exponit Donatus ad Terent. Andr. III. 4. 16. Occasione vocis *caussæ* suam mihi Eldikius conjecturam suggerebat, in Julio Rufino de Schemat. pag. 267. quam premere est propter elegantiam religio: 'Sed' ejusmodi figuræ, quæ juvenilius in schola lasciviunt, ut Cornutus ait, minime maturæ sunt, et parum ganeis foroque conveniunt.' Emendabat, 'caussis foroque.' *Arntz.*

§ 7 *Fortunæ*] Intellige Imperatorum Genium, qui felicitatem eorum moderari credebatur, cuique prosperos rerum gestarum successus tribuebant, unde etiam per eum sollemne jusjurandum. Plura Barth. ad Rutil. p. 328. Hinc Claudianus B. Gild. vs. 503. 'Si mihi tempestas Libyam ventique negabunt, Augusti Fortuna dabit.' Ita de Genio vocem interpretatur Wopkens. Animadv. ad Pacati Paneg. cap. 40. præsertim vero Imperatori tribuebatur, quia Fortuna ad eum pertinebat, penes quem erant auspicia. Corruptus hinc videtur Aurel. Vict. Cæs. XLII. 18. 'Quæ quamquam in ejus fortuna, Principis tamen et consilio accidere,' ubi alii verius ex conjectura, 'quæ quamquam vi ejus, fortuna Principis tamen et consilio accidere.' Ita saltem Freinshemius, Virdungus, Gruterus, quorum loca excitat Rupertus Dissert. ad Valer. M. IV. 1. p. 266. Sibi quoque ita in mentem venisse testatur Valesius ad Ammian. Marcell. XVI. 12. sed dudum ante a Germanis jam ita locum fuisse tentatum monet Gronovius. *Idem.*

Victoria] Occupato Gesoriaco. Lege Panegyr. in Constantium Cæsarem. *Livin.* Pro *victoria* multo elegantius habet codex noster *victores*, cui lectioni etiam calculum addunt ambo libri Gudiani, item vetus codex Puteani. Sic et ibidem in sequentibus numerosius legitur, *fluctus reciproci sorbuerunt*, quam *reciproci fluctus, &c.* Schwarz. Quæ de Gesoriaco hic scribunt Livineius et Baune, oratori in mentem venire non potuerunt, utique deinceps demum gesta. Interpretor de felici successu, quo statim post naves fabricatas Carausii res adeo fuerint adflictæ, ut ad Oceanum recedere debuerit. Vid. supra ad hujus Paneg. Tit. *Pervenere victoria* defendi posset ex Plinii Paneg. LVI. 4. 'ignotas terras victoria sequi,' iisque, quæ large contulit Wopkensius Observ. Miscell. Nov. Tom. X. p. 29. codicibus tamen, et Vossii excerptis obsecutus, *victores*, reposui quod neglexerat Jægerus, quodque ex ingenio jam emendaverat Dempster. ad Rosin. II. 16. adde Schwarz. supr. IX. 1. eundemque ad Plin. Paneg. LVI. 4. Victor dedit *Juvencus* Histor. Euang. II. vs. ult. cod. Cantabrigiensis, cujus variantes ad manus sunt: 'Inde domum repetit victor, turbasque reliquit.' Vulgo, 'repetit sero,' aut 'serus,' quod Kœnigio placuit, sed ab aliena manu scriptum videtur ex ὀψίας γενομένης apud Marcum Euang. IV. 35. sed neque 'victor' illic admitto, rescribendum ratus ex vestigiis cod. 'vector.' Servator enim ea, quæ præcesserant, in navi docuerat, ut hunc vocis usum adtigit Emmeness. ad Virgil. Eclog. IV. 38. not. ad Sueton. Cæs. cap. 63. Ordinem in *reciproci fluctus* mutavi ex Schwarzii codd. et Vossii excerptis. 'Reciprocum mare' est apud Eumenium Constantio VI. § 2. 'reciprocos cursus' dixit idem Constantino V. 2. *Arntz.*

CAP. XII. § 1 *Piratæ*] Carausius,

de quo vid. J. Dousæ Batav. p. 33. sq. Memoriam ejus, ex numis terra erutis, illustrat 'Histoire de Carausius, par Genebrier, à Paris. 1740. 4.' item 'The Medalic History of Carausius, by W. Stuckeley, London. 1757. 1759. 4.' cujus commenta, veritati rerum addita, recte spernit Gibbon., in 'Hist. of the Decline and Fall of the Rom. Emp.' cap. 13. et not. 25-30. Eodem fere tempore, quo Carausius in Britannia purpuram sumsit, vel non multo post, floruisse fertur Ossianus. Pro argumento habetur Carmen inscriptum 'The War of Caros,' i. e. ut Jac. Macphersonus contendit, Bellum Carausiacum. Sed vid. Sprengel Gesch. von Grosbritannien, Th. II. cap. 1. pag. 44. sq. ubi non modo res gestæ Carausii narrantur, sed et fabulæ de Carsdike, seu Carausii fossa, nec non de epinicio Ossiani refelluntur. A Carausio S. Albanus Fabris liberalibus jus betæriæ impetrasse traditur. Sed ταῦτα τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς. *Jæger.* Cf. Orosium VII. 25. Eutropium IX. 21. Aurel. Victor. Cæs. XXXIX. 16. et 20. historiæ seriem dedi ad Paneg. Tit. p. 2. *Arntz.*

Fretum] Inter Britanniam et Picardiam Galliæ provinciam, nunc *Pas de Calais*, ab oppido ejus regionis. *Paturol.*

Oblitosque] *Que* ignorant Guelf. et excerpta Vossii. De elegantia in 'refugo mari,' vide Marckland. ad Stat. Silv. I. 3. 31. et Burman. ad Lucan. I. 410. 'refluas aquas' dixit Sedulius II. 163. de quibus Burman. ad Valer. Flacc. VIII. 90. *Arntz.*

§ 2 *Insulam*] Britannia scilicet, quam Carausius, audito cædem suam a Maximiano A. imperatam, præsidium suis rebus invaserat. Sed enimvero cum eopse, bellis frustra tentatis contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax convenit. Eutropius lib. IX. *Livin.* Aliam, ultra Britanniam, in quam se reciperet Romanorum arma fugiturus. *Cellar.* Mox *haustus terræ* unde sit adumbratus, indicat vir clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. pag. 28. *Arntz.*

Saxa rapiatur] Nisi locum Euripidis Med. vs. 1306. ante oculos habuit rhetor, certe ab illo ad alios hæc sententia venit. Cf. et Virgil. Æn. XII. 892. Hæc debentur Bibliothecæ Criticæ. *Jæger.*

§ 3 *Ornatæque*] Id est, instructæ, ut 'ornare provincias, magistratus,' passim apud optimos scriptores. *Livin.* 'Ædificare navem onerariam,' Ammian. XIV. 8. Eumenius Constantio cap. VII. in fin. et XII. 1. Constantino c. V. *Arntz.*

Cunctis] Ne id reticeamus, liber alter Gudianus habet, *cinctis simul omnibus oceanum petituræ*, ceteri libri pro *cinctis* exhibent *cunctis*. Alias etiam sæpe in antiquis codd. 'cuncti' et 'juncti' inter se permutantur. *Schwarz.* Vox *simul* indicat, *cunctis* veram esse lectionem. *Arntz.*

Anno] 'Annum' capio non de toto, sed ea parte, qua naves sunt fabricatæ, præsertim hiberna, de quo usu Schulting. ad Senec. Suasor. pag. 31. Gronov. ad Livium XXXII. 5. 2. *Arntz.*

§ 4 *Navalia texerentur*] Infra mox: 'Solam navalibus tuis materiam devehebat.' *Livin.* Vetuste. 'Textrinum' vocabant, ubi naves ædificarentur. *Acidal.* Naves struerentur, res nauticæ pararentur. Plinius XIII. 11. 'ex papyro navigia texunt:' et Ovidius Epist. Paridis ad Helenam vs. 110. 'Texitur et costis panda carina suis.' *Cellar.* Scaliger ad Catullum p. 70. *navalia* hic explicat per naves, de quo tamen dubito; posset intelligi locus navibus conficiendis, de quo vulgatus est locus Servii ad Virg. Æn. XI. 326. quem cogitasse videtur Isidorus Orig. XIV. 8. potius tamen est, ut accipiam de omnibus, quæ ad naves fabricandas pertinent; quo modo hac voce etiam trabes, pix,

dammodo desideres pronomen *tibi*, ante verbum *obsequatur* collocandum. Sed et Livineius ex veteri suo codice *cui* pro *cum*, et *obsequebatur* pro *obsequatur* annotavit. Cicero pro 'obsequi' dixit 'obsecundare,' pro Leg. Manil. cap. 16. 'Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.' *Schwarz.* *Cui* etiam probant Gueif. et excerpta Schonhovii: hoc, male a Jaegero neglectum, nostro jam vindicavit Cortius ad Plin. VII. Epist. X. 4. et ipse ad Arator. I. 49. elegans ille dativi usus a captu librarii erat remotior, notus in vulgato illo, 'cui militat æther:' et ipse Mamertinus hoc cap. ter in *tibi* adhibuit, quod miror in *ibi* mutare voluisse Rittershusium. Adde Oudendorp. ad Lucan. V. 602. *Arntz.*

CAP. XIII. § 2 *Fratres quamvis*] Loquitur Mamertinus de Romulo et Remo. In codice nostro, omissis vocibus *quæ essent*, ita legimus: *Illi enim, quamvis fratres gemini, certaverunt tamen, &c.* Satis bene, nam et aliis auctoribus tantum non perpetuo dicuntur *fratres gemini* sine copula; nec raro particula *quamvis* admittit ἔλλειψιν verbi substantivi: haud tamen nolimus repugnare consensui tot aliorum librorum, cum orator per ἔμφασιν dicere potuerit, Romulum et Remum non solum tanquam *fratres*, sed præterea tanquam ipsos *geminos*, eodem partu editos, inter se contendisse. *Schwarz.*

Certaverunt] Ennius Annal. lib. I. 'Certabant Urbem Remamne Romamque vocarent; Omnis cura vireis, uter esset induperator.' *Patarol.*

Diversosque] Ille Aventinum, hic Palatinum occupat. Florus I. 1. *Patarol.* Ennii apud Ciceronem hac de re locum, Divinat. I. 48. interpunctione adjuvi, Specim. Observ. 2. in qua consensum gratulor Burmanni ad Antholog. Latin. tom. II. pag. 715. *Arntz.*

Latius es] Aperte probum est, *quanto latius est vet. &c.* et *quidquid homines colunt*, tantundem est, ac si dixisset, 'orbis terrarum.' *Livin.* Feliciori pede decurret oratio, admissa distinctione Puteani; *hi vero conservatores tui* (*sit licet nunc tuum tanto majus imperium, quanto latius est vetere pomœrio, quidquid homines colunt*) *nullo circa, &c.* Gruter. Rhenanus, *quanto latius est vet.* Lego: *ceperunt: ii vero conservatores tui,* (*sit licet nunc tuum t. m. imperium, quanto latius est vetere pomerium,*) *quicquid ambis colunt, nullo circa te livore contendunt.* Postremum tamen hoc ambiguum. Et profecto vereor, ne totum illud alienum, *quidquid homines colunt.* Acidal. Orator velut per προσωποποιΐαν alloquitur Romam. Quid autem sit *pomœrium*, explicat Varro de L. L. lib. IV. 'Principium,' inquit, 'quod erat post murum, pomœrium dictum, ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur.' Quod autem attinet ad 'antiquissimum pomœrium, quod a Romulo institutum erat,' id tradente Gellio Noct. Attic. XIII. 14. 'Palatini montis radicibus terminabatur, sed id pomœrium pro incrementis reipublicæ aliquoties prolatum est, et multos editosque colles complexum est. Habebat autem jus proferendi pomœrii, qui populum Romanum agro de hostibus capto auxerat.' *Schwarz.*

§ 3 *Herculea*] Vid. Spanhem. de Usu Num. Dissert. XII. pag. 497. *Arntz.*

§ 4 *Quanto magis*] Hæc verba, *quanto magis hunc natalem suum diem coleret*, omissa sunt in nostro codice, omissa etiam in codice alio, cujus variantes lectiones relatæ sunt in librum alterum Gudianum; cum tamen hæc ipsa verba videantur dignissima, quæ huic loco Mamertini asserantur. Ita scilicet nullus facile cod. Ms. tam bonæ notæ reperitur, ubi non identi-

dem dormitavit librarius. *Schwarz.* Et verba hæc omissa erant in excerptis Vossii, quæ tamen ut servemus, suadent dicta oratoris cap. I. § 4. *Arntz.*

Stipato] In omnibus editionibus ante Cellarianam proditis, reperimus excusum, *si vos stipato vestro senatu, &c.* pro *stipato* tamen jam *stipatos* in suo vetere codice legit Livineius, et Gruterus etiam refert, similiter Puteanum ac Bongarsium maluisse *stipatos*, cui lectioni nunc quoque codex noster, et ambo libri Gudiani adstipulantur. *Schwarz.*

Præsentiam vestri] *Præsentiam vestri* omnes quidem libri typis impressi, una cum codice nostro referunt: alter tamen liber Gudianus, et vetus codex Livineii bene habent, *præsentiam vestram.* Sic enim et ipse Mamertinus in fine hujus Panegyrici dicit, 'adhuc præsentia tua fruimur,' non 'præsentia tui.' *Schwarzius.* Schwarzio placuit *vestram*, ut supr. IX. § 3. 'vestra.' Contra tamen in Geneth. II. § 1. tuetur 'sui majestate.' Recte. Locutionem jam adseruit Jægerus ad c. IX. et hoc loco ex codd. et Vossii excerptis præfero *vestri*, ut in Geneth. VIII. § 2. 'ad conspectum vestri.' Similiter 'magnitudo sui,' 'noxa nostri,' et quæ alia contulit Muncker. ad Fulgent. Mythol. II. p. 670. apud Cæsar. B. G. I. 4. 2. plures codd. 'omnem sui familiam.' Vide illic Oudendorp. et ad Sueton. Cæs. 30. Eumenius Constantio VIII. 1. 'divortio sui.' Apud Quinctil. Declam. XI. 1. 'ut in vindicta primum mea:' restitue ex nostro cod. 'mei.' *Arntz.*

Identidem] Ad codicum fidem locum castigavi. *Et* omissum est in editionibus ante Gruterum, in quibus *identidem* jungitur *frequentando.* Arntz.

§ 5 *Adscripsistis*] Locus corruptus, quem sic lego, *nomen adscripsit is.* Intelligit M. Octavium Herennium, de quo Macrob. Saturn. III. 6. *Putean.* Dejunge litteras, et meo periculo emenda, *adscripsit is, qui, &c.* nam Octavium Herennium sentit. Adi Macrobium Saturnal. III. 6. Extat vero Albæ Juliæ in Dacia hæc inscriptio:

IOVI. STATORI. HERCVLI. VICTORI
M. VLP.
NERVA. TRAIANVS. CAESAR. VICTO
DECEBALO.
DOMITA. DACIA. VOTVM. SOLVIT
ASPICE. ROMVLE. PATER. GAVDETE
QVIRITES.
VESTRA. ISTA. EST. GLORIA.

Livin. Lætor venisse et mihi olim sub calamum conjectaneum Bongarsii, nec non Puteani, atque Livineii, nempe, *cognomen adscripsit is, qui cum, &c.* Intelligit autem M. Octavium Herennium, de quo Macrob. Saturn. III. 6. At Herculi, cognomento Victori, non unam dedicatam fuisse aram, non unum templum, conjicere est ex multis epigraphis, quas nondum nobis invidit omnia consumens vetustas. Eo enim titulo vocatur in Inscriptionum nostrarum thesauro, pag. XXIII. 2. L. 3. CCCXV. 7. 8. MLXX. 7. INVICTI vero nomine insignitur pag. XLVI. 7. 8. 9. 10. 12. XLVIII. 1. CCCXV. 7. MVI. 3. MXVII. 6. MLXX. 6. *Grut.* Recte inde in recipiendo *adscripsit is* primum ducem Cellarium secuti sunt reliqui. De Hercule Victore Cannegieter. ad Aviani Fab. XXXII. 5. *Arntz.*

Superare piratas] Intelligit Francos. Supra cap. XII. 'Quid nunc animi habet ille pirata,' &c. infra Paneg. seq. 'et domitis oppressa Francis bella piratica.' *Putean.*

CAP. XIV. § 1 *Filium*] Maxentium, ex Eutropia, Syra muliere. *Livin.* Neque tamen Maxentius fuit verus Maximiani Herculei filius, sed arte Eutropiæ suppositus, quæ partu gratissimo mariti animum tenere allaborabat, unde apud Auctor. incertum Paneg. Maxim. cap. III. dicitur 'cre-

ditus' ipsius pater. Cf. Cuperum ad Lactant. M. P. p. 218. *Arntz.*

§ 2 *Camillos*] Viros Romanæ reip. virtute clarissimos, et notiores, quam ut eorum historia sit referenda. Similis sententia apud Statium Silv. v. 2. 'Aliis Decii, reducesque Camilli Monstrentur: tu disce patrem,' &c. *Patarol.*

Demonstret] Hoc est in omnibus editionibus, et mox *ostendat*, ut referatur ad præceptorem; sed sententia est, ipsa Imperatorum facta ad institutionem Maxentii sufficere, neque opus esse, ut Camillorum aliorumque facinora ipsi exponat præceptor, satis in patre suo sibi exemplorum copiam habenti. Ex Gudiano itaque, de quo nihil monuerunt Schwarzius, aut Jægerus, et Vossii excerptis restituo, *vestra illi facta demonstrent, vos identidem et semper ostendant præsentes, optimos, &c.* ut Maxentio semper velut præsentes ante oculos versarentur Imperatores, iique ipsi, eorumque facta præceptoris vice fungerentur. Olim edebatur, *facta demonstret, vos . . . semper ostendat, præsentes et optimos, &c.* Arntz.

§ 3 *Domina*] Roma, quam et 'gentium Deam' dixit Martial. XII. 8. 'Deam Romam,' et 'invictam Romam' repræsentant nummi. *Patarol.* Priscianus Perieges. vs. 81. 'Qua domini rerum terris crevere Latinis, Ad Petram Leucen Aquilonis ab ore reductis.' Scribe 'reducti' ex Dionysio Perieg. vs. 78. ἀρξάμενοι ἕσω. Papius in suis invenit *reductus*, quod ipse vidi in duabus edd. antiquis, sed Papii observatio emendatior exstat in Oxoniensi, in aliis turbata; plura supra cap. I. § 4. *Arntz.*

Civitati] Treverorum civitati, quæ tum Maximianum tenebat. *Cellarius.* De ea cf. supra ad cap. I. § 1. *Arntz.*

Maiestatis] Sede inibi et domicilio fixo. Infra Genethliac. 'Lumina siquidem senatus sui misit, beatissimæ illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem majestatis suæ libenter impertiens, ut ibi tunc esse sedes imperii videretur, quo uterque venerat Imperator.' Proxime huic civitati Treverim significat, ut puto. *Livin.*

§ 4 *Mater*] Roma, metropolis et princeps urbs Romani imperii. *Cellar.* Vid. Berterii Pithan. Diatr. I. c. 7. Convenit Rutilius Itin. I. 35. 'Jam jam laxatis caræ complexibus urbis.' Deinde 'arctissimos' male quædam edd. Apud Priscian. Perieges. 187. legitur, 'Symplegades arctæ,' sed in cod. Leid. inveni 'arte,' id est, 'artæ,' licet nihil interesse putet Almelov. ad Rutilii Iter I. 242. vide ad Sedul. IV. 58. et Boltium Silv. Crit. p. 14. *Arntz.*

§ 5 *Et reditum*] Ex codice nostro, et ex utroque libro Gudiano, voculam *jam* clausulæ hujus Panegyrici restituendam censemus, ut sic posteriora verba legantur: *adhuc præsentia tua fruimur, et jam reditum desideramus;* id est, nondum a nobis discessisti, et nihilominus *jam* reditum tuum optamus, desideramusque. Quantam vim huic clausulæ conciliet ista particula, hi facile intelligunt, qui harum rerum habent intelligentiam. *Schwarz.* Schwarzium sum secutus in voce restituenda, ex Vossii quoque excerptis notata. *Arntz.*

PANEGYRICUS III.

Mamertini] Hunc Panegyricum Mamertino tribuit Car. Sigonius. Quidquid sit, nihil affirmare audeo. Puto tamen, hunc et superiorem ab eodem rhetore scriptum fuisse, ut apparet infra his verbis: 'Sed de rebus bellicis, victoriisque vestris, sacratissimi Imperatores, et multi eloquentia præditi sæpe dixerunt, et ego pridem, cum mihi auditionis tuæ divina dignatio eam copiam tribuit, quantum potui, prædicavi.' Veteres omnes codices nullo modo præscribunt nomen Mamertini; sic autem habent, *P. ejusdem Genethliacus Maximiani A. et Diocletiani*. Sic habet et Fabri; sic denique omnes, quos vidi. *Putean.* Dictum esse hunc Genethliacum, quidquid alii sentiant, an. CCXCI. persuadet mihi, quæ in rerum gestarum serie inest ratio. Dominandi studio agebantur Carausius, præsertim in Ægypto Achilleus, de quibus opprimendis collocuti Diocletianus et Maximianus Mediolani, brevi post, eamdem ob caussam, Constantium Chlorum et Galerium Maximianum creant Cæsares. Victor Cæsar. XXXIX. 22. Epit. XXXIX. 3. Orosius VII. 25. unde emaculandus Hermannus Contractus in Chronico, tom. III. Thes. Canisii, Part. I. pag. 212. 'Ob quæ Constantinus, Galerius, et Maximianus in regnum adsumuntur;' lege 'Constantius et Galerius Maximianus;' et lecti quidem sunt propter virtutem, et optima militiæ præcepta, quæ ab Aureliano Proboque hauserant, quibusque tyrannis habebantur debellandis pares. Julianus Orat. I. p. 7. A. Victor Cæsar. XXXIX. 28. id vero factum Kal. Martiis CCXCII. qui dies Chronici Idatiani auctoritate nititur; annum sequentem ponunt Basnage Annal. tom. II. p. 457. Baluzius ad Lactant. M. P. 7. et 20. quos refellit Pagius Dissert. Hypat. p. 159. et 236. Spanhemio itaque ad Juliani Orat. p. 55. largior corruptas esse inscriptiones L. 3. C. 'Quib. ex causs. major.' et L. 2. C. 'Si quis aliq. test. proh.' quibus Cæsarum diu ante occurrit mentio. Hæc si ad Genethliacum adcommodemus, non aliud illius habiti tempus constitui posse adparebit, quam dixi. Nulla enim in eo Cæsarum mentio, in quorum tamen laudes excurrendi occasionem non prætermisisset Mamertinus. Cf. Pagium Diss. Hypat. p. 185. Schwarzium Diss. præced. § 7. totus vero est in colloquio Mediolanensi; brevi igitur post illud dixit, sive 'proxime,' ut est cap. VIII. init. id vero institutum fuisse ante CCXCII. inde colligo, quia summa sunt hieme Mediolanum profecti, cap. IX. id est, ineunte an. CCXCI. deinde ad exercitus reversi, c. XII. § 1. cumque ita in Galliam revertisset Maximianus, oratio est Treveris habita, non Kalend. Februariis, sive die Herculis natali, quod credidit Schwarzius in Dissert. d. l. sed eo qui Maximiano verus erat natalis, non autem Cæsareæ vel Augusteæ dignitatis. Dies enim erat, qui Imperatorem 'primum in lucem protulit,' cap. II. § 1. memorat quoque virtutes cum 'nascentibus' ortas, bona 'naturæ,' quæ 'natalis' Imperatori tribuit, et quod 'nascentes bona sidera et amica viderunt,' quæ non nisi de die natali vero dici possunt. Hunc XII. Kal. August. ponit Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 4. saltem post mensem Aprilem dixisse, inde cernitur, quia Quinquennalia memorat, c. 1. princ. intelligit autem Quinquen-

nalia, non dignitatis Cæsareæ, sed sumti a Maximiano imperii, memorat enim dies sanctos, quibus 'imperii auspicia' sumta, c. II. § 2. jam Kal. Aprilibus an. CCLXXXVI. Augustus factus est Maximianus, ut probat Norisius d. l. c. II. et III. Quinquennalia itaque imperii iisdem Kalendis an. CCXCI. finiebantur, post quæ orationem dictam esse postulant Mamertini verba cap. I. § 3. adfirmantis se orationem eam, quam Quinquennalibus destinaverat, ad Decennalia servare, quod dici non potuit, si illa nondum essent præterlapsa. Ceteroquin enim hanc quoque in Quinquennalibus potuisset habere. Destinaverat in Quinquennalibus dicere, adeoque ante Kal. Apriles, quibus illa finiebantur; hæc cupiditas erat dilata, c. I. § 3. et exspectationem orationis tunc habendæ hac jam compensabat, ibid. § 1. unde notandus error Cuperi ad Lactant. M. P. p. 145. hunc Panegyricum ante quinquennalia fuisse habitum scribentis. Est vero *undecimus* in Guelf. et ed. Rhenani. In inscriptione Schwarzium sum secutus. Vid. Proleg. § 1. *Arntz.*

Genethliacus] Rationem hujus inscriptionis supra § 2. reddidi. Dicitur *Panegyricus Genethliacus*, i. e. natalitius: quia tales orationes habebantur in memoriam et honorem natalis alicujus. Cujusmodi orationum artificium exponit Dionysius Halicarnassensis, ubi tradit Μέθοδον Γενεθλιακῶν, sive præcepta de oratione natalitia. Neque solum oratores Panegyricis Genethliacis, sed etiam poëtæ carminibus Genethliacis cumprimis Principum natales celebrabant. Immo et privati privatis scribebant Genethliaca. Sic Aristides edidit 'Orationem Genethliacam in Apellam.' Sic Virgilius Ecloga IV. Asinii Pollionis filio Genethliacum dicavit. Etiam in Papinii Statii Silv. lib. II. 7. legimus, 'Genethliacon Lucani,' ut nunc alia taceam. Γενέθλια et Γενέσια dicebantur *festa natalitia*, et ipse *dies natalis* dictus est γενέθλιος ἡμέρα. Γενεθλιακὸς generatim est pertinens ad γενέθλην, i. e. *nativitatem*, seu *diem natalem*. Quia vero etiam prædictiones fieri consueverant ex natali die, cumprimis recens natorum, et ex sideribus natalitiis; hinc 'Genethliaci' etiam audierunt ii, qui prodigiosis artibus futura dicturos se pollicentur, de quibus agit Gellius XIV. 1. et Isidorus Origin. VIII. 9. scribit, 'Genethliaci appellati propter natalium considerationem dierum. Genesis enim hominum per duodecim cœli signa describunt, siderumque cursu nascentium mores, actus, et eventus prædicere conantur.' Quæ vero notio huc non pertinet. *Schwarz.* De discrimine inter 'Genesia' et 'Genethlia' vide Meursium de Funer. c. 36. *Arntz.*

CAP. I. § 1. *Sacratissime Imperator*] Nihil est mutandum, cum familiaris sit Mamertino ista loquendi ratio, ut Maximianum quidem Herculeum, Augustum, qui tunc præsens erat, numero singulari alloquatur, et nihilominus tamen mox toties in numero multitudinis subjiciat verba, itemque pronomina 'vos' et 'vester,' quoties vult, ut ea, quæ de die natali et virtutibus rebusque gestis Imperatorum disserit, non de solo Maximiano, sed etiam de Diocletiano, tunc absente, intelligantur. Eodem enim hoc Panegyrico, ut supra dixi, utriusque Imperatoris natalis celebratur, laudesque canuntur. Haud secus Mamertinus priorem etiam Panegyricum, Maximiano Aug. in die natali urbis Romæ dictum, ita exorsus est: 'Cum omnibus festis diebus, sacratissime Imperator, debeat honor vester divinis rebus æquari,' &c. Lectio, *sacer Imperator*, e compendio scripturæ orta esse videtur. *Schwarz.* Pluralis ille aliis quoque

hujus Panegyrici locis codicum auctoritate stabilitur; quo jure, cum Maximiano tantum præsenti dicta sit oratio, passim monent interpretes. Quod in quibusdam est, *sacer Imperator*, forte superstitioso debetur librario, majorem *sacratissimi* titulum arbitranti, quam qui homini daretur. *Arntz.*

Majestati] Recte: neque enim necesse est, ut pro casu tertio ponatur secundus, *majestatis*, quo hic casus ad nomen *laudes* referatur. Refertur potius ad verbum *canunt*, et simul ad sequentem formulam, *gratias agunt*. 'Canere alicui laudes' est dicere alicui laudes, uti apud Ovidium Art. Am. II. 740. 'Mihi dicite laudes; Cantetur toto nomen in orbe meum.' Alias 'canere' quasi proprium poëtarum est; hic orator id poëtice tribuit oratoribus, aliisque, quanquam et Plinius Hist. Nat. XVIII. 8. 10. 'Cato brassicæ miras canit laudes.' Ita idem Mamertinus in priore Panegyr. cap. I. § 4. 'Tibi potissimum, Imperator invicte, laudes canimus.' Quod vero librarius in meo codice posuit *laudem*, nempe singularem pro plurali, id ejus levitati imputandum. *Schwarz.* *Majestati* hic tuentur a me notata ad Sedulium Hymn. II. 26. secundum dativi elegantiam, quam adtigi ad præced. Paneg. XII. 8. Usum τοῦ 'canere,' Latinis tritum, Græci servant; ἀρετὰς ὑμνοῦσι Lysias in Corinth. Soc. p. 28. ed. Taylor. et in ᾄδειν, ut apud Ælianum V. H. VII. 14. XII. 45. quod in Indice Schefferus non male ex prisco more repetit, quo heroum laudes canebantur, quem adtigit Perizonius Anim. Histor. cap. 6. Deterior lectio *laudem* in Schwarzii cod. est quoque in Guelferb. magis in Vossii excerptis adhuc corrupta in *laudent*. Arntz.

Piæ vocis] 'Vox' pro oratione et dicendi facultate ponitur, uti in Eumenii Panegyrico ad Constantium Cæsarem cap. I. 'Rudimenta quædam vocis meæ rursus experior.' *Schwarz.* 'Fœnoris' pertinet ad præcedens 'debitum.' Debuerat oratio nem quinquennalibus, ea autem non habita, propter debitum non suo tempore solutum, fœnus erat persolvendum, cujus loco veluti hæc erat censenda oratio. *Arntz.*

Quinquennalibus] Quinquennalia, decennalia, et vicennalia erant dies dicati Imperatoribus. Dio lib. LIII. Infra c. 2. oratione Nazarii: in Panegyrico Constantino: 'Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia, et spes volucres constituerunt.' *Putean.* Quinquennalia, decennalia, vicennalia ab annis imperii sui Imperatores Augusti vocabant ludos et festos dies, votorum solutione, novorumque nuncupatione celebrandos. *Cellar.* Quinquennalia hoc loco dicuntur solenia, quibus post quinctum quemque annum celebrabatur natalis, sive auspicalis dies, Imperii Cæsarei a Maximiano suscepti. Significanter enim dixit Mamertinus, 'tuis quinquennalibus;' jam autem tunc alloquebatur Maximianum præsentem. Qui dies, secundum nostram computandi rationem, tunc inciderat in XII. Kalend. Decembr. A. C. CCLXXXIX. Scilicet, sicut natales vitæ Imperatorum quotannis rite solebant celebrari, ita natales imperii, sive dies auspicales imperii, ordinarie saltem quincto quoque anno exacto, recolebantur. Nempe, si exacti essent quinque anni post susceptum imperium, sive Augustale, sive Cæsareum, tunc quinquennalia agebantur solenniter, cum in urbe, tum in provinciis et castris, faciendis quidem sacrificiis, ludis Circensibus, et spectaculis scenicis ac gladiatoriis, item aliquando congiariis et donativis ex liberalitate Principum distribuendis;

neque minus Panegyricis habendis celebrabantur, et cum primis vota antehac nuncupata Diis solvebantur, et in proximum alterum quinquennium, pluresve annos, nova vota nuncupabantur: in quibus votis potissimum Imperatori incolumitas et longa vita, securitas imperio, domui Augustæ perennitas, exercitibus virtus et victoria adversus hostes, paxque orbi terrarum, expetebatur, hujusmodi fere formula, ut e Tertulliano aliisque constat, adhibita: 'Preces poscimus, Jupiter, uti sies volens propitius in decennium Augusto nostro; quod si faxis, tunc tibi votum bove aurato, ludis Circensibus, &c. esse futurum.' Exacto altero quinquennio, si Imperator viveret, et in eodem statu servaretur, celebrabantur quinquennalia secunda, quæ et decennalia, aut decennalia prima dicebantur; uti in quodam Diocletiani nummo: PRIMIS. X. MVLTIS. XX. Exacto tertio quinquennio, illucescebant quinquennalia tertia, sive quindecennalia. Elapso quinquennio quarto, prodibant quinquennalia quarta, qui etiam dicebantur decennalia secunda item et vicennalia, et sic porro per eosdem temporum gradus natales Imperii longævorum Augustorum et Cæsarum numerabantur. In horum solennium natalitiorum memoriam etiam numismata cudi consueverant. Sic in nummo Licinii Junioris, qui cum Crispo et Constantino Cæsar renuntiatus erat, intra lauream hæ conspiciuntur literæ: VOT. V. adscriptis verbis, CAESARVM NOSTRORVM, ut significaretur, illorum Cæsarum Vota Quinquennalia tunc fuisse soluta. In nummo Maxentii Augusti: VOT. V. MVLT. X. h. e. vota quinquennalia soluta, et in futurum tempus multiplicata, et nuncupata decennalia. In alio nummo Licinii: SIC. X. SIC. XX. i. e. sicut decennalia feliciter peracta, sic vicennalia peragantur. In nummo Gratiani Aug. VOT. XV. MVLT. XXX. In nummis Antonini Pii: VOTA SVSCEPTA DEC. III. i. e. vota suscepta decennalia tertia, sive in decennium tertium, sive tricennalia. In nummo Constantii Aug. VOT. XXX. MVLT. XXXX. i. e. vota tricennalia, multiplicatis quadragenalibus, &c. Originem horum quinquennalium et decennalium deducit Dio Cassius lib. LIII. p. 506. ab Octaviani Augusti temporibus. Sed invenimus, aliquando etiam in republica libera vota in quinquennium, item decennium fuisse nuncupata. Vide Livium XXI. 62. et XXII. 10. Sed, sicut antiquitus talia vota pro incolumitate reipublicæ nuncupabantur, ita sub Imperatoribus ejusmodi vota potissimum pro incolumitate Imperatorum concipi consueverunt. Ceterum hoc argumentum præ ceteris luculenter illustrarunt Henr. Norisius in Dissert. Chronologica de Votis Decennalibus, et Anton. Pagius in Dissert. Hypatica P. II. cap. 2. *Schwarz.*

Gemini] Utriusque Principis, Diocletiani et Maximiani. *Cellar.* I. e. hoc Panegyrico genethliaco, qui gemino natali Diocletiani et Maximiani dicitur. Etsi vero revera alio tempore Diocletianus, alio Maximianus natus esset, et proprie tunc non nisi Maximiani natalis illuxisset; ex uno tamen natali quasi geminum faciebant; cum tanta inter se concordia viverent hi Imperatores, ut, quod Mamertinus infra cap. VI. § 7. ait, 'uterque et suo et consortis imperio (natalique) frui videretur.' *Schwarz.* Gothofredus ad L. 11. Cod. Theodos. de Proxim. Comit. substituit 'genuini,' ut intelligatur dies quo in lucem erat editus, idque probare videtur Vicat. Vocabul. Jur. v. 'Genuinus,' quo modo nonnulli peccatum putant apud Apuleium Metam. XI. p. 404. emendantes, 'genuino ser-

mone nomen Augustum Cæsaris invocare,' sed 'gemino' recte tuetur de Rhoër Fer. Daventr. p. 226. Apud Mamertinum 'gemino' servo ex ea interpretatione, quam dedit hic Schwarzius, et Prolegom. § 7. hac enim oratione prædicandas sibi sumit virtutes, cum ipso velut Imperatore natas, pietatem et felicitatem; has autem non tantum Maximiano, sed etiam Diocletiano. Vid. cap. II. § 2. et cap. ult. § 3. easque cum ipso natali unius Imperatoris die celebraret, comprehendit utique et eumdem alterius, isque adeo erat 'geminus.' Infr. XIX. § 1. 'quæ gemino natali tuo prædicarem.' Parum itaque juvant, quæ commentatur Schwarzius ad cap. II. § 2. *Arntz.*

Tunc] Particula hæc non legitur in meo codice Ms. nec observata est in iis codicibus quos contulerat Gudius. Immo nec facile hæc desiderabitur hoc loco a lectoribus, si fuerit rejecta. *Schwarz.* Ut hanc vocem Guelf. ita cum Vossii excerptis omittit *susceperam:* male; est enim necessarium verbum, τῷ *repræsentare* oppositum. *Arntz.*

Repræsentem] Persolvam: hoc sensu verbum hoc etiam a Plinio cap. XXV. usurpatum, adnotavimus ibi cum Lipsio. *Patarol.* I. e. præstem et exsolvam. 'Repræsentare' generatim notat, aliquid statim et sine mora præsens exhibere, et exsequi. Deinde locum habet in jure, et potissimum de pecunia statim et vel ante diem persolvenda dicitur, prout Gronovius de Pecunia Vet. I. 6. docet, sic Ciceronem, Senecam, Suetonium, aliosque loqui. Cicero ad Attic. XII. 25. 'Reliquæ pecuniæ vel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, vel ab aliquo qui Faberio debet, repræsentabimus.' Suetonius cap. XLIV. 'Inquilinos jussit pensionem annuam repræsentare fisco.' Inde transfertur hoc verbum etiam ad alia quæque, quæ mature exequi, et præstare, atque ad effectum adducere dicimur, tanquam bonæ fidei debitores. Cicero ad Famil. XVI. 14. 'Dies promissorum adest; quæ etiam repræsentabo, si adveneris.' Ubi videtur loqui de promissa manumissione. Malo autem in hoc loco cum Gronovio legere 'quæ,' quam 'quem,' quod vulgo editum est. Hirtius de B. Alex. cap. 70. 'Cæsar respondit, se fore æquissimum Pharnaci, si, quæ polliceretur, repræsentaturus esset.' Suetonius in Claudio c. 37. 'Repræsentatur somnii fides.' Confer notam nostram ad Paneg. Plinii c. XXV. 2. 'An mediocris animi est, his potius repræsentare, quibus magis negari potest?' *Schwarz.* Priori significatione Curio sese 'repræsentasse,' id est, præsentem exhibuisse dicit apud Cicer. ad Divers. VIII. 2. ubi Cort. de pecunia præsenti die solvenda, Noodtius ad ff. p. 532. de re peragenda est apud Curtium VI. 11. 32. 'repræsentare consilium,' ut recte J. F. Gronovius; hoc Pitisci stupor non percepit, 'exponere' interpretantis: 'repræsentare pœnam,' Phædr. III. 10. 32. ubi Scheff. et Burman. Hegesippus Excid. Hieros. I. 41. 'pro hospitii munere gratiam se lucis repræsentare.' Cf. Drakenb. ad Livium II. 36. 6. Inlustrabunt hunc locum, quæ dedit Schwarzius supr. ad Paneg. Mamert. c. VI. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Noveram*] *Voveram* Langii schedæ, Cuspinian. Belle *Voveram*, id est, optaveram. Sequitur enim mox, 'gaudeo igitur dilatam esse illam cupiditatem meam.' Ovidius Met. XI. de Mida: 'Attonitus novitate mali, divesque miserque Effugere optat opes, et, quæ modo voverat, odit.' Apud Senecam quoque de Beneficiis VI. 36. ubi vulgatur: 'Quis pium dicet Æneam, si patriam capi voluerit, ut captivitate patrem eripiat?' reponam 'voverit,' ut supra dixerat, c. 25. 'et quidquid inimicus optaret, amantes vovent.' Addam

corollarii vicem et Tragœdi e Troade versus, qui non una menda inquinati: 'Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua, Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas Vincique volui, ruere et æquari solo Etiam arguissem. Sed regi,' &c. lego in primis, 'vincique vovi:' tum rescripserim, 'Etiam arcuissem: sed regi,' &c. sententia manifesta optasse se quidem, ut Ilium vinceretur, non etiam ut everteretur, quin animatum sic fuisse, ut excidium prohiberet, sed frenos iram noctemque non admisisse. Atque id est votum demum, cui Argivorum offensam deprecatur, Hercule Œtæo, ut nos quidem castigamus: 'Solibus virus ferum Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.' In editis vitiose est, 'offendi arguit.' *Livin.* Revocandam putavi lectionem duorum codicum calamo delineatorum, et heic et statim infra, quod illud antea vulgatum *Noveram* minime ibidem quadraret. Sed et illud displicuisse Puteano fidem facit dextera Danielis, annotantis alterum nostrum ipsum conjecisse, neque aliter editio vetus Cuspiniani. *Grut.* Lege utrobique, *Voveram;* præcessit, 'quod tunc voti promissione susceperam.' *Acidalius.* *Voveram,* i. e. optaveram. Ita vero recte in codicibus scriptis librisque recentius excusis nunc legitur: cum et hoc loco, et paulo inferius, ubi idem verbum *Voveram* repetitur, in editionibus Puteolani, Rhenani, Navii, H. et P. Stephanorum, item et Livineii, fere sine sensu, excusum esset *Noveram.* Cuspinianus primus optime evulgavit *Voveram,* quem deinde Gruterus et alii secuti sunt. Gruterus autem non solum e conjectura Puteani, sed maxime etiam ex auctoritate duorum codicum Mss. veriorem revocavit lectionem, cum illud antea vulgatum, *Noveram,* minime huc quadrare animadverteret. Sed Livineius quoque, etsi in contextu retinuerit vulgatam scripturam, in notis tamen ad hunc locum: 'Belle,' &c. Vide supra. Probamus cetera, sed in emendando verbo 'voluerit' apud Senecam, nos minus sibi consentientes habet Livineius. Nonne enim et ita loquitur Cicero pro Cluent. c. 66. 'Nihil est mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit.' Sic vero et Conradus noster Rittershusius, in hoc Mamertini loco, pro *Noveram* restituendum statuit *Voveram;* quia præcesserit, 'quod tunc voti promissione susceperam.' Sæpe ita peccarunt librarii, ut confuderint litteras *n* et *u*. Vide Commentarium nostrum ad Panegyr. Plinii p. 63. 77. 588. sic 'nota' et 'vota' commixta invenimus apud Ovidium Metam. XIII. 634. in notis Burmanni; apud Silium Italicum VI. 484. in notis doctiss. Drakenborchi; apud Florum IV. 6. 2. in notis Freinshemii, ut taceam multo plura hujuscemodi corruptelæ exempla. Tritum autem est, 'vovere' etiam poni pro optare, votis precari; quanquam Scaliger de Subtilitate, Exercit. CCCX. discrimen statuit inter 'votum' et 'optationem.' 'Optatio,' inquit, 'affectus est, hactenus prætéritus a philosophis. Est enim aliud a voto, quod ad aras, aut in periculis, contentiore voce fundebant populi preces Diis suis: παρὰ τὸ βοᾷν. Votum igitur est provocatio Deorum ad beneficia; optatio idem videtur, quod votum, sed sine stipulatione simplex; cum opem a Deo petimus; hæc enim in ipso verbo sunt.' Si itaque 'vovere' proprie est optare aliquid a Deo, sub promissione sacri muneris, videmus, cur Panegyristes hic dicere maluerit *voverat,* quam *optaverat;* quia nempe cum Augustis, tanquam cum Diis, loquebatur. Conjunxit tamen nihilo minus ista verba Cicero de Nat. Deor. I. 44. 'Quid optamus a Diis immortalibus? quid vovemus?' *Schwarzius.* *Noveram* in priori editione re-

tinuit Rivinus. Recte ex codd. locus est emendatus; apud Priscianum Perieg. vs. 19. 'vovit' servandum est, contra duas edd. antiquissimas, quæ 'novit' exhibent, forte propter Dionysii vs. 13. *τέμενος περίπυστον.* Cf. Drakenb. ad Liv. x. 37. 15. Duker. ad Flor. iv. 6. 2. Livineii emendationem in Senecæ Hercule Œtæo confirmant utriusque cod. Trajectini penes me lectiones, quæ in altero tamen loco *arguissem* servant. Pro Acidalio Schwarzius minus adcurate Rittershusium nominat. *Arntz.*

Autem] Schonhovii excerpta, *inquam:* repetitum forte ex sequentibus. *Idem.*

Contulistis] Livineius in margine editionis suæ annotavit, forte legendum esse *contulisti*, quia, ut opinor, respexit proximam allocutionem, 'sacratissime Imperator.' Quam Livineii conjecturam etiam laudat Jac. De la Baune. Sed solenne hoc est Mamertino, ut crebrius solum quidem Maximianum, qui tunc præsens aderat, alloquatur, verba tamen sequentia in numero multitudinis efferat; non ut, qui mos hodie quorundam est, majoris honoris caussa verbis in numero multitudinis utatur, sed ut testetur, se in honorem utriusque Imperatoris, Diocletiani et Maximiani, ista dicere: cum, quod jam supra memoravi, hi Principes concordissimi, amicissimique, uti majestatem et potestatem, ita et rerum gestarum laudem inter se communem habere vellent. Itaque et Mamertinus honorem, quem consecutus erat, non soli Maximiano, sed et Diocletiano imputandum duxit; inde non ait, 'judicio tuo,' sed 'judicio vestro sum consecutus.' Mirum ergo est, cur Lanr. Patarol sine suffragio ullius codicis Ms. aut alius *ἐκδόσεως*, in sua editione pro *contulistis* reposuerit *contulisti*. Schwarz.

Gererem] I. e. unde tantopere confiderem ingenio meo doctrinæque. Leg. 2. § 47. ff. de Orig. Juris, ex verbis Hadriani Principis: 'Si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se præpararet.' Ibi antea dixerat Pomponius: 'Qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant.' Sicut alii scriptores Latini dicunt, 'fidem fluxam gerere;' 'ingenium callidum gerere;' 'amicitiam, inimicitiam,' aut 'odium, gerere;' 'gerere pudorem;' ita Mamertinus dicere potuit, 'fiduciam gerere.' Et bene hoc loco ait Mamertinus, 'fiduciam mei,' ut Valer. Flaccus iv. 124. 'Cui det fiducia nostri, Nate, animos.' Et Plinius Epist. iv. 4. 'Ex fiducia sui, an ex contemtu Principis, dixerit, dubium est;' quanquam idem Plinius Epist. iv. 13. 'Ut hinc nihil aliud certum, quam fiduciam suam ferat.' *Schwarz.* Lactantius Instit. vii. 25. 12. 'Integritatis et innocentiæ fiduciam gerens:' ubi Buneman. *Arntz.*

Optarem] Legendum, *ut optare mihi.* Ritters. Codicem meum, et antiquiores editiones hic mendum occupaverat, cum *optarem* pro *optare* exhibeant, quasi *τὸ optarem* referatur ad particulam proximam *ut*, cum hæc demum vera horum verborum sit structura, *ut auderem optare mihi*, scil. tantum, *quantum judicio vestro sum consecutus.* Hanc saniorem lectionem jam edidere Rhenanus, H. Stephanus, Navius, Baunius, Cellarius, et Patarol. *Schwarz.* Inde a Baunio constanter *optare* receptum fuit, confirmatum a Vossii excerptis, et, ut suspicor, Guelferb. cum nihil pro varia lectione ad Cellarii edit. notatum invenerim; ipsa etiam flagitat sententia. *Arntz.*

Noveram] *Noveram* ante Gruterum edebatur, retinuitque in prima edit. Rivinus. Alterum postulat elegans ex præcedenti repetitio, ubi tamen similiter peccatum. *Idem.*

Pridem] Nempe, si nos calculum recte posuimus, jam xxi. Aprilis, anno Christi CCLXXXVIII. Maximi-

anus audierat Mamertini Panegyricum, in die natali urbis Romæ dictum; et alium Panegyricum idem Mamertinus præparaverat quinquennalibus Maximiani, quæ XII. Kal. Decembris ejusdem anni celebranda erant; sed hunc, propter Imperatoris absentiam, non dixit. *Pridem* significat parvo tempore prius, quasi 'prius die.' Observavit tamen Doletus tom. II. Comment. L. L. *pridem* etiam de longiori tempore usurpari, ut decem aut viginti dierum, aut mensis mensiumve, ac nonnunquam annorum, pro conditione materiæ. Cicero in Bruto c. 10. 'Fuit Themistocles, regnante jam Græcia, nostra autem civitate non ita pridem (i. e. paucos ante annos, secundum Gellium XVII. 21.) dominatu regio liberata.' *Schwarz.* Adde cap. V. 1. *Pridem* hic de biennio accipe, quamvis longius quoque spatium comprehendere queat, ut 'modo' de annis sedecim, 'statim' de duodecim, 'mox' de quinquennio. Vide Schulting. ad Senecæ Controv. p. 166. Berneccer. ad Justin. XXXVIII. 6. 6. Duker. ad Flor. I. 11. 8. 'nuper' de annis sexaginta exposuit Rupertus ad Pomponii Enchirid. p. 247. adde patrem meum ad Plinii Paneg. VIII. 5. Ita 'non multo post' de tempore longiori nonnulli acceperunt apud Valer. Max. I. 1. 13. sed auctoritate codd. 'non' recte ejecit Torrenius, præeunte jam Cujacio ad Paulli Sentent. V. 24. § 1. multo enim post Tarquinium culei in parricidas pœna XII. Tab. erat sancita, quæ apud Valerium per excellentiam 'lex' est. Cf. Rittershus. ad XII. Tab. Class. II. c. 11. Otton. Præfat. ad tom. IV. Thes. Jur. p. 13. Gothofred. ad L. unic. C. Theodos. de Parricid. De voce 'dignatio' vid. patrem meum ad Plinii Paneg. XLVII. 1. Reines. ad Petron. c. 57. infr. V. 1. 'auditionis dignatio;' et Auson. Grat. Action. X. 3. Denique hunc locum recte adhibuit Baunius de Auctore Paneg. II. ut ostenderet, hujus et præcedentis Panegyrici eumdem esse auctorem. *Arntz.*

Dicendi] Variant hic quidam libri. Pro gerundio *dicendi*, participium *dicenti* ex suo codice vetere, et Bertiniensi annotavit Livineius, sed eo consilio, ut ostenderet, hanc varietatem sibi non placere. Ad hæc Gudius in altero libro monuit, in alio codice Ms. omissum esse nomen *præmium*. Immo et in meo codice ita hæc verba leguntur, *hoc ipsum mihi maximum dicenti videbatur, ut dicerem.* Posset qualiscunque sententia hinc erui: melior tamen est vulgata lectio, quam et nos sequimur. Neque probamus, quod Livineius in notis suis tradidit, Latinius et usitatius futurum fuisse, si Mamertinus scripsisset, *quod dicerem*, quam *ut dicerem*. Utique enim hæ ipsæ voces, *hoc ipsum præmium*, respiciunt velut finem dicentis Mamertini, qui erat, ut iterum iterumque diceret, et ab Imperatore audiretur. Grammatici vero docent, quando de 'caussa finali' sermo est, postulari 'ut.' Id ergo dixisse videtur Mamertinus: hoc ipsum mihi maximum dicendi præmium æstimabatur, et intendebatur, 'ut' iterum iterumque liceret mihi coram Maximiano Imperatore dicere. Sic fere loquitur et ipse Cicero, in Vatinium cap. 5. 'Habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate et sordibus tuis obtegatur.' *Schwarz.* Codicum lectionem, et Vossii excerpta in emendando contextu secutus sum, cum antea constanter fuit editum, *mihi maximum dicendi præmium videbatur.* Videtur *præmium* ex margine receptum, ut foret aliquid, quo *maximum* referretur. Hoc nihil opus auxilio. Cum præcedentem haberet Panegyricum Mamertinus, id sibi videbatur maximum, ut præsente Imperatore diceret; id est, dicere posset, atque inde voverat, ut eadem præsentiæ felicitas sibi iterum obtingeret. Quam facile *dicenti* in *dicendi* migraverit, docui ad Arator. II. 111. ut apud eund. vs. 1151.

in Aldin. est, *edendi*. Josephus Iscanus de Bell. Trojan. III. 248. 'At turba precandi Stipatrix juveni fas invidet.' Scripsit, me judice, 'precanti.' *Arntz*.

Ut] Latinius et usitatius erat, *quod dicerem*, de quo hoc opere alias fortasse. *Livin*. Cf. eumd. ad Paneg. Incert. c. IX. Meliora docuit in præcedenti observatione Schwarzius. *Arntz*.

§ 2 *Faciem*] Præsens tempus, *facio*, quod etiam sequenti verbo præsentis temporis *reservo* apte quadrat, exprimit meus codex. *Schwarz*. Suspicor Mamertini esse, *omnis orationis ejus*, ut apud Ciceron. pro Sextio c. 66. 'Sed mihi omnis oratio est cum virtute.' Orationis enim compositæ ex parte jacturam faciebat, quia eo, quo destinaverat, tempore dici non potuerat. Servabat quidem ad decennalia, et quæ generatim ad quinquennalia pertinebant, ea ad decennalia adcommodari quoque potuisse, non sum qui negem, sed tamen quædam essent haud dubie mutanda, alia delenda, quæ minus placerent, alia, quæ deinceps contigerant, inserenda, quorum itaque omnium jacturam faciebat, non tamen totius orationis, ea ipsius parte, quæ tempori conveniebat, usurus; nisi tamen 'oratio' capiatur pro ejusdem parte, ut apud Ciceronem de Orator. II. 78. ubi Harles. *Arntz*.

Exacto] I. e. completo et præterito. Vides ergo, hæc saltem quinquennalia non peractis quatuor annis, primo die quincti anni, sed expletis quinis annis, celebrata esse. Sic 'exactus' pro completo et ad finem adducto sæpius dicitur: v. g. apud Suetonium in Calig. cap. 8. 'Germanicum exacto consulatu in Galliam missum consentiunt.' De quinquennalibus et decennalibus vide quæ dixi ad hoc cap. § 1. *Schwarz*. Cf. Pagii Dissert. Hypat. pag. 134. *Jæger*. Scilicet hæc ita interpretatur Pagius, tamquam initio anni quinti haberi debuisset oratio, quam memorat Mamertinus, quia quinquennium designabat annos ante quinquennalia lapsos, quo fieret, ut 'exactum quinquennium' foret anni quarti finis. Contra Schwarzius hoc interpretatur de fine anni quinti. Vera videtur Pagii opinio, namque quinquennalia initio quinti anni suscepta esse testatur Eumenius Gratiar. Action. Constantin. 1362. atque ita non intercedo, quo minus 'quinquennium exactum' de lapsis quatuor annis capiatur. Est enim 'exactum' transgressum, præteritum, ut loca Virgilii interpretatur Nonius Marcellus Propriet. Sermon. IV. § 158. 'incipientem diem' et 'exactum' opponit jurisconsultus in L. 134. D. de V. S. neque aliter 'exactum quintum et vicesimum annum' capere licet in L. 6. C. de Interd. Matrim. aut 'exactam ætatem,' de qua Cortius ad Sallust. Jugurth. VI. 2. Ciofan. ad Ovid. Metam. VIII. 706. Drakenb. ad Livium II. 40. 11. Sed tamen ideo non Schwarzio adsentior, quinquennalia fuisse habita expletis quinis annis, aut orationem illam initio quinti haberi debuisse, quod Pagio videbatur. Distinguendum puto inter suscepta quinquennalia, et festivitates in iis peractas, spectacula, epulas, et quæ alia enumerat Eusebius Hist. Eccles. VIII. 13. ad quas etiam pertinebant Panegyrici. Suscipiebantur initio quinti anni, festivitates per eum totum agebantur, aliquando in fine, quæ celebranda quinquennalia 'perfecta,' et 'plena' adpellat Eumenius d. l. interprete Jægero, 'exacto prope quinto anno,' ut 'exactam ætatem' prope finitam Drakenborchius d. l. Quæcumque igitur in fine quinti anni habebantur orationes, habebantur 'exactis quinquennalibus,' id est, fere præterlapsis, etiam 'exacto quinquennio,' id est, post finem anni quarti, et quinquennalia initio quinti suscepta. Ce-

terum ex hoc loco in errorem ductus est Cuperus ad Lactant. M. P. pag. 145. cum hanc orationem ante quinquennalia habitam censuerit. Similia huic loco sunt hæc Ausonii Gratiar. Act. xxvi. 2. 'Me istam dixerim seposuisse materiam, et in tempus aliud reservare.' *Arntz.*

Lustris] I. e. quinquennalibus omnibus, sive diebus festis, quibus, exacto quoque quinquennio, celebrabatur dies auspex imperii Imperatorum et Cæsarum. Sic Festus, ubi 'lustri' significationes explicat: 'Lustrum,' inquit, etiam 'significat tempus quinquennale.' Varro de Ling. Lat. lib. v. 'Lustrum nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc est, solvendo, quod quincto quoque anno vectigalia, et ultra tributa per censores solvebantur.' Ad eandem significationem declarandam conspirant hæc nomina a Mamertino usurpata: 'Quinquennalia, quinquennium rursus exactum; decennalia,' i. e. quinquennalia II. et *lustrum*. Non quidem nego, aliquando 'lustrum' etiam de quatuor annorum intervallo dici, ut quincto quoque anno ineunte 'lustrum peractum' intelligatur, maxime si comparetur cum Olympiade Græcorum; tamen nihil dubito, quin et hoc loco, et alibi sæpius ab auctoribus Latinis de quinque annorum intervallo peracto dicatur. Sic hoc significatu utitur Martialis x. 38. 'O molles tibi quindecim, Calene, Quos cum Sulpicia tua jugales Indulsit Deus, et peregit annos! ... Vixisti tribus, o Calene, lustris; Ætas hæc tibi tota computatur, Et solos numeras dies mariti.' Inde intelligimus, a Martiale quindecim annos conjugii Caleni vocari 'tria lustra;' quod fieri non posset, si per singula lustra non denotarentur quinquennia exacta, sive completa. Sic Horatius, cum significare vellet, se jam esse quinquagenarium, Od. IV. I. 6. scribit: 'Desine, dulcium Mater sæva Cupidinum, Circa lustra decem flectere mollibus Tam durum imperiis.' Sic 'bilustre tempus' a Sidonio Apollinare Epist. IV. 24. et IX. 16. sumitur pro tempore decennali; ubi observavit Jo. Savaro, 'lustrum' a Sidonio semper pro quinquennio peracto poni solere. Cf. Gerhardum Jo. Vossium in Etymologico, sub voce 'Lustrum.' Sicut ergo Mamertinus hoc loco, ita et Sidonius Carm. XIII. ad Majorianum Imperatorem, 'lustrum' cum 'quinquennalibus' componit: 'Sic te .... Multos purpura vestiat per annos! Sic, lustro imperii perennis acto, Quinquennalia fascibus dicentur.' *Schwarz.*

CAP. II. § 1 *Sui*] Ordinarie dicendum erat, *sua majestate;* uti Cicero de Divinat. I. 38. 'Neque Dii hoc alienum ducunt majestate sua,' ubi non dicit 'majestate sui.' At enimvero scriptores sequioris ævi sæpius pronomina primitiva, per enallagen, cum nominibus, quæ non affectum, sed facultatem, aut simile aliquid significant, conjungunt: v. g. 'mei caussa,' 'tui caussa,' pro 'mea caussa,' 'tua caussa,' &c. At sic jam Plinius Paneg. LXXVI. 1. 'Triduum totum senatus sub exemplo tui sedit.' Trajanus apud Plinium Epist. x. 29. 'Mei loco mitteris.' Et nescio, an non huc etiam referam illud ipsius Ciceronis Philipp. IV. 1. 'Frequentia vestrum (vestra) incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse videor,' &c. *Schwarz.* Cf. etiam Mamert. Paneg. IX. 3. et Incerti Paneg. Max. et Const. x. 3. et Paneg. Eumen. VI. 2. et ibi adnotata, nec non XIII. 5. itemque Paneg. Nazar. VI. 2. *Jæger.* Dixi supr. Paneg. XIII. 4. adde Buneman. ad Lactant. Instit. Div. VII. 5. 6. neque video, cur hoc ad sequioris ævi scriptores referat Schwarzius. Optimos tamen distinguere, ut alia sit 'imago mea,' alia 'imago mei,' exposuit Nolteniua in Lexic. p. 1672. *Arntz.*

Perstringit] Hoc verbum in omnibus, quæ mihi innotuerunt, horum Panegyricorum editionibus, plurimisque codicibus Mss. deprehenditur. Livineius in margine notavit, in Bertiniensi codice legi, *perstrinxit*, at forte scribendum esse, *præstrinxit*. Grutero videtur legendum, *præstinguit*, sive potius *præstingit*, cui ex parte adstipulatur codex meus, in quo scriptum *perstingit*; quam facile autem præpositiones *per* et *præ* in codicibus antiquis commutantur? Verbum quidem 'præstinguere,' sive 'præstingere' compositum est ex 'præ' et 'stinguere' sive 'stingere.' Priscian. l. x. p. 882. ubi agit de verbo 'extinguo:' 'Cujus simplex,' inquit, '*stinguo* in raro est usu: Cicero tamen in Arato, *stinguens* participio usus est, quod a verbo *stinguo* nascitur: 'Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas Interimet stinguens præclara insignia cœli.'' Simplici verbo utitur etiam Lucretius IV. 1092. 'Ardorem in membris stinguere possit.' Secundum vetera Glossaria 'stinguo,' sive 'stingo,' valet deleo, pungo, perimo. At verba hinc composita sunt usitatiora, v. g. 'distinguo,' i. e. dispungo, discerno. 'Exstinguo,' sive 'extinguo,' i. e. opprimo, deleo, perimo, ignem, flammam. 'Præstinguo' itidem notat, extinguo, perimo, obtenebro. Vocant vulgo huc illud Lucretii III. 1057. ubi de Epicuro loquitur: 'Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes Præstinxit stellas, exortus uti æthereus sol;' i. e. quasi extinxit, sive restinxit Epicurus omnes ingenio suo, ut sol adventu suo stellas restinguit, cum lumen illis adimit. Sic Lambinus ibi legit; qui, cum ad Lucretium et Horatium, tum ad Ciceronem pro Rabir. cap. 16. pertinacissime contendit, non solum apud Lucretium, sed et in plurimis scriptorum veterum locis, ubi hodie legimus 'perstringere,' sive 'præstringere,' reponendum esse 'præstinguere.' Lambino etiam assentitur Acidalius in Lectionibus Velleianis ad II. 118. At Lambinum dudum refutavit Obertus Gifanius in Indice Lucretiano, ubi testatur, eos, qui verbum 'præstringere' ubique in 'præstinguere' mutent, non recte facere, cum omnes omnium scriptorum libri veteres repugnent, et ipsi grammatici. Refutavit et Taubmannus ad Plautum in Mil. Glor. I. 1. 2. ubi fide codicum Mss. ita legit: 'Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior, quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent: ut .... oculorum præstringat aciem in acie hostibus.' Præterea refutavit Lambinum Drakenborgius ad Sil. Ital. I. 358. ubi poëta cecinit: 'Qualis sanguineo præstringit lumina crine, Ad terram cœlo decurrens, ignea lampas:' ubi hanc caussam ita transigit: 'Si, quod Lambino damus, *præstinguere oculos* interdum dixerint optimi auctores, minime tamen hinc effici potest, locutionem illam, ejecto τῷ *præstringere*, et *perstringere oculos*, ubique recipiendam esse.' Jam, quod ad verba 'præstringere' et 'perstringere' attinet, fatemur quidem, ista frequentissime inter se permisceri; quod inde usu venit, quoniam veteres librarii præpositiones, 'per,' 'præ,' 'pro,' sive solæ stent, sive cum verbis componantur, in codicibus Mss. ut plurimum unica saltem litera *p* exprimunt, addito quidem tenui signo, quo a se distinguantur; ad quod vero signum imperiti, et negligentes librarii non semper attenderunt; unde crebra istarum præpositionum confusio extitit: cujusmodi confusionis non pauca exempla ad Panegyricum Plinii pag. 263. 463. 471. et 473. annotavi. Interim, sive verbum 'præstringere,' sive 'perstringere' assumas, ubi de oculis præstrictis, vel perstrictis sermo est, verbum utrumvis per obnubi-

lare, obtenebrare, vel occæcare interpretari poteris. 'Stringere' enim proprie est radere, percutere, percellere. Hinc deducitur 'strictura.' Jam autem, explicante Nonio Marcello de Propriet. Serm. cap. 1. 'Stricturæ dicuntur proprie scintillæ, quæ de ferro ferventi exeunt, quod aut stricte emittantur, id est, celeriter, aut oculos fulgore præstringant.' Fulgor adeo et splendor aciem 'oculorum perstringere,' vel 'præstringere' dicitur, cum celeri ictu ferit, ut hebetet, aciemque retundat, atque oculos quasi obtenebret. Supersedeo congerere utriusque hujus verbi exempla, quorum affatim est: quamvis putem, paucissima inveniri scriptorum veterum loca, in quibus ea verba non in quibusdam exemplaribus commutentur. Sic e. g. ubi in Ciceronis Catone cap. 12. hæc legimus: 'Impedit consilium voluptas, rationi inimica est, ac mentis, ut dicam, præstringit oculos;' ibi Grævius in variis lectionibus ad hunc locum notavit, 'præstringit oculos' inveniri quidem in Palat. sec. et in editionibus veteribus, ut et Langii et Gruteri; in aliis 'perstringit oculos;' in multis Mss. 'præstinguit.' Quæ cum ita sint, etsi ad sententiam Panegyristæ nihil intersit, quodcumque horum trium verborum eligas, ac vel *præstringit*, vel *perstringit*, vel *præstinguit* Mamertino substituas; et licet ego præoptem hoc loco legere *præstringat;* nole tamen verbum *perstringit* ex hac tam diuturna possessione exturbare. Ita vero etiam loquitur Valerius Maximus II. 10. ex. 6. 'Servus publicus claritate viri, C. Marii, obcæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas (h. e. clades Cimbris a C. Mario illata) oculos hominis perstrinxit.' Idem IX. 1. ex. 5. 'Cum acerrimus hostis, Sertorius, Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret,' i. e. percelleret, et territaret. *Schwarz.* Lambino quoque est oblocutus pater meus ad Victor. O. G. 14. 2. mihi, quam analogiæ tuetur ratio, præplacet soceri mei distinctio in Dissert. de Ætat. et Stil. Aviani cap. 22. probata a Jægero infr. ad Eumenium Constantino XVII. 1. ut 'præstringere' sit, majori luce, aut pluribus stricturis vincere, et per metaphoram gloria superare, 'perstringere' vero adtingere, radere; unde oculus dicitur 'præstringi,' si alterius splendore hebetatur, 'perstringi,' si telo, rimam vel vulnus faciente, percutitur. Est enim 'stringere,' tangere, radere, percutere, apud Nonium de Propr. Serm. cap. 4. n. 442. quod ex Thuaneo penes me restituendum arbitror Martiali I. 18. ut legatur: 'Quam de vulneribus strinxerat ipsa suis:' vulgatum enim 'traxerat' est alterius glossa; nec minus apud Quinctilian. Declam. II. 16. 'Quos non ipsa vestigia frangant rumpantque somnos,' ex meo cod. lego, 'stringant rumpantve;' quæ enim distinctio 'frangere' inter et 'rumpere somnos?' sed si quem vestigia 'stringant,' sive tactu modico prætereant, eo fit, ut somnus rumpatur, quo modo mulier in somno rigore occisi mariti dicitur 'stringi,' ead. Declam. cap. 18. adde Burman. Secund. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 162. hinc jam, pro natura præpositionum in compositis, alia nascitur notio, a Cannegietero recte distincta, ex cujus indole 'præstringere' quibusdam locis recte tuentur Drakenb. ad Silium Ital. I. 358. ad Livium XL. 58. 4. Oudendorp. ad Lucan. I. 154. qui tamen, si nulla sit in codd. varietas, 'perstringere' quoque rectum putat, ubi 'præstringere' esset dicendum, ex qua ratione, damnata etiam Gruteri conjectura, hoc loco illud retinet Drakenborchius; adde Bunem. ad Lactant. Instit. II. 6. 2. Contra codices solam Livineii conjecturam in

contextu obtrudere non sum ausus, Mamertinum tamen scripsisse certus *præstringit*, ob sequens *inlustrior*. Codicum, hoc loco in 'perstringit' conspirantium, me non movet auctoritas, quia eodem modo peccant iis locis, quibus ex aliis 'præstringere' jam recte est receptum, ut apud Eumenium Constantino XVII. 1. Nazarium Constantin. v. 1. cujus permutationis alia dederunt exempla Oudendorp. ad Sueton. Aug. 19. Burman. ad Claudian. Cs. Honor. III. 134. Dempater. ad Rosin. x. 10. Klotz. Miscell. Critic. p. 14. Ad Cannegieteri normam si loca exigamus, facilis erit lectionis in dubio constituendæ ratio, iis quoque locis, in quibus non satis adcuratus est Heinsius ad Prudentium Cathem. VII. 32. neque minus adparebit, Drakenborchii, aliquando 'perstringere' defendentis, sententiam parum esse certam. Provocat quidem ad eumdem Valerii Maximi locum, quem adhibuit Schwarzius, sed metaphorice loquentis, atque servum dicentis obcæcatum, quia Cimbrica calamitas oculos ipsius 'perstrinxerat;' recte, neque enim 'præstrinxerat' scribere potuisset, quia calamitas illa fuerat tamquam telum, quo oculi erant velut obcæcati; hoc autem est 'perstringere,' et hinc in altero Valerii apud Schwarzium loco est 'telis perstringeret.' Apud Vegetium de R. M. I. 9. recte 'præstringit oculos' maluit de Rooy Spicil. Crit. p. 50. non aliter apud Josephum Iscanum Bell. Trojan. III. 16. restituo, 'præstringit aciem,' quod flammæ et igni, de quibus agit, proprium; contra deterius hoc est apud Priscianum Perieges. 23. in cod. Suecico, in Actis Societ. Jenens. part. v. et duabus edd. vetustissimis. Apud Juvencum Hist. Euang. II. 771. 'præstringit' malebat Schœtgenius, sed 'perstrinxit' servat vetustissimus Cantabrigiensis, cujus variantes possideo, idque probo, non occæcandi sensu, quod videbatur Reuschio, sed objurgandi. Ceterum Schwarzio adsentior, in confusionis ratione ex præpositionum scriptura, de qua egi ad Arator. I. 903. II. 773. *Arntz.*

Dies] In Guelferb. et Voss. excerptis vox hæc deest; potest abesse, facillime ex præcedenti repetenda; quo minus tamen ejecerim, fecerunt notata a Drakenb. ad Livium Epit. 115. sæpe enim voces in eadem periodo repetitas fuisse docui in Miscellan. p. 70. ita ex Groningano arbitror restituendum Isidoro Orig. II. 26. 'Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus speciebus.' 'Species' et 'speciebus' omissum erat a Gothofredo, prius Petito. Cicero Catil. III. 10. 'Crudelissimoque bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello.' Livius v. 34. 2. 'Ab hora quarta usque ad octavam fere horam.' Ita infra x. 1. legendum, 'vestrorum itinerum comparentur, quanto hæc vestra itinera.' Adde collegam optimum, Bondamium Var. Lect. p. 39. et ad Eumen. Constantio VII. 4. *Idem.*

§ 2 *Hæc*] *Hoc* tuentur notata ad Sedul. Epist. ad Maced. p. 6. Pertinent autem hæc ad natalem alterum Imperatorum, qui erat primus dies principatus, aut suscepti imperii, de quo latius Schwarzius ad Plinii Paneg. XCII. 4. *Idem.*

Tales declaraverunt] I. e. tantos, tamque eximios et divinos. Hic enim frequens est hujus vocis usus, ut singularem, et illustrem laudem, eamque maxime respiciat, de qua jam dici cœpit. Cicero pro Quinctio cap. 20. 'C. Aquillius, talis vir.' Sallustius in Jugurth. cap. 10. 'Observate talem hunc virum.' Corn. Nepos Alcib. cap. 6. 'Quod talem virum e civitate expulissent.' Pro *declaraverunt* in meo codice, et primo Gudii libro extat *declaraverint*, qui modus potentialis hoc loco non parum nobis placet. *Schwarz.* De usu vocis *talis*

e quo fonte hanc deduxerit lectionem. Eam vero e codicibus Mss. in utroque libro Gudius annotavit opportune. Nihil vero aliud Mamertinus voluit dicere, quam Diocletianum et Maximianum non solum per nomina sua, alterum quidem per nomen Jovii, alterum per nomen Herculii, sed multo magis, per virtutes suas, et facta immortalia, originem divinam probare, illum quidem ex Jove, hunc ex Hercule. Et sane idem hoc loco dicit Mamertinus, quod jam in priore Panegyrico cap. II. 3. dixerat Maximiano, 'An divinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris?' Tenues quidem hæ probandæ originis divinæ origines, quæ tamen tunc apud auditores Mamertini non nullam speciem præ se ferre potuerunt. De origine divina a Diocletiano et Maximiano affectata, supra sect. 4. disserui. *Schwarzius.* Livineii immemor fuit Schwarzius, qui dudum ante conjecturam ad Lipsium perscripserat. Vid. Syllogen Burmanni tom. I. pag. 689. eam vero, jam a cod. Gudiano confirmatam, cum Schwarzio et Jægero retinui, quorum ille rectius hic codicibus est obsecutus, cum ad præced. Paneg. c. 1. § 4. pro 'et numinibus,' substituisset 'cognominibus.' *Nominibus* flagitat oppositum *virtutibus*, eodem modo, quo 'res' et 'nomina' passim opponuntur. Pacatus Paneg. XXIX. 3. 'Qui nominibus antistites, re vera satellites.' Cortium illic *numinibus* emendantem refutavi in Addendis ad Sedul. p. 272. adde supra ad Nostri Paneg. c. I. § 3. et c. III. 1. 'Numinum' recte restitutum est Eumenio Pro Instaur. Schol. XIX. 3. Divina hæc nomina aliis exemplis confirmavit Cuperus ad Lactant. M. P. p. 147. ubi etiam Galerius, horum forte Imperatorum exemplo, dicitur se Marte procreatum adfirmasse. Adde Schwarzium in Proleg. supr. § 4. *Arntz.*

Adprobatis] I. e. probatis, testamini, declaratis. 'Approbare' est ostendere et persuadere aliis. Sueton. in Augusto cap. 17. 'Quo magis degenerasse eum a civili more approbaret.' Florus II. 11. 'Negatus est victori triumphus, quia caussam belli non approbavit.' Petronius cap. 74. 'Ut ex æquo jus firmum approbaret.' *Schwarz.* L. 5. pr. ff. de Serv. corrupt. 'vel adprobata atque justa ratione:' ubi in cod. Vlamingii fragmento penes me est, 'alia probata:' dudum ex geminatione restitui 'alia adprobata,' ad Sedulium II. 271. Adde Burman. ad Quinctil. Declam. VII. 1. *Arntz.*

Discursibus] I. e. itineribus et expeditionibus. Eodem modo loquitur Eumenius in Paneg. Constantii Cæs. c. 3. § 2. 'Cujus tutelæ licet esset, omni hoste perdomito, certa securitas, nimios tamen in diversa discursus vel revisenda poscebat.' Nescio, an hi Panegyristæ forte in mente habuerint, quod Cicero Orat. pro Marcello cap. 2. de Julio Cæsare dixit: 'Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam, cursibus, sed victoriis, illustratæ sunt.' *Schwarz.* Paneg. Incerti Constantino c. XII. 'Bellorum toto orbe surgentium discursum adparatumque describit.' Indicat præcipue itinera ingenti celeritate in regiones longinquas confecta, est enim hæc vox vagis et incertis itineribus propria, notante Barthio ad Claudian. Cons. Honor. IV. 142. 'Toto orbe deducere' explicui supr. ad Paneg. II. 5. *Arntz.*

Semper auxilii vestri caritate] Locus mendosus. Conjicio verum, *ut nos, semper anxios vestri caritate, nuper, &c.* et mox, *impulerit*, non *impleverit*. Livin. Nihil heic intelligo. Forte fuit, *super auxilii vestri caritate.* Sed quid et illud sibi velit, nescio. An conjicere licet? *sempiterna vestra cari-*

tate: aut adeo, *semper anxii vestri caritate*, &c. ut vox *impleverit* mutanda veniat in aliud quid. *Grut.* Nihil in toto isto video, nisi emendem, *ut nos sempiterna illa vestri charitas nuper ad laborem piæ consecutionis impulerit*; quod sequentia plane firmant. Etiam *deducit* volebam mutare, sed ita etiam id verbi usurpatum præcedenti proxime Panegyr. 'Quæ castra dominum habitura susceperint, quæ bella deduxerint, quæ victoriæ auxerint.' *Acidal.* Legendum *anxios* conjectat Livineius, et quidem apposite; nec enim aliter sententia reddi potest. *Paterol.* *Anxios*, i. e. sollicitos. Sicuti enim Cicero ad Attic. II. 24. dixit: 'Non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus atque anxius.' Ita etiam Mamertinus dicere potuit, *nos anxios vestri caritate*. Hoc enim dicere voluit: Illa via divinitatis, quæ vos tantis discursibus et itineribus toto orbe deducit, nos etiam, qui amore vestri semper soliciti atque anxii sumus, nuper impulit, ut libere quereremur, nempe de absentia vestra, et de tot periculis, quæ in istis itineribus aditis. Etenim, ut Ovidius cecinit, Epist. Heroid. I. 11. 'Quando ego non timui graviora pericula veris? Res est solliciti plena timoris amor.' Sic et Mamertinus junior in Grat. Act. Juliano dicta cap. XXIV. § 7. dixit: 'Anxia est fidelium diligentia: maximo amori maximus timor junctus est.' In quam sententiam etiam eleganter scripsit Plinius Epist. III. 17. 'Ipse valeo, si valere est, suspensum et anxium, expectantem in horas, timentemque pro capite amicissimo, quidquid accidere homini potest.' Sumus enim suspensi et anxii de iis, quos ardentissime diligimus: hinc etiam Mamertinus professus est, se semper anxios fuisse caritate, sive amore Imperatorum. Et quidni dixerit, *anxios caritate*; uti Tacitus dixit Annal. I. 14. 'anxius invidia;' Hist. II. 92. 'anxii odiis;' Valerius Maximus IX. 3. 'amara solicitudine, ne non contingat ultio, anxius,' &c. Antehac hunc locum sic prorsus corruptum, atque obscurum exhibuerunt: *ut nos semper auxilii vestri caritate nuper ad libertatem piæ constitutionis* (pauci habent *conquestionis*) *impleverit*. Jacobus De la Baune hæc commentatur: 'Hic locus mirifice,' &c. Sed ista cum minus cohæreant, magis obscurant verba Mamertini, quam illustrant. Rem propius jam ante acu tetigerat Livineius in notis suis, qui tamen optimam conjecturam non ausus est admittere in contextum, et cui neque alii obtemperarunt. 'Locus mendosus,' inquit, 'conjicio,' &c. Sed dignam hanc lectionem judicavi, cui locum darem; neque eam harum rerum intelligentibus displicituram spero; nec mirum his accidet, quemadmodum ab imperitis librariis, pro voce *anxios*, vulgo obtrudi potuerit nomen *auxilii*: cum similis varietas etiam Quinctilianum in quibusdam codicibus maculaverit; ubi enim Instit. Orat. XI. 1. nunc recte legitur, 'Anxium de fama ingenii,' ibi, teste Burmanno, pariter codices quidam perperam habent, 'auxilium de fama.' *Schwarz.* Schwarzium in hac lectione secutus est Jægerus, eamque, adcedente Gudiani cod. auctoritate, probo, et firmat ipse Mamertinus infr. cap. III. § 8. 'Ut jam nobis illa, quam pro vobis susceperamus, cura ponenda sit.' Et cap. IV. princ. 'Interdum etiam pro amoris inpatientia timebamus.' Lipsio conjecturam jam indicaverat Livineius, in Sylloge Burmanni tom. I. p. 689. *Arntz.*

Constitutionis impleverit] *Conquestionis* recepi in contextum, ejecto *constitutionis*, quod hactenus perperam omnes occupabat libros. Alterum illud tuetur se auctoritate duarum membranarum. Maluissem præterea *impulerit*, si ulla aura libri

scripti exorta fuisset, andaciæ nostræ vela deducendo. *Gruterus*. Utraque hæc vox dudum vitiata hunc Panegyricum deformavit. Cave vero, per 'conquestionem' intelligas, quod scriptores medii ævi a 'quærendo' dixere 'conquæstionem,' seu pro illius temporis ratione scribendi 'conquestionem,' item et 'conquestum,' i. e. acquisitionem terrarum per bella; unde et 'conquestor' dictus est, qui Gallis audit *conquérant*, sive *conquéreur*, h. e. expugnator urbium, domitor populorum, finium principatus amplificator. Verius et rectius Mamertino 'conquestio' idem est, ac querela, querimonia, a verbo 'conqueri.' Proba hæc vox est, et ipsi Ciceroni usitata, v. g. pro Murena cap. III. 'Me non minus hominis sapientissimi atque ornatissimi, Ser. Sulpicii, conquestio, quam Catonis accusatio commovebat.' Idem ad Q. Fratr. I. 1. § 7. 'Ubi nullum auxilium, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio.' Auctor Rhetor. ad Herennium III. 13. 'Amplificatio dividitur in cohortationem et conquestionem.' Quinctilianus Instit. Orat. VI. 1. 'Cicero accommodavit Miloni et verba, et convenientes etiam forti viro conquestiones.' Suetonius in Tib. cap. 70. 'Composuit et carmen lyricum, cui titulus, 'Conquestio de L. Cæsaris morte.'' Ubi quidam libri vulgati inepte 'conquisitio.' Jam vero, ni fallor, facillime intelligi potest sententia Mamertini, qui, quod jam supra monui, hæc dicere voluisse videtur: Ipsa vis divinitatis vestræ vos tantis discursibus deducit, et agit, ad excurrendum in universum orbem, quem regitis, ut nos, cum semper de vobis soliciti et anxii sumus charitate vestri, nuper impulerit, et quasi invitos induxerit, ut libere, nostræ tamen pietati convenienter, auderemus conqueri, scilicet de absentia vestra, et de tot periculosis itineribus vestris. Qua sententia, nescio quid esse possit planius. *Schwarz*. *Constitutionis* edidit Livineius, sed tamen non ideo, quod Schwarzio visum, dicendus est alterum damnasse; in Epistola enim ad Lipsium, ante Panegyricos a se editos scripta, lectionem *conquestionis*, quam in suo invenerat, egregiam profitetur, ubi etiam *impulerit* pro *impleverit* tuetur, ex iis, quæ notata sunt ad Mamertini Paneg. Maximian. c. IV. § 1. Cf. Syllogen Burmanni tom. I. p. 639. *Arntz*.

Hibernis] Inserunt post *hibernis* Ms. Vet. Bertin. *hostilis*. Unde exsculpsi ægre, et cum cura *solstitii*. Firmant hæc infra: 'Nempe hieme sævissima, et in his quoque regionibus inusitata,' et quæ sequuntur. *Livin*. In his verbis nemo facile aliquid desideraverit. Varro de Re Rust. I. 28. 'Dies hiberni sunt ex A. D. IV. Id. Novembr.' At non possum non monere, in meo codice hæc verba ita exarata esse: *ipsis hibernis hostilis diebus*. Eandem vocem *hostilis* Livineius in duobus antiquis codicibus repererat. Etiam Gudius in altero libro notavit, tres vetustissimos codices eandem hanc lectionem habuisse. Equidem vox *hostilis* nihili est, cum nequaquam in hunc locum conveniat: interim ea haud obscuram affert suspicionem, sub hac aliam vocem latere, cum non prorsus frustra, neque præter omnem rationem inserta fuerit contextui. Facile tamen concedo, eam corruptam fuisse a rudibus librariis, qui veriorem vocem in vetustiore codice, in quo ex vetustate literæ quædam exoleverant, non satis legere, neque intelligere potuerint. Venerat mihi in mentem, an forte sub voce *hostilis* hic lateat vox *hospitii*; unde ista verba sic constitui possint, *ipsis hiberni hospitii diebus*. Quibus verbis Mamertinus significare potuerit, Maximianum, relictis hibernis, ubi cum exercitu stationem habuerit, et quasi in hospitio hiemem transigere, ac quiete hospitari potuisset, ipsa acerrima hieme per Alpi-

um juga contendisse Mediolanum. Sic in Eumenii Gratiar. Actione cap. III. legimus, Gallos Transalpinos, et sigillatim Æduos, Romano imperio sese tradidisse, 'hibernis hospitaliter præbitis,' suppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedestribus equitumque copiis auxiliantibus. Sed nondum in hac correctione acquiesco, cum mihi ipsi fere magis placeat conjectura Livineii et Gudii. Scilicet Livineius, pro voce *hostilis*, aliam huic loco convenientiorem hinc eruit lectionem: 'Inserunt,' inquit, 'post *hibernis* codices Mss. *hostilis*. Unde exsculpsi ægre et cum cura *solstitii*; ut integer locus sic concinnetur, *ipsis hiberni solstitii diebus*.' Eodem modo legendum esse etiam Gudius in altero libro annotaverat. Apprime hæc lectio congruit rei gestæ. Infra enim cap. IX. Mamertinus tempus itineris horum Imperatorum ita describit: 'Sed qua tandem vice temporum? quo tempestatis habitu (scil. profecti estis)? Nempe hieme sævissima, et in his quoque regionibus insuitata, cum agros glacies, glacies nivem premerent, cœlo pariter ac terris uniformibus, cumque ipsi anhelitus hominum circa sua ora concreti rigore canescerent,' &c. Pulchre hæc designare possunt solstitii hiberni asperitatem. Illud quidem non nullum mihi scrupulum ab initio movit, quod probati auctores Linguæ Latinæ, ut Varro, Cicero, Plinius Major, atque alii, 'solstitium' haud dixerint de bruma. Scilicet hodie quidem vulgo duplex nominamus 'solstitium,' alterum 'æstivum,' quod ad XXIV. Junii refertur, alterum 'hibernum,' quod in XXI. Decembris incidit: at veteres illi solam æstivam solis stationem vocarunt 'solstitium;' alteram 'brumam,' sive tempus brumale, aut hibernum. Verum scriptores sequioris ævi vocabulo 'solstitii' promiscue de æstivo et hiberno usi sunt. Sic e. g. Solinus in Polyhistore cap. 35. scripsit, in insula Thule, 'æstivo solstitio,' sole de Cancri sidere faciente transitum, noctem pæne nullam esse; 'brumali solstitio,' diem adeo conductum, ut ortus junctus sit occasui. Immo jam ipse Columella, melioris ævi scriptor, de Re Rustica VII. 3. et XI. 21. 'brumale' et 'hibernum' dixit 'solstitium.' Utcunque est, cum vulgata lectio adhuc stare possit, neque sententiam Mamertini tenebris obducat, aut prorsus evertat; contra autem vestigia emendationis nondum satis videantur expedita; in his verbis necdum ausus sum aliquid innovare. *Schwarz.* *Hostilis* etiam Voss. excerpta. Ingeniosa est, ab Eldikio quoque meo probata, Livineii conjectura, quam antea jam ad Lipsium perscripserat, Syll. Burman. tom. I. p. 639. quod enim Schwarzius de usu 'solstitii' apud antiquiores monuit, verum quidem est, et demonstratum ab Ernestio Clav. Ciceron. v. 'Solstitium,' et ita Manilius Astron. II. 404. 'Solstitium brumæ, Capricornum opponere Cancro.' Sed nihil impedit, quo minus Mamertino vocem de hiberno quoque tempore tribuamus, cum et eo antiquiores, ipso consentiente Schwarzio, ita adhibuerint. Apud Censorinum de Die Natal. cap. 21. 'æstivum solstitium' est, quod cur addatur, nisi ut ab 'hiberno' distinguatur? utrumque solstitium memorat quoque Isidorus Orig. v. 34. ubi lege 'Kalendas Januarias,' ex Groning. codice et ed. Petiti. Si vero ita Mamertinus scripsisset, de ineunte anno CCXCI. intelligi debet; vide ad initium Panegyrici. Sed sine codd. nihil decernere audeo. Ceterum Livineius ad Lipsium tom. I. Syll. Burm. pag. 639. ex suo cod. hic emendat *ipsis*, cum antea legeretur *ipsi*, quod tamen in editionibus jam exstabat. *Arntz.*

Vallavit] Sic nuper. Panegyr. de Rheno: 'Atqui Rhenum antea vide-

batur ipsa sic natura duxisse, ut eo limite Rom. provinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur.' *Puteanus.* Vide post cap. IX. *Cellar.* Cicero Prov. Consul. 14. 'Alpibus Italiam munierat ante natura.' *Arntz.*

Duriorem saxis] Hoc 'saxum rigidum' dicit Ovid. Metam. IV. 517. 'rigidos silices,' ibid. IX. 225. XI. 45. et 'rigere,' Heroid. II. 132. Rutil. Itiner. I. 38. Hinc emenda apud Priscian. Perieg. 556. 'Saxisque riget Proconesus in illa:' editur 'viget,' ut hæc confusa in Ovidio Amor. III. 7. 67. ubi Heinsius. *Idem.*

Et virtus] Lege, *et licet virtus vestra non sentiret, pati vos putaremus injuria, reddimus tamen rationem sollicitudinis nostræ, &c. nostræ* enim hic etiam lego, non *vestræ.* Infra: 'Ut jam nobis illa, quam pro vobis susceperamus, cura ponenda sit.' *Acidal.* Sic legunt omnes, sed corruptus hic sane locus. Inserenda, puto, vox *licet;* seu postea legendum, *dum pati vos, &c.* Patarol. Cum hucusque particula *si* in nullo, vel scripto vel impresso, exemplari locum invenerit, fere contigit, ut pauci sententiam Mamertini percepisse videantur. Tentarunt quidam loco huic, in morbo cubanti, remedium afferre; sed tentarunt sine felici successu. *Patarol.* Venetus quondam doctissimus hanc lectionem prodidit, *et virtus vestra non sentiret, pati vos putaremus injuriam.* His brevem hanc notam subjecit: 'Sic legunt,' &c. Ego in his parum sani animadvertere possum. Adhæc pronomen *nos* incommode convertitur in *vos;* quamvis alioquin hæc pronomina frequenter permisceantur, atque etiam *vos* Livineius e suo codice annotarit. Hic vero Livineius non quidem admittit pronomen, *vos;* at, inserta particula *quam,* quæ in margine notata est, putavit contextum posse adjuvari, *et quam virtus vestra non sentiret, pati nos putaremus injuriam.* Verum neque hic conspicio majorem lucem, quæ inde affundatur Mamertino. Acidalius hæc commentatus est: 'Rhenanus,' &c. Sed nescias, an etiam ex hac emendatione plus caliginis, an luminis inducatur verbis Mamertini. Beatus Rhenanus ex sola conjectura oræ libri sui adscripserat *etsi.* Bene, si divellatur hæc particula in duas partes; prout eam divelli in contextu. Sic vero, si quid judicare possum, ex tam leni remedio omnia fluunt leniora, firmiusque cohærent; quanquam præoptaverim legere, *quod si virtus vestra non sentiret, &c.* Ita vero ista verba conjunguntur: *cum sequeremur itinera vestra,* ac vos animo comitaremur per Alpes, *desiderio et amore vestri; et putaremus, nos pati injuriam,* duriusque nobiscum agi, *si vestra virtus,* atque humanitas *non sentiret,* et animadverteret, nos nempe tanto amore, tantoque vestri desiderio vos prosequi. Haud negamus, nos in hoc mendo corrigendo auctoritate codicum Mss. destitui; sed vix aliquis leniore remedio in relevando loco tam luxato uti poterit. Hoc autem ipsum remedium suggerit necessitas certæ sententiæ, sine ambagibus constituendæ; comprobant circumstantiæ, et ostendunt alia similis corruptelæ exempla, quæ facile congerere possemus, nisi jam temporis, chartæque ratio sit habenda. Quam sæpe vero accidit, ut in scribendis particulis *et si,* vel prior, vel posterior sit prætermissa! *Schwarzius.* Rhenani conjecturam in contextum receperunt Schwarzius et Jægerus. Mihi sine codd. auctoritate hoc non sumserim, pristinaque lectione, deleta voce *si,* revocata, satis sanam puto vulgatam per asyndeton ante *pati.* Tota enim ita cohæret periodus, *cum itinera vestra . . . sequeremur, et* (cum) *virtus vestra non sentiret, pati nos putaremus injuriam,* id est, et nos putaremus; sin hoc nolis, forte *et* absorptum sit ab ultima in *sentiret.* *Injuria,*

quamvis quodcumque damnum significet, eleganter tamen tale, quod per nives, frigora, et tempestates patimur. Mamertinus Juliano xx. 4. 'non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius injuriæ deterreri.' 'Injuria pluviarum' est apud Columell. de R. R. ix. 1. 3. duo genera *cœlestis injuriæ*, quorum unum tempestates vocantur, memorat Plinius H. N. xviii. 28. in fin. et cap. 29. 'Hanc injuriam omnibus annis accidere non posse.' Medicos hac voce quemcumque dolorem, et malam adfectionem intelligere docet Burman. ad Seren. Samonic. de Medicin. vs. 452. *Arntzenius.*

Nos] Vet. *vos.* Livin. Præfero *nos*, ut opponatur *vestra.* Arntz.

Cap. iii. § 1 *Reddimus*] *Reddidimus* arbitror sincerum. Lege, quæ notamus ad Plinii Paneg. lix. 5. *Livin.* Veteres pariter atque recentiores editiones habent verbum præsentis temporis, *reddimus.* Equidem jam Livineius quondam arbitratus est, *reddidimus* esse sincerum, atque Jacobus De la Banne idem in notis suis probavit, sed neuter hoc tempus in contextum admittere ausus est. Nos audemus, quia id jam a Patarolo editum, atque in altero Gudii libro ex codice Ms. annotatum est; deinde, quia idem sententia, ac nominatim subsequens verbum ejusdem temporis, idque per particulam copulandi adjunctum, *cognovimus*, requirere videtur; tum, quia nihil facilius fieri potuit, quam ut syllaba *di*, cum adhuc semel repetenda esset, a librariis omitteretur; prout in aliis legimus, *dicimus* pro *didicimus; credimus* pro *credidimus, &c.* Schwarz. Exempla hujus syllabæ, male omissæ, collegit Drakenb. ad Livium xxxiv. 29. 13. in Voss. Excerptis est *tam orationem.* Arntz.

Sollicitudinis] In Voss. Excerptis *sollicitudini*, ut nonnumquam promiscuus est in utroque casu usus; in 'exitium gentis' et 'genti' hoc docuit Bentleius ad Horat. Od. i. 15. 21. et in aliis pluribus pater meus ad Victor. Inlustr. xlii. 1. Confer etiam Schwarzium sequenti observ. frustra tamen notantem, hanc a nemine varietatem notatam fuisse; notavit enim Livineius; ipsius autem, et Jægeri exemplo, *sollicitudini* expressi. *Arntz.*

Vestræ] Imo *nostræ* omnino legendum videtur, ut et placuit amicissimo Bongarsio. *Gruter.* *Vestræ*] Sic retinui cum plerisque: ab aliis male, meo judicio, emendatur *nostræ.* Patarol. Vulgo pro *nostræ* editum legimus *vestræ.* Gruterus primus in notis monuit, omnino legendum videri *nostræ*, et ita placuisse Bongarsio, quorum monito obsecutus Cellarius exhibuit hanc lectionem. Jac. De la Banne censuit utramvis eligi posse, vel *nostræ* de vobis sollicitudinis, vel *vestræ* de nobis. Verum utique præstat admittere *nostræ.* Nihil enim antea Mamertinus dixerat 'de solicitudine Imperatorum:' at bene meminerat solicitudinis bonorum civium imperii de salute, atque incolumitate Imperatorum, Diocletiani et Maximiani, cum in proximo capite diceret, 'Ipsa vis divinitatis ... vos tantis discursibus (i. e. itineribus) toto, quem regitis, orbe deducit, ut nos semper anxios vestri charitate nuper ad libertatem piæ conquestionis impulerit,' &c. Similiter fere loquitur incertus Auctor Paneg. Constantino Aug. dicti cap. i. 'Hoc majores pro te suscepimus metus, quod nobis potius, quam tibi consulebas.' Sed in his vocibus adhuc aliam observamus varietatem, quam nullus editor, quantum nobis constat, hucusque animadvertit. Nam cum in omnibus libris Mamertini, antehac excusis, legerimus *solicitudinis*, jam in codice nostro, et in utroque libro Gudiano, non casum gignendi *solicitudinis*, sed casum dandi *solicitudi-*

si deprehendimus. Quam lectionem haud contemnendam existimavimus; ita tamen, ut potissimum hanc emendationem ad aliorum judicium deferamus. Tunc enim, si *ratio* pro modo accipiatur, prout sæpius sumitur a probatis linguæ Latinæ scriptoribus, ac, si hæc verba, *Reddidimus tamen rationem solicitudini nostræ*, sic interpretemur: Statuimus tamen modum solicitudini nostræ, eandemque ad rationem redegimus, et temperavimus; omnino sententia menti Mamertini perquam congruens hinc existit; cum mox sequatur ratio, cur boni cives temperarint moderatique sint suam solicitudinem pro incolumitate Imperatorum; quia nempe cognoverint, Jovem, conditorem generis Diocletiani et Maximiani, non pati hos Imperatores otio acquiescere; prout et aliquanto inferius § 8. loquitur Mamertinus: 'Vestra numina semper aliquid agunt, agendumve curant, ut jam nobis illa, quam pro vobis susceperamus, cura ponenda sit, cum non laborare vos, sed parentes Deos videamus imitari.' Eodem modo puto explicari sic posse apud Quinctilianum Declam. CCLXXXXVII. hæc verba: 'rationem reddere iræ suæ,' si voces 'iræ suæ' in casu dandi accipiantur, i. e. temperare ratione iræ suæ, sive statuere modum iræ suæ. Hæc enim legimus apud Quinctilianum: 'Meruit quidem, qui eruit oculos, ut et ipse perdat: si tamen habuerit misericordiam, si inciderit in eum, qui aliquatenus reddere iræ suæ rationem posset, gratiam referat.' Tunc sane hic Quinctiliani locus nulla indigeret emendatione, neque necesse foret, ut, quod Gronovius censuit, reponamus, 'qui aliquatenus temperare iræ suæ ratione posset,' vel 'coërcere iram suam ratione,' cum hæc ipsa sententia jam in vulgata lectione lateat. *Schwarz.* Vera verborum interpretatio est, quod, cum antea putassent, Imperatores in difficillimo itinere aëris injuriam pati, quam tamen non sentiebant, in eo, nimio in eosdem adfectu et pietate abrepti, erraverint, sed jam, adhibito meliori ratiocinio, et inspecta penitus veritate, cognoverint, sollicitudinem suam fuisse supervacaneam, quia, Jovis et Herculis more, ad quos originem suam referebant, quiescere non poterant. 'Reddere' itaque 'sollicitudini rationem' est, sollicitudinem suam ad justam exigere rationem, rectam rationem, quæ sollicitudini defuerat, eidem addere, eaque duce, quod ante perperam fuissent ratiocinati, meliori ratiocinio, et perspecta veritate corrigere: illis itaque locutionem tribuo, qui jam judicio, prudentia, et ratione utuntur, cum antea magis cæco impetu, aliove vitio abrepti, verum perspicere, aut juste agere non potuissent. Eadem est Quinctiliani sententia eo, quem adhibuit Schwarzius, loco; addo alium ejusdem Declam. VI. 16. cujus vera interpretes latet interpretatio, paullo clarius explananda: tota est disputatio de muliere cæca, in cujus solatium hoc additur: 'visus damnum sarciunt reliquæ voluptates, odor, gustus, tactus, auditus;' hinc in excerptis ex Quinctiliano p. 386. ed. Burman. lege, 'videndi vero damnum reliquorum sensuum voluptates sarciunt,' non 'vivendi:' tum sequitur: 'Cui alienis oculis uti liceat, audire, imperare, cujus ministeriis officia non desunt, (non enim defuerunt) nisi se erigit, et fortunæ suæ rationem reddit, præsertim in tam bona cæcitatis conscientia, animi vitio miser est.' Scripsi 'enim defuerunt,' pro vulgato 'ei,' ex Leid. et Voss. apud Burmannum, meoque codice; Schultingius, ducta metaphora a rationibus reddendis, 'fortunæ suæ rationem reddere' explicat se fortunæ submittere; Burmannus vero emendat, 'fortunæ suæ ratione ce-

dit;' tu ita cape; cæcus, qui potest audire, servis imperare, et cui ministri sui officia præstant, animi vitio miser est, si se non erigat, neque, in his adversis, recta utatur ratione, qua sese consoletur, præsertim si sibi sit conscius, cæcitatem illam sibi ex bona caussa obvenisse, qualis hæc mulier visum amiserat nimiis ob maritum lacrimis. Explicationis hujus veritatem probat additum 'erigit,' iis proprium, qui ærumnis et dolore pressi recta ratione uti haud potuerunt, sed ad se reversi ex melioribus sanæ, et homini propriæ rationis præceptis jam sese consolantur. Ita 'ratio' de illis, quæ recte, et prudenter, et adhibita ratione fiunt, quod 'rationis esse' dicitur apud Plinium Epist. x. 100. Cicero ad Attic. xii. 10. 'Inpetret ratio, quod dies inpetratura est.' Similiter 'acuere ratione virtutem,' Florus i. 8. 4. 'rem ratione gubernare,' Cato Distich. iv. 2. ubi patruus meus. 'Ratione ædificare,' Plinius Epist. ix. 7. 1. cf. Grævium ad Ciceron. pro Rosc. Amer. 39. hinc 'inpetus' ei opponitur. Burman. ad Quinctil. I. O. vii. 2. et 'vitiis obstare' dicitur apud Gratium Cyneg. vs. 311. Quæ vero de sollicitudine sua ob Imperatorum iter monuit, jubent *nostræ* legi, in quo Cellarii, Schwarzii, et Jægeri exemplum secutus sum, quamvis *vestræ* etiam habeant Vossii excerpta. *Arntz.*

§ 2 *Conditor*] I. e. Jupiter. Quanquam seorsum Diocletianus Jovem, et Maximianus Herculem sui generis auctores jactarent, quod jam in Prolegom. § 4. ostendimus, hoc tamen loco Mamertinus Jovem utriusque Imperatoris generis conditorem designare videtur. Quid vero mirum? cum Jupiter 'rex hominumque Deumque' haberetur, ita ut eidem etiam id, quod per alios Deos effectum, non raro tribui soleret. Adhæc tanta istorum Imperatorum concordia esse dicebatur, ut generis sui auctores Deos mutuo colerent, et Diocletianus aliquando Herculem, ac Maximianus Jovem Conservatorem in nummis suis signarent. *Schwarz.*

Primum omnium] Cum Homerico *πάμπρωτον* contulit Wasseus ad Sallust. Jug. 90. hujus quoque loci non inmemor. In cod. tamen Daventriensi illic etiam est *omnibus*. Mirifice Vossii excerpta pro *primum omnium* exhibent *divisiorum;* auspicor esse ex margine, ad quem nescio quis adscripserit, *divisio*, indicaturus divisam a Mamertino in duas partes periodum. *Arntz.*

Stare nescit] Pertinent huc, quæ Seneca in Consolatione ad Helviam c. 6. tradit: 'Mens humana ex illo cœlesti spiritu descendit; cœlestium autem natura semper in motu est; fugit, et velocissimo cursu agitur.' Aristoteles lib. i. de cœlo cap. 3. *Θεοῦ δὲ ἐνέργεια ἀθανασία· τοῦτο δὲ ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος, ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν.* Cicero Quæst. Tuscul. i. 27. 'Nec vero Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam ac libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno.' Latinus Pacatus Paneg. cap. x. 'Gaudent profecto divina perpetuo motu, et jugi agitatione se vegetat æternitas.' *Schwarz.* Cf. not. ad Pacat. Paneg. x. § 1. *Arntz.*

Servat] Non rejicerem verbum *versat*, si in vetustis codicibus reperiatur; sed, extra hæc suffragia, nec verbum vulgatum, atque in omnibus libris expressum, *servat*, velim deserere; cujus compositum 'conservat' in eodem argumento posuit Seneca l. c. 'Dei natura,' inquit, 'assidua et citatissima commutatione, vel delectat se, vel conservat.' *Schwarz.* Vulgatum etiam tuetur Pacatus Paneg. x. 'Jugi agitatione se vegetat æternitas:' ubi Puteanus. In memoriam mihi revocat Mamer-

tinus illa Rutilii Itin. I. 81. 'Omnia perpetuos quæ servant sidera motus, Nullum viderunt pulcrius imperium:' ut emendem, 'perpetuo qua servant sidera motu;' id est, observant, vident omnia, de qua notione vid. Heinsius ad Silium III. 380. Drakenb. ad eumd. VI. 384. Burman. ad Antholog. Lat. II. 374. huic conjecturæ eo plus tribuo, tum quod acutissimo Eldikio meo probare potui, tum quod eam tuetur Eumenius Paneg. Constantio IV. 3. 'Sed neque sol ipse, neque cuncta sidera humanas res tam perpetuo lumine intuentur.' Perpetuum hunc siderum motum per 'rotare' exprimit Pacatus Paneg. X. 1. et Claudianus in Rufin. II. fin. 'Dum rotet astra polus, feriant dum littora venti:' ubi pro 'venti' in Vatican. secundo est 'fluctus,' quod placuit Wackero Amœn. Litter. cap. 1. sed hoc quoque, et 'venti' videntur esse glossemata τοῦ 'pontus,' ut sit legendum, 'feriat dum littora pontus,' hoc enim et 'polus' melius opponantur, quam 'polus' et 'fluctus.' *Arntz.*

§ 3 *Præcipue*] Scilicet inter ceteros Deos. *Livin.*

Parentes] Juppiter et Hercules. *Cellar.* Cf. supr. ad Mamert. Paneg. I. § 4. *Arntz.*

Et nomina] In priore libro Gudii ex codice Ms. annotatum est, ibi copulam priorem *et* omissam esse, atque pro voce *nomina* legi *omina*. Sed bene stare potest illa copula, ac perperam scriptum est *omina*, cum designentur nomina Joviani et Herculei, de quibus in Prolegom. ad hunc Paneg. § 3. egimus. At et imperii sui auspicium ad Deum referre videri volebant isti Imperatores: quia, quod Diogenes Pythagoræus apud Stobæum ait, θεόμιμόν ἐστι πρᾶγμα βασιλεία, *regnum divina res est:* et secundum Callimachum Hymn. in Jovem vs. 79. ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Schwarz.* *Nomina* tueor ex cap. II. § 4. Confer supra ad Panegyr. cap. I. § 3. et alia ad Arator. Epist. ad Florian. vs. 1. Quod de dato imperio memorat, recte ad eam opinionem refert Schwarzius, qua ex divina imperii origine reges et Principes θεῶν παῖδες dicti, quosque ideo mortuos in cælum, communem velut patriam, redire credebant. Vid. Taylor ad Lysiam in Corinth. Socios p. 34. Barthium ad Claudian. p. 515. et 584. Heroibus inde hoc etiam proprium fuit, ut Διὸς υἱὸν habet Homerus Iliad. E. 675. 'Dis genitos,' Virgilius Æneid. VI. 131. ubi rationem dat Servius: 'quia corporibus se infundebant potestates supremæ, unde heroës procreabantur.' Similiteris quorumvis hominum, singulari virtute præstantium, fuit titulus; qua mihi videtur ratione centurio, Christum morientem, et prodigia videns, dixisse, ὁ ἄνθρωπος οὗτος υἱὸς ἦν θεοῦ, Euang. Matthæi XXVII. 54. Marci XV. 39. idem enim notat, quod eum dixisse tradit Lucas Euang. XXIII. 47. ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν qui enim de vero et unico Dei filio, qualem veneramur Servatorem, cogitasse centurionem arbitrantur, non adtenderunt, apud Matthæum et Marcum potius tum scriptum fuisse, ὁ υἱὸς, et ex gentium superstitione centurionis opinionem promanasse, jam dixi ad Arator. I. 322. *Arntz.*

§ 4 *Titanes*] Cœli ac Terræ filios, Saturni fratres. Hi adversus Jovem bellum movere, qui fulminibus Cyclopum manu constructis eosdem disjecit. Vide fabulam notissimam apud Apollod. lib. I. et Natal. Com. VI. 20. *Patarol.* Hi, tradente Servio ad Virgil. Æn. VI. 580. sic appellabantur ἀπὸ τῆς τίσεως, *ab ultione*, quia credebantur ab irata contra Deos Tellure ad ejus ultionem creati. Titanes et Gigantes, tanquam monstra συγγενῆ, cum, teste Isidoro XV. I. utrumque genus ex Cœlo et Tellure natum perhiberetur, non raro in veterum mythologia confunduntur: aliquando tamen distingui solent, ut ab Apollo-

dero Biblioth. I. 1. et a Servio l. c. Etiam Mamertinus Titanomachiam a Gigantomachia distinguere videtur. De illa agit Hyginus fab. CL. 'Postquam tunc viderat, Epaphio ex pellice nato, tantam regni potestatem esse, hortatur Titanas, Jovem ut regno pellant, et Saturno restituant. Hi cum conarentur in cœlum adscendere, eos Jupiter cum Minerva, et Apolline, et Diana, præcipites in Tartarum dejecit.' De Gigantomachia Claudianus, et Ovidius, nisi et hi forte utrumque genus commisceant. Ovidius Met. I. 152. sqq. 'Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantas; Altaque congestos struxisse ad sidera montes. Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subjecto Pelio Ossam.' Quidam tradunt, per Gigantas designari ventos Typhonas; alii tyrannos; alii seditiosos, rebelles, sacrilegos, et impios interpretantur. Macrobius Saturn. I. 20. 'Gigantas quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem; et ideo æstimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse? horum pedes in draconum volumina desinebant.' Ceterum accusativus pluralis a 'Titan' terminatur promiscue in *es* et *as*. Sic Navius et Livineius edidere *Titanes;* ceteri scripti impressique libri habent *Titanas*. Schwarz.

Deformium] Lege *biformium*. Gigantes intelligit, quos *biformes* dicit, credo, ob pedes draconinos. Sic proximo Panegyr. 'An non illud malum simile monstrorum biformium et hisce terris fuit?' *Acidal.* Post primam Gigantomachiam fingunt et aliam hominum monstrosorum, quorum pedes in serpentum volumina desierint, quod Macrobius Saturn. I. 20. interpretatur. *Cellar.* Gigantum, qui Jovem pariter lacessiverunt, at eosdem ipse Hercule adjutus vicit, ac sustulit. Dicuntur isti fuisse pedibus anguis, quare Ovid. Fast. v. 35. 'Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues.' Ideo *biformes* a Nostro dicuntur. Vide Macrob. Saturn. lib. I. *Patarol.* Sine dubio per 'biformia monstra' designantur Gigantes. Sic Albricus Philosophus de Deorum imaginibus fab. 12. 'Erantque,' inquit, 'Gigantes pedibus serpentinis;' quanquam Albricus Gigantas non a Titanibus distinxisse videatur. Etiam Ovidius Fast. v. 35. Gigantas vocat 'immania monstra,' et illis 'mille manus,' atque pro 'cruribus angues' tribuit. Idem etiam Trist. IV. 7. appellat 'Gigantas serpentipedes.' Lactantius Placidus Fab. v. 'eos saltem immensæ molis,' et 'similes matri filios' vocat, 'quos parens Terra progenuerit, et quorum magnitudini par sparserit audacia,' &c. Apollodorus I. 6. tradit, Gigantas non modo corporis magnitudine præcelluisse, sed viribus etiam fuisse invictissimos; terribili plane vultu, ac promisso e capite capillo, ac prolixa e mento barba præditos, habuisse pedes anguineos prodi. Puteolanus, Navius, et H. Stephanus non *biformium*, sed *deformium bella monstrorum* edidere. Dubites, utram lectionem amplectaris? Mamertinus etiam in priore Panegyrico cap. II. Geryonem appellat 'pastorem trino capite deformem.' Seneca Agam. vs. 841. 'triformem.' At in ejusdem Panegyrici cap. IV. ubi Mamertinus ad eandem fabulam Gigantum alludit, eosdem vocat 'monstra biformia.' Minotaurum quoque Ovidius Met. IX. 156. dicit 'monstrum biforme.' Ergo retineamus hanc vocem, quæ jam plurima Mamertini exemplaria occupavit. Codex noster Ms. ipsam hanc vocem ostendit, quamquam non decente casu, sed *biformia*. Schwarz. Primus *biformium* recepisse videtur Gruterus, quem, præter Rivinum, reliqui sunt recte secuti; habent id quoque Schonhovii excerpta, eadem

vero Vossii *biformia*. 'Biformis' est 'bimembris,' quas voces confusas fuisse docet Heinsius ad Ovid. Amor. II. 12. 19. Minotaurum 'prolem biformem' adpellat Virgil. Æn. VI. 25. qui 'Cressius taurus biformis' est Senecæ Hippol. vs. 1172. et 'Scyllas biformes,' Virgilius ibid. 286. 'Centauri bimembres,' et 'biformes,' de quibus Heins. et Burman. ad Claudian. in Rufin. I. 329. quos 'duplices' etiam adpellari docet Bentleius ad Horat. I. 6. 7. pari sensu 'biformis vates' apud Horatium Od. II. 20. 2. Vere autem 'biformes' dici potuerunt Gigantes, ob serpentes, quos pro pedibus habuisse docet Staverenus ad Hygin. fab. 28. in fine, vide et Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 93. inprimis huc faciunt notata supr. ad Mamert. Paneg. p. 1654. et quæ Schwarzius supra in Prolegom. § 5. *Arntz.*

Præpeti] *Perpeti*, i. e. perpetua cura, prout Mamertinus prioris Paneg. cap. III. dixerat, 'perpeti sollicitudine,' ad quem locum vide notam nostram p. 22. Rhenanus, Navius, Livineius et H. Stephanus evulgaverunt *præpeti cura;* sed vox 'præpes,' cum proprie pro veloce sumatur, minus huc facit. *Schwarz.* *Præpeti* etiam Paullus Stephanus et Rivinus; neque aliter videtur fuisse in Vossii excerptis. Alterum, quod perpetuam, et, ut mox, infatigabilem curam indicat, est in Schonhovii excerptis, et olim dederunt Puteolanus et Rhenanus; neglectum deinceps revocarunt Parisienses, et inde hunc locum occupavit; ex conjectura quoque placuit eruditissimo de Rooy Spicil. Crit. p. 48. optimo jure igitur hoc loco usus est Daviesius ad Minuc. Fel. Octav. 11. et plura contuli supra ad Paneg. cap. III. in fin. *Arntz.*

Quamvis] Particula *quamvis*, sine sequenti *tamen* posita, hoc loco significat quantumvis, sive quamlibet. Sic et ipse Cicero loquitur ad Famil. II. 16. 'Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem.' Grammatica verborum structura apud Mamertinum hæc est: siquidem Deus, ille auctor Diocletiani, gubernat perpeti, sive continua, cura imperium quamvis compositum: i. e. quantumvis jam ante a se compositum, atque in ordinem redactum. *Schwarz.* Vid. Schulting. ad Senec. Controv. II. p. 201. Duker. ad Livium II. 51. 7. *Arntz.*

Omnium quoque] Codex noster ceterorum librorum lectionem confirmat; nec male, pro numero multitudinis *ordines*, reponit singularem *ordinem*, qui numerus etiam alteri libro Gudiano adscriptus est. Bene tamen etiam stat vulgata lectio. Sic Cicero de Nat. Deor. cap. 20. 'Deus rerum vicissitudines ordinesque conservat.' *Schwarz.* *Quoque* est in Vossii excerptis, ed. P. Stephani et Rivini: factum illud ab iis, qui putarunt sententiam hærere, non advertentes, *que* eamdem vim ac *quoque* habere. Vid. supra ad Mamert. Paneg. cap. I. § 3. et 'tamen' subaudiri, de quo præcedenti observatione dictum. *Ordinem* quoque Vossii excerpta; non est opus: qui hic dicitur *ordines rerum servare*, is est 'rerum rector' apud Boëthium Consol. Philos. IV. Pros. 6. ita enim ex meo cod. locus est emendandus. *Arntz.*

§ 5 *Nihilominus tamen*] Quæ ex Bertin. adduntur, *et fata disponit*, suo loco posita non opinor, potiusque legerim, *elem. offic. pacavit, et fata disposuit, nihilomin. tamen et ipsas, &c.* Livin. Etsi hæc verba usque adhuc ex omnibus libris impressis exularint, digna tamen nobis visa sunt, quæ in contextum admitterentur, cum ea non solum Livineius ex antiquo codice Monasterii Bertiniensis annotarit, sed etiam nunc in nostro codice inveniantur; licet hic pro voce *fata*, vulgari librariorum errore, scriptum sit *facta:* cujus erroris exempla quædam annotavimus ad Plinii Panegyricum

cap. XVII. 2. LXXX. 5. LXXXV. 5. et sigillatim ad medium locum testimoniis veterum declaravimus, Jovis existimatum esse, etiam fata hominum dispensare. *Schwarz.* Miror de cod. Gudiano nihil monuisse Schwarzium; in Guelf. saltem, *et fata disponit* legi notaverat Cortius, eademque est lectio in Vossii excerptis. In exprimendo igitur textu Schwarzium et Jægerum sum secutus, et me confirmat Virgil. Æn. XII. 725. 'Juppiter ipse duas æquato examine lances Sustinet, et fata inponit diversa duorum.' *Arntz.*

Tacitæ] Quidam editores pro epitheto adjectivo adverbium prodidere *tacite*, non prorsus perperam, cum 'auræ tacite labi' dici queant, sicut Ovidius Fast. I. 65. dixit, 'Jane biceps, anni tacite labentis imago.' Nobis tamen elegantius videtur, si retineatur adjectivum. Sic et idem Ovidius Fast. VI. 771. dixit, 'Tacitisque senescimus annis.' Remed. Amor. vs. 105. 'Tacitæ serpunt in viscera flammæ.' *Schwarz.* Per editores quosdam Schwarzius intelligit Rhenanum, H. Stephanum, et Patarolum. Scripturæ discrimen est ex diphthongo in codd. per *e* scripta, unde sæpe lectionem fieri dubiam notavit pater meus ad Plinii Paneg. LXXI. 3. hic *tacitæ* prætulerim. Adde Jægerum in fine seq. observationis. *Arntz.*

Cœli nitentem] Cum ad tropicos pervenit, solem retrovertere jubet versus æquatorem, bis in anno, solstitio nempe hyemali, mense Decembri, et æstivo, mense Junio. *Patarol.* Non solum Livineius ex suo codice vetere hæc verba aliquantum transposita adscripsit margini libri sui, *et in adversa nitentem impetu cœli rapit solem*, sed hanc transpositionem etiam in nostro codice animadvertimus; ex qua vero nescimus, quod majus lumen sententiæ Mamertini affulgeat. *Adversa cœli*, id est, per enallagen, adversum cœlum, sive adversa cœli plaga, secundum tritam formulam, 'usurpata collium,' 'abrupta montium,' &c. *Schwarz.* Locus certe obscurus, neque a Baunio, neque Patarolo satis illustratus. Ceteri interpretes silentio prætereunt. Pataroli explicatio quo modo verbis Mamertini conveniat, haud facile intelligas. Baunius propius a vero abesse videtur, sed tamen τὸ *nitentem*, si idem esset ac 'fulgentem,' hic valde frigeret. Dicam, salva doctiorum reverentia, meam qualemcumque sententiam. Jovis numen, et Sol interdum, licet perraro, quadam tenus pro iisdem habentur. Ita antiquus ille poëta, cujus Hymni Orphei nomine inscribuntur, Hymn. in Solem, vs. 13. Αἴθαλες, ἀμίαντε, χρόνου πέρας, ἀθάνατε Ζεῦ. Uberius hoc exsequitur Tzetzes Schol. in Hesiod. Ἐργ. p. 9. ed. Heins. τινὰ τῶν τεικῶν ὀνομάτων καὶ πλεοναχῶς λαμβάνονται, ὥσπερ τὸ Ζεύς· σημαίνει γάρ τινα βασιλέα, πραγματικῶς· ψυχικῶς δὲ τὸν νοῦν, ὃς καὶ τὰς γνώσεις μούσας γεννᾷ· στοιχειακῶς δὲ πᾶν τὸ οὐράνιον σῶμα, καὶ τὰ μέρη αὐτοῦ· τὸν ἀέρα, καὶ τὸ νεφελῶδες κατάστημα καὶ ὄμβριον, τὸν ἥλιον, τὸν ἀστέρα, τὸν πλάνητα· καὶ τὴν εἱμαρμένην κατὰ τοὺς Στωϊκούς. Orpheus, quem citat Apul. de Mundo, p. m. 75. Ζεὺς ἥλιος ἠδὲ σελήνη. Pindarus Olymp. Od. II. 22. vocat ἁμέραν παῖδ' ἀλίου. At, pater diei, qui hic Sol, Romanis est quoque Jupiter, dictus 'Diespiter,' 'Dijovis,' item 'Lucetius.' Gellius v. 12. 5. 6. 'Jovis Diespater appellatus, id est, diei et lucis pater. Idcircoque simili nomine Dijovis dictus est, et Lucetius.' Macrob. Sat. I. 15. 'Cum Jovem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carminibus canunt, et Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant: ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem.' Cf. inprimis Saturn. I. 24. Quodsi igitur Jupiter h. l. sit ille, qui 'agat portantes lumina currus,'

verborum oratoris nostri idem sensus fere erit, ac illorum Phœbi apud Ovid. Met. II. 72. ‘Nitor in adversum: nec me, qui cetera, vincit Impetus: et rapido contrarius evehor orbi.’ A quibus non multum abludit Auctor Hymni in Solem, supra laudatus, qui vs. 7. dicit de Sole, Ῥόμβου ἀπειρεσίου δινεύμασιν οἶμον ἐλαύνων. Itaque τὸ *in adversa cæli nitentem impetu rapere solem*, significabit, rapere, seu movere impetu solem, qui nititur in adversa cæli, quod scilicet assidua vertigine rapitur, et sidera cetera trahit, celerique volumine torquet, quem motum, vel conversionem cæli Sol contrario nisu vincit. Ceterum, quod in verbis proxime hunc locum antecedentibus, ‘Juppiter auras placido sinu fundere’ dicitur, id jam Tzetzæ Scholio, supra adlato, explicatur; cui addam Catull. IV. 19. 20. 21. ‘Læva, sive dextera Vocaret aura, sive utrumque Juppiter Simul secundus incidisset in pedem.’ ‘Jupiter’ hic est ventus seu aura. Muretus ad h. l. Catulli adfert Ennii versus: ‘Istic est is Juppiter, quem dico, quem Græci vocant Aërem, qui ventus est, et nubes, imber postea, Atque ex imbre frigus, ventus, post fit aër denuo.’ *Jæger.* *Nitentem* in sua paraphrasi explicat Baunius, tamquam participium a ‘nitere;’ perperam; est a ‘niti,’ adhibitum pari pacto, quo ‘niti per ardua’ ab Eumenio Constantino III. § 4. hoc modo ‘sidera adverso mundo luctantia’ dixit Manilius Astron. I. 259. et 668. et ‘pugnantia,’ ibid. vs. 807. ubi Huetius; interpretationi Pataroli posset favere Plinius H. N. XVIII. 28. ‘Sol ipse ad Aquilonem scandens, ac per ardua enisus, ab ea meta incipit flecti, et digredi ad Austrum.’ Sed ea non est Mamertini sententia, cujus mentem solus egregie perspexit Jægerus. Non video, quomodo Pricæus ad Psalm. XVIII. 5. hunc locum cum iis comparare potuerit, quibus Deus soli tabernaculum in cœlo posuisse dicitur. Schwarzio, difficultatem tacite prætereunti, licet concesserim, ‘adversa cæli’ recte per enallagen dici, eidem tamen non adsentior, transpositionem, quam ex cod. protulit Livineius, et ipse ex suo, non majus lumen adferre; est enim verissima, cui, a Jægero neglectæ, sed in Vossii quoque excerptis notatæ, in contextu locum dedi. Est tamen Mamertini sermo paullo apertius, quam adhuc factum est, explanandus. *Cælum* interpretor per aëra; ita Plinius H. N. II. 38. ‘Hoc cælum adpellavere majores, quod alio nomine aëra.’ Manilius Astron. V. 368. ‘Ipse quoque aërios populos, cæloque dicatum Alituum omne genus.’ Pr. I. de Jur. Nat. ‘animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur,’ ubi ‘quæ in cælo’ delenda putat Schroder. Observ. Jur. I. 2. quia animalia in cælo nata ignorat; utrum itaque, quæ in arborum nidis nascuntur, dici possunt in terra nata? et confirmatur illic recepta lectio ex § 12. I. de R. D. et codd. a Reitzio adhibitis, in Observ. Miscell. Nov. tom. V. p. 338. ita θηρίαν ἠερίην et χθονίην opponit Oppianus Cyneg. I. 47. adde Miscellanea mea cap. 15. p. 167. Jam sol cursum mundo contrarium agere dicebatur, de quo latius Hyginus Poët. Astron. IV. 13. huic solis cursui oppositus erat aër, mundo convolutus, isque Mamertino est ‘cæli inpetus;’ sol igitur, huic aëri adversus, ‘nitebatur in adversa inpetu,’ id est, propter inpetum aëris sibi adversi. Mamertino vice commentarii dabo Plinium Hist. Nat. II. 8. ‘Omnium autem errantium siderum meatus, interque ea Solis et Lunæ, contrarium mundo agere cursum, id est lævum, illo semper in dexteram præcipiti. Et quamvis adsidua conversione inmensæ celeritatis adtollantur ab eo, rapianturque in occasum, adverso tamen ire motu per

suos quæque passus: ita fieri, ne convolutus aër, eamdem in partem æterna mundi vertigine, ignavo globo torpeat, sed findatur, adverso siderum verbere discretus et digestus.' Atque ex his intelligi potest Ovidii locus, a Jægero adhibitus. Jam adfirmat Mamertinus, Jovem tantum valere, ut contra hunc aëris impetum Solem rapiat, id est, celerrime moveri faciat, quæ celeritatis notio huic verbo inest; dixi ad Arator. I. 472. *Arntz.*

§ 6 *Tuus, mitto quod*] Juvat Ovidius Fast. II. 399. 'At si quis vestræ Deus esset originis auctor.' Ita Herculem 'principem generis' Maximiani adpellat Incertus Paneg. Maximian. VIII. 2. Ex veteri lectione, 'tuus' cum 'Jove suo' in Paneg. VII. 5. contulit Puteanus. *Arntz.*

Terras] Sublatis monstris omnibus, et belluis ferocissimis, quæ agros infestabant, qualis erant leo Nemeus, hydra Lernæa, aper Erimanthius, equæ Diomedis, &c. *Patarol.* Inde autem Hercules in nummis aliquando vocatur PACATOR. ORBIS. *Schwarzius.*

Nemora] Quamquam sententia non absurda, tamen Bibliotheca Critica pro *nemora* malit *maria*, quod, nisi ab Auctore sit, tamen ejusmodi est, ut ita scribere debuerit. Habet hoc magis efficacem oppositionem ad *terras*, et est ita de Hercule proditum, et a rhetoribus frequentatum. Plutarch. Thes. p. 4. A. dicit, Herculem *καθαίρειν γῆν καὶ θάλατταν*. Aristides tom. I. p. 32. Ἡρακλῆς . . . *ἐκάθηρε τὴν* Ἑλλάδα . . . . *πάντας ἐφεξῆς ἐπιὼν τούς τε ἐν ταῖς νήσοις, καὶ τοὺς κατ' ἤπειρον.* Et continuo: *Λῃστὰς δὲ χερσαίους τε καὶ θαλαττίους . . . . πανωλεθρίᾳ διαφθείρων.* Et paucis interjectis dicitur, *οὐ μόνον γῆν καὶ θάλατταν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀέρα* (pulsis avibus Stymphalicis) *ἐλευθερῶσαι.* Arrianus Indic. p. 524. *περὶ* Ἡρακλέου *λέγουσιν, ἐπελθόντα αὐτὸν πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν καὶ καθάραντα ὅ, τι περ κακόν.* Liban. tom. I. Orat. Basil. p. 106. Hercules dicitur *ἀνακαθαιρόμενος γῆν τε καὶ θάλατταν.* Majorem similium locorum copiam si quis desideret, inspiciat Bibl. Crit. vol. III. P. I. p. 48. *Jæger.* Inhærere vulnus videtur, cui non medentur codd. Herculis enumerat facinora Mamertinus in terra, et apud inferos, nihil de mari addit, quod, in his enarrandis, passim adjungunt scriptores. Vitiosum mihi *nemora* videtur, quod aprum deberet Erymanthium indicare, sed illum jam in terris *omnibus* comprehendisse intelligitur. Hinc neque Sirmondi ad Sidon. Carm. v. 354. placet scriptura, dubium tamen ea sit ex ingenio, an codice, *terras omnes et monstra.* Veritati propius emendat vir clariss. Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 25. *terras omnes et maria.* Dudum est, quod ex litterarum ductu effinxerim, *terras omnes et æquora.* De Hercule Ovidius Heroid. IX. 15. 'Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent:' ubi simillima adtulit Heinsius. Seneca de Benef. I. 13. 'Quid vinceret malorum hostis, (Hercules) terrarum marisque pacator.' Quæ duo loca debeo diligentiæ Drakenborchianæ ad Silium II. 483. Lucanus IV. 610. 'Terras monstris æquorque levantem, Magnanimum Alciden Libycas evexit in oras.' Seneca Hercul. Fur. vs. 30. 'Quidquid horridum tellus creat Inimica; quidquid pontus . . . . Fractum atque domitum est.' Et apud eumd. vs. 830. labor Herculis apud inferos 'tertia sors' dicitur; terræ itaque, et æquora duas præcedentes constituebant. Ita Pindarus Isthmic. Od. IV. 94. de Hercule, Ὃς Οὔλυμ-πόνδ' ἔβα· *γαίας τε πάσας,* Καὶ *βαθυκρήμνου πολιᾶς* Ἁλὸς *ἐξευρὼν θέναρ.* Nemæis Od. I. 95. Ὅσσους *μὲν ἐν χέρσῳ κτανὼν,* Ὅσσους *δὲ πόντῳ θῆρας ἀϊδροδίκας.* Ælianus V. H. V. 3. Ἐπεὶ δὲ *καθῆρε γῆν καὶ θάλασσαν* Ἡρακλῆς. Adde Cannegieter. Postum. c. 9. Ut hic 'pacasse,' ita 'Herculem Pacatorem' memorat supra Paneg. II. 6. ubi dixi. *Arntz.*

Alitum] Gruterus ad Harpyias refert, quarum pennæ instar telorum vulnerarint: alii ad Stymphalidas, in Herculis laboribus numeratas, quibus congruunt verba *cælo detraxit*. Nam Seneca Herc. Fur. vs. 243. 'Solitasque pennis condere obductis diem Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas.' *Cellar.* Harpyarum. Fuere Harpyæ animalia volatilia, rapacissima, et fœdissimi odoris. De ipsis Virgil. Æn. III. 'Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris Proluvies, uncæque manus, et pallida semper Ora fame.' Mirum, quod Natal. Com. Mythol. VII. 6. Harpyas cum Stymphalidis volucribus commisceat, quod et Claudiano prius factum, Epigr. v. cui titulus 'Histrix;' contra vero Apollodorus aliter has, aliter illas describit. Videatur ipse lib. I. et II. *Patarol.* Duo potissimum dirarum alitum genera occurrunt in Mythologia: 'Harpyiæ' et 'Stymphalides.' Harpyias Hesiodus Theog. vs. 265. dicit Thaumantis et Electræ filias. Illas sic breviter describit Virgilius Æn. III. 214. 'Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla Pestis, et ira Deum Stygiis sese extulit undis; Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris Proluvies, uncæque manus, et pallida semper Ora fame.' Stymphalidas aves a Stymphalo, Arcadiæ opido et palude sic dictæ, quas Hyginus Fab. XX. dixit pennis suis pro sagittis confixisse homines. Atque de iisdem Claudianus Idyll. II. de Hystrice: 'Audieram,' inquit, 'memorande, tuas, Stymphale, volucres Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu; Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ Visa diu.' Harum avium meminit et Lucretius v. 31. 'Uncisque timendæ Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.' Scilicet hæ aves dicebantur pinnis ferratis, seu spiculis, advenas conficere. Dubitarunt non nulli, ad quod genus avium ea referenda, quæ hic narrat Mamertinus. Gruterus et Patarol. attribuunt ista Harpyiis, quæ rectius Cellarius refert ad Stymphalidas. Has enim dispulsas cæsasque multi veterum numerant inter Herculis labores. Pausanias VIII. 20. refert, fabulis vulgatum esse, Stymphali, urbe Arcadiæ, aliquando aves, quæ humana carne victitarint, ab Hercule sagittis confectas; at, teste Pisandro Camirensi, non peremtas eas ab Hercule aves, sed crepitaculorum sonitu e loco pulsas esse. Apollodorus II. 5. 6. tradit, Stymphalidas ab Hercule partim quassatis æneis crepitaculis dispulsas, partim sagittis confixas esse. Seneca in Herc. Fur. vs. 243. generatim: 'Solitas,' inquit, 'pennis condere obductis diem Petiit (Hercules) ab ipsis nubibus (i. e. cœlo detraxit) Stymphalidas.' Spanhemius Dissert. v. p. 256. discrimen Stymphalidum et Harpyiarum ostendit, Stymphalidisque imaginem in nummo quodam L. Valerii reperisse sibi visus est. *Schwarz.* Ad Stymphalidas refer, quas ab Hercule victas, reliquos ipsius labores enumerans, etiam tradit Servius ad Virgil. Æn. VIII. 300. Statius Theb. IV. 297. 'et Herculeo vulgatos robore montes, Monstriferumque Erymanthon, et ærisonum Stymphalon.' Catullus ad Manlium vs. 113. 'Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta Perculit.' Ubi Santenius. 'Rapacissimas volucres' adpellat Lactantius Div. Instit. I. 9. 5. ubi plura Cellarius. Addendi Munck. ad Hygin. Fab. 30. Delrio ad Senec. Herc. Fur. vs. 243. et Antholog. Lat. I. 42. sqq. *Arntz.*

Volucratilia] Nihil temere mutem, et τὰ πτηνὰ exponam, etsi haud memini legere vocem, ut reor, ei sæculo tritam. *Livin.* Cur non audirem binos codices, unum scriptum, alterum primogenitæ editionis? præsertim cum ei lectioni adlubescerent item alii libri membranacei, repræsentantes *volucra tela*. Obtulerunt nobis monstrum verbi *volucratilia* homines, quibus ignota erat vis scriptionis ad-

terius, aut potius historia Harpyarum. Fuisse enim iis pennas fluentes, quibus instar telorum vulnerarent, pluribus didaxi in Suspicionum libris, qui dum prodeunt in lucem, consulatur multorum vice Hystrix Claudiani. *Grut.* *Volucratilia* barbara vox, pro qua alii *volucria*, aut *volatilia*. Nescio, quod majoris vitii latet. Forte, *volucria telis detraxit*. Acidal. Sic vocat Mamertinus pennas Stymphalidum, quia hæ pennis suis pro sagittis usæ perhibentur. Opinamur quidem, *volucria* et *volucra* recte dici posse, quia casus gignendi in numero multitudinis habet 'volucrium', et 'volucrum;' præferimus tamen *volucria*, ne *volucra* in numero multitudinis confundatur cum nomine singulari *volucra*, per quam apud Columellam de Arborib. cap. 15. designatur. insectum, a quo teneri pampini et uvæ præroduntur. *Schwarz.* Confirmat hic locus elegantem Gruteri conjecturam, in Martiali IX. 104. emendantis, 'Æripedem silvis cervum, Stymphalidas astris Abstulit:' vulgo male 'nubis;' id enim Martialis adpellat 'astris abstulit,' quod Mamertinus, *cælo detraxit:* probatque Burman. ad Antholog. I. 42. *Arntz.*

Abducto custode] Cerbero. Idem Seneca Agamemn. vs. 859. de Hercule: 'Tractus ad cælum canis inferorum Triplici catena.' *Cellar.* Quid notius Cerbero, cane tricipite, et janitore ac custode inferorum? quamquam Hesiodus Cerbero quinquaginta tribuat capita; Horatius centum. Fabulam breviter exponit Albricus Philosophus, num. 22. 'Hercules,' inquit, 'ad inferos descendit, et Cerberum tricipitem sibi ad ostium inferni resistentem, triplici vinctum catena, videlicet singula faucibus intorta, ab ostio abstraxit, et Alcestim ex inferno reduxit.' *Schwarz.* 'Abstractum' alii dicunt; cf. Burmannum Secundum ad Antholog. I. 42. *Arntz.*

Compescuit. Exinde] Lege, *compescuit: exinde c.* Acidal. Priores Livineio editores post *compescuit* majorem distinctionis notam posuerant, a posterioribus recte mutatam, ex Acidalii sententia. *Arntz.*

Adoptionem] Apollodorus II. 7. 7. narrat, Herculem, postquam is Œtam montem conscenderit, et rogo a se constructo ignem subjici jusserit, a nube cum tonitru sublata in cœlum evectum esse; inde immortalitatem adeptum, et revocatum in gratiam cum Junone, Heben, illius filiam, duxisse uxorem. Diodorus Siculus lib. IV. pag. 170. adjicit, quod post evectionem ad Deos Juno, Jovis suasu, filium sibi Herculem adoptaverit, et deinde Heben Herculi nuptum dederit. Cujus adoptionis ritum ibi simul exponit Diodorus; unde intelligimus, Mamertinum non frustra adoptionem Herculis inter cœlites nominasse. *Schwarz.* *Adoptionem* eleganter dicit ex illa veterum opinione, quam exposuit Taylor ad Lysiæ Orat. pag. 34. de hac Herculis apotheosi quædam loca contuli supr. ad Panegyr. IV. 2. ubi meam in Rutilio conjecturam postea vidi in mentem quoque venisse Clerico Art. Critic. part. III. sect. I. cap. 6. § 25. huic igitur inventionis laus debeatur, neque me movent quæ Clerico opposuit Sellius Observ. 20. *Arntz.*

Inventa] Herculi, in Deorum numerum relato, Hebe, quæ Juventa Latine est, Junonis filia, nupsisse fingitur. Juvenalis Sat. XIII. 43. 'Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor Ad cyathos:' ubi vetus interpres, 'Heben dicit.' Scilicet hæc, et Ganymedes pincernæ Deorum finguntur. *Cellar.* Auctor citatus de Hercule: 'Immortalitatem adeptus, et revocatus in gratiam cum Junone, Heben illius filiam uxorem duxit.' Hebes autem, cum pulcherrima esset, Jovique placuisset, ab eodem Juventæ præfecta fuit. Vide, sis, fabulam

apud Natal. Com. II. 5. *Paterol.* Juventa, sive Juventas, est illa ipsa Hebe, de qua modo dixi, et quæ Herculi, post adoptionem cœlitum, a Junone in matrimonium data est, quam Jupiter præfecerat juventuti. Hinc Festus: 'Juventatis sacra pro juvenibus sunt instituta.' A Romanis sub Latino 'Juventutis,' sive 'Juventatis,' nomine culta fuit, ædemque in Circo maximo habuit, teste Livio lib. XXXVI. 36. Et, quod Pausanias narrat, olim Ganymeda audivit hæc Dea, cum Jovi bibere ministraret. Hinc Cicero Quæst. Tuscul. I. 26. 'Non ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventate pocula ministrante, lætari arbitror.' *Schwarz.* Recte autem 'Juventa' dicitur, ut etiam apud Ovid. ex Pont. I. 10. 12. aliis est 'Juventas.' Non satis adcurate scribit Schwarzius, Juventutis nomine quoque cultam fuisse. Munckerum, eadem olim sentientem, notavit Dukerus ad Florum I. 7. 8. loca itaque, quibus Juventus dicitur, censuerunt emendanda Gronov. ad Livium XXXVI. 36. 5. Burman. ad Antholog. IV. 100. huc pertinet Pindarus Nemæis Od. I. 106. καμάτων Μεγάλων ποινὰν λαχόντ' ἐξαίρετον Ὀλβίοις ἐν δώμασι δεξάμενον Θαλερὰν Ἥβαν ἄκοιτιν. *Arntz.*

Omniumque] Hinc Pallas cum Turno congressurus, Virgil. Æneid. X. 461. 'Te, precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis.' Liv. XXI. 21. 'Annibal... Gades profectus Herculi vota exsolvit: novisque se obligat votis, si cetera prospera evenissent.' Æsopus Fab. LXII. Ψύλλα ποτὲ πηδήσασα ἐπὶ πόδα ἀνδρὸς ἐκάθισεν. Ὁ δὲ τὸν Ἡρακλῆν ἐπὶ συμμαχίαν ἐκάλει, κ. τ. λ. Erat etiam præses gladiatorum et athletarum. Vid. Lips. Saturn. II. 23. *Jæger.* Secundum ea, quæ memorat Mamertinus, inter Deos Σωτῆρας Hercules fuit habitus, de quo Cannegieter. ad Avian. Fab. XXXII. 6. et propter acceptos honores inde quoque lapides ipsi fuisse positos, idem ostendit Observ. Miscell. Nov. tom. IV. p. 206. *Arntz.*

In omni] Facili conjectura, a Jægero recepta tacite, cum toties prioris syllabæ similitudo sequentem absorbuerit: unde facilis quorumdam est locorum emendatio, veluti apud Paullum Sentent. II. 26. 13. 'Nec testamentum ei ex majore parte facere licet.' Placet Cannegietero ad Fragm. Vet. Jurisprud. p. 169. 'ex media altera parte:' ratione justa; quia cum dixisset Paullus, dimidia parte bonorum multari, major pars non superesse potuit. Puto tamen scripsisse, 'ex majore eorum parte.' In 'majore' latet 'eorum;' dimidia bonorum parte retenta, non ei in majori dimidiæ illius parte testamentum facere licuit. In Collat. Leg. Mosaic. Tit. 6. § 4. 'Dissimulare ea... non oportere credimus, cum vel cohibenda sunt... insurgere nos disciplina nostrorum temporum cohortatur:' ultima syllaba in 'credimus,' absorbuit *iis:* lege itaque et distingue, 'credimus, iis, cum vel cohibenda sunt... insurgere.' Tit. 7. § 3. 'Si quis servum latronem occiderit, lege Aquilia non tenetur, quia non occidit:' litteræ posteriores in 'quia' absorbuerunt 'la;' lege itaque, 'quia latronem.' Scholiastes Anonymus Ciceronis pro Leg. Manil. cap. 5. 'Sunt imperatores, et sæpius mittuntur contra hostes notalium civitatem defendant.' Substituo, 'mittuntur, ut contra,' præterea ad monstrum illud lectionis 'notalium' librarius signum posuerat, quo 'pro' plerumque indicatur: suspicor lectum fuisse 'provincialium.' *Idem.*

§ 7 *Immortalitatis*] Id est, natalis vestri, Deorum. Mox *accitos*, e Græcia scilicet. Sacra etiam certamina vocat, qui Græcis ἱεροὶ ἀγῶνες. Eumenius pro Restaur. Scholis: 'An si fortissimi viri in sacris certaminibus summo labore, atque etiam vitæ periculo solam vocem præconis, et

coronæ testimonium petunt,' et quæ sequuntur. *Livin.*


A sacris] Tollendum credo *a*. Sed an mutandum etiam *accinctos?* vix putem, etsi non male pro paratos. *Acidalius.* Libenter expungerem *a*, quod in mentem venerat etiam Acidalio. Intelligo autem de quolibet certandi genere, quod in ludis publicis exhibebatur. *Patarol.* In omnibus editis libris præmissa præpositio *a* legitur, *a sacris certaminibus*. Dudum conjecimus, istam præpositionem hic supervacuam esse, nescii, unde ea irrepserit; nisi quod suspicemur, primum fortasse scribi debuisse, *ad sacra certamina;* imprudentem autem librarium scripsisse, *a sacra certamina;* tandem alium paullo sagaciorem, ut voces rectius cohærerent, reposuisse, *a sacris certaminibus*, quæ tamen varietas nondum satis mentem Mamertini exprimit. Unde et Acidalius atque Patarol saltem hanc præpositionem suspectam habuere, quam nunc penitus tollendam existimavimus; primo, quia et alter Gudii liber indicio est, eam afuisse veteri codici; deinde quia, si vel maxime fingas, hic designari Græcorum certamina, a quibus Romam ad publicos ludos in natalibus Augustorum celebrandos acciti sunt athletæ, et alii artifices; minus tamen credibile est, solos Græcos tunc admotos fuisse istis Romanorum certaminibus, cum Italia ipsa hujusmodi robustorum virorum ferax esset. Neque tamen solorum Græcorum ἀγῶνες dicebantur ἱεροὶ, i. e. *certamina sacra*, sed etiam Romanorum; apud quos scilicet, uti generatim cura ludorum publicorum pertinebat ad sacra, ita et hujusmodi certamina, maxime quæ in honorem Augustorum instituebantur, audiebant *sacra*. Unde et Eumenius pro Restaur. Scholis c. 13. 'Fortissimi viri,' inquit, 'in sacris certaminibus summo labore, atque etiam vitæ periculo, solam vocem præconis, et coronæ testimonium ponunt.' Hic adeo non Græcorum certamina sacra, a quibus Romam avocati sint, sed ipsorum Romanorum *certamina sacra* sunt intelligenda, quæ in honorem natalium utriusque Imperatoris, cursu, aut pugillatione, et luctatione, curriculove equorum celebrabantur, et quibus celebrandis acciebantur, h. e. adhibebantur, sive adsciscebantur hujusmodi robusti fortesque homines. Neque enim illi solum 'acciri' dicuntur, qui peregre per nuntios, aut literas evocantur; sed etiam, qui, cum prope adsunt, alicui negotio admoventur, sive adsciscuntur. Sic apud Justinum XXII. 5. Agathocles, 'cum Syracusas concessisset,' (et cum jam ultro adesset) dicitur 'in civitatem inter incolas accitus.' *Schwarz.* In expungenda præpositione Schwarzium et Jægerum secutus sum. *Arntz.*

Victoris] Emenda *Victoris*, *V* majuscula, et vide quæ notamus ad Mamertin. Paneg. cap. XIII. *Livin.* Per 'Victorem' hic designatur Hercules, qui κατ' ἐξοχὴν dictus 'Victor;' quod nimirum 'Hercules omne animalium genus vicerit,' ut tradit Varro apud Macrobium Saturn. 6. Sic et Virgilio appellatur Æn. VIII. 363. 'Hæc limina Victor Alcides subiit.' Ad quem locum notat Servius, Romæ 'Victoris Herculis ædes duas esse, unam ad portam trigeminam, alteram ad forum boarium.' De quo tamen Servii loco adire licet Salmasium Exercit. Plin. p. 10. Sic etiam ipse Mamertinus in priore Panegyrico c. XIII. § 4. 'Roma,' inquit, 'invocat Statorem Jovem, Herculemque Victorem: hoc enim quondam illi Deo cognomen adscripsit is, qui, cum piratas oneraria nave vicisset, ab ipso audivit Hercule per quietem, illius ope victoriam contigisse.' Quam historiam refert Macrobius Saturn. IV. 6. Sub his cognominibus etiam Trajanus Jovi et Herculi vota solvit in

antiqua inscriptione:

IOVI. STATORI. HERCVLI. VICTORI
M. VLP. TRAIANVS. CAESAR
VICTO. DECEBALO. DOMITA
DACIA. VOTVM. SOLVIT.

Huc etiam pertinet nummus, cujus figuram ex Begeri Thesauro Brandenburgico tom. I. p. 781. delineandam curavimus.



In cujus parte adversa caput Imperatoris lauru cinctum, lævæque obversum cernitur, cum epigraphe, MAXIMIANVS Pius Felix AVGustus. In parte aversa Hercules, spoliis insidens, dextra clavæ innititur, sinistra exuvias leonis tenet, cui adstat pharetra sagittis referta, item et arcus, cum inscriptione, HERCVLI VICTORI. Quem nummum non quidem cum Begero referre velimus ad tempus, quo Maximianus se abdicarit imperio, quia sedens quiescere videatur; credimus tamen, ibi Maximianum, post tot hostes devictos peragratosque Romani orbis fines, quasi Herculis ritu, paullisper respirantem repræsentari. Ceterum, sicut Hercules maxime a militibus athletisque colebatur; ita Mamertinus hoc loco significare voluit, homines, sacris certaminibus a Diocletiano et Maximiano accitos, ita instigari ad virtutem, adjuvarique a numine Herculis, ut multa faciant edantque fortitudinis suæ experimenta, quæ sint virtuti ipsius Herculis Victoris similia. *Schwarz.* Reinesius Inscript. Class. I. n. 66. lapidi mutilo restituere conatur, HERCVLES. VICTOR. IMPERATOR. non admodum, ut reor, felici successu. HERCVLI. VICTORI. COMITI INVICTO. votum posuit P. Ælius, apud Gudium Inscript. pag. XXXII.

9. Locus hic in memoriam mihi revocat Priscianum Perieg. 924. sed corruptum: 'Nam peperit multos celsa virtute potentes, Atque Deo similes, licet ut mortalibus esse.' Ita Papius, sed in ed. Veneta, aliaque sine anni nota est, 'atque adeo;' legendum itaque puto, 'Atque adeo similes dedit inmortalibus esse;' confirmat me, quem expressit, Dionysius vs. 999. ἐν δὲ καὶ ἀνδρῶν Φύτλην, καλλίστην τε καὶ ἀθανάτοισιν ὁμοίην. 'Licet' in margine fuit glossema vocis 'dedit,' ex ea notione, quam inlustrat Burman. ad Ovid. Metam. XII. 202. et ipse ad Sedulium I. 65. *Arntz.*

§ 8 *Regionum*] Diocletianus Dalmata fuit, Maximianus Pannonius. Vid. Eutrop. lib. IX. Aurel. Victor. Vide Panegyr. super. *Putean.* 'Regionum' et 'religionum' sæpe permutata. Vide Drakenb. ad Livium V. 54. 3. Male Lambinus apud Ciceron. pro Rabir. c. 10. substituebat, 'ad Deorum regionem:' quod Ciceronis fuit, recte tuentur Gruterus et Grævius. Male etiam collatio penes me apud Apuleium Metam. IV. p. 70. 'trepidi religionis.' *Arntz.*

§ 9 *Fractus*] Lege, *patientiæ, fractis licet oppositis hostibus armis t. s. &c.* Quamquam, mutata saltem distinctione, scriptura vulgata potest reti-

neri, eodem sensu. *Acidal.* Livineius legit *fracto*, qui parum a scopo abiit; nisi quod participium *oppositus* etiam in casum auferendi mutandum minus prospere censuerit, et pro *miles* reponendum duxerit *limes*. Nec placet emendatio ab Acidalio tentata: *fractis licet oppositis hostibus, armis tamen semper instructus miles exercet.* Nos arctius inhærentes vestigiis vetusti codicis Livineii, lubentes admittimus *fracto*, et retento nominativo participii *oppositus*, solum nomen *hosti* quam lenissime accommodamus alteri participio *fracto*. Inde hæc structura grammatica horum verborum existit: *quas* (provincias) *miles, oppositus licet hosti fracto, tamen semper instructus armis, exercet ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiæ.* Vicinum hostem Pannoniæ et Dalmatiæ Mamertinus vocat 'fractum,' quia Diocletianus et Maximianus ejus vires nondum penitus contuderant atque dissiparant, fregerant tamen, i. e. debilitarant et comminuerant: nihilominus opponebant isti fracto hosti militem, semper armis instructum, qui exercet istas provincias, sive potius earum incolas, ad consuetudinem infatigabilem laboris ac patientiæ. 'Frangere' autem 'hostem' non semper est delere, et concidere hostem, sed et saltem debilitare et infirmare. Cicero pro Rabirio Postumo cap. 10. 'Quæ vis summas frangit infirmatque opes.' Quin aliquando 'frangere' minus esse videtur, quam 'vincere' hostem. Sic idem Cicero Fam. IV. 7. 'Victi sumus igitur; aut, si vinci dignitas non potest, fracti certe.' *Schwarz.* Velleius I. 12. 1. 'virtute armisque fracta erat.' II. 24. 4. 'existimavitque ante frangendum hostem.' Inde cum 'debilitare' jungi docet Manutius ad Ciceron. ad Divers. I. 9. confer Schulting. ad Senecæ Controv. p. 178. Neque tamen Schwarzii conjecturam *hosti*, quod Jægerus fecit, recipere sum ausus. Vulgatum retinui, hac sententia: Licet hostis fractus sit oppositus, tamen propter metum, ne forte excurrat, limes, sive Danubius, armatis instructus, provincias exercet; atque ita accepit mox Gruterus. *Arntz.*

Miles] *Quas ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiæ* (*fractus licet oppositus hostis*) *armis tamen semper instructus limes exercet.* Ita scripsi, ita distinxi, sententia clarissima mutatus *miles* in *limes*, sed fide duorum Mss. Qui priora ab ingenio mutant, ingeniosi dici possunt, sed nihil præterea. *Gruterus.* Hujus vocis locum, in multis libris, et adhuc in Gruteri et Cellarii editione, occupavit *limes*; sed quis non sentit, aptius dici *miles armis instructus*, quam *limes*, incolas provinciæ exercere ad consuetudinem laboris et patientiæ? Restituimus ergo *miles*, quod nomen jam publicarant Puteolanus, Cuspinianus, Rhenanus, Navius, Stephanus, Livineius. Sic vero et alibi ista duo nomina a librariis permisceri consueverunt, docente Drakenborchio ad Sil. Italicum V. 1. *Schwarz.* Est *limes* oratori aptius, et jure id confirmant Guelf. et Vossii excerpta. Cur Schwarzio *miles armis instructus* videatur potius provincias exercere, quam *limes*, non video. Per 'limitem' Danubium intelligit. Supra Paneg. II. § 4. 'Quemadmodum educatus institutusque sis prædicabo in illo limite:' ubi alia exempla dedi, et de flumine Rheno, ibid. c. VII. § 3. Not. ad Auson. Mosell. vs. 435. quomodo ῥεῖθρον ἠπείρων ὅρον dixit Æschylus Prometh. Vinct. vs. 789. et Ausonius Gratiar. Act. III. 3. *Limes* ille armis semper erat instructus propter dispositos illic milites, ne, quamvis his oppositus esset fractus hostis, is facile excurreret, novosque motus ciere conaretur. Hi sunt 'limite dispositi exercitus' apud Incert. Paneg. c. II. § 6. Passim hæ voces

permutatæ, ut apud Claudianum Laud. Stilic. II. 186. ubi vide Barthium, et in edit. Burmanni p. 874. Apud Ammian. XIX. 11. recte Valesius emendat, 'pro securitate limitum.' In Scholiast. Juvenalis ad Sat. XV. 27. 'quia in Ægypto militem tenuit,' tentat Vossius in ora edit. meæ, 'limitem,' et intelligit Syenem, Ægypti limitem. Adde Jæger. ad Paneg. Incerti Constantino XIV. § 6. Drakenb. ad Livium XXII. 11. 2. Caussam dedit litterarum ordo passim a librariis inversus; 'gratis' in 'artis' transpositum corrupit Quinctilianum Declam. VIII. 3. loco vexatissimo, et a criticis varie tentato, quem ita constituo: 'Maximi tamen virorum, et quibus gratissima solvendo non sit humanitas, sciebant.' Similiter 'nobis' et 'bonis' permutantur in cod. Trajectino apud Ciceron. ad Divers. IV. 12. apud Juvenc. Hist. Euang. II. 375. 'Quam stultum est rudibus veteres subtexere pannos Vestibus, ut turpis pejus scissura patescat?' quidam ediderunt 'veteris pejor,' sed ex cod. Cantabr. debuisset restitui, 'ruptis pejor.' Apud Sophoclem Antig. vs. 723. στρέψας τὸ λοιπὸν emendat πλοῖον Abramus ad Ciceron. Provinc. Consul. 15. quod confirmat Scholiasta, cum explicet, στρέψας τὴν ναῦν. Alia exempla habet Cannegieter. ad Fragment. Vet. Jurisprud. p. 175. *Arntz.*

In quibus] Scilicet 'provinciis.' Dalmatia nempe, ut jam diximus, et Pannonia, quarum provinciarum nationes fuere bellicosissimæ. De Dalmatis scribit Florus IV. 12. 'Dalmatæ plerumque sub silvis agunt; inde in latrocinia promtissimi.' De Pannoniis ibidem: 'Pannonii duobus saltibus ac tribus fluviis, Dravo, Savo, Istroque vallabantur, populati provincias intra ripas se recipiebant.' Jam Augustus, referente Suetonio in ejus Vita cap. 21. 'domuit, partim ductu, partim auspiciis suis, Pannoniam et Dalmatiam cum Illyrico omni.' Ad ea, quæ de fortitudine, seu potius feritate mulierum utrinsque gentis memorat Mamertinus, forte et hæc referri possunt, quæ loco citato tradit Florus: 'Quæ fuerit,' inquit, 'illarum gentium feritas, facile vel mulieres ostendere: quæ, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum adversa miserunt.' *Schwarz.* Cf. notata supra ad Paneg. II. § 2. Ausonius Epigr. III. vs. 3. 'Armiferis alui quos ego Pannoniis:' ubi male vet. ed. 'armiferos.' *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Patriorumque*] Equidem *patria instituta* duplici ratione dici posse videntur, et a 'patre' sive parentibus, et a 'patria.' Priore notione dicitur Ciceroni pro Rosc. Amer. c. 16. 'res patria et aucta:' posteriore eidem Paradox. 4. 'cum mos patrius occiderat:' ubi Nepos XVII. 4. dixit, 'patriæ institutis parere.' Hic tamen posteriorem notionem magis locum habere posse credimus, quia orator caussas rerum, ab utroque Imperatore fortiter gestarum, distincte refert, primo ad 'stirpem,' stirpisque auctores, Jovem et Herculem; deinde ad mores 'patriæ' bellicosæ. *Schwarz.*

Veniunt] I. e. accidunt, eveniunt, oriuntur. In nostro quidem codice, et in priore libro Gudiano scriptum est *eveniunt*. Et sic etiam alibi ista verba confunduntur; v. g. apud Sallustium Jugurth. cap. 103. 'Bocchus, reputando, quæ sibi duobus præliis venerant:' ubi alii pro 'venerant' exhibent 'evenerant.' Apud Celsum VII. 27. 'Solet vero sub ejusmodi victu venire, ut alvus non reddatur:' ubi nonnulli pro 'venire' habent 'evenire.' Hoc autem loco, etsi 'evenire' satis commodum haberet locum, non tamen necesse est, ut vulgatam lectionem mutemus, cum τὸ 'venire' etiam alibi ponatur pro 'evenire.' Sic Plautus Pseud. II. 1. 'Proh Juppiter! ut mihi, quidquid ago, lepide

omnia prospereque veniunt!' Tacitus Annal. XII. 32. 'Id quo promtius veniret:' i.e. eveniret, &c. *Schwarz.* Cf. Buneman. ad Lactant. Instit. I. 11. 32. VI. 25. 14. Vulgatum tuentur notata a Munckero ad Fulgent. Mythol. III. 6. V. D. ad Livium IX. 12. 1. Buneman. ad Lactant. Instit. IV. 16. 9. V. 12. 7. *Arntz.*

Timebamus] Acidalius pro *timebamus* gestiit legere *timemus*; ut hæc verba *miramur*, et *timemus* tempore conveniant: sed nos existimamus, Mamertinum significanter dixisse *timebamus*, ut scilicet significaret, se olim quidem timidos solicitosque fuisse pro expeditionibus Imperatorum suorum; nunc autem, quod ab initio cap. III. dixit, 'reddidisse rationem,' sive modum statuisse, 'solicitudini suæ,' et 'jam illam, quam pro Imperatoribus susceperant, curam posuisse.' *Schwarz.* Recte. *Arntz.*

Possumus] Conjecturæ Puteani, *possemus*, necessitatem nullus video: et sequentia indicativum postulant. *Arntz.*

Rerum cursu] Elegans locus, quem cum exemplo, unde ductus est, scilicet Cicer. Orat. pro L. Manil. c. 1. 'Unde illam . . . ad quietem,' confert Bibliotheca Critica, et addit, rhetorem Ciceronianam ubertatem ad breviorem orationem contraxisse, et quod de suo adjecerit, si quidem proprium ejus sit, *ne ipsa quidem victoriarum vestrarum lætitia*, hac igitur figura sententiæ vim mirifice auxisse. *Jæger.* Locum Ciceronis etiam adhibuit vir clariss. in Bibl. Critic. vol. II. part. I. p. 26. similis fere est alter pro Arch. cap. 6. 'ab nullius umquam me tempore aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.' *Arntz.*

Non modo] Res ipsa postulare videbatur, ut sic scriberetur, *non modo non*; sed altera particula negans *non* in nullis Panegyrici hujus exemplaribus, quotquot nobis innotuerunt, apparet: a cujusmodi ἐλλείψει nec optimi quidem linguæ Latinæ auctores alieni sunt; immo, quod Guil. Budæus in Comment. Linguæ Græcæ docet, etiam apud Græcos identidem οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, aliquando valent *non modo*, aliquando *non modo non*, qua de re egimus in notis ad Panegyricum Plinii XVII. 3. Maxime vero, quod Perizonius ad Sanctii Minervam p. 793. monet, hæc ἔλλειψις τοῦ *non* locum habet, si mox in membro proximo sequatur, *sed ne quidem*. Libet nunc unicum hujus generis exemplum ex Cicerone afferre, ad Famil. I. 9. 23. 'Ego,' inquit, 'non modo præmiis, quæ apud me minimum valent, sed ne periculis quidem compulsus aliis, quibus tamen etiam moventur fortissimi viri, ad eorum caussam me adjungerem.' *Schwarz.* Alia exempla collegit Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. 26. pater meus ad Plinii Paneg. VIII. 1. eruditi infr. ad Eumen. Pro Instaur. Schol. XIX. 4. Buneman. ad Lactant. Instit. V. 1. 11. VII. 9. 5. Epit. Instit. XXXII. 5. neque interest, sequens membrum per negationem efferatur, nec ne, aut per 'sed etiam,' quamvis de eo dubitare videatur Harlesius ad Ciceron. de Orator. I. 26. et Perizonium sequatur Buneman. ad Lactant. Instit. V. 13. 5. de Opific. XIX. 9. utriusque usus plura exempla dedit Drakenborchius ad Livium XXV. 26. 10. Brouckh. ad Tibull. I. 1. 47. Græcum οὐχ ὅτι, et similia contulit Vechner. Hellen. l. I. part. II. c. 5. § 3. et Hoogeveenius ad Vigerum cap. VII. sect. 13. § 13. Ex hac ellipsi præfero ex Gudiano in Plinii Paneg. IX. 1. 'quod non successor imperii, sed particeps:' vulgo editur, 'non solum.' Apud Ciceronem de Orator. I. 8. ex Trajectino malim, 'ut non æqualibus suis anteponerentur.' Cap. LIII. idem codex, 'non parum commode, sed etiam turpiter.' Ibid. II. 59. 'In

quo non illud præcipitur, ne quid insulae, sed etiam,' &c. *Arntz.*

§ 2 *Syria*] Intellige Diocletianum. Jam ad primum Mamertini Panegyricum cap. I. § 4. annotavi, Diocletianum anno Christi CCLXXXVII. rem adversus Persas feliciter gessisse, dum Narseo, Persarum regi, bellum e proximo ostentans, tantum incussit terrorem, ut hic non tantum advenienti Imperatori ultro cesserit Syria; sed etiam pacem supplex per legationem rogaverit. Ipse Mamertinus in priore illo Panegyrico cap. VII. 'Credo itidem, optimam illam fertilemque Syriam velut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano sponte se dederant regna Persarum.' Tunc vero Diocletianus, post illam victoriam ex Oriente reversus, transiit Pannoniam, ut hinc ad vindicandam Rætiam progrederetur; et illuc ex Germania se contulerat Maximianus, ut invicem colloquerentur, ac de rebus imperii deliberarent. Unde Mamertinus in priore Panegyrico cap. IX. 'Ex diversa,' inquit, 'orbis parte coëuntes invictas dexteras contulistis; adeo fidum fraternumque fuit eloquium (sive 'colloquium')....Ille tibi ostendendo dona Persica; tu illi spolia Germanica.' Malumus enim hæc de Pannonico, quam de Mediolanensi colloquio, de quo Mamertinus in Geneth. cap. XI. agit, explicare; cum hoc demum postea, alio tempore, habitum sit. *Schwarz.* Falsa esse, quæ de Narseo memorat Schwarzius, ostendi ad Panegyr. x. 6. *Arntz.*

Susceperat] Vulgatum tueor, quia majorem rei celeritatem indicare videtur, et propter Pacatum, hæc forte imitatum, Paneg. x. § 2. 'Vix tecta Hispana successeras, jam Sarmaticis tabernaculis tegebaris.' De usu verbi 'suscipere' dixi ad Paneg. cap. I. § 2. *Arntz.*

Illustraveras] Id est, inviseras, lustraveras. Supra extremo in Maximianum A. Panegyrico: 'Has provincias tuas frequenter illustres.' Eumenius Grat. Act. pro Flaviensibus ad Constantinum A. 'Urbem illam sola opis tuæ expectatione viventem illustrare dignatus es.' In Constantium Cæsarem: 'Qui sine ullo fere discrimine dierum ac noctium illustratis orbem:' et alibi sæpius. Apud Ciceronem pro M. Marcello: 'Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus ('passibus cujus' Ms.) potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt,' &c. dubia scriptura est. Nam 'lustratæ' est in duobus optimis et vetustissimis Mss. quæ doctissimus Car. Langius accurate tractavit. *Livin.* Inviseras. Sic Paneg. priori fin. 'has provincias tuas frequenter illustres.' *Cellar.* Maximianus, cum primum Cæsar, deinde Augustus a Diocletiano adscitus esset, sedem habuit Treveris, in primaria Galliæ Rhenanæ urbe, ubi fortiter defendit illam provinciam adversus rusticanorum factionem, et adversus Burgundiones, atque Alemannos, item et Chaibonas et Erulos, irruentes in Galliam; de quibus rebus gestis Mamertinus jam egit in priore Panegyrico. Verbum *illustraveras* Livineius simpliciter interpretatus est per 'inviseras,' itemque hunc secutus Cellarius: sed istud verbum, si de præsentia magnorum principum heroumque usurpatur, utique amplius aliquid innuere videtur, ita ut hæc verba sic explicare velimus: Tu modo opida Galliæ præsentia tua, rebusque gestis illustriora reddideras. Cicero pro Marcello cap. II. 'Terræ tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt.' Nisi ibi cum Grævio legere malis, 'lustratæ sunt.' Sic et Eumenius in Grat. Act. c. VII. 'Tamen illo deflectere, et urbem illam sola opis tuæ expectatione viventem illustrare dignatus es.' Eodem modo exponi possunt verba Mamertini prior.

Paneg. cap. XIV. § 4. 'Has provincias tuas frequenter illustres.' *Schwarz.* Vim verbi 'inlustrare' recte explicat Schwarzius, præsertim in his Panegyricis admittendam, quibus Imperatores suos Diis pares faciunt oratores, unde Eumenius Constantino XXII. 6. 'Quæcumque enim loca frequentissime numen tuum inlustrat:' et, solis instar, 'orbem inlustrare' dicuntur apud eumd. Constantio IV. 3. quo spectant verba infr. cap. X. 4. 'Vestrum numen effulsit, tota Italia clarior lux diffusa.' Ausonius Gratiar. Act. XXXVII. 2. 'Ut Gallias tuas inopinatus inlustres:' sed, præter similem usum, pro invisere hoc verbum occurrere, quod Livineio et Cellario placebat, nondum mihi liquet, eaque ratione motus dudum Miscell. p. 76. in Julii Honorii excerptis p. 695. 'inlustrans Hispanias,' mutavi in 'lustrans;' neque aliter apud Ciceronem pro Marcello, a Schwarzio excitatum, cum Grævio legendum puto 'lustratæ,' quod egregie codicis apud me variantes confirmant. *Arntz.*

Monœci] In Liguria meminit Plinius III. 5. *Putean.* Nunc *Monaco*, quod oppidum, cum arce et portu, in Liguriæ finibus, Nicæam versus, quæ modo *Nizza.* Patarol. Servius ad Virgil. Æn. VI. 829. ostendit, unde Hercules sit cognominatus 'Monœcus:' 'Dictus,' inquit, 'μόνοικος, (a μόνος, *solus* et οἰκῶν, *habitans*,) vel, quod, pulsis omnibus, illic solus habitavit; vel, quod in ejus templo nunquam aliquis Deorum simul colitur; sicut in Jovis, Minerva et Juno; in Veneris, Cupido.' *Schwarz.* Confer V. D. ad Antonini Itiner. p. 503. Portum Herculis, et Monœci distinxit Ptolemæus; satisne recte, definit Cellarius Geogr. Antiq. II. 9. p. 414. corrupte Guelf. *Meneti.* Arntz.

Præteribas] Codex noster habet *perterrebas;* sed minus apte, cum Maximianus istas arces Italicas, et quietas præsentia sua magis exhilaraturus, quam perterriturus fuisset. *Schwarz.*

Gremio] Eleganter 'gremium Italiæ' est ipsa Italia, ut Græcis κόλπος. Vide Notas ad Silium Italic. III. 678. *Arntz.*

§ 3 *Meritoria*] Sanum hoc, an mutandum *meritorum?* Acidal. Non video, qui hoc loco vox *meritoria* defendi queat, de illis rebus usitata, quæ mercede certa alicui præbentur. 'Meritoria balnea,' 'cœnacula,' 'vehicula,' ex Plinio et Suetonio congesserunt lexicographi; ita, usufructu domus legato, illic 'meritoria facere' fructuarius prohibetur in L. XIII. § 8. ff. de Usufr. Orosius VI. 20. 'De taberna meritoria per totum diem fluxit,' aut 'defluxit,' quod est apud Saresberiensem, qui locum hunc descripsit, VIII. 18. *Arntz.*

Differtis] Exemplum commemoravi ad priorem Mamertini Panegyricum, quod Diocletianus et Maximianus triumphum distulerint, sibi A. C. CCLXXXVII. a senatu Romano decretum, et nummo cuso memoriæ proditum. *Schwarz.* Confer Norisium de duob. Num. Dioclet. Dissert. I. c. 4. *Arntz.*

CAP. V. § 1 *Imperator, multi*] Vide supra ad I. 1. *Arntz.*

Ego pridem] Panegyrico præcedente, ut existimo, quem ex hoc loco, et ex stilo colligere licet, esse ejusdem auctoris. *Putean.* Nempe in priore Panegyrico, ubi hic Mamertinus natalem urbis Romæ, præsente Maximiano, celebravit, simulque utriusque Imperatoris res eo usque bello gestas collandavit. *Schwarzius.* De voce 'pridem' vide ad cap. I. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Favente majestate*] Quod mox addit, *favente majestate*, ad id noto, prius magis in usu fuisse *dignitatem* de Imperatore, sed, crescente adulandi studio, pro eo *majestatem* adhiberi cœpisse, quod tempore Trebellii Pollionis fuisse inventum docet Meur-

sius Auctar. Philol. c. 30. *Arntz.*

§ 3 *Sævissimo dominatu*] Apri et Carini tyrannide, quos Diocletianus oppressit. Eutrop. IX. 13. *Cellar.* Carini Imperatoris, ut puto, cum quo Diocletianus sæpe conflixit, quo etiam sublato imperium obtinuit. *Patarol.* Cellarius hoc refert ad Apri et Carini tyrannidem. Et sane Aper Cari Imperatoris præfectus fuit, ut Vopiscus narrat. Deinde, elatior factus a Numeriani cæde, consilium invadendi imperii cepit; sed eam cædem vindicavit Diocletianus, postea Augustus. Magis vero Carinus, Cari filius natu major, homo omnium contaminatissimus, omnia tyrannorum facinora exercuit. Referente enim Eutropio IX. 19. et 20. 'Omnibus se sceleribus inquinavit; plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit. .... Hunc Carinum, omnium odio et detestatione viventem, Diocletianus apud Margum ingenti prælio vicit,' &c. *Schwarz.*

Exacerbatas] Incertus Auctor in Panegyrico Constantino et Maximiano: 'Hic est, qui in ipso ortu numinis sui Gallias, priorum temporum injuriis efferatas, reipublicæ ad obsequium reddidit,' &c. *Putean.* Sub Carino Cæsare. *Livin.* Sic et Livius lib. XXIX. cap. 29. 'Multitudo, exacerbata superbia atque avaritia Pœnorum, ad Romanos inclinavit.' Sicuti autem sævitia imperii, atque indignitate exasperantur animi civium; ita clementia et moderatione continentur in officio, aut facilius ad obsequium reducuntur. 'Quæ enim natura sunt aspera,' ut ille ait, 'molli manu et levi leniuntur.' Vix autem dubitamus, quin Mamertinus hoc loco respiciat rusticanam Bagaudarum factionem, qui magistratuum Romanorum iniquitate exasperati rebellarant; at levibus prœliis, et quadam moderatione a Maximiano victi redierant ad obsequium. Eutropius IX. 20. 'Cum tumultum,' inquit, 'rusticani in Gallia concitassent, et factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, ... ad subigendos eos Diocletianus Maximianum Herculium misit, qui levibus prœliis agrestes domuit, et pacem Galliæ reformavit.' Cf. Mamertinum in priore Panegyrico cap. IV. § 3. Causam exacerbatorum Bagaudarum indicat Salvianus lib. VI. de Gubern. Dei p. 91. 'De Bagaudis nunc mihi sermo, qui per malos judices et cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam jus Romanæ libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. .... Vocamus rebelles, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus et rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumentum verterunt, et indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt?' &c. De nomine Bagaudarum non nihil attuli ad Paneg. priorem Mamertini cap. 4. fin. *Schwarz.* Dixi ad Paneg. cap. II. et IV. Adde ad Eumen. pro Instaur. Schol. cap. IV. *Arntz.*

Festos] Sic Maximianus Treveris, Kalendis Januariis A. C. CCLXXXVII. auspicalem primi consulatus sui diem victoria triumphoque celebravit, commemorante Mamertino in priore Panegyrico cap. VI. ubi is, eodem die, 'ex acie cum triumpho rediisse,' et 'totam istam civitatem lætitia, et exsultatione, et aris flagrantibus, et sacrificiis et odoribus accensis, implevisse' dicitur. Sic eodem Panegyrico Mamertinus, XXI. Aprilis A. C. CCLXXXIX. præsente Maximiano, natalem urbis Romæ Treveris celebravit. *Schwarz.*

Triumphis] Ante Gruterum ediderunt, *dies festos victoriis, triumphis celebratos;* quod in prima edit. retinuit Rivinus, reliqui *victoriis triumphisque*,

quæ tamen lectio videtur hoc habere incommodi, quod non omnis dies, victoria celebratus, continuo sit festus. Prætuli igitur lectionem ex Guelf. et Vossii excerptis, *victoriisque triumphos*, festos dies ut indicet, quibus triumphi ob victorias celebrarentur. *Arntz.*

Germanica] Scholiastes ad Aristophanis Plutum II. 4. 39. docet, 'tropæum' esse, quod in victoriis fecerint veteres, murum vel lapidem magnum, adde truncum arboris, aut columnam æneam, ponentes, et in illo scribentes res adversus hostes gestas: vocari tale monimentum 'tropæum' a τροπῇ, quia hostium fuga illic facta. Hujusmodi vero columnæ, vel trunco loricæ, galeæ, scuta, et alia ab hostibus capta spolia imponi solita. Rei contra Germanos a Maximiano gestæ meminit Mamertinus Paneg. priori cap. VII. § 2. 'Quod majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione?' Et cap. IX. 2. idem Maximiano tribuit 'spolia Germanica.' Possidemus nummum æreum, in quo Maximianus ob istas victorias promeruit Germanici cognomen, quem nummum non commemoravit Mediobarbus. In adversa parte conspicitur caput laureatum, cum inscriptione, MAXIMIANVS PIVS AVGustus GERManicus. In aversa parte stat figura, quæ et dextra et sinistra manu tenet signa militaria, cum epigraphe, FIDES MILITVM. Hujus nummi figuram alio tempore exhibebimus. Additæ sunt hæ literæ, T. C. forte, Treveris Cusum. *Schwarz.* Tropæa, more Græco erecta eo loco, quo hostes victi, Romanis fuere ignota, judice Dukero ad Florum III. 2. in fine. Romæ tamen fixa arbitratur, ut talia de Parthis Romæ posita memorat Tacitus Annal. XV. 18. et huc refer quæ in numis cusa conspiciuntur, de quibus Spanhem. de Usu Num. Diss. X. p. 220. Begerus Thesaur. Brandenb. tom. III. p. 105. Schwarzius ad Plinii Paneg. LVIII. 2. lignea tamen fuisse erecta, ne gentibus victis diu victorias exprobrare viderentur, scribit Burmannus ad Sueton. Calig. cap. 46. non itaque ex facto Fabii Maximi prima tropæorum, more Græco, erigendorum, apud Romanos petenda origo, quod fecit Stewech. ad Veget. de R. M. II. 7. id enim contra consuetudinem factum. Scio, Pompeium, devictis Hispanis, tropæa in jugis Pyrenæis, adeoque in hostili solo, posuisse; id testantur Sallustius Fragm. Histor. VI. pag. 1005. ed. Cort. Julius Exsuper. de Bell. Civil. in fin. et Plinius Hist. Nat. VII. 26. sed id Pompeio crimini datum fuisse, atque ideo Cæsarem, ara tantum posita, a tropæis illic erigendis abstinuisse, docuit me Dio Cassius Hist. lib. XLI. p. 164. hinc forte Cicero tropæa, in Macedonia posita, tamquam criminosum objicit, in Pison. cap. 38. sed illam humanitatem, ne victoriam hostibus exprobrarent, videntur deinde neglexisse Romani, moribus præsertim in deterius mutatis, cum gubernacula tenerent Impp., eoque hic locus referendus; forte et ipsa gentium Germanicarum, quæ Romanis videbatur, barbaria huic rei occasionem præbuit, quas humanitatis velut expertes credebant, cui ipsa Imperatorum superbia et impotentia addatur. *Arntz.*

§ 4 *Rætiæ*] Supr. præcedenti Panegyrico de Diocletiano: 'Ingressus est nuper illam, quæ Rhætiæ objecta est, Germaniam, similique virtute ultra Romanum limitem victoriam protulit.' *Putean.* Limitem Rætiæ prolatum fuisse a Diocletiano, ad Paneg. priorem Mamert. cap. IX. 1. commonstravi: quamvis tanta esset istorum duorum Imperatorum concordia, ut omnes rerum a se gestarum laudes communes invicem esse vellent. Ceterum vulgo quidem 'Rætia,' et 'Rhætia' promiscue scribi solet;

malimus tamen nunc priorem scribendi rationem sequi, quam et Cellarius comprobavit in Orthogr. p. 49. *Schwarz.* Eamdemque probant Drakenb. ad Livium Epit. 136. Oudend. ad Sueton. Aug. 21. Nolten. Lexic. p. 150. De rebus gestis ad Paneg. cap. II. 6. et IX. 1. vide. *Arntzenius.*

Sarmaticæ] Laurea etiam Sarmatica Diocletiano, qui Sarmatas ad Danubium obtrivit, adscribitur infra cap. VII. 1. Sarmatiæ duæ sunt, quarum, quæ Occasum spectat, Europæa, complectebatur Russiam hodie dictam cum Poloniæ regni parte, et Livonia, ac Lithuania; quæ Ortum respicit, Asiatica cognominata, Tartaros, Circassos, et Morduitas comprehendit. Si dixeris, Quid vero sibi vult nummus ex Begeri Thes. Brandenb. tom. III. p. 781.?



In hujus anteriore parte cernimus caput laureatum Maximiani, adscriptis his verbis, MAXIMIANVS AVGustus. In parte posteriore quatuor figuræ militares, easque sacrificantes, et quarum duæ dextras jungunt, adstant aræ accensæ ante ostium castrorum prætorianorum, quia vel vota Diis pro victoria persolverunt, vel post victoriam fœdus cum hoste percusserunt. Legitur ibi hæc inscriptio, VICTORIA SARMATica. Nonne igitur, dices, laurea Sarmatica, secundum hunc nummum, magis ad Maximianum, quam ad Diocletianum referenda? Sed respondemus, nihilominus eam ipsam victoriam, propter insignem, de qua diximus, illorum concordiam, in nummis ad utrumque Imperatorem relatam esse. Confer infra cap. VII. hujus Panegyrici. Ita vero etiam apud Mediobarbum pag. 426. videmus annotatos Diocletiani nummos, in quibus pariter, ac in nummo Maximiani, VICTORIA SARMATICA designatur. Eutropius IX. 25. generatim de Diocletiano et Maximiano, et Cæsaribus istorum temporum: 'Varia deinceps et simul, et viritim bella gesserunt, Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locarunt.' *Schwarz.* Victorias has adtigit Spanhemius ad Julian. Cæsar. p. 60. *Arntz.*

Saracenum] Saraceni, Arabum gens vaga et inculta; cujus gentis mores late describit Ammianus Marcellinus XIV. 5. Nihil alibi in historia Diocletiani et Maximiani de his Saracenis legere meminimus. *Schwarz.* De illis confer Vales. ad Ammian. Marcell. XIV. 4. et inprimis Verheyk. ad Rufi Breviar. cap. XIV. *Arntz.*

Terrore] Plin. Epist. II. 7. 'Spurinna ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit.' *Cellar.* His Mamertinus respicit ea, quæ jam Panegyrico priori cap. 7. 5. dixerat. Nulla autem pulchrior atque felicior est victoria, quam incruenta, ubi hostes sine pug-

sa et sanguine, vel solo armorum terrore, vel aucteritate Imperatoris inducti, sponte se dedunt. Sic Scipionem belli terrore plurima peregisse narrat Livius lib. XXIX. Sic Plinius Paneg. cap. XXIV. 1. laudem hanc tribuit Trajano, cum dicit eum 'Germanici nomen jam tum meruisse, cum ferociam superbiamque barbarorum, ex proximo auditus magno terrore cohibuerit, Rhenumque et Euphratem admiratione famæ suæ conjunxerit.' Idem Plinius Epist. II. 7. 'Spurinna,' inquit, 'Bructerum regem vi et armis induxit in regnum, ostentatoque bello, ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit.' *Schwarz.*

Petendam] De his jam locutus est Mamertinus Paneg. priori cap. 10. § 3. sqq. Meminit ibidem etiam munerum, sed a Persarum rege acceptorum, prout et cap. IX. § 2. 'Persica dona' vocat. Tunc vero Persiæ et Parthiæ regna erant conjuncta. Franci erant Germani, qui tunc non solum Galliam, sed etiam cum Saxonibus mare infestabant, teste Eutropio IX. 21. et X. 3. *Schwarz.* *Petendum* ex Bertiniensi apud Livineium recepi, tum quia a librariorum captu est remotius, tum ob Virgilii auctoritatem, Æneid. XI. 230. 'Pacem Trojano a rege petendum:' quamvis enim illic 'petendam' servent quoque variantes ex Clermontiano cod. apud me, idque ex aliis tueatur Burmannus, tamen meliora docuit Ruhnkenius ad Rufinian. Schem. Lexeos p. 256. Cicero Catil. III. 8. 'ad placandum Deos.' Adde Cerdam ad Virgilii locum, V. D. ad Silium Ital. XV. 105. Schellerum Præcept. Stil. bene Latin. Part. I. p. 160. Buneman. ad Lactant. Instit. VI. 20. 9. Græcam notavit imitationem Vechnerus Hellenol. I. p. 372. et ibi Heusinger. Quæ de Francorum rege tradit, pertinere videntur ad ea quæ memoravit Paneg. X. § 3. ex quo loco, cum hoc collato, non male suspicatur Wagenaerius Hist. Patr. tom. I. p. 221. regem illum a Maximiano fuisse in regno confirmatum; neque tamen hoc de veri nominis regno accipe; fuerunt enim Francorum reges, hoc tempore, non alii quam gentis principes, singulari consilio aut fortitudine reliquis præstantes, ideoque rebus gerendis præfecti. Cf. Conring. de Republ. Imp. German. Exercit. I. § 20. Wagenaer. Hist. Patr. tom. I. p. 31. et Instit. meas Juris Belg. de Condit. Hom. Part. I. Tit. 2. § 3. Quæ autem d. l. Panegyrici de bello Persico notavi, egregie ex hoc loco confirmantur, ut eos, illo tempore, armorum magis terrore, quam justo bello devictos statuamus, idque eo facilius compositum fuerit ob res in Occidente ordinandas. Adde Cuper. ad Lactant. M. P. p. 143. Est autem Parthus rex Persarum, non Narseus, sed quem dixi ad Paneg. X. 6. illic eum 'Persarum regem' adpellat, eo more, quo Parthi apud scriptores iidem sunt qui Persæ; vid. Eumenium Constantio III. 3. Barth. ad Claudian. in Eutrop. I. 47. Burman. ad Rutil. Itin. I. 85. apud Priscian. Perieg. vs. 869. Cod. Suecic. in Actis Societ. Jenens. Part. V. exhibet 'æquore Partho,' non 'Perso,' probatumque est ab Heinsio ad Ovidium Fast. V. 580. sed vulgatum tueor ex Dionysio vs. 929. θαλάσσῃ Περσίδι, et 'æstu Persico' apud Avienum Descript. Orb. vs. 1105. De munerum miraculis vide ad Paneg. X. 7. *Arntzenius.*

§ 5 *Sunt*] *Sint* revocavi, tum quia habent Vossii excerpta, tum propter 'videar silere,' ex iis quæ notat Schellerus Præcept. Stil. bene Latini, Part. I. p. 159. Silentium illud τῆς σιωπῆς ἀκινδύνου γέρας dicit Julianus Orat. I. p. 3. B. quocum hunc contulit locum Spanhemius. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *Pietas*] Ut aliis locis,

ita et hic Guelf. et excerpta Vossii, *sacratissimi Imperatores*, quidam vero editi, *sacer Imperator*. Vide ad cap. I. princ. *Arntz.*

Vestra erga] Verbum substantivum *est*, quod in quibusdam libris excusis omissum fuit, restituimus ex codice nostro, et libris Gudianis, cum satis commodam hic sedem habeat, et jam a Cuspiniano fuerit expressum. *Schwarz.* Etiam Schonhovii, et Vossii excerpta, *quanta vestra est;* hoc restitui, quamvis inverso ordine ediderint Schwarzius et Jægerus, *quanta est vestra; τὸ est* a sequenti littera videtur absorptum. In talibus obtemperandum est codicibus, quorum auctoritate quibusdam locis addatur, quibusdam deleatur. Confer Van Dorp. Observ. cap. I. p. 6. *Arntz.*

Donariis] 'Donaria,' quæ tum ex voti publici aut privati obligatione, tum ex liberalitate Diis offerebantur, erant varia. Solenne autem præcipue fuit, si quando ingens periculum, aut laborem graviorem præviderent, vota Diis præsidibus nuncupare, quæ postea, periculo aut labore defuncti, solvere dicebantur. Potissimum autem 'donaria' audiebant, quæ vel usibus sacris convenirent, vel ornamento et honori Deorum in templis aut alibi locarentur; sive pateræ essent, sive vasa summorum artificum, clypei, vestes, coronæ ex auro et gemmis, tabulæ votivæ, aut alia hujus generis. Quod argumentum egregie illustravit Jac. Philippus Tomasinus, libro de donariis et tabellis votivis. *Schwarz.*

Nominibus adscriptis] Jovii puto, et Herculei, sed potius Diocletiani et Maximiani. Nam qui arbitrantur, ipsos adposuisse Deis nomen Augusti, tanquam eo reddituros solito honestiores, sunt illi quidem acuti, sed nimis longe petitur hujusmodi acumen: etsi non me lateat, veteres ea fuisse adulationum fatuitate, ut putarent Deorum suorum honores augeri, et quasi consecrari, adjectione cognominis Augusti: id enim vocaliter clamant mille exempla in Inscriptionum nostrarum opere, deridendo tantum ab eis, quibus nihil inest ridiculum; aut, ne mentiar, quibus insunt omnia. Nimirum respicit Panegyristes ad versum P. Syri, 'Deos ridere credo, cum dives vovet.' *Gruterus.* Non templis, nec Deorum simulacris, sed donariis suis Imperatores nomina adscripserunt hic sua. *Cellar.* Disputant, an et quomodo hi Imperatores 'nomina sua adscripserint?' Cellario tradente, non templis, nec Deorum simulacris, sed donariis suis Imperatores nomina adscripserunt sua. Sed quidni etiam templis, et simulacris Deorum, more aliorum Imperatorum, si qua ex voto condidere? Quidam, notante Grutero, arbitrati sunt, ipsos Imperatores apposuisse Diis nomen 'Augusti,' uti adhuc observamus monimenta 'Jovi Augusto,' 'Marti Augusto,' 'Junoni Augustæ,' 'Minervæ Augustæ,' atque aliis inscripta. Ea enim apud veteres paganos adulationum fatuitas invaluerat, ut putarint Deorum suorum honores augeri, et quasi consecrari, adjectione cognominis 'Augusti.' Jacobus De la Baune existimat, Imperatores hos 'Jovii' et 'Herculii' nomen suis donis adscripsisse, ad majorem Deorum venerationem. Rectius Gruterus censuit, eos non nisi simpliciter sua nomina, Diocletiani et Maximiani, adscripsisse. Et testatur id, præter alia, monimentum quod Aquileiæ asservatur, et cujus hanc brevem inscriptionem affert Muratorius in Novo Thesauro Inscriptionum veterum tom. I. pag. XXV. 2.

DEO. SOLI
DIOCLETIANVS. ET. MAXIMIANVS
INVICTI. AVGG.

Schwarz. Intelligi tantum possunt Diocletiani et Maximiani nomina, templis præfixa, aut votis, quæ cera

obsignata Deorum genibus adfigebantur, de quo more dixi in Miscellan. cap. 6. unde Prudentius Apoth. vs. 455. 'Fictilis et soleas Junonis lambere; plantis Herculis advolvi; genua incerare Dianæ:' ubi Heinsius. *Arntz.*

Sanctioresque] Plutarch. *ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμ.* Ἐγγίνεται γὰρ ἅμα τοῖς πολλοῖς ἰσχυρὰ διάθεσις καὶ δόξα, τοῦ τὸ δαιμόνιον εἶναι μέγα καὶ σεμνὸν, ὅταν οὓς αὐτοὶ τιμῶσι καὶ μεγάλους νομίζουσιν, οὕτως ἀφειδῶς καὶ προθύμως περὶ τὸ θεῖον ὁρῶσι φιλοτιμουμένους. *Puteam.*

§ 2 *Ac potestas*] Ex Rhenani conjectura, et Langii schedis, *quanam potestas Deorum* primus in contextum admisit Bannius, quem omnes reliqui sunt secuti, etiam Jægerus; id vero mihi sine codicibus sumere non sum ausus, priscamque lectionem, quamvis vitiosam, retinui. Quod de lacunæ nota post voculam *ac*, constanti codd. consensu confirmatam, et a Bannio primum ex arbitrio rejectam, scribit Schwarzius, ea mihi in nulla fuit editione reperta, nisi quod illam post *intelligunt* posuerit Gruterus. De lacuna nihil suspicor. Acute divinabat Eldikius meus, *quanta potestas Deorum.* Mihi vitium in *homines* latere videtur, ut scripserit Mamertinus: *nunc enim vere numen esse intelligitur ac potestas Deorum.* Sententia perspicua; cum vos tam inpense Deos colitis, omnibus est persuasum, esse Deorum numen. Pro sapientia enim vestra non eos coleretis, quos colere esset inutile. *Numen esse* primum transiit in *nomen esse*, hoc in *homines.* 'Nomen' enim et 'numen' confundi, ostendi ad Sedul. II. 65. ad Arator. II. 698. 'nomen' autem et 'homo' permutari docet Drakenb. ad Livium XXIV. 18. 8. utrique voci ita junctæ auctoritatem addit Aristoteles apud Ciceron. Nat. Deor. II. 37. 'Esse quoddam numen, et vim Deorum:' apud eumdem ad Quirit. in fine, 'Qui apud me Deorum immortalium vim et numen tenetis.' Catilin. III. 9. 'Urbem Deorum immortalium nutu atque potestate administrari.' 'Numen divinum' et 'majestatem' jungit idem pro Milon. 30. 'vim' et 'numen' Cereris, in Verr. IV. 49. 'Deorum vim' et 'potestatem,' Cæsar B. G. VI. 14. fin. 'potestatem' et 'numen' Historiæ Plin. Epist. IX. 27. init. alibi 'numen,' 'mens,' et 'consilium,' de quo pater meus ad Plin. Paneg. IV. 7. Burmann. ad Virgil. Æneid. I. 8. Sic in Imperatoribus 'numen' et 'majestas' in lapidibus junguntur apud Cellarium Geogr. Antiq. II. p. 97. Stewechium ad Veget. de R. M. II. 19. Quod vero *intelligitur* in *intelligunt* abierit, ortum est ex scripturæ compendio in syllaba *ur*, sæpius a librariis neglecta, cujus exempla dedit pater meus ad Plin. Paneg. XL. 1. *Arntz.*

Cum tam] In Vossii excerptis intermedia inde a *potestas Deorum*, usque ad *quanti*, in Guelf. usque ad *immortalium*, sunt omissa; hoc certe, propter vocem *Deorum* sequentem, ut sæpe ob voces similes intermedia prætereunt librarii, notati ideo a Bondamio Var. Lect. II. 8. et est in cod. Haverc. simile exemplum in Livio II. 45. 5. *Idem.*

§ 3 *Vosmet pietate*] Præter Rivinum, inde post Gruterum *invicem* recte hunc locum occupavit, ut frequenter in his Panegyricis occurrit. *Idem.*

Ulla unquam] Equidem non sollicito, sed *quæ nimium quæ vid. sæc.* est in Bertiniens. expunctis *ulla unquam.* Mihi verisimile est, postquam aliud non occurrit, fuisse in autographo, *quæ enimvero quæ vid. sæc.* Livin. Forte in Bertiniensi vera latet Mamertini manus, si emendetur *quæ nimirum, quæ videre;* ita sæpe in orationis principio, ut in Paneg. II. § 2. 'Commemorabo nimirum:' apud Eumenium Constantino XIV. § 3. 'usurpabo nimirum.' Nazarius Constan-

tin. VI. § 3. 'sed nimirum recte.' Cum tamen alii codd. nihil mutent, vulgatum tueri malim ex iis quæ dedit Wopkens. Anim. ad Pacat. Paneg. cap. 28. *Arntz.*

Germani geminique] Leg. *geminique*; intelligit Remum et Romulum. Sic sup. Paneg. de Remo et Romulo, 'Illi enim, quamvis fratres geminique essent,' &c. *Puteau.* Geminum pene, certe non dissimilem, huic locum abbreviatoris Trogi II. 10. de Artemene et Xerxe: 'Hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernem, veluti domesticum judicem, deferunt; qui, domi cognita causa, Xerxem præposuit: adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultarit, nec victus doluerit, ipsoque litis tempore invicem munera miserint. Jucunda quoque inter se non solum, sed credula convivia habuerint: judicium quoque ipsum, sine arbitris, sine convitio fuerit; tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima dividebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.' *Gruter.* *Germani* fratres, quasi eodem germine nati, proprie qui ex eodem patre et matre sunt procreati; quamquam etiam uterini, et ex solo patre geniti, aliquando sic dicantur. *Gemini* autem, sive *gemelli*, duo fratres uno partu editi. Neque tamen isti germani, ac ne quidem gemini, tam concorditer semper vivunt, quin a se invicem dissentiant, aut in ipsam hostilitatem erumpant; quod vel Romuli et Remi, fratrum geminorum, exemplo constat. At Diocletianus et Maximianus, quamvis non natura, sed saltem dignitate fratres, omnium concordissime inter se vixisse dicuntur. De tali concordia fratrum etiam Gruterus ex Justino notavit exemplum Artemenis et Xerxis II. 10. 'Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima dividebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.' Ceterum Quinctilianus Instit. Orat. IX. 4. tradidit, 'quædam ordine permutato fieri supervacua, ut fratres gemini: nam si præcesserint, gemini, fratres addere non esse necesse.' Sed hæc observatio non est perpetua; neque enim solum Mamertinus, sed et Plautus, Cicero, et Livius ejus nullam habuere rationem, quod commentatores jam pluribus exemplis ad citatum Quinctiliani locum observarunt. *Schwarz.*

Æqualiter] Codex noster, *æquabiliter*. Utroque adverbio, fere sub eadem notione, identidem utitur Cicero, v. g. pro Flacco cap. 36. 'Communem hereditatem, quæ æqualiter ad utrumque lege venisset, concessit adolescenti, propinquo suo.' Idem de Offic. II. 11. 'Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut interficitur a suis, aut relinquitur.' Magis tamen nunc nobis placet *æquabiliter*, quod hoc loco notat pari æquanimitate, æquo animo, unde et ipse Mamertinus mox § 6. dicit, 'Vobis tam facili æquanimitate sunt communia.' Talis æquus animus non semper æqualitatem arithmeticam, sed magis geometricam respicit. Hinc Plinius Epist. VIII. 2. 'Erat expeditum, omnibus remittere æqualiter; sed non satis æquum.' Ita etiam 'æquabilis prædæ partitio,' cujus meminit Cicero de Off. II. 11. non semper respicit 'æquales' partes, sed et pro proportione laborum et periculorum 'æquas,' sive 'æquabiliter' divisas. *Schwarz.* In Vossii excerptis est, *æquabilitate utuntur, quanta*, non male, si *tam* mutetur in *tanta*; nisi id velis tueri ex verbis sequentibus § 6. 'tam facili sunt æquanimitate communia, quantum:' dubia tamen illic est lectio, ubi vide. *Tam* pro tantus adhiberi docuit Burman. ad Sueton. Vespas. cap. 7. At servem potius cum Cellario, ceterisque *æquabiliter*, quod recte, hoc loco, per juste, concorditer, explicat Wasse ad Sallust. Catil. cap. 2. 'Æquabilis' vulgo eum designat, qui ubique sui est similis, inde pro

æquali adhibetur; *æquabiliter* igitur est æquali jure, et modo, eademque conditione. Cf. Ernesti ad Tacit. Annal. VI. 31. haud aliter 'jus æquabile inter omnes' apud Ciceron. pro Cæcin. 25. id est, interprete in Clavi Ernestio, in quo omnes sunt ejusdem conditionis, nihilque gratiæ tribuitur, quam Græcis esse ἰσονομίαν notat illic Passeratius. Apud Sallustium Catilin. cap. 2. vulgo est, 'pro continentia et æquitate lubido atque superbia invasere:' in aliis 'æqualitate,' sed ex cod. Daventriensi restituo, 'æquabilitate;' opponitur nimirum continentia lubidini, male autem superbiæ æquitas; at quidem 'æquabilitas,' sive ea virtus, qua omnes se jure habent æquales, neque alter supra alterum sese effert: 'æquitas' in eo cod. pro glossemate erat adscriptum, et inde videtur in textum irrepsisse, quæ tamen apud Sallustium non potuit esse 'æquabilitatis' notio, si verum sit ante Trajanum forte numquam hac significatione fuisse adhibitum, ut contendit Wasse ad alium Sallustii locum p. 24. ed. Haverc. *Arntz.*

§ 5 *Sibi invicem*] Noti Hesiodi versus ex Oper. et Dier. 1. Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων, Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ. *Et figulus figulo, et fabro faber invidet alter: Non Iris Iri, non vates vatibus æqui.* Livin. I. e. æmuli sunt, et invident detrahuntque sibi invicem. Suetonius in Tiberio cap. 52. 'Tiberius Germanico usque adeo obtrectavit, ut et præclara facta ejus pro supervacuis elevarit.' Nepos III. 1. 1. Aristides et Themistocles 'obtrectarunt inter se.' Tacitus de Causs. Corrupt. Eloq. cap. 15. § 8. verbum hoc cum casu accusandi conjunxit: 'Qui invicem se obtrectaverunt, et supersunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur; non est oratorum vitium, sed hominum.' Mamertinum autem sequentes Hesiodi versus præ oculis habuisse jam alii notarunt: Καὶ κεραμεὺς, κ. τ. λ. h. e. interprete Nic. Valla, *Invidet aut figulus figulo, vel egenus egeno, Sive faber fabro, dulcisque poëta poëtæ.* Schwarz.

Tam vulgare] Voculæ *tam* addidit *que*, a prioribus neglectum, Gruterus; priscam iterum scripturam revocarunt in priori edit. Rivinus et Banne, et forte ita in Vossii excerptis fuit, quia ex illis ad edit. Livineii nihil notatum video; potest certe abesse ob ea quæ notavit pater meus ad Plinii Panegyr. I. 1. sed alterum auctoritate cod. veteris apud Livineium, et Guelferb. retinui, omnes post Banninm editores secutus. *Arntzenius.*

Stipulis] Scripserim *stimulis*. Meurs. 'Stimuli' proprie dicebantur aculei et fustes cuspidati, quibus boves et equi incitarentur, cujusmodi aculeorum figuram exhibet Philippus Rubenius Elector. I. 30. Deinde 'stimuli' per translationem dicuntur quævis incitamenta et irritamenta. Silius Ital. VII. 512. 'Patrum Saturnia mentes Invidiæ stimulo fodit, et popularibus auris.' *Schwarz.* Eodem, quo Meursius, modo conjicit Fornerius ad Cassiodor. Formul. p. 584. *Arntz.*

Operibus] In multis legitur *opibus*. Patarol. Cum ad edit. Cellarianam nihil notaverit Cortius, fere est, ut credam, *operibus* in Guelf. legi, præsertim cum sui tantum codicis meminerit Schwarzius. Habet hoc, quo tuearis, si Mamertinum censeas artificibus operum sordidorum Imperatores opposuisse, quos memoraverat; id vero parum mihi videtur honorificum in oratore, Imperatorum laudes extollente. Propter *fortunam* itaque *opibus* placet, eo modo, quo apud alterum Mamertinum Gratiar. Action. Julian. XXXII. 1. 'Accipere potest ista fortuna, vel a nobis opibus tuis tribui.' Ortum est illud *operibus* ex

vulgata confusione, ut supra in Paneg. XI. 6. et apud Eumenium pro Instaur. Schol. v. 1. et 7. in fin. et XVI. 5. quibus locis altera etiam vox defensores nacta est eruditos interpretes, eodemque exemplo ex cod. Groningano, et Petiti edit. Apud Isidorum Origin. I. 31. tueor, 'facta Romanorum cum suis opibus;' male Gothofredus, 'operibus.' Alia Drakenb. ad Livium XXXII. 21. 30. Buneman. ad Lactant. Instit. VI. 6. 9. *Arntz.*

§ 6 *Gemino*] Cur *gemino?* opinor timide, quod in Mesopotamia se cum Tigride conjungat, ceteroqui seorsum fluens. *Livin.* Cur *geminus* Euphrates? Plinius interpres sit lib. v. 24. 'Scinditur,' inquit, 'Euphrates a Zeugmate octoginta tribus millibus passuum circa vicum Massicen: et parte læva in Mesopotamiam vadit per ipsam Seleuciam, circa eam præfluenti infusus Tigri. Dexteriore autem alveo Babylonem, quondam Chaldææ caput, petit, mediamque permeans, distrahitur in paludes.' *Cellar.* 'Geminum,' puto, vocat Euphratem, quod cum Tigri se commisceat, prope Ctesiphontem, inde cum eodem in Persicum sinum elabatur; seu, quod ex duobus fluviis concurrentibus coalescat. *Patarol.* Potius Cuperi sequor judicium ad Lactant. de Mort. Persec. cap. 8. 'geminum' dici, quia ex iisdem fontibus, monte Tauro, oritur Euphrates et Tigris, tamquam fratres uno partu editi, ut necessitudinis nomina rebus etiam inanimis tribuuntur, præcipue fluminibus, humana pingi forma solitis, de quo more Spanhem. ad Callim. in Delum 110. Fontem horum fluminum explicuit Cellar. Geogr. Antiq. III. 11. p. 230. Vossii excerpta ignorant *et Nilus.* Arntz.

Qualem accipit] Et hic locus fœde corruptus, sed quid vetat tentare? Igitur litteras vicissim transfero et commuto, unam etiam et alteram refingo, ac cum volentibus Musis corrigo, *quam late cedit et redit Oceanus. Cedit et redit*, id est, æstuat περιφραστικῶς. Supra in Maximianum A. 'Oblitosque navium refugum mare secutos esse, qua cederet.' Non me vendito, mi lector, sed tamen emendatio hæc non e turba et obvia. *Livin.* Gloriantur heic alii de sagacitate ingenii sui in conjectando; tale ego nihil possum; et tamen suspicor non longe abire a vero, quod dudum mihi natum sub ictu calami, *et uterque, qua lucem accipit et reddit, Oceanus.* Sic fere Eumenius Constantino: 'Sed multo magis illis divinarum mentium vestrarum oculis providetis: nec solum, qua dies oritur, et præteritur, et conditur, sed,' &c. *Gruter.* Ex Gruteri conjectura est, librorum *qualem* dividentis in *qua lucem*, ut *lem* breviata scriptura sit *lucem*, nisi describentium incuria litteræ *uc* exciderunt. Sic omnia plana sunt, et Oceanus tam Occidentalis quam Orientalis intelligitur. *Cellar.* Debetur loci hujus, olim depravati, emendatio Grutero, qua bono animo utor, cum ipsa utatur et Cellarius. Minus feliciter, quamvis jactanter, locum hunc restituere conatus est Livineius, *quam late cedit et redit Oceanus.* Patarol. Scilicet, qua Oceanus accipit solem, est Occiduus; qua reddit, est Eous Oceanus. Sic Mamertinus descripsit Orientem et Occidentem, ut fere idem dixerit, quod Eumenius in Paneg. ad Constantium Cæsarem c. IV. 'Saluti gentium . . . providetis, qua dies oritur, et præteritur, et conditur.' Licet enim totus terrarum orbis mari circumfundatur, veteres tamen Oceanum potissimum diviserunt in Orientalem, sive Eoum, et Occiduum, sive Atlanticum; uti Eumenio l. c. dicitur 'orbis duplici discretus Oceano.' Quid autem frequentius occurrit apud poëtas, quam solem, si occidat, dici 'immergi mari,' 'descendere in un-

das,' 'tingi Oceano?' at, sin oriatur, dici 'revocare equos e gurgite vasto,' 'se tollere ab undis,' et quæ sunt longe plures hujus generis formulæ. *Schwarz.* Comparatio ob oculis ducta, quanquam verissima, frigere videtur Bibliothecæ Criticæ. Schwarzii correctionem *qua solem* jam proposuit Davis. ad Cæs. B. C. I. 39. et confirmavit loco Pacati II. § 1. 'Ab ultimo Galliarum recessu, qua littus Oceani cadentem excipit solem.' *Jæger.* *Solem* est ex Puteani conjectura, cujus nihil Schwarzium meminisse miror, cum sibi ita Mamertinum scripsisse probabilius non tantum videri adfirmaret, sed vero in textum quoque reciperet, in quo eum secutus est Jægerus. Idem ex ingenio remedium adhibuerunt Daviesius ad Cæsar. B. C. I. 39. § 2. Marklandus ad Statii Silv. III. 3. 55. et vir clarissimus in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 27. adcessit denique meus Eldikius, et confirmant notata ad Nostrum Panegyr. II. 1. præstat utique præ altera Marklandi conjectura, *qui solem*. Constanter tamen in *qualem* consentiunt codices; contra quos conjecturam in textu retinui, quamvis ceteroqnin in eo religiosior. *Arntz.*

Litorum] Guelf. et Vossii excerpta *tectorum;* vulgatum præstare videtur, quia 'tecta' sub 'terris' jam comprehenduntur, et 'littora' intelligit ad Oceanum posita, cum animo obversata videantur verba ex Panegyr. cap. II. § 6. 'ripas peragrabo Rheni, et littora Oceani.' Male *et fluminum* omisit Schwarzius, et Jægerus. *Arntz.*

Quantum] Livineius hariolatus est, pro *quantum* fortasse legendum *quam*, ut magis congruat cum antecedente particula *tam facili.* Atque, en, hanc scripturam evidenter exhibet codex noster, *quam sibi gaudent.* Nondum tamen nobiscum constitutum habemus, exturbare lectionem ubique vulgatam, cum ejusdem loquendi rationis exempla etiam alibi occurrant. Confer verba Justini ad § 3. allata. Illud adhuc monendum, in his verbis a Cuspiniano prætermissam esse vocem *oculi*, quam tamen utique requirere videtur verbum antecedens *gaudent.* Schwarzius. Apud Justinum 'quam' respondet 'tanto,' ut apud Auctor. de Causs. Corrupt. Eloq. cap. 6. 'Tanto ingentium opum, ac magnæ potentiæ voluptas, quam spectare.' Adde Torren. ad Valer. Max. VIII. 7. ext. 7. et patrem meum ad Plinii Paneg. LXXVII. 1. Confer sup. hoc cap. ad n. 3. *Arntz.*

§ 7 *Fruitur*] Similes fere argutias notavimus ad Panegyricum Plinii cap. XCI. 7. Sic ipse Plinius l. c. de suo, et collegæ sui, Tertulli, consulatu: 'Uterque collegæ consulatu, tanquam iterum suo, gaudet. . . . . Nos duos consulatus accipimus simul, alterque in altero consules, sed iterum et pariter sumus.' i. e. uterque gaudet, fruiturque non tantum consulatu collegæ, haud secus ac suo, eoque quasi iterum sibi delato. *Schwarzius.* Male Guelf. *finitur.* Vulgatum voluptatem indicat, quam ex communi utrinsque imperio percipiebant. *Arntz.*

CAP. VII. § 1 *Laurea*] Ut Mamertinus ostendat, quanta concordia sit inter Diocletianum et Maximianum, nunc commemorat, utrosque etiam victorias suas habere communes, et Maximianum quidem Diocletiani, Diocletianum vero Maximiani victoriis gaudere. Ad Diocletiani victorias refert victos Syros, Rætos, et Sarmatas; ad Maximianum, victos cæsosque Caviones, Erulos, et Francos piratas. De singulis Mamertinus jam in primo Panegyrico, et in superioribus secundi Panegyrici partibus egit, v. g. de Syris, Paneg. priori c. VII. § 5. de Rætia, ibid. cap. IX. § 1. ad quem locum recte observavit Cellarius, manifesto Ræticam victoriam ibi ad-

scribi Diocletiano, contra plurium sententiam, qui Panegyrici prioris c. IX. interpretantes, illam Maximiano vindicatum eant. De Sarmatia nonnihil annotavimus cap. v. 4. ad hunc ipsum Panegyricum. *Schwarz.* Late hoc explicui ad Paneg. II. 6. adde Schwarzium ibid. IX. 1. *Arntz.*

Ac colentibus] Verbum autem *accolere*, i. e. juxta habitare, admittit cum casum tertium, tum quartum. Priscianus lib. XVIII. p. 1208. 'Nostri quoque,' inquit, 'accolunt fluvium et fluvio.' Cicero in Somn. Scipion. cap. 5. 'Ea gens, quæ illum locum accolit.' *Schwarzius.* Tacitus Annal. I. 53. 'Siculum fretum accolunt.' Hist. III. 47. 'Pontum accolunt.' *Arntz.*

Fecerunt] I. e. effecerunt, ut tu pio gaudio triumphares. Hoc loco 'facere' pro 'efficere,' aut in caussa esse ponitur, et cum infinitivo conjungitur, rariore quidem, sed tamen non prorsus insolenti loquendi formula. Virg. Æn. II. 538. 'Qui nati coram me cernere lethum Fecisti,' Palladius in Aprili VIII. 8. 'Ita singulæ apes subinde demissæ te facient usque ad locum examinis pervenire.' Cf. Pareus in Lexico Critico p. 462. *Schwarz.* Lactant. Mort. Pers. 24. 'Ut eum retrahi faceret:' ubi notæ; plura dedi ad Arator. I. 301. In Guelf. et Vossii excerptis est *pro gaudio*, ex quo forte quis efficiat *præ*, ut infr. XI. 4. sed præstat vulgata; 'pium gaudium' est, ut, pietate et amore erga Diocletianum, de victoriis ipsius haud aliter gauderet Maximianus, atque si ipse eas reportasset, ut vicissim ob easdem Maximiani compos erat voti Diocletianus, eaque est illa 'pietas,' quam præced. cap. laudavit; rem ipsam explicui ad Paneg. II. 6. *Arntz.*

§ 2 *Itidem*] Nunc Mamertinus recenset victorias Maximiani, quæ tamen etiam ex voto, et cum gaudio Diocletiani evenerint, adeoque comparat victorias Diocletiani in Oriente reportatas cum Maximiani victoriis in Germania relatis. In altero Gudii libro, e quodam codice Ms., particulæ *itidem* non male adjicitur copula *que*. At ibidem pariter, atque in nostro codice, præter necessitatem, *hic* in *hæc* mutatum deprehenditur. Est enim *hic* hoc loco adverbium, i. e. in hac Germaniæ vicinia. Mamertinus enim tunc Treveris orationem hanc habuit. Nihili vero est, quod Puteolanus, Rhenanus, et alii quidam pro voce *gens* prodidere *genus*. Schwarz. *Genus* etiam uterque Stephanus, et priori edit. Rivinus. Acidalio hoc jam ita displicuit, ut sola conjectura mox in *gens* mutaverit, Mamertini stilo convenientius; inf. cap. XVII. init. 'gens Maurorum;' sup. Paneg. XI. 4. 'gens barbarorum:' utriusque vocis sæpe permutatæ exempla dedit Drakenb. ad Livium XXXIV. 17. 6. apud Sallust. Jugurth. c. 116. in Daventriensi a manu sec. vidi, 'ex genere Masinissæ.' *Arntz.*

Cavionum] Vet. *Caybonum.* Vid. sup. Paneg. Maxim. cap. v. *Putean.* Lege *gens.* Forte et *Chaibonum.* Sic præcedenti Panegyr. aliquoties nominat eos populos, et quidem utrosque hos junctim. *Acidal.* Superiori Panegyrico cap. v. § 2. *Chaibones* dicti, ut alterutra scriptura erratum sit. Cluverio Germ. III. 27. videntur 'Aviones' Taciti Germ. cap. 40. esse, inter Anglos, Varinos, et Reudingos pesiti, quasi prima littera exciderit ex illo nomine. Sed conjectura est, qua nihil certi stabilitur. *Cellarius.* De Cavionibus et Erulis jam egimus ad Mamertini Paneg. prior. c. v. § 2. *Schwarz.* *Caviorum*, quod in nulla tamen edit. vidi, citat Colerus ad Tacit. Mor. Germ. c. 40. pro quo ipse emendat *Chaivonum.* De utraque gente copiose dictum est supr. ad Paneg. v. 2. *Arntz.*

Transrhenana] In Bagandas et Gal-

los. *Pater*. Cuspinianus et Rhenanus his vocibus præposuere copulam *et*, sed minus commode, ac sine auctoritate codicum veterum; est enim casus sextus. Pro *transrhenana* codex noster, itemque alius a Gudio notatus, habent *trans Rhenum*. Sed idem Mamertinus etiam infra scripsit cap. XVI. § 1. 'Sarmaticas vestras, et Ræticas, et Transrhenanas expeditiones.' *Schwarz*. Primus qui *et* ante *transrhenana* ejecit, fuisse videtur Livineius: hujus auctoritatem omnes sunt secuti, præter Henr. Stephanum, et Rivinum, quorum exemplo ea videtur vocula revocanda. Tantum enim abest, ut cum Schwarzio *victoria* sexto casu accipiam, ut eam a victoria de Chaibonibus et Erulis, aut de Francis, plane arbitrer distinguendam. Cf. Panegyr. cap. VI. et IX. Male etiam codicum in hac voce auctoritatem negat Schwarzius; est enim in Veteri apud Livineium, et Vossii excerptis, ad quæ textum constitui. *Arntz*.

Francis] De Francis jam supra ad cap. V. non nihil exposuimus. *Schwarzius*. Adde ad Paneg. cap. I. § 1. et cap. XII. init. *Arntz*.

§ 4 *Etiamsi*] 'Stupere' et 'obstupescere admiratione' vulgata locutio, de qua Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. I. p. 48. nostri quoque non immemor. Præcedentem periodum, 'quidquid alterutri præstatur, amborum est,' neglexit Schwarzius, et Jægerus. *Arntz*.

Imbuissent] Fere erat, ut *imbuisset* revocarem, sed retinui me propter alios codd. vulgatæ inhærescentes. In pluribus enim substantivis conjunctis sequi potest singularis numeri verbum, sive omnia sint substantiva eodem, sive diverso numero, unde apud Horatium; 'clamor, galeæque et vultus juvat;' 'Diva Cypri, fratres Helenæ, et Pater ventorum regat,' quæque alia larga manu dedit Bentleius ad Horat. Od. I. 24. 8. Cortius ad Sallust. Catil. XII. 1. et XLVII. 4. et ipse ad Arator. I. 460. Hinc apud Mamertinum Julian. II. 3. non male Guelf. 'ipsa hæc urbs, atque hoc . . . templum . . . efflagitat.' Aut sequi potest pluralis; nisi substantiva disjungantur, quæ in singulari posita verbum semper postulant singulare. Cf. Bentleium ad Horat. Od. I. 13. 6. *Idem*.

§ 5 *Est*] Codd. Guelferb. et Vossii secutus excerpta, *est* retinui cum aliis, et utroque Stephano, et Rivino. Male *hoc*, vitio forte typographi, omissum fuit in edd. Schwarzii, et Jægeri, cum tamen sententiam augeat. *Idem*.

Fratres, dum] Sic interpungi malim, *fratres. Dum virt. &c. miscuistis*. Acidal. Qua ratione dicantur *fratres*, latius explicui supra ad Paneg. cap. IV. § 5. inde 'fraternum obsequium,' ibid. IX. 1. ubi vide, et Baluz. ad Lactant. M. P. 8. init. *Arntz*.

Miscuistis] H. e. mutua benevolentia, atque amore diversum sanguinem temperastis conjunxistisque, ut quasi ex eodem sanguine sati fratres nunc videamini. *Schwarz*.

§ 6 *Germanitas*] Addidi ex Langii schedis, et Cuspin. *Livin*. I. e. non casu extitit vestra fraternitas, sive fraterna æqualitas, a 'germine' sic dicta, quasi ejusdem germinis, et stirpis fraternitas, ac similitudo. Festus: 'Germanitas,' inquit, 'est conjunctio inter germanos; qui sunt velut eadem stirpe geniti.' Hac voce et ipse utitur Cicero pro Ligario cap. 11. 'Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt; moveant te horum lacrymæ, moveat pietas, moveat germanitas.' Germanitas autem *electa* dicitur certo judicio, singularique animorum consensione inita, atque constituta. *Similitudo* autem animorum morumque *usque ad imperium* est, quæ etiam in summo imperio communiter retinetur, eaque dicitur indicium certissimæ fraternitatis. *Schwarz*.

Quæ ne etiam] Reformabam aliquando, *quæ ut etiam intervallum vestræ uniat ætatis*, gnarus facillime *vincit* transire in *uniat*, utique ubi minus oculatus *ci* accipit, tanquam esset *a*. Nunc malo indicare, ignotum mihi sensum istorum omnium verborum. *Gruter*. Alias *quin etiam*. Melius τὸ *ne* abjeceris. Non etiam *jungit* pro *vincit* scripseris. *Acidal*. Varie castigatur ab aliis hic locus: ego unâ variata litera contentus legerem *næ*. Patarol. I. e. quæ similitudo profecto etiam intervallum, sive discrimen ætatis vestræ vincit, et tollit, adeoque facit, ut, quamvis alter sit senior, alter junior, nihilo minus tamen per mutuum amorem æquales, atque ætate pares videamini. Vulgo in scriptis excusisque libris pro *næ* legimus *ne*; sed jam Livineius, ex Caroli Langii monitu, veriorem lectionem in margine editionis suæ annotavit, quæ lectio similiter Patarolo in notis probatur. Ita vero etiam alibi istas particulas *næ* et *ne* non raro inter se permisceri docuimus in Commentario ad Paneg. Plinii cap. LXX. 9. Non est ergo, quod pro *quæ ne etiam* assumamus *quin etiam*; quod Rhenanus, nescimus unde, adscripsit oræ libri sui. Neque attinet, a Valent. Acidalio particulam *ne* prorsus abjici, quæ saltem in *næ* commutanda. Mire vero hunc locum aliquando sic reformare cogitavit Gruterus: *quæ ut etiam intervallum vestræ uniat ætatis*: quanquam deinceps, improbata illa reformatione, ipse fassus sit, ignotum sibi sensum esse istorum Mamertini verborum. *Schwarz*. Veram verborum sententiam dedit Schwarzius, non veram Mamertini manum, recipiendo *næ*, quamvis eum secutus sit Jægerus; nisi forte *ne* pro *næ* malles, ut scribendum putant nonnulli, de quo Harlesius ad Ciceron. de Orator. III. 31. *quæ næ* auribus est insuave; revocavi *ne*, adhibitum pro 'nequidem,' de quo Ruhnken. ad Rutil. Lupum II. p. 129. aut forte *nec* scripsit, eadem notione, de qua Cortius ad Sallust. Jug. XXXI. 8. ostendi jam in Miscellan. cap. 6. omisso *quidem* veteres frequentius *nec*, contra *ne* adhibuisse; hinc apud Macrob. Saturnal. I. 11. emendo, 'ne in hoc quidem,' editur 'nec;' conjecturam confirmat Seneca Epist. 47. unde sua descripsit Macrobius: ejus loco usus est Joannes Saresber. VIII. 12. ubi idem mendum tolle. *Arntz*.

Junioremque] Probo *junioremque*, quia de ætate agit. Mox § 7. 'ambo juniores, ambo seniores.' Incerti Epithal. III. § 2. 'te quidem sentio, senior Auguste, majestate præcedere, te sequi, junior Imperator.' XIII. § 5. 'utitur virtute juvenis, et maturitate senioris.' At vero *minoremque*, quod est in Bertiniensi, magis spectaret imperium, Cæsareamque dignitatem; dixi supr. ad Paneg. cap. IX. § 1. *Arntz*.

Delectare] Notum proverbium Græcum, ἧλιξ ἥλικα τέρπει, et plura eodem non congero. *Livin*. Codex noster in his verbis varietatem haud spernendam profert, *Non delectari societate rerum nisi pares annos*. Quanquam vero eandem lectionem Puteanus, teste variarum lectionum libello, etiam in vetere codice animadverterit, ac præterea Livineius testetur in verbis, *nisi inter pares annos*, præpositionem *inter* etiam abesse a codice Bertiniano; nondum tamen audemus a vulgata, eaque omnibus ceteris libris confirmata lectione recedere. Ceterum huc pertinet proverbium Græcorum, a Livineio notatum, ἧλιξ ἥλικα τέρπει. *Schwarz*.

§ 7 *Cunctatior*] Livineius ex vetere suo codice et Bertiniano in ora libri annotavit, *ille cunctantior*. Atque ita vulgo legitur apud Suetonium in Cæs. cap. 60. 'ad dimicandum cunctantior factus est:' quanquam et ibi, teste Burmanno, meliores libri *cunctatior* et *contatior* habeant. Retinemus vulgatam lectionem, quæ in ceteris libris

exprimitur. Sic enim etiam Plinius loquitur Epist. II. 16. 'Cunctatior fortasse, et cautior essem.' Idem Epist. IX. 13. 'Erat enim Corellius cunctatior cautiorque.' Bene ista quasi synonyma conjunguntur, quia cautiores non statim aggrediuntur negotium de quo deliberandum est, sed quasi morantur, et cuncta antea expendunt, aut, quod Verrius ex nautico usu dictum putat, quasi 'conto' pertentant, cognoscuntque aquæ altitudinem. Unde alii malunt scribere 'contari,' quam 'cunctari.' Cf. Servius ad Virgil. Æn. VIII. 388. Est vero potissimum senum 'cunctari,' utpote quos diuturna experientia reddit cautiores et providentiores, i. e. *bedachtsamer*. Schwarz. *Cunctatius* in quibusdam quoque edd. est apud Pacat. Paneg. XXXVII. init. De confusione 'cunctatius,' 'cunctantius;' 'moderatius,' 'moderantius,' vide Burman. ad Sueton. Cæs. cap. 19. ita 'intoleratissima' in nonnullis invenit Drakenb. apud Livium v. 48. 8. *Contatior* est in Guelf. ut 'percontantibus' apud Sedulium in quibusdam III. 320. *Arntz.*

Adfectatis] Verbum 'affectare' pertinet ad μέσα sive media, et communia. Aliquando enim simpliciter significat intendere, studiose quærere, et appetere. Id, si fit naturæ et rationi convenienter, in laude ponitur, prout Cornelius Nepos in Attico cap. 13. dixit, Atticum 'omni diligentia munditiem non affluentem affectasse,' i. e. studiosum fuisse munditiei non affluentis. Cf. notam nostram ad Panegyricum Plinii c. XX. 2. Cum quadam autem reprehensione is dicitur aliquid 'affectare,' qui nimis ambitioso et solicito studio quærit, aut per simulationem accersit, quod assequi nequeat, refragante natura. Unde Quinctilianus Instit. Orator. I. 6. 'Nihil,' inquit, 'est odiosius affectatione.' Hoc loco Diocletianus et Maximianus Imperatores cum laude dicuntur 'invicem suos affectare annos,' i. e. alter alterius ætatis mores studiose imitari, atque similes referre; cum alioqui senior alter, alter junior esset. *Schwarz.* Pacatus Paneg. 15. 1. 'His te viris semper dedisti, quos adfectare publica deberet imitatio;' et 'imitationem antiquitatis adfectare,' Quinctil. I. O. XI. 3. quod de voce in malam partem monet Schwarzius, ea est *mala adfectatio*, sive κακόζηλον, apud eumd. Quintilianum VIII. 3. *Arntz.*

Sic vos fertis] I. e. sic vos geritis, ostenditisque ambo quasi juniores, nempe alter, Maximianus, ætate; alter, Diocletianus, imitatione Maximiani; et vicissim seniores. Ita nempe etiam apud alios scriptores invenimus, 'ferre se' dici pro gerere et ostendere se: v. g. apud Ciceronem Cœlius Famil. VIII. 4. ait, 'ut se fert ipse,' i. e. qualem se gerit ostenditque ipse. Sic et Tacitus Annal. I. 21. 'ferre se consulem:' et Annal. XII. 37. 'ferre se socium imperii,' i. e. gerere se tanquam consulem, tanquam socium imperii. Suetonius in August. cap. 32. 'Grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro.' Virgilius Æn. XI. 779. 'Captivo sive ut se ferret in auro Venatrix.' Idem Æn. IX. 597. 'Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:' i. e. gerebat se tanquam ingentem. Immo 'se ferre,' sive 'ferri aliquo' etiam dici aliquando solet pro ire, incedere, procedere. Virgil. Æn. I. 503. 'Talis erat Dido, talem se læta ferebat Per medios:' i. e. incedebat. Idem Æn. I. 314. 'Cui mater media sese tulit obvia silva:' i. e. obviam ivit in media silva. Florus III. 3. 'Tripertito agmine per Alpes ferebantur:' i. e. procedebant. Possis hanc notionem ad hunc ipsum quoque locum commode transferre, ut Mamertinus dixerit, *vos fertis*, i. e. inceditis, 'ambo juniores, ambo seniores.' Incessu enim potissimum distinguitur ætas, cum

juniores promtiore et alacriore, seniores graviore utantur. Sed in hac parte laudis Mamertinus non nisi argutias rhetoricas captare videtur. *Schwarz.* In constituendis Mamertini verbis Schwarzium secutus est Jægerus, eamdemque lectionem confirmant Vossii excerpta, et consensus tum Eldikii mei, tum viri clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 30. Cf. Burman. ad Valer. Flacc. IV. 199. Supplebat depravatam in sua edit. scripturam de Rooy Spicil. Crit. p. 49. 'sic vos estis juniores ambo, ambo seniores.' Sed *fertis*, hac notione librariis minus notum, caussam dedit ut 'estis' reponeretur, eademque notio 'quasi' postulat; alter enim non erat senior, neque alter junior, sed ita se gerebant, tamquam ea essent ætate. Sallust. Catil. XI. 3. 'quasi venenis malis inbuta;' ita etiam cod. Daventriensis, in aliis est 'quæ.' Simili notione 'sicuti' idem adhibet, Jugurth. XXXII. 5. 'sicuti jurgio lacessitus erat,' ubi Daventr. etiam 'quasi,' aliique, quod tamen ex glossa esse monet Cortius. *Arntz.*

Se vult] Credas pronomen *se* hic abundare. Mamertinus enim recte dicere potuisset, *uterque vult hoc esse*, prout Martialis X. 47. dixit, 'Quod sis, esse velis, nihilque malis:' neque enim Martialis necesse habuit dicere, 'quod sis, te esse velis.' Nihil tamen mutamus, cum eodem modo etiam loquatur Plinius Epist. X. 3. 'Malui, hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus essem et securus et felix.' *Schwarz.*

CAP. VIII. § 1 *Ille inpatientiam*] Lege, *illa impatientia vestræ pietatis erupit.* Acidal. Amor vehemens erga suos in Italia populos. *Cellar.* I. e. ille vehemens ardor mutui amoris vestri, quasi cum impetu quodam, se exeruit. Ita Mamertinus etiam supra c. IV. § 1. dixit, 'pro amoris impatientia.' Ita et ipse Cicero conjunxit 'effervescere' et 'erumpere,' Orat. de Provinc. Consul. c. 4. 'Totum Pontum armatum, effervescentem in Asiam, atque erumpentem... sustinerent.'

Aut morari] Livineius testatur, hæc verba abesse in suo codice vetere, ut sic quasi ex glossa in alios libros transiisse videantur. Tuemur tamen lectionem vulgatam, cum et ipse Cicero similia conjungat, Fam. XII. 15. 'detinuerunt nos et demorati sunt.' *Schwarz.* Mihi utraque vox ita videtur distinguenda, ut *retinere* pertineat ad regiones, quibus versabantur, et ex quibus profecturi erant, *morari* ad *iniquitatem locorum*, et *tempestatis asperitatem*, ut sit construendum, vos nulla regionum longinquitas retinere, aut nulla iniquitas locorum, nulla tempestatis asperitas morari potuit, scilicet in itinere. Chiasmum solent hunc constructionis modum adpellare, ut apud Livium VI. 28. 6. 'Species profecto his ibi truces Gallorum, sonitumque vocis in oculis, atque in auribus fore,' i. e. species fore in oculis, sonitum in auribus. Virgilius Æneid. XI. 333. 'Munera portantes aurique eborisque talenta, Et sellam:' i. e. auri talenta, eboris sellam, ubi notæ, inprimis Heynius; Ovidius Metam. V. 604. 'Sic ego currebam, sic me ferus ille premebat, Ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ, Ut solet accipiter trepidas agitare columbas:' sic currebam, ut fugere solent columbæ, sic ferus me premebat, ut solet accipiter. Rutilius Itin. I. 71. 'Hinc tibi certandi, bona parcendique voluptas, Quos timuit, superat, quos superavit, amat.' Ita locus interpungendus, non ut 'bona' referatur ad 'certandi;' voluptas certandi superat, quos timuit; voluptas parcendi amat, quos superavit. Suetonius Cæs. cap. 24. 'Disciplina cultuque institutam et ornatam;' disciplina institutam, cultu ornatam. Parum id adtendens Zurckius non cepit hæc Ciceronis pro Marcell. cap.

2. 'Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma præcerpit:' explicat 'centurionem,' qui equitibus, 'præfectum,' qui legioni præest: construe, nihil centurio, nihil cohors, nihil præfectus, nihil turma præcerpit. Alia dederunt Nerius Analect. I. 35. Cortius ad Sallust. Catil. XIV. 3. ejuscemodi etiam sunt exempla in pluribus ita connectendis, ut hoc Ciceronis Catil. II. 11. 'Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus:' æquitas certat cum iniquitate, temperantia cum luxuria, &c. usus est hoc loco Isidorus Orig. II. 21. sed illic ex Groningano pro 'potestas' emenda 'honestas.' Idem Cicero pro Deiot. cap. 2. 'Spectarem curiam, intuerer forum, cælum denique testarer ipsum, sic cum et Deorum inmortalium, et populi R. et senatus beneficia:' ad curiam refer senatus beneficia, ad forum populi, ad cælum eadem Deorum. Non alia ratione explicanda est 'doli' definitio, quam Labeoni auctori tribuit Ulpianus in L. I. § 2. ff. de Dol. mal. 'esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam:' ut sit calliditas ad circumveniendum, fallacia ad fallendum, machinatio ad decipiendum, estque hæc triplex doli species, ex qua hominem malum constare totum 'fraude,' 'fallaciis,' 'mendaciis' dixit Cicero pro Rosc. Comœd. cap. 7. *Arntz.*

Pervolaretis] Livineius existimavit, rescribendum esse, *provolaretis*. Quod et in priore Gudii libro annotatum est; sed, quamvis præpositiones 'per' et 'pro' ex scribendi compendio frequenter confundantur, retinemus tamen vulgatam lectionem, quam expressis literis etiam tuetur nostri codicis Ms. suffragium. Sic etiam Ciceroni usitatum est hoc verbum, v. g. in Somnio Scipion. cap. 9. 'Sunt autem optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem, et domum suam pervolabit.' Et pro Sext. Roscio Amer. cap. 7. 'Cum post horam primam noctis occisus esset Sex.' Roscius, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit decem horis nocturnis, sex et quinquaginta millia passuum cisiis (i. e. genere vehiculi Gallici) pervolavit.' Adde Ovid. Fast. lib. II. 251. 'Corvus et aërium pervolat altus iter.' Sed neque ulla opus est mutatione, quod in proximis verbis, pro numero singulari *itineris*, codex noster, aliique quidam Gudiani habent in numero multitudinis *itinerum*. Schwarz. 'Provolare' magis sese invicem videndi desiderium indicaret, ut apud Pacatum Paneg. XXXVII. § 1. 'effusa portis obviam provolavit,' ubi not. patern. sed *pervolaretis* magis tueor, quia de toto itinere, celerrime sine ulla mora confecto, agit, quæ notio inest in altero Ciceronis et Ovidii apud Schwarzium loco, etiam in hoc Incerti Constantino V. § 5. 'Tam cito a Rheno ad Alpes Imperatorem cum exercitu pervolasse:' ubi nulla est varietas. *Itinerum* etiam Guelf. et excerpta Vossii, quod recepi. Supra II. § 4. 'itinera vestra;' neque aliter cap. IX. § 2. cap. X. § 1. et sane est ille multitudinis numerus utriusque Imperatoris itineri significando aptior. Cum hoc loco comparandus est similis Ausonii Gratiar. Act. XXXVII. 2. 'Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina, et lacus, tot veterum intersepta regionum . . . celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem, aut cibi munere liberali.' *Arntz.*

§ 8 *Quod simili*] Fecerim, *quid simile concitus eques, &c.* et vero *quid* extare in uno Ms. suo testatur Livi-

neius. *Gruter.* I. e. *Quid simile* huic incredibili celeritati vestræ habet, sive facit, *concitus eques, aut velivola*, h. e. quasi velis volans, *navis?* Noster stomachus non satis concoquere potuit substantivum *concitu*, cujus usum frustra quæsiveris, extra hunc Mamertini locum: at participium *concitus* pro concitatus est usitatissimum. Etiam Livineius pro *quo*, vel *quod*, vel *quis*, ex suo vetere codice annotavit *quid*. Una ergo literula *i* in *e* mutata, pro *simili* ausi reponere *simile*, genuinam, ac certe congruentem lectionem reddidimus Mamertino, prout hanc lectionem etiam Grutero in mentem venisse animadvertimus. Ejusdem generis formulæ etiam alibi occurrunt: v. g. apud Auctorem Incertum Panegyrici Constantino Aug. dicti, cap. XIII. § 5. 'Quid simile fabulæ ferunt?' Lat. Pacatus cap. XXXIII. § 3. 'Quid in ceteris saltem simile deprehendimus?' Ipse Cicero de Divinat. II. 30. 'Postremo, quid simile habet passer annis?' Equidem in Mamertino est ἔλλειψις, ubi intelligas, vel 'habet,' vel 'facit,' vel 'est.' At quid frequentius ἐλλείψει in interrogatione, et admiratione? Ipse Mamertinus cap. proximo IX. § 1. 'Sed qua tandem vice temporum? quo tempestatis habitu?' scilicet accelerastis, sive pervecti estis ad vos. *Schwarz.* Etiam Rhenanus, Paull. Stephanus, et Rivinus ediderunt *quod simili concitu eques:* atque ex his vocabulum *concitus, concitu*, Latina civitate donavit Falsterus Supplem. L. L. p. 66. aliique. Locum expressi, ut corruptus in cod. Guelferb. et Vossii excerptis exstabat; Schwarzii conjecturæ, *quid simile concitus eques*, in contextu, quamvis id etiam fecerit Jægerus, locum dare non ausus fui, quia eadem Mamertinum nondum arbitror persanatum, licet locutionem *quid simile* oratore non indignam arbitrer. Rutil. Itiner. I. 83. 'Quid simile? Assyriis submittere contigit arma.' Ita enim locus ille legendus. Sed Schwarzianæ conjecturæ obstat *eques*, minus apte 'navi' oppositus, at quidem 'nautæ;' deinde 'navi' adduntur vela, quibus concitetur; 'equiti' hoc deest adjumentum. Cum in optimis codd. sit, *quid simili concitus*, emendandum puto, *quid stimulis concitus equus:* ita equus navi, stimuli velis opponuntur; quo magis huic conjecturæ tribuam, facit Eldikii, æquissimi in talibus judicis, adprobatio: sententia est, eam in itinere celeritatem fuisse, ut solitis vix adminiculis usi videantur, equo concitato, aut nave velivola, sed divino inpetu acti. 'Concitare calcaribus,' aut 'stimulis equum,' Livius II. 6. § 8. Curtius VII. 4. § 18. Eumenius Paneg. Constantin. 8. § 4. translate 'excitare stimulis,' Plinius Epist. III. 5. in fin. Tacitus Histor. III. 53. Mamertin. Gratiar. Act. Julian. VI. init. et quæ excitavit Schwarzius supra ad cap. VI. § 5. Nicolai de Calcarium usu cap. II. § 7. et cap. III. § 3. et potest in hac nostra emendatione eadem admitti ellipsis, de qua Schwarzius. *Velivola navis* est, ut apud Æschyl. Prometh. Vinct. 467. λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα. *Arntz.*

Ab utroque] Maximianus e Galliis, Occidentali regione, Diocletianus ex Asia, provincia Orientali. *Patarol.*

Præmiseratis] Perperam edidit Livineius, *quos promiseratis.* Schwarz. Apud Martialem Spectac. Epigr. 9. Vossianus habet, 'Quæ non præmisit.' Nostro loco par est ille Eumenii Constant. VI. § 1. 'celeritas, qua omnes motus, atque adventus tui nuntios prævertisti.' Et commode Marcklandus ad Statii Silv. V. 1. 105. contulit Ausonium Grat. Act. in fine: 'Ut illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam facias tardiorem.' *Arntz.*

Absque paucissimis] Exceptis paucissimis, præter paucissimos. Sic enim *absque* illo ævo est adhibitum.

Vide Cur. poster. cap. 5. *Cellar.* Qui tamen in Antibarb. pag. 106. *absque* pro sine, quodam Ciceronis loco, confirmare conatur; frustra, cum eumdem ex melioribus codd. emendaverit Oudendorpius ad Auctor. libri de Invent. I. 36. ubi vide. *Arntz.*

Ita] Pro particula *ita*, Livineius in Bertiniano codice invenit pronomen *id*. In nostro codice neque *ita*, neque *id* deprehendimus: salvam tamen relinquimus lectionem, ex tot aliis libris vulgatum. Pronius vero ex nostro codice arripuimus verbum substantivum *est*, cujus locum ad hunc usque diem copula *et*, in plurimis libris, occupaverat; quamvis verbum *est* jam etiam Cuspinianus evulgarit. Sed non audimus Acidalium, qui pro *fabulas imperitorum* rescribere maluit *fabulas, Imperator*. Schwarz. Propter *id* in Bertiniensi, suspicor, forte scriptum fuisse, *id quod dignum:* quo de pronominis usu confer patrem meum ad Plinii Paneg. LIX. 6. *Arntz.*

Et majestate] Vid. Observ. præced. *Idem.*

Diurna] Solem et Lunam, quorum illum quadriga, hanc biga vehi fabulati poëtæ. *Patarol.*

§ 4 *Imperitorum*] Si attendis, non satis convenire huic loco videbis *imperitorum* vocem. Mutarim, *Sed removeamus ist. fabulas, imperator, verum loquamur.* Acidal. Non video, cur non conveniat; ipsa *fabula* vocem *imperitorum* tuetur, quam recte proxima observatione retinet Schwarzius. *Arntz.*

Sacratissime Imperator] Dedi pluralem numerum ex Guelf. et Vossii excerptis, secutus Schwarzium, et Jægerum. Omnes alii, *sacratissime Imperator*, in aliis *sacer*. Cf. ad cap. I. § 1. *Idem.*

§ 5 *Corporis*] Pluralem duxi recipiendum ex Guelf. et Vossii excerptis, Putean. et Schwarzii, in sermone de duobus Imperatoribus adcommodatiorem. Imitationem hoc loco Virgilianam notavit vir clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. pag. 27. *Idem.*

Nos] Huc usque in omnibus libris excusis legimus *ad nos*. Verum cum Diocletianus ex Asia, et Maximianus e Galliis, festinatissimis itineribus, in Italiam se conferrent, non tam ut populos tunc inviserent, quam ut ipsi *mutua desiderii celeritate* congrederentur, de rebus arduis deliberaturi; nihil dubitavimus, pro voce *nos* reponere *vos*, maxime cum hoc pronomen secundæ personæ non solum in codice nostro invenerimus, sed idem etiam Livineius in duobus codicibus Mss. neque minus Gudius in aliis observarint. *Schwarz.* *Nos* servant Guelf. et Vossii excerpta, sed Schwarzium, et Jægerum sequor; ita hoc cap. in principio: 'Ad conspectum vestri pervolaretis.' *Arntz.*

Cap. IX. § 1 *Vice temporum*] Horatius: 'Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni.' *Temporum* vero, id est, τῶν ὡρῶν. *Livin.* Sedulius I. 344. 'Tempora ceu totidem latum sparguntur in orbem.' Ita Jægerus recte explicat Corippum in Laud. Anastas. vs. 10. 'Fructibus omnigenis, etiam sine tempore, plena.' De *vice temporum* vid. Bunemau. ad Lactant. de Ira XIII. 7. Fere adsentior Burmanno ad Virgil. Georg. I. 416. apud Manilium Astron. I. 186. melius legi, 'Et natura vices servet,' non 'vias:' quod Columbanus Carm. II. 64. dixit, 'Alternat natura vices, et tempora mutant.' Mox *tempestatis habitu* est statu, cæli facie, ut 'habitum maris' dixit Valer. Max. III. 3. ext. 4. 'naturæ,' Curtius V. 6. 18. 'valetudinis,' Augustinus Epist. 227. præsertim vero videtur hac voce usus, quia incerta tempestatum 'habitu oris' mutare dicebatur Jupiter. Vid. Mamertinus Julian. XXVIII. § 5. ubi alii male 'halitu,' ut monet Jægerus, ita enim 'habitum oris mutare' dixit quoque Lucanus IX. 1034. Est autem

ex præcedentibus repetendum, 'pervecti estis,' quod magis usui vulgato, quam ellipsi tribuendum, ut fecit Schwarzius supra ad cap. VIII. § 3. *Arntz.*

In] Utrum pro *inusitata* legendum *invisitata?* sed nil definio. Cf. Burman. ad Sueton. Aug. 43. Duker. ad Flor. IV. 2. 81. Drakenb. ad Livium IV. 33. 1. V. 17. 3. recte 'invisitata ante elephantorum forma,' Justino reddidit Gronovius XVIII. 1. 6. invito quamvis Wopkensio Observ. Miscell. Nov. T. X. p. 169. et inde patris mei probo conjecturam in Seneca de Ira I. 17. 'novum animal aliquod et invisitatum,' non 'inusitatum,' quod per 'novum' jam expresserat. *Idem.*

Algor glacies] Antea legebatur, *cum algor glacies, nivem.* Sed quod reposui, invenit etiam in binis codicibus Livineius. *Gruter.* Obscuratus est hic locus in quibusdam antiquis libris. In ipso codice nostro, et altero Gudii libro scriptum est, *cum algor, glacies, nives premerent.* Quam lectionem non rejiceremus, si vox *agros* vel post particulam *cum,* vel post verbum *premerent* adesset. Nec sanus est hic locus in libris antiquitus impressis. *Schwarz.* Quod in Langii schedis erat, *agros glacies; glaciem nives,* habent quoque Schonhovii excerpta, editumque post Gruterum ab omnibus. Utrum tamen *agros* satis habeat auctoritatis, mihi non liquet, hæsitanti, in schedis illis sit ex codd., an sola Langii conjectura, quod enim de binis codd. scribit Gruterus, pertinet tantum ad alteram lectionem *glaciem nives,* quam ex Bertiniens. quoque eruit Livineius. Obsequi debuisset Gudiano, suoque Schwarzius, iisdemque Jægerus, in quibus est *algor, glacies, nives;* addo etiam Vossii excerpta. Neglexit hoc ideo Schwarzius, quia nihil erat, quo *premerent* referret; tu ex præcedentibus 'regiones' subaudi, et plena erit sententia; unde majorem delevi interpunctionem post *inusitata,* quæ est in Schwarzii et Jægeri edd. ut uno legatur spiritu periodus; et quidem *algor* ad homines, *glacies* ad flumina, *nives* ad agros retulerim, præsertim vias, ut in fine 'Alpium vias nivibus obstructas' memorat. Corruptelæ origo ex voce *glacies,* bis per librarium scripta. *Arntz.*

Uniformibus] Vocabulo 'uniformis' jam etiam Auctor Dialogi de Causs. Corrupt. Eloquen. usus est cap. 32. *Schwarz.* Confer Cellarium Cur. poster. p. 233. qui ad cadentem Latinitatem refert; non intercedo, si de argenteæ ætatis exitu intelligas. *Arntz.*

§ 2 *Ut res est*] Eumenius pro Restaur. Scholis: 'Adeo, ut res est, aurea illa sæcula nunc æternis auspiciis Jovis et Herculis renascuntur.' Incertus in Maximianum et Constantinum: 'Sed, ut res est, mente præsaga omnibus te verecundiæ observationibus imbuebas.' Iterum: 'Non quidem tu reip. negligentia ductus, sed consilii, ut res est, inter vos placiti constantia, et pietate fraterna.' Rursum: 'Di immortales, quanta Romano imperio renovastis, quæ jam, ut res est, cesserant vetustati!' Incertus in Constantinum A. 'In privatam domum sponte concesserat, ut res est, omnibus terribilibus agitatus.' Idem Eumenius in Constantium Cæsarem: 'Uno illo, ut res est, loco aut potentia vestræ majestatis inferior, aut pro debito vobis honore clementior.' *Livin.* Ita autem etiam Cicero fere similiter loquitur: v. g. Fam. v. 11. 'Si vero improbus, ut est, duces eum captivum.' Idem Fam. XIII. 7. 4. 'Et primum velim existimes, quod res est,' &c. i. e. quod vere ita se habet. Et Terentius Adelph. II. I. 'id quod res est,' i. e. quod verum est. *Schwarz.* Vid. ad Eumenium Constantio princ. et Livineium ibid. VI. § 4. Parum adcurate Baunius ad Incert. Maximian. IX. § 2.

ad hujus ætatis scriptores locutionem refert. *Arntz.*

Clementiam] *Inclementia* hoc loco μεταφορικῶς dicitur asperitas, iniquitas, rigor et horror locorum atque siderum; sicut ex adverso dicitur 'cœli, æstatis, hiemis clementia,' &c. *Schwarz.* *Clementiam* quoque P. Stephanus: alterum flagitat sententia; atque hinc in sua editione, quæ forte Paulli Stephani fuit, *clementiam* errori typographico tribuit de Rooy Spicil. Crit. p. 50. De voce 'clementia' hac notione vide ad Paneg. XII. § 5. Quod additur *sidera*, de terra, sub cælesti signo constituta, recte accipit Vlitius ad Nemes. Cyneg. 211. *Arntz.*

Lenes] *Lenes* optime tuiti sunt eruditi. Ovid. Heroid. XIX. 72. 'Nocte sed hesterna lenior aura fuit.' 'Lenem Austrum' adpellat Horat. Sat. II. 8. 6. 'mollis aura' est Ovidio Heroid. Epist. III. 44. et Fast. II. 148. quamquam 'leves auræ' tueri se possent ejusdem auctoritate, Heroid. Epist. V. 53. 'Aura levis rigido pendentia lintea malo Suscitat.' Art. Am. III. 100. 'Dum sumus in portu, provehat aura levis.' Aliisque locis; sed *lenes* hic magis est 'frigoribus' oppositum. Similia permutationis exempla dedi ad Panegyr. supra XII. § 7. adde Buneman. ad Lactant. de Opific. X. § 5. *Arntz.*

Deductis] Sic Cicero in Arat. Phænom. 'Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem Cœperit, et subitis auris diduxerit Ara.' *Putean.* Ex editionibus, quas vidi, primum *diductis* exhibet Bauniana, quam secutus Cellarius, et quamvis alterum iterum revocasset Patarolus, recte locum restituerunt emendatiorem Schwarzius, et Jægerus, quos secutus sum, etiam propter notata a Bunemanno ad Lactant. Instit. IV. 5. init. Adde not. patern. ad Plinii Paneg. LXVI. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Felicitate*] Ejeci illud *felicitate*, quod diceretur reperiri alterum in codd. binis, essetque hoc loco convenientius. *Grut.* Pro *facilitate* in non paucis libris editum erat *felicitate*, sed in nostro codice scripta est lectio verior. Annotaverat vero hanc ipsam lectionem jam Livineius e codice vetere, et e Cuspiniani editione. *Schwarz.* Recte *facilitate* recepit Baunius; ex codd. id quoque tuetur Guelf. et postulat sequens *inaccessibilia*, difficultatem indicans. De utraque voce confusa vide notas ad Plin. Pan. LXVI. 3. Drakenb. ad Liv. XXIII. 11. 2. *Arntz.*

Inaccessibilia] Vox *inaccessibilis* ignota fuit melioribus sæculis linguæ Latinæ; usurpata tamen invenitur a scriptoribus ecclesiasticis. Sic interpres vulgatus, isque Latinus, I. ad Timoth. VI. 16. 'Et lucem inhabitat inaccessibilem:' qui tamen Job. XXXIX. 31. melius, 'In prærruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.' Immo et Auctor Incertus Paneg. Maximiano et Constantino dicti, cap. VIII. ait, 'Inaccessis (non *inaccessibilibus*) montium jugis.' Latinus Pacatus Paneg. cap. XXII. § 2. 'Gentes æternis ardoribus inaccessas.' Jam enim 'inaccessus, a, um,' probatis auctoribus dicitur is, qui accedi non potest, aut non debet. Sic Plinius Paneg. XLIX. § 3. 'Hæc arx inaccessa; hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere.' Ad quem locum adire licet notam nostram. Conferatur et Servius ad Virgil. Æn. VIII. 195. 'Facies, quam dira legebat Solis inaccessam radiis:' ubi ait, 'inaccessus' est participium sine verbi origine: 'inaccedor' enim non dicimus. Ita vero etiam dicitur 'illaudatus,' 'invictus,' &c. *Schwarz.* Omnes *inaccessibilia*; dubito tamen, utrum Mamertini talis possit esse barbaries, cum 'inaccessus' constanter usurpent hi oratores, et potuit hic a librariis idem esse commissum, quod ex Pataroli

editione in Plinii Panegyrico notavit Schwarzius XLIX. § 3. *Arntz.*

Cotias] Diocletianus per Julias Alpes ex Pannonia, Maximianus per Cottias ex Gallia in Italiam ad Mediolanense colloquium convenerunt. cap. XI. *Cellar.* Alpium Juliarum, quæ a Julii Cæsaris transitu nomen invenisse perhibentur, præter tot alios scriptores meminit etiam Tacitus Hist. III. 8. 'Interjectus exercitus Rhætiam Juliasque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat.' Ad quem locum notat Lupanus, 'ab ortu in occasum euntibus, post Carnicas Alpes, Julias occurrere, quæ a Tarvisio (non procul a foro Julii) in Noricum et Austriam perducunt.' Occasum versus fuere Alpes Cottiæ, sive Cottianæ, per quas, teste Tacito Histor. I. 87. patebat Galliarum aditus, et in quibus quondam fuit regnum Cottii Reguli, cujus historiam exposuit Marcellinus XV. 12. ubi inter alia hæc scribit: 'In his Alpibus Cottiis, quarum initium a Segusione est, præcelsum erigitur jugum, nulli fere sine discrimine penetrabile.' *Schwarz.*

Arenas] De æstu maritimo, eoque maxime recedente, loquitur Mamertinus. Virgilius Æn. I. 112. 'Furit æstus arenis.' *Schwarz.*

§ 4 *Eant*] Inest in his verbis quædam figura παθητική, qua aliquando ad reprehendendum aut refutandum cum concessione εἰρωνικῇ utuntur oratores et poëtæ. Similiter Latinus Pacatus Paneg. c. XVII. § 1. 'Eat nunc sui ostentatrix vetustas, et illa innumeris literarum vulgata monimentis jactet exempla! Pirithoi fidem prædicet,' &c. Incertus Auctor Paneg. Constantino Aug. dicti cap. XXIII. § 1. 'Ite nunc omnes, si placet, barbaræ nationes, et exitiales vobis movete conatus; habetis exemplum.' Petronius cap. 115. 'Ite nunc, mortales, et magnis cogitationibus pectora implete!' Virgil. Æn. VIII. 634. 'I, verbis virtutem illude superbis!' Propertius III. 16. 17. 'I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos!' Ovid. Epist. Heroid. IV. 127. 'I nunc, tolle animos, et fortia facta recense!' Idem Amor. I. 7. 35. 'I nunc, magnificos victor molire triumphos!' *Schwarz.*

Hannibalem] Iter Hannibalis per Alpes, præter ceteros, describit Livius XXI. 35. atque idem cap. 38. miratur, ambigi, quanam Alpes transierit Hannibal: aitque, homines vulgo credere, transgressum Pennino, atque inde nomen jugo Alpium inditum; Cœlium vero per Cremonis jugum dicere transiisse. Apud eundem Livium XXI. 41. testatur Scipio, Hannibalem se tulisse 'æmulum itinerum Herculis.' Inde et Silius lib. IV. Punicorum ab initio, Hannibalem ob transitum per Alpes Herculi æquat: 'Fama per Ausoniæ turbatas spargitur urbes, Nubiferos montes, et saxa minantia cœlo Accepisse jugum, Pœnosque per invia vectos, Æmulaque Herculei jactantem facta laboris Descendisse ducem.' Sicut autem veteres Hannibalem, propter illum transitum per Alpes, æquarunt Herculi; ita hoc loco Mamertinus ex eadem caussa Maximianum Imperatorem æquat, immo præfert, utrisque. *Schwarz.* Aut fallor, aut Mamertini locus eorum confirmat sententiam, qui Hannibalem per Cottias Italiam censent ingressum, quod contra Folardum, et Sansimonium tuetur Heerkens Notabil. IV. p. 205. sqq. idem enim opinatum fuisse Mamertinum docet Cottiarum facta mentio. Fateor et Julias addit, sed hæ ad Hannibalis iter referri nequeunt, quamvis per eas transiisse Pœnos putaverit Lipsius Centur. ad Belg. I. 93. usus loco Livii corrupto V. 34. 8. ad quem confer notas. *Arntz.*

§ 5 *Hercules*] Gestar apud Silium Punicor. lib. II. de Hannibale: 'Proinde polo crescant Alpes, astrisque

coruscos Apenninus agat scopulos, per saxa nivesque, Per cælum est, qui pandat iter. Pudet Hercule tritas Desperare vias, laudemque timere secundam.' Ejusdem operis lib. III. 'Primus inexpertas adiit Tirynthius arces. Scindentem nubes, frangentemque ardua montis Spectarunt Superi, longisque ab origine sæclis Intemerata gradu magna vi saxa domantem.' Justinus lib. XXIV. de Gallis: 'Gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem, et immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga, et frigore intractabilia loca transcendit.' *Livin.* Vulgo quidem mythologi, et historiæ auctores istum Herculis per Alpes transitum memorant, et Silius etiam III. 496. ita canit: 'Primus inexpertas adiit Tirynthius arces,' &c. Ille ipse tamen Herculis transitus a Livio v. 34. fabulis annumeratur. Cf. Cluverius Ital. Antiq. I. 1. *Schwarz.* Ammianus Marcell. xv. 10. 'Primam Thebæus Hercules ad Geryonem extinguendum, ut relatum est, et Tauriscum lenius gradiens, prope maritimas composuit Alpes: hicque harum indidit nomen.' Simili, qua Maximianum Herculi Mamertinus, elegantia eidem in Alpium transitu Hannibalem comparavit Silius Italic. IV. 4. 'Æmulaque Herculei jactantem facta laboris Descendisse ducem:' quem cum nostro locum jam composuit Drakenborchius. *Arntz.*

Spolia] Illa spolia fuere boves, quos ex Iberia, sive Hispania, abegisse dicitur Hercules. Qua de re Justinus XLIV. 4. hæc breviter refert: 'In alia parte Hispaniæ, et quæ ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli lætitia est, ut, nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint.' De Geryone Servius ad Virgil. Æn. VII. 662. 'Geryones,' inquit, 'rex fuit Hispaniæ, qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis præfuit, quæ adjacent Hispaniæ: Balearicæ majori, et minori, et Ebusæ.' Ceterum, pro sequente vocabulo *incomitatus*, codex noster habet simplex *comitatus*, sed perperam. Ideo enim Diocletianus et Maximianus comparantur cum Hercule, quia, uti Hercules incomitatus per Alpes abduxit boves, ita hi Imperatores prope soli Alpium vias aperuisse perhibentur. Vocabulo autem *incomitatus* ipse usus est Cicero de Orator. I. 55. *Schwarz.* Cf. supra ad Paneg. cap. II. init. *Arntz.*

CAP. X. § 1 *Tum*] Particula *tum* hic poni videtur pro præterea. Inde vero hæc sententia existit: Domitianus quidem et Maximianus æquarant Herculem transitu per Alpes: *tamen*, ex respectu fortunæ caussæque, itinera istorum Imperatorum multo habebantur digniora laude. *Schwarz.* Vossii quoque excerpta *tamen*, quod, quamvis initio orationis positum, ex oppositione posset defendi, ut apud Sallustium Jugurth. LIV. 2. adde Drakenb. ad Livium XL. 56. 10. magis tamen *tum* placet, ut orationem continuet, pro insuper, præterea, de quo usu idem ad Livium XXVIII. 32. 1. *Arntz.*

Vestra itinera] Hæc lectio prodita est a Cuspiniano, atque annotata etiam in Gudii libro priore; quæ mire nobis placet: neque enim repetitio illa vocabuli *itinera* abundare, sed orationem potius ornare, multoque clariorem reddere videtur. *Schwarz.* Schwarzium et Jægerum secutus, expressi *itinera*, suadentibus quoque ejusdem repetitionis exemplis, quæ dedi supr. cap. II. § 1. *Arntz.*

Quanta laude] Lege, *quanto.* Acidal. Recte *quanto*, non *quanta*, quia

cum *digniora* componitur. *Cellar.*

§ 2 *Pœno*] *Pœnus* per ἀντονομασίαν ponitur pro duce Pœnorum, sive Carthaginiensium, Hannibale. Ita vulgatum illud, 'Hannibal ad portas!' exprimit Latinus Pacatus in Paneg. c. XLVI. § 3. 'Portis imminens Pœnus.' Carthaginienses enim 'Pœni,' quasi 'Phœni,' dicti, quia originem duxere a Phœnicibus. In quibusdam scriptis, impressisque libris, pro *Pœno* mendose positum est *pœnæ;* noster autem codex recte tuetur receptam lectionem. *Schwarz.* Corrupte Puteolanus, Rhenanus, H. Stephanus ediderant *pene.* Alterum flagitat sententia cum codd. et Schonhovii excerptis. De eleganti descriptione, et quid vitii insit, docte disputat vir clariss. in Bibl. Critic. vol. II. part. I. p. 27. *Arntz.*

Pecua agrique] *Pecuæ agroque deserto*, sic Vet. forte *pecu*, &c. Putean. Pith. et Fabr. *statim pecui agroque deserto.* Lego, *statim pecu agroque deserto.* Idem. *Pascua* sched. Langii, Bertiniens. *Livin.* *Pascua* retinui, quod erat in editione Parisiensi an. 1665. in aliis est *pecua,* non male. Scimus enim veteres, quod modo 'pecus, pecudis' dicimus, 'hoc pecus, hæc pecua' plurale dixisse. Vide plura apud Priscianum lib. VI. Hinc Papinio Sylv. III. 3. dictum, 'Pecuaria culta Galesi.' *Patarol.* Non est, cur vox *pecu* nobis scrupulum moveat, cum ea sit indeclinabilis in singulari, in plurali faciat 'pecua, pecuum, pecubus;' qua voce Plautus, Cato, Varro, Lucretius, Livius, Solinus, Apuleius, et alii sunt usi. *Schwarz.* *Pascua agrique deserta* etiam Rivinus. Quod, Schwarzium et Jægerum secutus, secundum codd. dedi, est quoque in Vossii excerptis, et horum prævalet auctoritas, quamvis ceteroquin *pascua agrique deserti* non moverem. Quod enim de copula *et* monet Schwarzius, eamdem non desideraverim; omissa enim gravitatem quamdam addere sententiæ, et celeritatis indicium præ se ferre videtur, tamquam eodem tempore et agros desertos, et ferarum cubilia petita orator significet. *Arntz.*

Silvarum] Puteolanus, Rhenanus, Navius, et Duacensis, (ita voco editorem anonymum Latino-Atticorum Oratorum, sive Panegyricorum Diversorum, cum Veterum tum Recentium, Scriptorum, Duaci in officina typographica Baltazaris Belleri MDXCV. impressorum, 8°.) pro casu quarto *silvas* evulgarunt casum secundum *silvarum;* sed Cuspinianus, ceterique rectius habent *silvas;* cui lectioni etiam codicum scriptorum auctoritas suffragatur. *Schwarz.*

§ 3 *Italæ*] *Italiæ* ex codd. restitui; poëtica enim est imitatio, cui 'matres Italiæ' congruunt non casu secundo, sed adjective, poëtarum more. Ovidius Fast. II. 441. 'Italias matres, inquit, caper hirtus inito.' Ita meliores codd. teste Heinsio, quem omnino confer ad Metam. XV. 9. et ad Prudent. contr. Symmach. I. 89. Eumdem terrorem ita descripsit Silius Italic. IV. 25. 'Haud segnis cuncta magister Præcipitat timor, ac vastis trepidatur in arvis. Desernere larem: portant cervicibus ægras Attoniti matres, ducentesque ultima fila Grandævos rapuere senes: tum crine soluto Ante agitur conjux: dextra lævaque trahuntur Parvi, non æquo comitantes ordine, nati.' *Arntz.*

Manibus] Præter Schwarzii codicem, præpositionem *e* quoque delent Guelf. et Vossii excerpta; Cuspinianum secutus est Gruterus, et præter Rivinum sequentes; eamdem tamen codices, et veteres secutus editiones, iterum ejiciendam duxi, quamvis habeant Schonhovii excerpta. *Idem.*

Paucos] Miror Livineium *paucos,* quod in Navii editione legi sequenti observatione monet Schwarzius, retinuisse; idem fecit Paullus Stephanus; sed vera Mamertini manus, re-

liquis quoque editoribus probata, est *parvos*. Videtur imitatus Livium XXVI. 9. 8. ubi similis descriptio: 'matresque Romanas, et liberos parvos inviolatos servarent.' Adde eadem in re Silium Italicum IV. 30. 'Dextra lævaque trahuntur Parvi, non æquo comitantes ordine nati.' Utrum, elegantiori Latinitate, 'parvus' pro liberis, alio nomine non addito, adhibitum fuerit, jam non disputaverim. Negat Burmannus ad Ovid. Fast. II. 385. posterioribus id placuisse, patet exemplis apud Cannegieterum ad Avian. Fab. I. p. 13. adde Sedul. II. 116. 'Sternere collisas parvorum strage catervas.' Alii 'parvulos' dicunt. Plinius Paneg. XXII. § 3. et XXVI. § 1. infr. cap. XI. § 3. 'feminis, parvulis, senibus:' qui locus confirmat emendationem in Pacati Paneg. XXXVII. § 4. quam proposui ad Arator. Epist. ad Vigilium vs. 1. adde Salvianum de Gubern. Dei IV. p. 80. et 81. VI. p. 127. Græv. ad Flor. IV. 2. 90. Sola Stephani editione usus de Rooy Spicil. Crit. p. 50. hic ex ingenio restituit *parvos*; et recte contulit locum Sallust. Jugurth. cap. 41. *Arntz.*

Abreptos] Livineius in margine libri sui conjecit, fortasse legendum esse *liberos arreptos*; et hanc ipsam scripturam Gudius in priore libro, nescimus unde, annotavit. 'Liberi abrepti' alioqui dicuntur, qui vi quadam e parentum sinu, complexuve ab aliis auferuntur. Cicero Verr. I. 3. 'Qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.' Hic vero Mamertinus loquitur de matribus, quæ, pensis e manibus abjectis, præ metu e terra, vel aliunde subito 'arriperent liberos,' ut eos gestarent, vel secum deducerent in templa, ad opem Deorum implorandam. Ad quem ritum respexit Statius Theb. X. 50. seqq. 'At procul Argolici supplex in margine templi Cœtus, et ad patrias fusæ Pelopides aras Sceptriferæ Junonis opem, reditumque suorum Exposcunt, pictasque fores et frigida vultu Saxa terunt, parvosque docent procumbere natos.' Malimus igitur hic recipere *arreptos*, nisi dissensus omnium librorum vulgatorum, et ipsius codicis nostri obstaret. Nullius autem pretii varietas est, quando Navius, et Livineius non *parvos*, sed *paucos liberos* edidere. *Schwarz.* *Arreptos*, quod Schwarzius nesciebat unde habuerit Gudius, esse videtur ex codice; legitur enim in excerptis Vossii, et ex Guelf. notaverat Cortius, nisi is sit prior ille Gudii liber, a Schwarzio memoratus. Hac auctoritate fretus id reposui: confer ad Arator. II. 1075. 'Abrepti' magis forent, quos sustulissent Pœni, liberos ἀπὸ γονέων ἀφελόντες, ut loquitur Lysias contr. Eratosth. p. 228. potius ipsas dicit matres liberos 'arripuisse,' celeritatem indicans et studium, in illis a Pœnorum impetu servandis. Ex ingenio *adreptos* quoque substituit de Rooy Spicil. Critic. p. 50. *Arntz.*

Passo] Mos matronarum, in magnis malis aras crinibus verrere. Livius III. 7. 'Stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cælestium, finemque pesti exposcunt.' Silius VI. 560. 'Ast aliæ laceris canentes crinibus alta Verrunt tecta Deum.' *Cellarius.* Alia hujus ritus exempla doctissimus Drakenborchius annotavit ad citatum Silii locum: v. g. ex Livio XXVI. 9. 'Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur; sed undique matronæ, in publicum effusæ, circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.' Conferatur Barthius Advers. lib. XLVI. et Turnebus XXIX. 30. *Schwarz.* De illo more confer Lipsium Elector. II. 6. Brouerium de Vet. Adoration. cap. 16. ita Statius Theb. IX. 638. 'Et gelidas verrentem crinibus aras Liquit.' Ubi Bernartius. *Sparso capillo* etiam Guelf. et Vossii excerpta,

ad hunc locum parum accommodate, quo de lugentium feminarum habitu exponitur; 'sparsi' enim 'capilli' furibundæ, et vaticinanti magis sunt proprii. Vide Oudend. ad Cæsar. B. G. I. 51. 3. Drakenb. ad Livium I. 13. 1. et Burman. ad Virgil. Æn. I. 480. Quare Schwarzius maluerit ut *quæque* abesset, non expedio. Addidit orator illud, ad rei gravitatem indicandam, ne ulla doloris sui indicium omisisse censeatur. *Arntz.*

Verrebat: planctu] Ita Virgilius clamorem 'vario certamine' ortum memorat, Æn. III. 128. et 'varium irarum æstum,' ibid. IV. 564. *Idem.*

Omina] Sic infra paulo post: 'Talia vos dedistis omina, cito ad conspectum mutuum reversuri.' *Putean.* Ita recte, et suffragio codicum veterum, et sententiæ oratoris congruenter legimus, cum Puteolanus, Navius, et adhuc Patarol perperam evulgarint *omnia dabant.* Schwarz. *Omnia* etiam Parisienses et Rivinus, meliora Livineius, Stephanus, et ex ingenio Stewechius ad Arnob. advers. Gent. VII. p. 147. adstipulantur Guelf. et Vossii excerpta; eamdem quoque vocem Martiano Capellæ restitui in Miscellan. p. 209. et frequenter ita librarii turbarunt, ut apud Claudian. Epist. IV. 15. Mox cap. XII. in fin. legendum *omina*, ut hic recte citat Puteanus, pro quo constanter fere alii *omnia.* Adde Drakenb. ad Livium XXIX. 11. 8. *Arntz.*

Thrasymenum] Qui nunc lacum dici adfirmat *Lago di Prassignano.* Quidam cum aspiratione scribunt, alii eam negligunt. Cf. Torrenium ad Valer. Max. I. 6. 6. *Idem.*

Præcanebant] I. e. quasi prædicebant et vaticinabantur. Vulgo editum est, *præcanebant*, sed sequimur scripturam codicis nostri, et Gudii, et Puteani. Sunt quidem, qui 'præcinere' et 'præcanere' ita distinguenda putent, ut illud ad rem musicam, hoc ad divinationem et vaticinia referatur; sed illa differentia est nihili. Certe enim, uti verbum simplex 'canere,' ita et compositum 'præcinere,' secundum optimos libros, sine discrimine scripturæ, utroque modo accipitur. Sic, si musici præeunt cum fidibus, aut præmoderantur, ac præmonstrant modulos, item et ipsæ fides, dicuntur 'præcinere.' Cicero Tuscul. Disp. IV. 2. 'Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod et Deorum pulvinaribus, et epulis magistratuum fides præcinunt.' Nec minus Dii et vates, qui futura prædicunt, dicuntur 'præcinere.' Cicero de Haruspu. Resp. c. 10. 'Quis hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid Deos populo Romano præmonstrare, et præcinere fateatur?' *Schwarzius.* *Præcanebant* constanter editum ante Schwarzium, alterum ex codd. cum Jægero servavi, quia de vatibus futura prædicentibus est frequens; 'futura præcinere,' Lactant. Div. Instit. I. 4. 3. ubi Buneman. ceteroquin magis de iis adhibetur, qui tibiis tubisque præeunt, ut apud Florum II. 16. 6. et 20. 10. *Arntz.*

§ 4 *Utrisque*] I. e. Cottiis et Juliis. Codex autem noster, pro *ut primum*, habet *ut proximum*, sed non satis apte. *Schwarzius.* Etiam *proximum* Guelf. et Vossii excerpta, sed obstant sequentia, § 5. 'ut vero propius propiusque cœpti estis agnosci.' Qui deinde *propius* agnoscebantur, nondum antea *proximum* adparebant. *Arntz.*

Suspexerant] Verbum 'suspicere' hoc loco proprie de iis dicitur, qui alte spectarant, et sursum ad montes, unde veniebant isti principes, oculos extulerant. Sic Cicero de Harusp. Resp. cap. 9. 'Quis est tam vecors, qui, cum suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat?' *Schwarz.*

Æqua] *Atque* Vet. Forte *æque.* Livin. Vox *æqua* in codice nostro omissa est, et forte non magnopere desi-

deraretur, nisi in plurimis libris extaret. Livineius in ora libri sui notavit, pro ea in vetere codice legi *atque;* at fortasse legi debere *æque*. Nos retinemus lectionem, in omnibus reliquis libris vulgatam, et sic interpretamur: par sive æqualis, et æque magna admiratio, atque dubitatio, &c. Sic Terentius Eunuch. I. 2. 12. 'Utinam esset mihi pars æqua (i. e. æqualis, sive æque magna) amoris tecum, aut pariter fieret,' &c. Sic et Silio III. 192. 'non æquæ Arcti' vocantur, i. e. non æque magnæ. Ad quem locum vide Drakenborchium. *Schwarz.* Dixi ad Sedulium I. 17. *Arntz.*

Invecta] Codd. *injecta.* Sic vero et Cicero loquitur pro Cluentio cap. 28. 'Hic tum injectus est hominibus scrupulus, et quædam dubitatio, quidnam esset actum?' Supersedemus plures hujus generis formulas referre. *Schwarzius. Injecta* pariter Voss. excerpta, idque aptius est ad significandam celeritatem, qua animos occupaverit talis admiratio, quomodo 'injicere mentis ardorem' dixit Eumenius Constantio XIV. § 4. *Arntz.*

Et quinam] Arridet *ecquinam de illis,* quomodo legendum videbatur primum Puteano, deinde et Livineio. Perplacet, sed adhuc maluerim, *ecquinam Dei illis montium, &c.* Gruter. *Et quis* atque *ecquis* sæpius alibi promiscue dici ostendimus ad Panegyricum Plinii XLIX. § 3. et LIV. § 1. At quoniam illud *quinam* simpliciter positum in codice nostro, et altero Gudii libro, idque *et* in simili formula a Cicerone pro Cluent. cap. 28. omissum est, nunc etiam prætermittendum existimavimus. Non vero nullius momenti suspicio est Gruteri, qui putavit in particula *de* latere nomen *Dei,* sive *Dii,* ita ut maluerit legere, *quinam Dei illis montium verticibus orirentur?* qui enim credebantur istis gradibus *in terras cælo descendere,* non potuere non *Dii* existimari. Grammatici autem plerique tradunt *Dei* et *Dii* in numero multitudinis utroque modo dici. *Schwarz.* Auctoritate Guelf. et excerptorum Vossii, *et* delevi, quæ apud me auctoritas prævaluit Livineii conjecturæ, a Baunio primum in contextum admissæ, quamvis usus *ecquis* satis sit frequens, de quo egit Stewech. ad Arnob. adv. Gent. VI. p. 181. Cf. not. patern. ad Plinii Paneg. LIV. § 1. Patarolus tamen *et quinam* revocavit. Vehementer blanditur Gruteri conjectura 'Dei illis montium,' aut *Dii;* hoc enim respondet sequentibus, 'cælo descenderent:' et jure placuit viro clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 28. ita potuit scribere Mamertinus ad morem veterum, Deos in terram venientes per montem Olympum descendere credentium. Homerus Iliad. Δ. 74. et Odyss. A. 102. Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀΐξασα. Facile autem ita littera *i* sequenti voci adhæserit, aut fuit sequens a librario omissa, ex ea consuetudine, qua si iisdem vocabulum litteris terminaretur, quæ vocis erant sequentis initium, compendii gratia posteriores omittebant, ut notat Valesius ad Ammian. XVI. p. 144. Ita apud Lucianum Dial. Mort. p. 270. emendo, καταστᾶ, ὁ δὲ παραπέμψει ἕκαστον, non παραπέμψει, hoc enim Pluto jam noverat. In Constit. I. de Novo Codice faciendo § 3. simile vitium notavit, et sustulit filius meus, Hermannus Arntzenius, in Dissert. ad quædam Juris et Auctor. loca cap. 2. alia loca feliciter hinc emaculavit Tollius ad Ausonii Protrept. Idyll. IV. 2. et Van Dorp Observ. cap. 3. Deinde Guelf. et excerpta Vossii, *gradibus e cælo in terras.* Vulgato favet Horatius Od. III. 4. 1. *Arntz.*

§ 5 *Propius propiusque*] Infra cap. XVI. § 3. 'longius longiusque;' simili modo Ovid. Heroid. II. 129. 'Minus et minus utilis adsto.' Virgil. Æn.

xii. 406. sq. 'Sævus campis magis ac magis horror Crebescit.' Sic junguntur quoque adjectiva comparativi gradus. Vid. ad Tibull. I. 8. 64. Scaliger, qui Græcanicam esse locutionem docet. Cf. Vechner. Hellenol. II. 18. et quos laudat Heusinger. n. 11. solent etiam adverbia positivi gradus, intendendæ significationis caussa, sic geminari. Ovid. Heroid. Epist. I. 41. 'O nimium nimiumque oblite tuorum.' Idem Met. II. 178. sqq. 'Ut vero summo despexit ab æthere terras Infelix Phaëton, penitus penitusque patentes, Palluit.' Met. IV. 325. 'Sed longe cunctis, longeque potentior, illis.' Apul. Met. v. p. 167. Elmenh. 'Vicem diu diuque cogitatam monstrabimus tibi.' Infra Mamertinus Grat. Act. XXI. 4. 'Sed multo multoque nunc facilior est ratio honorum petendorum.' *Jæger.* *Magis magisque* ex codd. Leidensibus, quibus Daventriensem addo, restituendum est Sallustio Catilin. cap. 20. 'Magis magisque animus accenditur.' Adde Rittershus. infra cap. XVI. § 3. Bentleium ad Horatium Sat. I. 6. 17. Colvium ad Apuleium p. 95. *Arntz.*

Oppleti] Vet. *repleti.* Putean. Fortius est *oppleti*, ad majorem copiam indicandam, unde *omnes* additur, aliis locis *totus.* Vid. Incerti Paneg. Constantin. cap. III. in fin. et XXII. § 6. Nazarius Paneg. XXIII. § 3. et XXX. § 1. *Arntz.*

Concursare] Tritum est, *concursare* hoc loco per usitatam enallagen dici pro concursabant. Idem etiam de sequentium verborum infinitivis est statuendum. *Schwarz.* Poëtis et historicis hoc loquendi genus adscruit Barrientius Adnotat. Silva cap. 10. et simile exemplum est in Panegyr. Incerti Constantino VII. § 6. et XI. § 4. nescio, utrum ex Daventriensi non sit Sallustio Catil. cap. 3. reddendum, 'quia plerique .... invidia dicta putare :' et Jugurth. cap. 76. ex eodem et quibusdam aliis, 'ut opifices ... frequentare Marium, et ... ducere :' ubi vide Cortium. Similiter Curtius IV. 3. 16. 'cum subito spissæ nubes intendere se cælo,' quod frustra per 'auxere' explicat Pitiscus, tamquam foret perfectum. Alia exempla Cannegieter. ad Fragment. Vet. Jurisconsult. p. 79. *Arntz.*

Totis] Possis interpretari *totis*, omnibus, ut apud Apuleium aliquoties. Sed mihi placeat magis scribi *nuntiare totis vicis*, sive etiam distinctionem mutari, *concursare* i. e. *agricolæ*, *nuntiare : totis vicis aræ incendi, &c.* Acidal. Acidalio videtur *vicis* excidisse, quod propter insequentem vocem *visa*, iisdem fere apicibus constantem, probabilius est, quasi pro una perperam repetita habuerit, qui descripsit. Alii *totis* interpretantur omnibus. *Cellar.* Apprime huic loco convenit *ignotis :* quoniam 'ignotus' vulgo quidem passive dicitur incognitus, seu qui aliis non est notus; nihilo minus tamen etiam a probatis linguæ Latinæ auctoribus aliquando active is dicitur *ignotus*, qui non novit, et qui rerum est ignarus. Sic Phædrus I. 11. 'Virtutis expers, verbis jactans gloriam, Ignotos (i. e. ignaros) fallit, notis est derisui.' Quinctilianus Declam. VI. 2. 'Ne quis tamen erret ignotus, non est filii mei noverca, sed mater.' Ad quem locum vide sis Burmannum. Immo ipse Cicero Famil. v. 12. 22. 'Illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant :' ubi, Manutio interprete, Cicero posuit 'ignotis' non pro iis qui ignorarentur, sed qui ignorarent. Verum quamvis et hæc conjectura nostra expectet suffragium codicis antiqui, interim tamen eam, tanquam innoxiam, admisimus. *Schwarz.* Lindenbrogius ad Consol. ad Liviam Aug. vs. 186. *totis* tuebatur ex Tertulliano de Spectacul. 16. 'Nuntiant invicem, quod simul ab omnibus visum est.' Biblio-

theca Critica. *Jæger*. In *nunciare totis visa* conspirant codices, et vulgo interpretantur omnibus, quod etiam Pricæo placet ad Euang. Lucæ VIII. 34. de quo vocis 'totus' usu vide notas ad Victor. Inlustr. XXXIV. 9. Wopkens. ad Sedulium I. 326. III. 159. et me ibid. V. 426. Si legeretur, *totis vicis*, nihil intercederem, ut 'totum nemus,' 'totæ silvæ,' de quibus Bentlei. ad Horat. Od. I. 17. 5. At vero dubito, an hanc interpretationem patiatur vox simpliciter posita, neque id persuadet Tertulliani locus de Spectac. 16. quem adhibuit Lindenbrog. ad Consol. ad Liviam vs. 186. Livineii conjecturæ obstat publicæ lætitiæ indoles, qua notis æque atque ignotis visa nuncientur; suæ tantum tribuit Schwarzius, ut eam in contextum receperit, socium nactus Jægerum, neque ea viro clarissimo in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. pag. 29. displicuit. Tritus certe est usus, quo ignotus pro ignaro et ignorante ponitur, de quo monui ad Arator. I. 224. adde Hotoman. ad Ciceron. in Verr. I. 7. Apud Priscianum Perieg. vs. 180. 'Scilicet ignaros terras perfindere rastris.' In cod. S. Galli in Actis Societ. Jenens. part. V. est 'ignotas;' scribe 'ignotos,' cujus glossema est 'ignaros:' et præterea ex edit. Aldin. et Venet. emendandum 'proscindere aratris;' hæc enim est τομὴ ἀρότρου, apud Dionysium Perieges. 190. Apud Quintilian. Declam. VII. 7. scribo, 'et homini ignoto est nova res dolor corporis adpliciti,' id est homini tormenta nondum experto, qui suppliciis durato, quem memoraverat, opponitur. In Mamertino tamen Schwarzii conjecturæ non tantum tribuere audeo, ut in contextum admittam. Eldikius noster divinabat, *nunciare domi visa;* belle profecto; undique enim concursabant agricolæ, domumque reduces nunciabant quæ viderant. Dudum mihi in mentem venerat, *nunciare oculis visa;* suis se oculis vidisse nunciabant, quod in publica lætitia, ad confirmandam dubitantibus veritatem, solet esse idoneum: in simili descriptione Incertus Paneg. Constantin. VII. § 5. 'quæ securitas intuentium te matrum:' et præterea est hæc descriptio tota quanta poëtica, cui talis convenit locutio; ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι, Homer. Odyss. K. 385. Ovidius Metam. II. 32. Virgilius Æn. II. 589. idque oratores imitati, Cicero pro Milon. 2. Catilin. III. 2. et 8. ipse Mamertinus infra cap. XI. in fin. 'par oculis ad intuendum.' Jam video idem cogitasse Stewechium ad Arnob. advers. Gent. VII. p. 142. cui itaque inventi gloriam transscribo, de consensu autem gratulor. Abiisse videtur *oculis* in *votis*, hoc in *notis*, quo pacto corruptum arbitror Auctorem Incertum Panegyrici Maximiano cap. III. § 4. 'prudentia sese votis gentium præsentant,' legendum puto *oculis*, scilicet cum Imperatorem adspicerent, quod confirmant illic, quæ præcedunt, 'qui adspectum illius . . . adhuc desiderantibus nobis sufficit.' *Arntz.*

Aræ incendi, tura poni] Lindenbrogius ad Auctor. Eleg. ad Liviam vs. 186. a librariis voces putat transpositas, ut legatur, *aras poni*, *tura incendi*. Stewechius vero ad Arnob. VII. p. 143. emendat, *tura apponi:* utramque sine necessitate. Vulgatum 'tura ponere' tuetur Ovidius Fast. II. 572. III. 418. Horatius Od. I. 19. 14. et quæ hic *incendi* dicuntur aræ, eas 'flagrantes' adpellavit supra Paneg. VI. § 4. ubi Jægerus: aræ donis dicuntur φλέγεσθαι apud Æschylum Agamemn. vs. 91. *Idem.*

Calere] Sic Panegyr. Constantino Flaviensium nomine: 'Caluit in nobis ultra vires nostras animus ad lætitiam.' Cicero Philipp. V. 'Calebant in interiore ædium parte.' Verr. III. 'Posteaque satis calere res Rubrio visa est.' *Putean.* Quid si legas *sa-*

lire? Cicero tamen Philipp. v. 'Calebant interiore ædium parte.' Verr. III. 'Posteaquam satis calere res Rubrio visa est.' Demosthenes περὶ παραπρεσβείας dixit διαθερμαίνεσθαι· et Portius Latro in Catilinam, 'Judices, quorum aures caluerunt assiduitate pene quotidiana.' *Petr. Faber.* Nil mutandum. *Calere* enim de lætitia non interrupta recte exponit Manutius ad Ciceron. ad Div. III. 8. adde quæ ad hunc locum contulit Puteanus. Potuit etiam hoc adhibuisse propter aras, victimasque in iis cæsas, ut igne, flamma, et sanguine victimarum tepido loca velut calere fuerint visa, ut alio sensu Statius Theb. II. 226. 'Interior sacris calet, et sonat aula tumultu Femineo:' ubi conferendus Barthius; quo forte sensu 'flagrare' dicitur civitas apud Eumenium Gratiar. Act. XIV. § 4. *Arntz.*

§ 6 *Traditus*] Fictos et commenticios Deos opponit præsentibus, et conspicuis Augustis. Idcirco mox, 'non advena' Hercules, ut fabulosus ille cognominabatur; sed 'imperator Hercules,' sive Herculeus. *Cellarius.* Non Jupiter ille, qui Deorum rex esse traditur, sed Diocletianus Imperator Jovius. *Patarol.* Indicat idem hæc vox, quod 'adulationes fabulosas' dixit Incert. Paneg. Maximian. VIII. § 2. *Arntz.*

Invocari] Pro *invocatur* Livineius e codice Bertiniensi annotavit *advocatur*. Utrumque verbum recte ad Dei cultum refertur; sed non est, cur vulgatam lectionem rejiciamus. *Schwarz.* *Invocari* vel ideo maluerim, quia oratoris menti obversata videntur verba, quibus usus est in Paneg. c. XIII. § 4. et 'invocata patris majestas,' Eumenius Constantio XIII. § 2. De Jovis Præsentis titulo, ab Imperatoribus quoque adhibito, confer Spanhemium de V. N. Dissert. VII. p. 428. et præsertim de Diocletiano et Maximiano Dissert. XII. pag. 494. *Arntz.*

Non advena] Non Hercules ille, advena quondam in Italia ex Hispania, sed Maximianus Imperator Herculius. *Patarol.* I. e. non peregrinus, et fabulosus Hercules, sed verus Imperator, Maximianus Herculeus adoratur. Hercules enim, præter tot alia cognomina, propter crebras peregrinationes etiam 'advena,' et 'vagus' cognominatus est. *Schwarz.* Herculem dixit 'regem advenam' supra Paneg. I. § 2. *Arntz.*

Cap. XI. § 1 *Palatio admissis*] Codex noster habet *palatium;* unde putes, fortasse legendum esse, *in Mediolanense palatium admissis.* Sed nihil innovamus. Firmicus Maternus: 'Aut fient,' inquit, 'domus regiæ janitores, vel tale illis officium deputabitur, ut iis in Palatio admissis vel salutandi officia credantur.' Non temere quivis ad Principes admittebantur; hinc inter officia Palatina, sive aulica, extitit 'officium admissionis,' manaruntque 'admissionales,' 'magister admissionum,' et 'admissionum proximi,' de quibus plura annotarunt Lipsius ad Tacitum Annal. VI. 9. Gutherius de Officiis Domus Augustæ III. 11. et Bulenger de Imperatore Rom. II. 22. 'Palatium' vero pro domo regia poni obvium est; nam secundum Dionem Cassium lib. LIII. pag. 507. jam domus Romuli 'Palatium' dicebatur a monte Palatino, in quo esset ædificata. Imperatorum ævo, ubicunque Imperator habitabat etiam extra Romam, locus ille 'Palatium' dici cœpit, docente eodem Dione Cassio l. c. cujus generis multa Palatia recenset Fritschius in Comment. ad Leg. un. Cod. de Palat. et Domibus Dominicis, cap. 4. *Schwarz.* 'Palatium' Mediolani fuit ad morem aliarum in Occidente urbium; Treverense, Narbonense, Poëtobiense adtigit Gothofredus ad L. I. C. Theod. 'Ne quis in Palat. manum.' Adde Schwarz. supra ad Paneg. cap. 1. § 5. *Sacros vultus* Impe-

ratoribus his tribuit, tum quia generatim sacri habebantur Imperatores, quo sensu 'cælestes vultus' Constantii memorat Incertus Paneg. Maximian. III. § 3. tum quia a Diis originem repetebant. Ex hoc, aliisque locis, 'sacros vultus' recte Statio restituit Marcklandus, Silv. IV. 2. 54. atque huc referenda vox 'adorare,' de qua, Imperatoribus propria, tractat Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. III. p. 108. *Arntz.*

Consuetudinem] Prius enim unicum tantum, et, si etiam plures essent Imperatores, singillatim tamen illos videre populi consueverant, quare ipsorum veneratio simplex erat, ut quæ in unicum ferebatur. *Patarol.* Hinc intelligimus, uti Deorum cultores singulos Deos ad aras, ipsis proprias, venerati sunt; ita plerumque singulis Augustis quemvis admissum sigillatim præstitisse cultum suum: quam consuetudinem simplicis venerationis tunc turbasse aut impediisse dicuntur Imperatores Diocletianus et Maximianus, cum ambo simul se Mediolanensibus adeuntibus obtulissent. *Schwarz.* Cum *turbare* accipiat Schwarzius inpediendi sensu, videtur Bennium secutus, qui interpretationis loco hæc adscripsit, 'Mutastis morem unum tantum adorandi, cum ambo instar duorum Deorum subito prodiistis.' Mihi sententia aliter videtur constituenda, ut, qui admissioni ad unum Imperatorem adsueti erant, jam, ad duo simul admissi, repente fuerint turbati. In Schwarzii enim explicatione *repente* nullius est efficaciæ. Mihi favent sequentia, ut ordinem numinum non servaverint, ut restiterint, quæ omnia sunt turbatæ mentis indicia, atque ideo § 2. veneratio hæc dicitur eorum animos 'obstupefecisse.' *Arntz.*

§ 2 *Ordinem numinum*] In duobus Augustis venerandis is ordo ex more observatus videtur, ut prius Augustum seniorem, deinde Augustum juniorem, aut Cæsarem, si hic adesset, venerarentur admissi; quam vero disciplinam tunc, præ gaudio et nimio cultus testandi studio, a nemine servatam esse innuit Mamertinus. *Schwarz.* Mihi videtur ad morem Deorum invocandorum respexisse, quod ordine faciebant, secundum quem Paneg. cap. XIII. § 4. dixit, 'invocando Statorem Jovem, Herculemque Victorem.' Cf. late Brouerium de Adoration. vet. cap. 10. *Arntzen.*

Restiterunt] Diocletianus adorari se jussit, cum ante eum Imperatores tantum salutarentur. Eutrop. l. IX. 'Primus regiæ consuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis invexit, adorarique se jussit, cum ante eum cuncti salutarentur.' Vide Aurel. Victor. in Diocletiano, Euseb. in Chronico, Paul. Diacon., Zonaram. *Puteau.* Perseverantes, quia utrumque simul adorantes finem non faciebant, ab hoc ad illum, ab illo ad hunc se convertentes. *Cellar.* Verbum 'resistere' hoc loco pro consistere, seu subsistere, et remorari ponitur, qua notione etiam usus est Plinius c. XXI. § 3. 'Jam te providentia Deorum primum in locum provexerat; tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas.' Similiter Jul. Cæsar de Bello Civ. II. 35. 'Ille sæpius appellatus adspexit, ac restitit, et, quis esset, aut quid vellet, quæsivit.' Sic et vox *contumaces* hic in laude ponitur, quasi perseverantes, cultumque diutius, ac cum παῤῥησίᾳ erga Imperatores continuantes. Pariter Quinctiliano Declam. II. 5. dicitur 'innocentiæ contumacia,' quæ nempe non a superbia, aut contemtu superioris, sed fiduciæ amorisque magnitudine ducitur. *Schwarz.* *Contumaces* hic constantes interpretatur Buneman. ad Lactant. Div. Instit. IV. 18. 16. recte, si accipias de constanti pudore, quo quis id non audet peragere, quod peragendum sit, ut

hi, qui propius adcedere non audebant. Sic contra apud Pacat. Paneg. cap. XXXVII. § 3. 'contumacia gaudiorum' est ea gaudii constantia, qua quis facit, quod ceteroquin præ pudore facere non auderet, ut recte Schefferus. Ad hunc locum pertinet Ausonius Grat. Act. I. § 3. 'In sacrario imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo, et pavore venerabili raro eumdem animum præstat, et vultum.' *Arntz.*

§ 3 *Aditum*] Quibus scilicet in dignitate, sive urbana, sive militari, constitutis permissum erat ingredi, et adire Imperatores; non enim in palatium turbæ ingressus. *Patarol.* Non enim, quod jam diximus, cuivis temere licuit adire Principes in palatio; sed Principes alias constituerant quasi certos gradus eorum amicorum, et clientum, quos admitterent, qui in primas, et secundas, tertiasque admissiones digererentur, de quo more sui ævi queritur Seneca de Benef. VI. 33. *Schwarz.* 'Adire' vox hac in re sollemnis: hinc Ausonius Gratiar. Act. 31. 2. de Gratiano, 'tu confirmas adire cunctantes.' *Arntz.*

Egressi] Incertus Auctor ad Constantinum Flaviensium nomine: 'Omnes ex agris omnium ætatum homines convolaverunt,' &c. Pacatus in Panegyr. 'Quid effusam in publicum turbam domorum, gratulantes annis senes, pueros tibi longam servitutem voventes.' Plura ibid. vide, quæ ad hunc locum. *Putean.*

Tecta ipsa] Infra in Panegyr. Constantino similis locus: 'Sed quid ego hucusque jocularia? tecta ipsa, ut audio, commoveri, et altitudo culminum videbatur attolli,' &c. *Putean.* Cicero pro Marcell. cap. 3. 'Parietes medius fidius, ut mihi videtur, hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt.' Ubi confer Abramum. Eumenius pro Instaur. Schol. 15. § 1. 'Scholarum parietes et tecta consurgere.' *Arntz.*

Limina] Forte *lumina*, id est fenestras, συνεκδοχικῶς. *Livin.* Miror, cur istud alii mutent in *lumina*. Alterum et jucundius est, et huic loco aptius. Si momenta rationum valent, illud *lumina* vix toleravimus poëtice positum. *Grut.* Scilicet existimarat Acidalius, *limina* duntaxat in inferiore parte ædium habere locum, cum tamen et *interiora* essent *limina*. Virgil. Æneid. IV. 645. et *alta* idem Æn. XI. 235. cum veteres etiam in solaria et pergulas per limina ingrederentur. *Schwarz.* Livineii emendatio satis est facilis, ob voces 'limen' et 'lumen' sæpe confusas, quod probavi ad Sedul. I. 174. II. 41. ad Arator. II. 681. et 773. etiam si *lumina* pro fenestris adhibeantur. Vide not. ad Valer. Flacc. I. 129. in L. 6. § 5. ff. de Offic. Præs. pro 'lumine unico,' Zoanettus legit 'limine,' illic tamen 'unicum lumen' de domuncula adeo exigua, ut una tantum fenestra lumen hauriat, exponit Zinzerlingius ad Valer. Flacc. IV. 28. et Fornerius Rer. Quot. I. 29. de uno lumine pauperiori homini adhibito Bynkersh. Observ. I. 14. probatque Burman. ad Quinctil. Inst. Orat. X. p. 936. apud quos plura sunt exempla, quibus *lumina* hoc loco confirmari queant. Poëticam quidem locutionem esse obmovet Gruterus; sed frustra; frequens enim 'servitutis luminum' apud jurisconsultos mentio, aliosque præter poëtas scriptores; et esto, sit poëtica, utrum ideo in his oratoribus, poëtas toties imitatis, damnanda? Magis tamen in *limina* pronus sum, quæ 'foribus' opponantur. Intelligere enim mihi videtur limen ædium superius, alio nomine 'sublimen,' aut 'superliminare,' de quo latius Sagittarius de Januis Veter. cap. 8. § 12–17. intellexit hoc Vitruvius de Architect. VI. 4. cum scribat; 'sin autem officient trabes, seu limina,' quod recte pro 'liminia' emendavit Philander, probante Sagittario d. l. ita enim ipse Vitruvius VI. 11. 'limina enim et trabes,' et

deinde, 'extra trabes aut liminum capita.' *Arntz.*

§ 4 *Maximianum*] Malim, quod est in tribus codd. duobus scriptis, tertio impresso, *vides Diocletianum? Maximianum vides?* Gruter.

Pariter sunt] I. e. una sunt. Sic Sigonius lib. I. de Occidentali Imperio pag. 16. cum hunc Mamertini locum excitat, nescio, utrum ex vetere codice, an ex ingenio, hæc verba refert: 'Ambo sunt; una sunt.' Ita et Cicero ad Attic. VII. 10. 'Si in Italia Pompeius consistit, erimus una.' Sed, tacentibus nostris codicibus, tuemur lectionem vulgatam, cum etiam Quinctilianus Declam. V. 3. ita scripserit: 'Visus sum mihi magis habiturus utrumque filium mecum, si pariter essent.' *Schwarz.*

Invicti] Vide quæ ad Paneg. Mamertin. cap. XI. Fortasse legendum *junctim*. Sic loquitur Gellius XII. 8. 'Forte,' inquit, 'fuit, ut apud eamdem mensam duo illi junctim locarentur.' Postea B. P. F. legunt, *quam concorditer colloquuntur*. Rectius paulo post, *Dum mihi ante oculos pono quotidiana colloquia, conjunctas in omni sermone dexteras*. Putean. Grut. Paris. Cellar. et Patarol. *junctim*; idque bene, quia sic Mamertinus pariter loquitur per adverbium, *quam junctim sedent*, ac mox in sequentibus, 'quam concorditer colloquuntur.' Neque est, quod hoc adverbium putemus prorsus inusitatum. Certe Suetonius in Tiberio cap. 9. 'Magistratus et maturius inchoavit, et pæne junctim percurrit quæsturam, præturam, consulatum.' Gellius XII. 8. 'Fors fuit, ut apud eandem mensam duo illi, P. Africanus superior, et Tib. Gracchus junctim locarentur.' *Schwarz. Invicti* etiam P. Stephanus, sed nullius est efficaciæ, et forte petitum ex loco, eadem ratione depravato, supra Paneg. XI. § 1. 'velut invictis dexteris gubernetis,' ubi jam legitur 'junctis,' eaque verior lectio pluribus illic adserta est. Melius igitur Gruterum in secunda edit. secutus est Rivinus in *junctim*, omnesque reliqui. Est quidem in Guelf., Schonhovii, et Vossii excerptis *juncti*, neque male, ut indicet Imperatores sibi proxime adsidentes; *junctus* enim est idem atque vicinus, propinquus, docente id Gronovio ad Livium XXII. 20. 5. magis tamen *junctim* placet, ob addita adverbia *pariter* et *concorditer*, ut illud jam sum tuitus ad Arator. Act. Apost. I. 384. et placuit quoque Puteano supra ad Paneg. d. l. Dicerent alii 'una sedent,' quod corruptum puto apud Capitolinum Marc. Antonin. 14. 'Via quoque . . . sedens cum fratre in vehiculo Lucius,' quod Salmasius quidem exponit 'in via,' De Rooy vero in Spicil. Crit. p. 4. mutat in 'vix quoque,' sed meo legendum judicio, 'una quoque.' *Arntz.*

Eloquuntur] Retineo *eloquuntur*. Vide quæ notamus superiori Paneg. c. 9. Mox haud paulo concinnius, quod e vestigiis scriptæ lectionis suspicere, *nemo studio, nemo par fuit, &c.* Livin. Colloquuntur, ut supra 'eloquium' Paneg. priori c. IX. *Cellar.* Vulgo editum est *eloquuntur*. Inde quidam ad priorem Mamertini Paneg. cap. IX. etiam comprobant illud *eloquium*, pro quo vere alii codices habent *colloquium*, alii *obsequium*. Nos hic amplexi sumus *colloquuntur*, quoniam hoc verbum in codice nostro diserte exprimitur, idemque in utroque Gudii libro deprehendimus, atque e codice Bertiniensi annotavit Livineius, laudavitque Puteanus. Præterea ipse Mamertinus mox 'quotidiana' horum imperatorum 'colloquia' memorat. *Schwarz. Colloquuntur* etiam Vossii excerpta, eaque vera est Mamertini manus, ob dicta ad Paneg. IX. § 1. non enim huc referri potest, quod 'eloqui' dicantur Dii, cum oracula reddant, quibus Imperatores suos pares facit orator, de quo verbi usu vid. Meursius Exercit. Crit.

part. I. cap. 9. p. 28. unde 'eloqui' is dicitur, qui narrat quæ ad Deos pertinent, ut apud Eumenium Constantino VII. § 2. tantum enim hic agit de simplici colloquio, non de eo quod 'divina mente præsumebant,' ut loquitur Incertus Maximian. VII. § 1. *Arntz.*

§ 5 *Suo*] Omnino confer hunc locum cum altero Panegyrici Constantino dicti: 'Felices qui te propius,' &c. *Puteau.* I. e. secundum Baunium; nemo pro desiderio suo satis vos intueri potuit. Mire placet conjectura Livineii, qui haud paullo concinnius e vestigiis scriptæ lectionis suspicatus est legendum esse, *nemo studio, nemo par fuit oculis ad intuendum;* quanquam nesciamus, an hanc conjecturam satis adjuvet pronomen *suo,* in Livineii codice vetere omissum. Nondum adeo audemus damnare lectionem vulgatam; quæ nihilo minus ita explicari possit: nemo omni studio conatuque suo par fuit, suffecitque oculis ad intuendum. Sic fere Cicero in Verr. III. 9. 'Fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit.' *Schwarzius.* Puto Mamertinum scripsisse, *studio summo,* quod sequenti *cupiditate* respondet. Sæpius *suus* et *summus* permiscent librarii. Vid. Not. ad Ciceron. Philipp. VI. 3. Drakenb. ad Livium V. 11. 16. exemplis abundant scriptores in locis adhuc corruptis. Apud Eumenium pro Instaur. Schol. V. § 3. ex Guelf. et Schwarzii cod. lege, 'interitu sui doctoris,' quod in contextu negligere non debuisset Jægerus. In L. 7. § 2. ff. de Injur. recte 'summam injuriam' reposuit Noodtius Observ. I. 16. probantibus Trotzio Memor. Propag. p. 110. et Cannegietero ad Fragm. Vet. Jurisprud. p. 71. huc etiam Vonckius in Act. Acad. Palatin. T. I. pag. 158. contulit Curtium III. 2. § 17. 'Erat Dario mite, ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumque fortuna corrumperet:' scribit enim 'summam,' neque tamen hoc placet, neque 'suavem,' quæ est conjectura Buttinghauseni, in Biblioth. Hagan. Class. III. Fasc. I. p. 177. potius reposuerim 'insitam naturam,' ut apud Horatium Od. IV. 4. 33. Livium I. 54. § 7. II. 59. § 12. Pacatum Paneg. XXVIII. init. Minucium Felicem 16. ubi 'insitos,' contra Wopkensii 'indutos,' opportune tuetur De Rhoër Feriis Daventr. p. 230. *Arntz.*

CAP. XII. § 1. *Gentium domina*] Sic supra priori Paneg. pr. idem Mamertinus, 'Immortalis ortus dominus gentium civitatis.' Nazarius Paneg. X. c. 35. Romam vocat 'arcem omnium gentium, et terrarum reginam.' Geminum in modum Martialis, 'Terrarum Dea gentiumque, Roma, Cui par est nihil, et nihil secundum.' Sed 'æternæ urbis' elogia ex bonis auctoribus alibi colligo. *Ritters.* Confer supra ad Paneg. c. I. § 4. et c. XIV. § 3. *Arntz.*

In modico] Scribo *immodico propinquitatis v. &c.* Meurs. Exercit. Crit. part. II. lib. IV. c. 19. Mendum est, cum in antiquis quibusdam editionibus legitur *in modico,* pro *immodico.* Schwarz. In Guelf. abest *elata:* male; Mamertinus Julian. XXVII. § 4. 'Elati sumus cuncti gestiente lætitia:' et flagitat sententiæ construendæ ratio. *Arntz.*

Vosque] Cellarius pro *vosque* edidit *usque:* perplacet hæc varietas: sed cum in omnibus libris, ante Cellarium excusis, qui nobis innotuere, et in codice nostro Ms. vulgata lectio inveniatur, eaque locum habere possit, nullam hujus mutandæ necessitatem videmus; maxime cum constet, Cellarium haud usum esse codice Ms. Mamertini. *Schwarz.* *Prospicere* hic rectum est. Vid. supra ad Paneg. III. § 3. Mox, pro *comminus,* Guelf. legit *quo minus:* male. Incertus Maxim. VI. § 4. 'Quantum voluptatis hausit

cominus vos inspiciendo.' *Arntz.*

§ 2 *Lumina*] Senatores e præcipuis; nisi mavis intelligere consules. *Patarol.* Sic etiam Cicero Catil. III. 10. insignes clarosque viros reipublicæ vocavit 'lumina civitatis.' *Schwarz.* Cicero pro Milon. cap. 8. 'Itaque delegit (in Ms. vidi 'elegit,' sed vulgatem rectius) e florentissimis ordinibus ipsa lumina.' Ambigue idem c. 12. 'Movet me quippe lumen curiæ.' Hortensium adpellat 'lumen et ornamentum reip.' idem cap. 14. Velleius Paterc. II. 99. 1. 'alterum reip. lumen et caput.' Pacatus Paneg. XLVI. § 2. 'Exstincta domi senatus tui lumina.' Lactantius Mort. Persec. 8. 'Ita ut effoderentur adsidue lumina senatus:' ubi Cuperus p. 142. contulit Græcum ὀφθαλμὸς, et φῶς. Buneman. ad Instit. VII. 25. 8. Perversum tamen Mamertini acumen in voce *lumina* recte notavit vir clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 29. *Arntz.*

Majestatis suæ] I. e. Roma, gentium domina, misit ad vos Mediolanum præcipuos quosdam senatores; cum illi Mediolanensium civitati similitudinem majestatis suæ non invideret, sed indulgeret potius, et impertiret, ut et ibi propter adventum et præsentiam Imperatorum tunc sedes imperii esse videretur. Paria dixit Mamertinus in priori Panegyr. cap. XIV. § 3. de civitate Treverorum, ubi tunc Maximianus se tenebat: 'Interim tamen te, gentium domina, quoniam hunc optatissimum Principem in Galliis suis retinet ratio reipublicæ, quæsumus, si fieri potest, ne huic invideas civitati (Treverorum), cui nunc ille similitudinem majestatis tuæ confert, natalem tuum diem celebrando in ea, consuetudine magnificentiæ tibi debitæ.' *Schwarz.* Vossii excerpta ignorant *suæ*; sed abesse nolo, ob 'similitudinem majestatis tuæ' eo Mamertini loco quem Schwarzius adtulit. *Arntz.*

Sedes imperii] Nam ibi Roma, ubi Imperator est, quod Pompeianus Commodo in Pannonia dixit, ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. Herodianus I. 6. *Cellar.* Confer Spanhem. ad Julian. Orat. p. 304. *Arntz.*

§ 3 *Joca seriaque*] Vide Juret. ad Symmach. Epist. I. 54. *Putean.* Sic summa amicitia et familiaritas describitur. Cicero de Finib. II. 26. 'Quicum joca, seria, ut dicitur: quicum arcana: quicum occulta omnia.' Quinctilianus Declam. CCCVII. 'Amicus illi fuisti: cum illo tibi seria ac joci.' Plinius Epist. II. 13. 'Cum hoc seria, cum hoc jocos miscui; quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale jucundius?' At vide, quid monstri ex his verbis effinxerint librarii in codice nostro, *O Casareaque;* quasi legere debeamus, *omnia Cæsareaque communicata.* Non difficulter tamen vestigia quædam vulgatæ lectionis in his animadvertes. *Schwarzius.* Joci et seria sunt cujuscumque generis sermones. Cf. Wasse ad Sallust. Jugurth. c. 101. *Arntz.*

Convivia] Scio, Diocletianum creato a se Cæsari Galerio Maximiano Armentario filiam suam Galeriam, Maximianum A. Constantio, itidem suo Cæsari, Theodoram privignam in matrimonium collocasse, sed non hæc hujus temporis et congressus. Itaque *connubia* damno. *Livin.* In nostro codice, et, notante Livineio, in duobus aliis, exaratum est *transacta connubia;* quod quidam ad connubia Cæsarum referendum putarunt; sed bene idem Livineius in notis 'Scio,' &c. *Schwarz.*

Animi magnitudine] Guelf. *quanam cum magnitudine.* Voss. *quanta cum magnitudine;* scripsisse puto, *quanta cum animi magnitudine.* Præpositionis ita additæ non rara sunt exempla. Apud Sallust. Catil. c. 1. in Daventriensi vidi, 'vitam cum silentio transeant,' idemque ex uno Leidensi notavit Havercampus. Nonnumquam

tamen eam mente magis complectuntur scriptores; dixi ad hæc Aratoris I. 811. 'quas Dorcadis ipsis Texuerant, dederantque manus:' ubi 'ipsæ,' quod ex quibusdam edd. protuli, magis amicissimo placebat Eldikio, qui pro 'dederantque' acute emendabat 'nerantque,' ut Silius Italic. VII. 81. 'Quod nostræ nevere manus.' *Arntz.*

Viceritis] I. e. amorem mutuum, et desiderium una vivendi posthabueritis utilitati publicæ, ita ut fructu diutini congressus vestri, et suavissimæ consuetudinis aliquandiu carere, quam curam utilitatis publicæ seponere malueritis. *Schwarz.* De 'utilitate reip.' vide ad Paneg. XI. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Vestri sensus*] Virgil. Æn. IV. 408. 'Quis tibi, tunc, Dido, cernenti talia sensus?' Quod imitatus est Sedulius II. 127. ubi vide. *Idem.*

Patientes] Non insubide Puteanus, *quam impatientes ad dissimul.* Grut. Hoc est, quod antea *pietatem* dixerat, id est, in patriam et suos, quos alteruter regebat, amorem: a quibus ægre discedebant victi utilitate publica, ut Mediolani ad colloquium convenirent. *Cellar.* Perperam in quibusdam libris legitur *patientes* pro *impatientes.* Oculi autem 'impatientes ad dissimulandum indicium perturbationis' dicuntur, qui, quamvis velint, aut debeant, non tamen præ affectus magnitudine possunt dissimulare, atque occultare mentis tristioris argumentum, ac perturbationem animi ex discessu ortam; utpote quam crebro respectantes, sive retro invicem spectantes facile prodant. Nam quod Cicero ait de Legibus I. 9. 'Oculi nimis arguti, (i. e. prope loquaces, ut digiti arguti,) quemadmodum animo affecti simus, loquuntur.' Atque idem de Legibus III. 59. 'Imago animi vultus est; indices oculi: nam hæc est una pars corporis, quæ, quot animi motus sunt, tot significationes et communicationes possit efficere,' &c. *Schwarz.* Cum ad ed. Cellarianæ marginem nihil pro variante lectione ex Guelf. notaverit Cortius, posset videri, in eo cod. *inpatientes* quoque fuisse, quod tamen non definio. Puteani conjecturam *inpatientes* in textum admiserunt Cellarius, Schwarzius, et Jægerus, satis facilitate sua commendabilem, si cogites, præcedentem litteram *m* sequens *in*, quod sæpissime factum, absorbere potuisse, de quo dixi ad Arator. I. 499. et adfinis meus, Cannegieterus ad Fragment. Vet. Jurispr. p. 200. sed si ipsam Schwarzii interpretationem consideres, dubito, sitne *inpatientes* præcedentibus plane contrarium, ubi *animi magnitudinem* in Imperatoribus collaudat. Utrumne ea animi dicenda magnitudo, ut oculi discedentis adfectus tristiores dissimulare nequeant? magis illud animi est dejecti et feminei, potissimum si in illo discessu versetur reip. utilitas; et qui, quæso, pietatem Imperatorum utilitas reip. vicit, si adeo tristitia fuerint adfecti, ut vel eam oculi dissimulare non potuerint? Reposui igitur pristinam lectionem, Imperatorum laudi magis consentaneam. Vocem 'inpatientiam' non cepit Lectius apud Symmachum Epist. I. 76. 'cui magna scribendi inpatientia est, cum deest oratio,' ubi sequitur Gruterum emendantem 'silendi,' aut mavult 'scribendi intemperantia;' mihi vulgata sana est, præcessit enim, 'qui plus balbutiunt, plus loquuntur,' horum exemplo, cum nihil haberet quod scriberet, inpatientia tamen scribendi ducebatur, id est, nihilominus scribebat inpetu, cui resistere non poterat, ad id actus, quomodo 'inpatientes dilationis' dixit eod. lib. Epist. 6. *Arntz.*

Respexisti] Meliora ipsos docere potuisset præcedens *viceritis*, et alterum probant codd. et Vossii excerpta, ipsa quoque pietas, qua uterque

ducebatur Imperator. Illum discedentium morem respiciendi, quæ sibi grata relinquant, eleganter describit Rutilius Itin. I. 189. 'Respectare juvat vicinam sæpius urbem, Et montes visu deficiente sequi, Quaque duces oculi grata regione fruuntur, Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.' Hæret versu tertio sententia; adeoque Heinsius maluit, 'Quippe,' vel 'Usque duces;' Græcam vero constructionem admittit Burmannus, tamquam legeretur, et regionem, qua oculi duces fruuntur; tu potius interpunge: 'Quaque duces oculi, grata regione fruuntur:' qua oculi sunt duces, eousque fruuntur regione, ut Musæus de Heron. 94. 'Ὀφθαλμὸς δ' ὁδὸς ἐστιν. *Arntz.*

§ 5 *Omina*] I. e. tales vobis dedistis significationes, et certa animi indicia. Perperam quidam ediderunt *omnia*, cujusmodi confusionis horum vocabulorum non pauca constant exempla. *Schwarz.* Qui eligendi arbitrium dedit, Baunius, vellem, addidisset, quid *omnia* notaret: ego nullum ex eo sensum extorqueo, forte etiam neque alii. *Omina* tueatur Ovidius Heroid. XIII. 9. 'Signa reversuri sint, precor, ista viri:' et recte tuitus est Puteanus supra ad c. 10. § 3. ubi de utriusque vocis confusione dixi. *Arntz.*

CAP. XIII. § 2 *Quia*] Credimus Mamertinum voluisse dicere, solem et lunam toti mundo ministrare, et sua præstare officia; prout Propertius II. 18. 35. dixit, 'Cœlo modo sol, modo luna ministrat.' contra Ovidius in fabula Phaëtontis Metam. II. 385. 'Sol negat officium mundo.' Verum sic quodammodo obscurius loquitur Mamertinus, cum luculentius dicturus videatur, 'quia per totum mundum,' sive 'erga mundum suis funguntur officiis;' nisi putes Mamertinum ἐπικουρίζειν, et mundum habere pro Deo, cujus vicibus et partibus fungantur sol et luna, uti Plinius Major Hist. Nat. II. 4. dixit, 'Solem mundi esse totius animum, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decere.' Seneca ad Marciam c. 18. dicit, 'mundum inde fatigata cœlestium officia volvere.' Ceterum Livineius pro particula *quia* forte pronomen *qui* reponendum putavit; sed nulla opus est correctione, cum Mamertinus his verbis rationem reddere voluisse videatur, cur sol et luna non, nisi post multa sæcula, conveniant. *Schwarz.*

Convenire] Ergo Mamertinus, quantum judicare possumus, vel non nisi accuratissimam solis et lunæ conventionem in alterutro nodorum, quæ omnino rarissime accidit, in animo habuit, tanquam legum astronomicarum peritus; vel curriculum alicujus anni majoris respexit: de cujusmodi annis magnis varia tradidit Censorinus de die Natali cap. 18. v. g. 'Est præterea annus, quem Aristoteles maximum potius, quam magnum appellat; quem solis, lunæ, vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur.' *Schwarz.*

Parere pietati] Amori erga vos mutuo, qui ad conventum impulit. *Cellar.* I. e. vestra tam libera est majestas, ut nihil vobis necessarium sit, nisi obsequi instinctui pietatis vestræ, et amoris mutui. *Schwarz.* Omnes ediderunt, *ut in summis rebus generis humani*, id est, in summa rerum Romanarum administratione; *generis* enim *humani* adpellatione propter imperium, per magnam orbis terrarum partem patens, indicantur Romani, ut supra cap. XIX. § 3. Eumenius pro Instaur. Schol. V. § 2. et 'humani fastigii apex,' quod pro 'Romani' recte placuit patri meo apud Pacat. Paneg. VI. § 2. idemque reddidi Eumenio Constantio XV. § 4. Adde Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 26. 11. nihilominus tamen ex Guelf. et Vossii excerptis reposui, *in sum-*

mis rebus humani nihil vobis; hac sententia, Imperatores in summo imperio ex iis, quæ humanis rebus sunt propria, aut sunt hominum, nihil habere necesse, nisi pietati parere, ut ad se invicem possent proficisci, seque complecti, quando vellent, cum aliæ res humanæ, non nisi certa lege, statutoque tempore, coire possent. *Nihil humani* dictum, ut apud Terentium Heaut. I. 1. 25. 'humani nihil a me alienum puto:' id est, nihil quod hominem decet, eique sit proprium, ut recte alii exposuerunt. Confer Westerhovium. Confirmant me in hac lectione sequentia, 'ceterum si quis ad humana respiciat,' illud enim 'humana' retulit ad præcedens *humani*. Designant autem 'summæ res' summam potestatem, ut dixit supra cap. VI. § 3. Adde Nazarium Paneg. cap. XXIX. in fin. Mamertinum Julian. II. § 6. *Arntz*.

§ 3 *Adpareat*] Malimus legere *apparet*, nisi *appareat* per modum potentialem, qui cum interrogatione conjunctus aliquid futuri sapit, explicetur apparere queat. *Schwarz*. *Adpareat* est adparebit, de quo præsentis usu exposui ad Aratorem Epist. ad Florian. vs. 24. et I. 1072. *Arntz*.

Omnino vacent] *Omnia evocarent aditu* Bertin. corrupte. *Livin*. Immo contra fit. Occupati non admittimus promiscue omnes. An fuit primitus? *ut minime vacent*. Grut. *Omnino vacent* recte. Sed et recte, negatione addita, *omnino non vacent*. Acidalius. *Ut omnino non vacent*] Vulgo legebatur *ut omnibus vacent*, quod contra mentem est auctoris. *Cellar*. *Omnino vacent*] Sic retinui, ut in multis impressis est, et in Ms. Divi Marci. In aliis legitur, *omnia evocarent a. s.* Patarol. Hanc lectionem omnes editores, qui nobis innotuere, hucusque excudendam curarunt, præter unum Cellarium. Ea vero satis congruit sententiæ oratoris, si verbum quidem 'vacare' pro carere accipias, uti e. g. Livius dixit, 'armis et milite vacare.' Id vero Mamertinus voluit dicere: Privati homines, rebus suis intenti, plerumque tot tantisque negotiis et difficultatibus impediuntur, ut, dum nolunt rei suæ familiari aliquid impendii afferre, *vacent*, i. e. careant, aditu amicorum suorum, eosque occupati non facile admittant: Vos, Imperatores, e contrario, inter incredibiles imperii curas atque expeditiones, tantum animis ac fortuna valetis, ut in unum convenire possitis, nihilo minus orbe securo, et sine detrimento reipublicæ. Primus, saltem in notis, hanc lectionem in dubium vocare ausus est Valens Acidalius, qui adverbium negandi his verbis ita inserendum existimavit, *ut omnino non vacent aditu suorum*. Gruterus pariter in notis de hac correctione ita sentit: 'Immo contra,' &c. At Gruterus fortasse scribere voluit, aut certe debuit, *ut maxime vacent aditu suorum*. Cellarius vero primus in contextum recepit Acidalii conjecturam, *ut omnino non vacent aditu suorum*. Verum hæc lectio locum habere non potest, nisi quis statuat, verbum 'vacare' tunc poni pro navare, sive operam dare, adeoque sic casum sextum nominis *aditu*, in tertium *aditui*, mutandum esse. Utcunque vero est, particula negandi *non* nullius antiquioris codicis suffragio adjuvatur. Unde et Patarol recte retinuit lectionem vulgatam, quam etiam in codice Ms. Divi Marci invenit. Sed reticere non possumus, in nostro codice aliam varietatem, eamque primo adspectu satis monstrosam deprehendi, in qua tamen verior lectio latere posse videatur. Legimus enim ibi, *ut omnia evocarent aditu suorum*. Quam lectionem etiam Livineius e codice Bertiniensi, et Gudius in altero libro, neque minus Puteanus annotarunt. Inter quos Puteanus e vestigiis hujus corruptæ scripturæ sic legit, *ut omni*

avo careant aditu suorum. Illud *omni avo* minus placet; potuit enim ex voce *omnino* nasci, si rudis librarius ultimam syllabam *no* pro *ne* habuit, eamque sequenti verbo aptavit. Nos itaque potius ex illa depravata scriptura hæc eruamus verba, *ut omnino careant aditu suorum.* Ille vero 'carere aditu aliorum' recte dici potest, qui non facile potest, aut se non patitur adiri, prout dixit Ovidius Metam. III. 225. 'Ea turba cupidine prædæ Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa; Qua via difficilis, quaque est via nulla, feruntur.' Hinc vero intelligimus, hujus pariter atque vulgatæ lectionis unam eandemque esse sententiam, adeo ut difficilis sit optio, utra, tanquam prima et genuina, sit assumenda: cum alterutra non nisi ex glossa extitisse videatur, quando vel supra vocem *careat*, in spatio interlineari, *vacet;* vel supra vocem *vacet* scriptum fuit *careat*, nisi verbo *vacet* auctoritas plurium librorum faveret. *Schwarz.* Etiam Voss. excerpta *omnia evocarent*, Vereor ne, ingeniosa ceteroquin, Puteani conjectura sit contra Mamertini mentem, qui non semper eos suorum aditu prohibitos esse scribit, sed tum maxime, cum negotiis occupentur. In recipienda Acidalii conjectura Cellarium sequi non audeo; præsertim quia tunc, ut recte monet Schwarzius, legendum esset *aditui;* et proxime conveniret huic loco alter Mamertin. Grat. Act. Julian. XIV. § 3. 'Ipsa se naturalium necessariarumque rerum usurpatione defraudat: totus commodis publicis vacat.' Quo magis autem codd. lectionem considero, *omnia evocarent*, eo magis pronus sum, ut litterarum in iis ductum secutus tentem, *ut ab omni avocentur aditu suorum*, id est, ut suos adire nequeant, negotiis gerendis nimium occupati, ut 'avocare a negotiis,' Suetonius August. cap. 40. ubi in quibusdam etiam est 'evocaretur.' Adde Ciceron. de Senect. cap. 5. pro Archia cap. 6. 'Ut ab nullius umquam me tempore aut commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit.' Cf. Buneman. ad Lactant. Instit. II. 3. 11. de Ira 17. 3. Conjecturam hanc confirmat Ausonius Grat. Act. XXXI. 2. 'Laudabile est, Imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione causari.' Non nego vulgatam *aditu vacent* exponi posse, careant, ut 'vacare curis' apud Eumenium Constantio XVIII. § 5. sed tum foret sententia, ut Imperatores non adierint amici; id autem oppositioni non est consentaneum, qua significat, Imperatores, quamvis ita occupatos, sese tamen invicem convenire; præcedentia itaque eodem pacto debent intelligi de iis, qui amicos suos convenire nequeunt, occupationibus inpediti. *Arntz.*

§ 4 *Ac fortuna*] Quam recte flumina dicantur imperio 'circumjecta,' ostendit Wasse ad Sallust. Jugurth. cap. 71. 'circumfusa flumina' dixit Eumenius pro Instaur. Schol. XVIII. § 3. *Idem.*

§ 5 *Potentia*] Humani quid patitur Schwarzius, adfirmans in omnibus esse libris vulgatum *potentia.* Namque *præsentia* olim constanter editum, donec, ex typographi forte vitio, in Parisiensem intrusum est *potentia*, et ex ea in omnes sequentes. Antiqui igitur Livineii et Puteani codd. habuerunt quoque *præsentia*, quod omnino revocandum, propter elegantem in *abesse* oppositionem, sive oxymori speciem, de quo infr. ad Incertum Maximian. X. § 5. *Idem.*

CAP. XIV. § 1 *In interiora*] Adhuc enim limiti uterque suo præfuerat, ille ad Euphratem, hic ad Rhenum, et quod ultra Romanorum erat. Curtius IV. 9. 1. de Dario, 'an interiora regni sui peteret.' *Cellar.* Vulgo editum est, *in interiora imperii vestri secesseritis.* Recte ferri possit hæc

lectio, prout et Curtius IV. 9. 1. de Dario dixit, 'an interiora regni sui peteret.' Sed orator etiam recte dicere potuit, *in interiorem imperii vestri sinum.* Sic ipse Cicero de Provinciis Consular. cap. 2. 'Thessalonicenses, positi in gremio imperii nostri, relinquere oppidum, et arcem munire coguntur.' Idem in Pisonem cap. 37. 'Ætolia, quæ procul a barbaris disjuncta gentibus, in sinu pacis posita, medio fere Græciæ gremio continetur.' Pro Cœlio c. 14. 'Cum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriæ,' &c. Sic Italia recte dicitur Mamertino 'interior sinus imperii;' quo ex limitibus imperii, quibus præerant, tunc convenerant Diocletianus et Maximianus. Hanc autem lectionem nobis suggessit codex noster, quam etiam in Bertiniensi codice observarat Livineius, et ex alio jam edidit Cuspinianus. *Schwarz.* Quod Schwarzium et Jægerum secutus dedi, confirmant Guelf. et Vossii excerpta, nisi quod in Guelf. est *successeritis:* minus apte. 'Medium reip. sinum' dixit Pacat. Paneg. XXXI. § 2. Adde Jæger. ad Nazar. Paneg. XXXVIII. § 3. In proxime præcedentibus Guelf. *animum audent attollere;* Vossii excerpta, *animum tollere;* pluralis magis placet, ubi de pluribus est nationibus sermo, ut 'animos resumere' apud Eumenium Grat. Act. Const. XIV. § 3. 'tollere animos,' Valer. Flacc. I. 539. Rem ipsam exponit Gruterus ad Plinii Paneg. XVI. § 4. huic autem loco par est alius Eumenii Constantino XI. § 1. 'Neque enim Rheni jam gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur.' *Arntz.*

§ 2 *Poëta*] Virgil. Ecloga III. Idem antea cecinerat Aratus in Phænom. *Putean.* Pro *cecinit* Livineius in cod. invenit *cecidit,* quod mendosum recte pronuntiavit ad Propert. III. 30. 18. Virgilium per excellentiam dixit poëtam, ut Incertus Constantino XII. § 3. Joannes Saresber. VII. 6. 'Sicut enim urbs Romam, Maronem poëta exprimit.' Justinianus § 2. Instit. de J. N. 'Sicuti cum poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius.' Confer Cannegieter. Rescript. Bexhorn. cap. 9. Congruit Mamertino Ausonius Grat. Act. cap. 3. init. 'Nec jam miramur licentiam poëtarum, qui omnia Deo plena dixerunt.' Quare Jovem, Diocletiano proprium, dixerit 'vestrum,' vide apud Schwarzium supra Mamert. Paneg. cap. I. § 2. et Prolegom. ad Mamert. Genethl. § 5. *Arntz.*

Toto] Hæc itidem ex Virgilio hausisse videtur Mamert. Æn. VI. 726. 'Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.' At rectius secundum hunc poëtam dicturus fuisset orator, 'mentem (nempe Jovis) per totum infusam esse mundum:' aut, prout loquitur Cicero de Divin. I. 52. 'Vis quædam sentiens, quæ est toto confusa mundo.' Idem de Nat. Deor. I. 11. 'Quomodo porro Deus iste, si nihil esset nisi animus, aut infixus aut infusus esset in mundo?' Schonhovius ferre non potuit vulgatam lectionem, *toto infusam mundo,* opinatus rescribendum *toti infusam mundo:* atque sane ita hæc verba edidit Cuspinianus. Sed nolumus rejicere vulgatam lectionem, rati *toto mundo* non esse casum tertium, sed sextum, atque æque ita dici posse, ac Mamertinus supra cap. X. § 4. 'tota Italia clarior lux diffusa.' Eodem prorsus modo locutus est Auctor Incertus Panegyrici Constantino Aug. dicti cap. XXVII. ubi alloquitur Jovem: 'Sive in te quædam vis, mensque divina est, qua toto infusus mundo omnibus miscearis elementis,' &c. *Schwarz.* Apud Schonhovium *toti* tantum est varians lectio, non ipsius conjectura. Si necesse esset, *toto* sit tertius casus, ut 'nullo,' 'alio,' et similia, de quibus Passerat.

ad Ciceron. pro Quinct. I. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 446. Sextum tamen præfero, ex locis a Schwarzio excitatis, et Lactantio, qui, adhibito quoque Virgilii testimonio, hoc ita interpretatur, Instit. VII. 3. 4. 'Siquidem Deus est divina et æterna mens, a corpore soluta et libera, cujus vim majestatemque quoniam intelligere non poterant, miscuerunt cum mundo.' VII. 3. 3. 'Deus mundo permistus,' ubi Buneman. Similiter Manilius II. 61. 'Infusumque Deum cælo, terrisque, fretoque.' Ita ex Posidonio Diogenes Laërt. VII. segm. 138. *Εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ·* et de Deo ibid. segm. 147. *καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον διὰ πάντων.* Adde fragmenta apud Eschenbach. de Poësi Orphica p. 68. Locus antem Ciceronis apud Schwarzium, et Lactantii hic tuentur *mundo*, pro quo in Guelf. et Vossii excerptis est *orbe*. Ita 'divinam mentem totum mundum gubernare' dixit Eumenius Gratiar. Action. x. § 2. et Mamertinus mox § 4. 'hic mundus Jovis esse plenus.' Præterea iidem codd. *numen tamen Jovis;* quod posset placere, quamvis *Jupiter* jam præcesserit, quia non est talis repetitio a scriptoribus aliena, ut ostendi supra ad cap. II. § 1. nihil tamen mutavi, quia jam ter præcessit, et forte repetitio videatur nimia et ingrata. Qui hic est Jupiter 'supra nubila sedens,' is Æschylo Prometh. Vinct. 312. dicitur *Ζεὺς μακρὰν ἀνωτέρω θακῶν.* Hæc cum Pauli dicto, quo Deus *φῶς οἰκῶν* appellatur, contulit Pricæus ad Epist. I. Timoth. VI. 16. *Arntz.*

§ 4 *Et Herculis*] Maximiani Herculei majestate ac reverentia plenus esse. *Cellar.*

CAP. XV. § 1 *Temporis loci ratio*] Corrigo, *me temporis et loci r.* Meurs.

§ 2 *Spiritum ecce suggerunt*] *Sed ecce* Vet. sched. Langii. Mirum et insolens mendum, sed admirationem sustulit, quod in Bertin. offendi, *Sꝫ* compendio scriptum. Cui scripturæ admodum vicina, quam in veteribus libris observes, *Spꝫ;* id *spiritum* valet. Mox *suggerunt* utcumque excusari possit, et *auditores* subaudiri, ut grammatici loquuntur, mihi tamen *suggeritur* placet. Infra mox, 'Illud vero, non suggeratur licet, dicam,' et quæ sequuntur. *Livin.* Vocem *spiritum*, nisi ab aliis commode mutari poterit, ego ejiciam; plane enim hic inepta, et videtur inserta ex inferiore illo loco, 'Exinde salutares spiritus jugiter manant.' Lege, *multa restent. Ecce suggerunt, adhuc potes dicere de sal. temper.* Hue respiciunt illa quæ paullo post, 'Illud vero non suggeratur licet,' &c. quæ non capiuntur absque istis. *Acidalius.* Multis displicet vox *spiritum*, quasi ex compendio scripturæ orta. Jacobus De la Baune Livineium ex parte imitatus, *sed ecce suggerunt: adhuc potes dicere*, persona secunda, quæ in libris est tertia. Nihil muto. Interpretor *spiritum* vim dicendi ac facultatem, quam subgerant eædem, quæ dicenda restabant, salubritas temporum et fertilitas terrarum. *Potest*, puta idem *spiritus*, nondum fractus nec debilitatus oratione. *Cellarius.* *Et ecce*] Sic optime legitur in Ms. Divi Marci. In aliis fere omnibus legitur, *Spiritum ecce sug.* Patarol. *Sed, ecce, suggerunt*] Hæc sana est lectio, quæ in codice nostro diserte, et integris literis sic exprimitur. Antehac in omnibus editis exemplaribus, præter Baunii et Pataroli libros, legebatur, *Spiritum ecce suggerunt.* Verum audiamus Livineium, quomodo ex inertia librariorum orta sit hæc corruptela. 'Mirum,' &c. Quæ posterius Livineius addit de verbo *suggeritur*, hæc ei condonamus. Retinemus *suggerunt;* nam eadem ellipsis hic locum habere potest, quæ observatur in verbis 'aiunt,' 'dicunt,' 'ferunt,' 'perhibent,' scil. homines, alii, quidam, auditores, &c. 'Suggerere' autem hoc

loco est commonefacere, seu facere, ut alicui veniat alicujus rei in mentem, seu subjicere alicui aliquid in memoriam. Sic Cicero de Finib. II. 14. 'Si memoria forte defecerit, tuum est, ut suggeras.' Ceterum, pro *sed ecce suggerunt*, Patarol edidit *et ecce suggerunt*, quod invenit in codice Ms. Divi Marci. Satis omnino bene; nos tamen interim favemus scripturæ codicis nostri, et judicio Livineii; cum inprimis etiam in utroque libro Gudii *sed* pro *et*, ac *spiritum*, annotatum animadvertamus. *Schwarz.* *Sed* etiam Vossii excerpta, eamque veram puto Mamertini manum, a Jægero quoque expressam. Pacatus Paneg. XXXVIII. § 3. 'Sed ecce nec animum sequitur manus.' Quod, ad defendendam vocem *spiritum*, de vi dicendi monet Cellarius, quam suggerebant ea, quæ dicenda restabant, oratoris menti est contrarium; is enim illa intellexit, quæ auditores aut cives suggerebant, quod inpersonaliter per 'suggeratur' exprimit cap. seq. init. *Arntz.*

Potest] *Potes*, loco vulgati *potest*, adscivimus e codice nostro; quanquam id etiam prodiderint Baunius et Patarolus, idemque proferat Livineius, et prior Gudii liber. *Schwarz.* Secutus quoque Jægerum dedi *potes*, quamvis Guelf. et Vossii excerpta habeant *potest*: persona tamen secunda verbo 'suggerere' magis consentanea videtur. Ausonius Grat. Action. IX. § 2. 'Subjiciet (recte Gronovius, 'objiciet') aliquis: ista quidem adeptus es, sed effare, quo merito.' Et XIV. § 3. 'Ecce aliud, quod aliquis opponat: in tanti te ergo oratoris fastigium gloriosus adtollis.' *Arntz.*

§ 3 *Re vera sacratissime Imperator*] Particulam *enim* habet noster codex, et quidam alii, haud secus ac in numero multitudinis, *sacratissimi Imperatores.* Schwarz. Enim inseruerunt Schwarzius et Jægerus. Pluralem numerum præferendum esse in *Imperatores*, dixi ad cap. I. init. et aliis locis; hic etiam edd. pleræque, *sacer Imperator*. Arntz.

Reddideritis] Aliquot libri et codices scripti habent *redderetis*. Aliquanto inferius, pro *copia fuit*, olim scriptum fuisse *copia fuerit* arbitramur. *Schwarz.* Statim *quanta* ante *funerum* tali litterarum compendio in Guelf. erat scriptum, ut inde facile *quæ* elicias. *Copia fuerit* ediderunt Schwarzius et Jægerus; sed *fuit* constanter codd. et edd. quod retinui. *Arntz.*

Lucem] Quasi ex cælo, ut sidera, novam lucem extulistis, et in alto constituistis gentibus, imperium suscipiendo. *Cellar.*

Salutares spiritus] Orosius de Diocletiani et Maximiani imperio, 'Nulla domi fames, nulla pestilentia, nullum foris bellum nisi voluntarium:' reliqua confer. Vide et Eusebium lib. VIII. *Putean.* *Jugiter* est continuo. Incertus Maximian. XI. § 8. 'jugiter imperasse.' Cf. ad Sedulium I. 18. *Arntz.*

§ 4 *Fallit*] Elegantem locutionem exposuerunt pater ad Plin. Pan. XXXII. in fin. De Rhoër Fer. Daventr. pag. 186. eodem modo 'decipere,' 'mentiri,' 'eludere,' 'deludere' adhibita docet Bunem. ad Lactant. Instit. VII. 16. 6. 'mendacem' et 'ingratum fundum' ex Horatio et Martiale, dedit Barthius ad Claudian. in Eutrop. I. 19. 'Spem' præterea de agro recte addit Tibullus II. 6. 21. 'Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fœnore reddat ager:' quod 'vota agricolarum vincere' dixit alter Mamertinus Julian. X. § 1. male tamen ex hoc loco Gruterus apud Ciceron. in Verr. III. 18. tueri voluit quarumdam edd. lectionem, 'campus Leontinus, cujus antea spes hæc erat:' ubi Grævio, aliisque 'species' præferendum esse largior. *Arntz.*

Ætates] Rhenan. *et res et numerus:*

male. Lege, *nisi quod spem ubertate superat: hominum et ætas, et numerus augetur: rump. &c.* Salubritate, inquit, ista temporum et vivunt diutius homines, et, quia vivunt diutius, plures usque et usque generantur, quod contra pestiferis morbosisque temporibus. *Acidal.* Rhenani conjecturam ita refert Schwarzius, tamquam legi maluerit, *hominum ætas, et res, et numerus;* divisabat tamen, *hominum et res et numerus,* quam ipsius conjecturam in textum admisit Rivinus; uterque male, et contra Mamertini mentem. Is enim ad tria, in prioribus enumerata, totidem in posterioribus membra orationis adcommodavit. 'Inopiæ frugum' opposuit agrum, spem agricolæ ubertate superantem; 'funerum copiæ' hominum ætates et numerum, ad quam itaque eorumdem *res* nihil faciunt, et recte hæc interpretatus est Baunius; denique 'fami grassanti' horrea messibus rupta, cujus locutionis elegantiam similibus exemplis adseruit Savaro ad Sidonium Epist. I. 6. *Ætates* autem dixit plurali numero, ut 'omnium ætatum homines' designet, quo modo locutus est Eumenius Gratiar. Act. VIII. § 1. et Pacatus Paneg. IX. § 3. qui inde 'duas ætates' memorat, juvenum et seniorum, cap. VII. § 3. ut etiam Incertus Maximian. XIII. § 5. per 'auctam ætatem' itaque indicat eos veluti Pylios annos adtigisse, eo modo, quo Eumenius Constantino XXI. § 4. 'Hic est enim humanarum numerus ætatum, quæ tibi utique debentur ultra Pyliam senectutem.' *Arntz.*

Augentur] Vulgo *augetur*, quod, et *ætates*, ut in libris est, male consonant. *Cellar.* Sine codicibus primus *augentur* reposuit Cellarius, quem secuti sunt Schwarzius et Jægerus, sine necessitate. Vide ad cap. VII. § 4. *Arntz.*

§ 5 *Seges est*] Ovidius Heroid. I. 53. 'Jam seges est, ubi Troja fuit.' Quem colorem Ovidianum etiam notavit vir clariss. in Biblioth. Critic. vol. II. part. I. p. 30. A Mamertini testimonio distat Lactantius de Mort. Pers. c. 7. qui de Diocletiani temporibus, 'Adeo major esse cœperat numerus accipientium, quam dantium, ut enormitate indictionum, consumtis viribus colonorum, desererentur agri, et culturæ verterentur in silvam.' Dissensum notavit etiam Spanhem. ad Juliani Orat. I. p. 58. forte nimium hostili in Diocletianum animo tribuit Lactantius, adulationi nimium Mamertinus. *Idem.*

Defecimus] I. e. tot frugibus metendis et vindemiandis uvis non sufficimus, nimio labore defessi. Vulgo editum est, *defecimus;* sed Puteanus testatus est, se in vetere codice legisse *deficimus*, idemque tempus hujus verbi etiam Gudius ex alio codice annotavit. *Schwarz. Defecimus* Guelf. et Vossii excerpta; hoc posset tueri *conditæ*, quas memorat, *messes. Deficimus* tamen Schwarzii, id primum restituentis, et Jægeri exemplo dedi; tota enim descriptio talis est, ut continuatam indicet fertilitatem, cui præsens tempus magis est idoneum. Multo minus utor Stewechii conjectura, ad Arnob. advers. Gent. II. p. 69. substituentis *deflemus*, tum propter tempus futurum, tum propter verbum oratoribus hisce insolens. *Arntz.*

CAP. XVI. § 1 *Non suggeratur*] Intermedia verba quodammodo transposita offendit Livineius in veteribus schedis Car. Langii, *licet non suggeratur;* i. e. illud vero, licet mihi non aliorum hominum monitu suppeditetur, aut in memoriam subjiciatur, quomodocunque tamen dicam. *Schwarz.*

Quomodo] Sustulerim interrogatoriam notam, geminatoque *quo* rescripserim, *licet, quoquo modo dicam, antequam desinam* sensu plano. *Gruterus.* Lege, *quoquo modo dicam, antequam desinam: tantam imperii vestri felicita-*

tem, ut undique se barbaræ nationes, &c. Acidal. Pro *quoquo modo* nonnulli libri habent *quomodo*, aut prorsus utrumque omittunt. At particula *quomodo* vix locum habere potest, nisi per interrogationem pronuntietur. Bene Gruterus: 'Sustulerim,' &c. *Schwarz.* Acidalii conjecturam *quoquo modo* in textum admisit Cellarius, quem secuti sunt Schwarzius et Jægerus. Codices omnes constanter tuentur *quomodo*, idque revocavi, contra codd. auctoritatem conjecturam in textum sine necessitate admittere non ausus, cum sententia satis sit plana; et per interrogationem fortius significet Mamertinus, sese de illa re vix juste posse dicere, antequam desinat. *Arntz.*

Tantum desinam imperii] *Esse* sched. Langii, Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Scilicet quibusdam visa est minus cohærere periodus, nisi *desinam* repeteretur. Primus *tantum esse imperii* videtur recepisse Gruterus, et ex codd. consensu, cum quibus GueIf. et Vossii excerpta conspirant; frustra antiquam lectionem secutus est Rivinus, cum bene jam omnia fluant. *Arntz.*

Felicitatem, undique] Vocula *ut* ante Gruterum fuit omissa, et a Rivino in prima editione. Rem ipsam ex hoc loco exposuit Spanhem. ad Juliani Orat. p. 118. *Idem.*

§ 2 *Illas vesania*] Belle Livineius *illa*; et sic ante ipsum conjecerat item sagacissimus Puteanus. *Gruter.* Rectius et argutius pronomen *illa* admittitur, ut referatur ad nomen *vesania*, quam *illas*, quasi ad *gentes* pertineret, quod antehac vulgo legebatur. *Illa* Livineius e conjectura, Gudius in utroque libro e codicibus Mss. annotavit, atque jam Cellarius et Patarol. evulgarunt. *Schwarz.* Non video, qui *illa* ad *gentes* retulerit Baunius. Quod Jægerus etiam fecerat, *illa* ex Gueif. edidi, suadentque sequentia, *omnemque illam rabiem.* Ubi *illa* conjecerit Puteanus, quod Gruterus scribit, ignorare me fateor. *Arntz.*

§ 3 *Criminis*] Vet. *carminis*: lego *carminis*, ut omnes codices, et ut pridem emendavit P. Pithœus in Advers. Subcesivis I. 2. Intelligit autem Ennium, cujus hoc de Africano epigramma extat apud Cicer. Tuscul. v. 'A sole exoriente supra Mæotis paludes Nemo est, qui factis me æquiparare queat.' Vide Hieronym. Columnam in Fragment. Ennii p. 49. *Putean.* Probe *carminis*, nam Ennium significat, et notum ejus in Africanum distichon: 'A sole exoriente usque ad Mæoti' paludes Nemo est, qui factis me æquiparare queat.' Apud Ætnæ quoque Auctorem, 'Verum et fallacia vates Sub terris nigros viderunt carmina manes,' emendate arbitror legi, non 'crimina,' quod vir doctus supposuit. Nam 'Manes fallacia carmina' sic dixit, ut de Inferis alius poëta, 'et vulgi fabula Manes.' *Livin.* *Carminis*, Ennius scilicet. *Acidal.* I. e. Ennius, cujus hos versus Hier. Columna in Ennii Fragmentis p. 163. refert, tanquam epigramma in Scipionis Africani tumulum: 'A sole exoriente supra Mæoti' paludes, Nemo est, qui facteis me æquiparare queat.' Eosdem versus excitavit Cicero Tuscul. Disput. v. 7. 'Mæotis' habet in casu secundo 'Mæotidis,' et 'Mæotis;' hoc loco per archaismum poëticum 'Mæoti',' neque opus est, ut cum non nullis legamus 'Mæotidas.' In editionibus antiquis errore ridiculo excusum est, 'Romani criminis auctor.' *Schwarz.* Mirum illud *criminis* in edd. Puteolani, Rhenani, Stephanorum, Livineii, et priore Rivini potuisse servari: alterum codd. et ipsa ratio tuetur, ut de Lucilio Horatius Sat. I. 10. 66. 'Et Græcis intacti carminis auctor.' Laboranti huic Mamertini loco, ex conjectura, etiam opitulati sunt, præter Pithœum, a Puteano excitatum,

Merula Vit. Ennii pag. 32. Bentleius ad Horat. Sat. I. 6. 17. ipsum epigramma Anthologiæ quoque suæ inseruit Burmannus Secundus tom. I. p. 212. *Arntz.*

Mæotidas] *Mæotidas* Puteol. Rhen. Stephani, Livineius, Rivinus, contra codices, quamvis ita in Ciceronis quoque loco sit variatum, Tuscul. v. 7. unde 'Mæotidi',' vel 'Mæotido' paludes' emendabat Columna ad Ennii Fragment. p. 163. et Eumenius Constantio XVIII. § 5. 'usque ad Mæotidas paludes.' Μαιῶτιν λίμνην habet Æschylus Prometh. Vinct. 419. *Idem.*

Longius longiusque] Contrarium supra, 'propius propiusque.' De hoc elegantissimo loquendi modo videndus Jan. Gulielmus in Quæstion. Plautinis. *Ritters.* Et supra ad cap. x. § 5. *Arntz.*

Mutua clade] Videtur legendum eidem Puteano, *in mutuas clades*, non male. *Gruter.* Hanc varietatem etiam Gudius in libro primo annotavit. *Schwarz.* Ubi Puteanus ita conjecerit, me latet: forte ea est Pithœi emendatio, qui in hoc loco *in mutuas clades*, jam antequam in hos Panegyricos notas scripserit Puteanus, citavit Advers. Subces. I. 11. neque ea foret lectio inelegans, si codd. adsentirent, in quibus ego nullam varietatem deprehendi, a vulgata diversam. *Arntz.*

§ 4 *Hac citra*] *Hac circa*, Bertin. Placet *circa*, sed opituler porro, et rescribam, *non modo circa Mæotin, ac sub extr.* Livin. *Circa*] Sic reposui cum Livineio, cum in plerisque legeretur *hac citra*. Patarol. Vulgo hic locus ita legitur, *ab ipso solis ortu non modo, hac citra Mæotin, sub extrema Septemtrionis plaga, qua.* Abundat *hac*, quod tamen retinent codd. Integrum locum ita Schwarzius edidit: *ab ipso solis ortu non modo, ac citra Mæotin, sub extrema Septentrionis plaga, et qua fervidum caput.* Sed *ac* nititur sola Duacensi edit. quamvis ipsi in eo mox adsentiatur Jægerus, atque ita ediderit. Non audeo unius editionis auctoritati contra codd. tantum tribuere, ut mittam, *et* solius Schwarzii ingenio deberi, unde hoc omisit Jægerus. Videntur mihi in eo decepti interpretes, quod *extrema* retulerint ad *plaga*, quo *hac* fiebat supervacaneum. Mihi *extrema Septemtrionis* videtur eodem modo esse explicandum, quo 'alta montium,' similiaque, de quibus dixi ad Sedulium I. 121. Schœtgen. ad Juvenc. Hist. Euang. I. 227. Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 3. 25. itaque interpunge, *hac citra Mæotin, sub extrema Septemtrionis, plaga.* Dixit *sub extrema*, quod 'sub orientem' Florus III. 5. 27. Præterea Gudianus, et Vossii excerpta delent *modo*; nil inpedio, propter ea quæ notavit Drakenb. ad Livium x. 6. § 4. Bannius ad Eumen. pro Instaur. Schol. XIX. § 4. Codd. igitur auctoritate vocem abesse jussi. *Arntz.*

Sub extrema] Non capio. Nam Danubius oritur in parte quinimmo Meridionali Germaniæ, ex monte scilicet Abnoba, ac Sylva Nigra in Suevia: inde quidem, postquam Austriæ Viennam alluerit, in Septentrionem fertur per Hungariam, sed et rursum in Meridiem labitur, ac versus Ortum tandem in Euxinum Pontum ad Bessarabiam effluit per sex ostia. Non igitur sub extrema Septentrionis plaga Danubius est, sed ita non rigorose a nostro dictum crediderim. *Patarol. Et* ante *qua* inseruit Schwarzius, ut Septentrionis plagam, et Danubii fontem distinguat. Nihil necesse, ob interpretationem, quam modo dedi; recte igitur iterum delevit Jægerus; plagam illam, qua caput Danubius evolvit, sub extrema Septemtrionis sitam esse dicit, eo modo, quo Ovidius Trist. II. 189. de eodem Danubio, 'Solus ad egressus missus septemplicis Istri Parrhasiæ gelido

virginis axe premor.'

Danubius evolvit] Alias *caput* fons est fluminis. Quid vero Danubii fons commune cum Mœoti habet, cujus ostiis potius hæc palus est propinquior? Sit *caput* ergo vis et copia aquarum: interpretorque *evolvit* per ostia effundit. Sic Plinius IV. 12. 24. 'Danubius in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur.' Virgilius Æn. V. 807. 'Reperire viam, atque evolvere possit In mare se Xanthus.' *Cellar.* Sed quid opus est ambagibus? Verba hæc, *qua fervidum caput Danubius evolvit*, breviter sic explico: qua, sive qua ex parte Danubius oritur. Etsi enim alibi fluvii dicuntur *se evolvere*, i. e. influere in mare: cum tamen verbum *evolvere* proprie et generatim dicatur de loco volvere, quid mirum, si et Danubius, oriens ex fonte, dicatur 'caput evolvere,' sive 'exerere,' et 'profluere?' Nihil vero Mamertinus in hac tota sectione dixit, quam tantam esse imperii Diocletiani et Maximiani felicitatem, ut exteræ barbaræque gentes non modo in Oriente, ac citra Mæotin sub extrema Septentrionis plaga, et ad originem Danubii, et circa Albim in Germania habitantes, sed etiam in Occidente Hispaniam Africamque accolentes, civilibus bellis in se invicem sæviant. *Schwarz.* Cellarius et Schwarzius *caput* de fonte Danubii interpretantur, qui cum ad Meridiem potius esset constituendus, ideo Patarolus præcedenti observatione hæsit, Cellarius aliam vocis significationem comminiscitur, et Schwarzius satis intricate est interpretatus. *Caput* quidem de fontium fluminumque origine dici, me docuerunt Barthius ad Claudian. Epigr. XI. 13. Ciofan. ad Ovidium Trist. I. 8. 1. neque adsentior Lambino ad Horat. Od. I. 1. 22. erroris eos adcusanti, qui vocem hac notione capiunt. Sed notat quoque cujuscumque rei extremam partem. *Caput* itaque Danubii hoc loco est ostium, exitus in mare ad Septemtrionem, ut 'egressus Istri sub axe gelido Parrhasiæ virginis,' sive Septemtrione, memorat Ovidius Trist. II. 189. 'fontis caput' apud Virgil. Georg. IV. 319. de ostio exponit Burman. ad Lucan. II. 52. Adpositus est Lucani locus III. 201. 'Sparsamque profundo Multifidi Peucen unum caput adluit Istri.' Est autem Peuce ad ostium; eodem sensu 'os Tiberis,' Livius I. 33. 9. adde Cannegieter Britenburg. p. 96. recte igitur Mamertinum explicuit Jægerus, sed jam ante eum Daviesius ad Cæsar. B. C. VIII. 41. 4. et Oudendorpius ad IV. 10. in fin. *Arntz.*

Tingitanum litus] Admonet me hic locus Arnobiani cujusdam e lib. I. quem sanabo: 'Si apud Gætulos, tum Aquitanos, hujus rei causa, siccitatem satis ariditatemque miserunt, eo anno cur messes amplissimas Mauris Nomadibusque tribuerunt?' In Ms. Luneburgensi 'cum Aquitanis' lego. Utrumque parum ad stomachum meum. Quis enim probet Aquitanos, tanto intervallo, et alio cælo ad Gætulos adjungi? Itaque Lud. Carrioni assentior, qui cum auctorem eum una forte legeremus, 'Gætulos, Tingitanos,' corrigebat, meo animo feliciter. *Livin.* Tingitana pars est Mauritaniæ ad fretum Herculeum, ab urbe Tingi, quæ nunc *Tanger*, sic dicta. Ibi prope urbem Septam, quæ modo *Ceuta*, est mons Abyla, *Mont de Singes* Gallis, oppositus alteri monti in Hispaniæ provincia Bætica, ubi etiam urbs cum arce ejusdem nominis, *Gibraltar* modo appellata. Montes illos 'columnas Herculis' dixere poëtæ; unde et 'fretum Herculeum,' per quod inter ipsos Oceanus in mare Mediterraneum ingreditur. *Patarol.* Antehac in omnibus libris legimus, *qua Tingitanum litus Calpetano monti obvium latus in Mediterraneos sinus admittit*

Oceanum. Sed tunc nescies quid cum voce *latus* facias, nisi eam in adverbium *latius* convertas. Adscivi igitur eam scripturam, quam Gudius e codicibus Mss. in utroque libro annotavit, et quam etiam confirmat codex noster, nisi quod in nomine *Calpetani* vitium admittat: ibi enim scriptum est, *sed etiam sub ipso solis occasu, qua Tingitano litori Scalpitani montis obvium latus in Mediterraneos sinus admittit Oceanum*. Schwarz. Eadem lectio, quæ est in codicibus apud Schwarzium, ab excerptis Vossii confirmatur, quamvis in illis corrupte sit, *Tingitano Jovi Scalpetani montis*. Justam vix interpretationem admittit altera, ex Puteaneo cod. recte a Baunio sede sua jam detrusa, neque eam restituere debuissent Cellarius et Patarolus; emendati itaque textus prima laus Baunio tribuatur, quam sibi tamen adscripsit Schwarzius, depravatam lectionem in omnibus antehac libris excusam esse adfirmans. *Arntz*.

Latus] *Latius* ortum videtur ab iis, qui in priori lectione nesciebant quo *latus* referrent; loco ex codd. jam suæ sanitati reddito, emendatione non est opus. *Idem*.

Cap. xvii. § 1 *Effrena Maurorum*] Codex noster habet *gens effera*, non quidem male; sed nondum tamen abjicienda est lectio vulgata. Virgil. Georg. iii. 382. 'Gens effrena virum :' i. e. Servio interprete, 'sæva, rectorem recusans.' Mauri, unde nomen Germanicum *die Mohren*, populi qui Africam incoluere, cum in Mauritania Cæsariensi versus Meridiem, tum in Mauritania Tingitana versus Occidentem. *Schwarz*. *Effrena* in his Panegyricis est usitatius. 'Effrena gaudia,' Mamertin. Gratiar. Action. xxix. § 3. 'effrenis dolor,' Nazarius Paneg. xxiv. § 4. adde ibid. cap. xxxv. § 3. De Mauris his vide ad Incert. Paneg. Maxim. viii. § 6. *Arntz*.

Burgundios] Vet. *Burgundes*. Vide Rhen. in Rebus Germaniæ p. 40. et 52. *Putean*. Hi Hadr. Valesio lib. i. Rerum Franc. pag. 50. diversi sunt a Burgundionibus Germanis, Galliæ invasoribus: gens videlicet Scythica, trans Danubium in Sarmatia Europæa sedem habens, Vrugundi a Zosimo dicti i. 27. et 31. ideoque, qui sequuntur Alamani, corruptum vocabulum esse ratus, in *Alanos* vult conversos. *Cellar*. Idem Valesius tradit ad Ammianum Marcellinum xxviii. 5. ubi, dum attigit hunc locum, notavit Mamertinum 'Burgundiones' a 'Burgundiis' aperte distinxisse: hos, quos Gothi exsciderint, et pro quibus victis in Scythia armati fuerint Alani, dictos esse *Burgundios*; eos vero, qui Alamanorum agros occuparint, audiisse *Burgundiones*: atque adeo Mamertinum distinctis locis de his populis distinctis egisse. Non caret omni verisimilitudine hæc sententia: neque incredibile est, Gothos, sive Gotthos, sive Gotunos, quos pro uno populo habet Cluverius Antiq. Germ. lib. iii. cap. 34. et quorum antiquæ fuere sedes in Septentrionis regionibus, Gothia cumprimis et Scandinavia, non solum in Pannoniam, Mœsiam, et Daciam, ac tandem in ipsam Italiam, Galliam, et Hispaniam se diffudisse, sed ex parte etiam, supra Mæotin, ad Tanaim usque processisse, ubi Alani, priusquam relicto Tanai ad Danubium discesserant, sedes suas habuere, quia teste Josepho de Bell. Judaic. vii. 29. Alanorum natio Scythæ fuere, juxta flumen Tanaim et Mæotin lacum habitantes. At enimvero illud discrimen inter *Burgundios* et *Burgundiones* neutiquam est perpetuum, cum utroque nomine promiscue designetur idem Germaniæ populus, ex Vindilorum sive Vandalorum sanguine ortus, a Burgis, sive præsidiariorum castris appellatus, Alemanis confinis, et postea in Galliam infusus. Immo fieri potuit, ut ab initio etiam hoc loco apud Mamertinum

nomen *Burgundiones* extiterit, quod vero per compendium scriptum, *Burgundios*, librarii deinceps in *Burgundios*, et *Burgundos* mutavere. Nomen autem *Alanorum* nullus prorsus liber hoc loco exhibet, sed *Alamani*, sive *Alemanni*, ubique leguntur, qui tunc pro victis Burgundiis armati fuisse, sive iis opem tulisse dicuntur. Neque obscurum est, Burgundionibus Germanis vicinos fuisse Alamanos. Inde enim Marcellinus l. c. dixit, 'Burgundios salinarum finiumque caussa Alamannis sæpe jurgasse:' et XVIII. 2. ait, 'terminales lapides Alamannorum et Burgundionum confinia distinxisse.' Quæ cum ita sint, Valesii conjectura atque emendatione dimissa, aut certe suspensa, retinemus lectionem vulgatam. Bene Beatus Rhenanus Rerum German. lib. I. p. 41. ubi narrat, Alemannos in Germania inter Mœnum, Rhenum, et Danubium juxta silvam Martianam novas sedes fixisse: 'Argumento nobis est,' inquit, 'etiam Alemannos a Septentrione venisse; quod, cum Gothi Burgundiones adhuc in suis sedibus agentes exscinderent, Alemanni profligatos restituere voluerunt, non hoc facturi, nisi aliquid vel amicitiæ vel fœderis inter ipsos intercessisset, ex veterum fortassis sedium vicinia.' Ceterum pro *exscindunt* non nulli libri habent *excidunt*. Schwarz. Cf. Cellar. Geogr. Antiq. II. 5. pag. 305. Pontanum Origin. Franc. II. 8. et supr. ad Panegyr. V. § 1. *Arntz*.

Exscindunt] *Excidunt* ex codd. restitui. Supra c. XVI. init. 'se barbaræ nationes vicissim lacerent et excidant.' Eumenius Constantio I. § 4. 'excisæ undique barbaræ nationes;' ibid. XVII. § 2. 'vires Francorum penitus excisæ.' Hinc 'excidium Galliæ' supra V. § 1. Pacatus Paneg. XI. § 4. et XXIII. § 2. Cf. Notas patern. ad Victor. Inlustr. XXXI. in fin. Buneman. ad Lactant. Instit. I. 18. 8. *Arntz*.

Alamannia] De Alamannis vid. Gabriel Trivorius in Observ. Apolog. cap. 16. Thes. Ottonis tom. I. Discrimen eorum a Germanis ostendit Spanhem. de Usu Numism. tom. II. p. 504. adde supra ad Paneg. superiorem V. § 1. et plena manu Ludewigius in Vit. Justinian. c. 8. § 116. Pontanus Orig. Franc. II. 2. *Idem*.

Tervigi] 'Tervingos' nominat et Eutropius VIII. Pæanius Τερβίγας reddit, si integra ea scriptura. Proxime *Taifalorum* opinor verius. In Zosimo quidem Histor. II. Θαίφαλοι, IV. Ταίφαλοι vulgatur. *Vandali*; quoque, qui his notiores, in Vet. *Bandali*, in Bertin. *Blandali* vocantur. *Livin*. In Dacia hos, undecumque profectos, sedem occupasse Eutropius in Trajano tradit, VIII. 2. 'Daciam,' inquit, 'Decibalo victo subegit: provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Thaifali habent, et Victophali, et Tervingi.' *Cellar*. Difficile est, harum omnium gentium, quas commemorat Mamertinus, origines sedesque satis demonstrare. Recte animadvertit Barthius Adversar. VI. 29. in crebris migrationibus populorum istorum Septentrionalium, cum quique aut familia aut incolæ antea unius loci junctim mearint, nomina singularia sibi a fortibus facinoribus, aut specie agminis, aliave de caussa imposuisse, quæ postmodum servarint nepotes. *Thervingi* in codice nostro *Tervingi*, in libris impressis Puteolani, Cuspiniani, Navii, et Gruteri, *Tertigi*; apud Henr. Stephanum *Tervigii* scribuntur. Per hos populos Barthius l. c. intelligit Thuringos, quasi a *theur Theuringos* dictos, i. e. caros, et propter fortitudinem pretiosos ac gloriosos. Eos ex Gothis ortos esse indicat Mamertinus, cui dicuntur *pars alia Gothorum*, ubi vox *pars* perperam omissa est in Cuspiniani editione. *Schwarz*.

Thaifalorum] Istos, de quibus diximus, Thervingos, undecunque demum nomen invenerint, non solum

Mamertinus, sed etiam Eutropius VIII. 2. conjungit cum Thaifalis: 'Daciam,' inquit, 'Decebalo victo, subegit Trajanus, provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Taiphali, et Victophali, et Thervingi habent.' Ex quibus verbis colligimus, Thervingos, et Thaifalos, post Trajani tempora, circa Daciam, inter Danubium ac Sarmatas regionem, loca finitima coluisse. Thaifalos Ammianus Marcellinus XVII. 31. cum Mœsia Daciæ proxima conjungit. Atque idem XXXI. 9. narrat, Gothorum optimatem Farnobium duxisse Taifalos, nuper in societatem adhibitos. Aurel. Victor in Epitome c. 47. tradit, Gothos Taifalosque sub Gratiano imperatore Thraciam Daciamque, tanquam genitales terras, possedisse. Zosimus II. 31. Thaiphalos vocavit 'Scythicam nationem:' atque idem IV. 25. refert, tunc ingentes copias Transistrianorum Scytharum, Gothorum nempe, et Taifalorum, et aliarum gentium, Istrum transjecisse, Thraciamque occupasse; ubi non tam Scythia Asiatica, quam Mœsiaca est intelligenda, dum posteriorum Imperatorum temporibus pars inferioris Mœsiæ Scythia est dicta, et provinciis Thraciæ annumerata. Vid. Cellar. Geogr. antiq. tom. I. p. 570. et 593. Nomen *Taiphali* varie scribitur, v. g. *Thaifali*, *Taifali*, *Taifoli*. Barthius l. c. nihil dubitat, quin et hæc gens fuerit Germana, ejusque nomen malorum Geniorum Germano nomini *Teuffel* originem debeat: quod videlicet non aliter hostibus tractandis sævire consueti, vel jactationis loco videri voluerint, quam cacodæmones veri. Neque nobis id mirum videri potest, si recogitemus, quæ apud Rhenanum Rer. Germ. lib. I. pag. 41. legimus: 'Nostra ætate,' inquit, 'militum manus in inferiori Germania se *Diaboles* appellarunt, ad incutiendum terrorem iis adversum quos mittebantur. Vestes erant nigræ, hastæ nigræ, vultus ipsi nihilo candidiores.' *Schwarz.* Si nomen mali dæmonis Germanicum originem debet, ut certe videtur, Græco Latinoque 'diabolus,' non facile cuipiam probabitur Barthii notatio. Vix enim credibile est, illis jam temporibus vocem 'diabolus,' quæ cum Christianæ demum religionis notitia ad Germanos potuit pervenire, ita cognitam usque tritam fuisse, ut tota gens aliqua eam sibi, ut proprium nomen, adscisceret. Parilis fortasse est originationis τὸ *Thaifali* cum *Victofalis*, *Ostfalis*, *Westfalis*. Jæger. Hos proxime Mœsiæ sedes obtinuisse tradit Ammian. Marcell. XVII. 13. eorum nomen Capitolino restituere conatus est Casaubonus in Not. pag. 74. *Arntz.*

Vandalos] *Vandalos*, sive *Vindilos* inter prima et vetustissima Germanorum genera recenset, et originem Gothorum atque Burgundionum ad stirpem Vandalicam refert Plinius IV. 28. Vulgo creduntur sic appellati quasi *Wandler*, h. e. migrantes. Hos *Bandalos* in hoc Mamertini loco Navius expressit; librarius autem in nostro codice scripsit *Blandalos*. Schwarz.

Gipedesque] Hæc constans lectio est, sed mihi placeat *Gepidasque*, quomodo est apud Salvianum frequenter. *Livin.* Quod ad *Gipedes* attinet, etiam Jornandes c. 17. eos pro Gothorum consanguineis habet. Isidorus Orig. lib. IX. p. 1042. 'Gipedes,' inquit, 'pedestri prælio magis quam equestri sunt usi, et ex hac caussa ita vocati.' Nomen ergo Germanicum nobis videtur, a verbo adhuc usitato *gehen*, *ire*, et a Celtica voce *ped*, vel *pedd*, i. e. pes, *bein;* unde vetus verbum *pedden*, i. e. *pedibus ire*, *incedere*, in quo etymo non paucæ linguæ colludunt. Nos hodie hujusmodi milites non vocamus *beinganger*, sed usitatius *fusganger*. Istorum Gipedum regnum temporibus

Justiniani imperatoris interiisse docet Mascovius XIV. 3. *von den Geschichten der Teutschen*. Schwarz. Historicis constanter fere dicuntur *Gepidæ*, ut apud Jornandem de Reb. Getic. p. 84. Salvianum Gubern. Dei IV. p. 75. Γήπαιδες apud Procopium Bell. Vandal. I. 2. et Histor. Arcan. p. 81. altera tamen scriptura auctoritate etiam non caret, nam Γηπαιδικὸς est apud Agathiam de Gest. Justinian. I. p. 14. Prior foret præferenda, si vera esset Rittershusii ad Salvian. Gub. Dei IV. p. 47. aliorumque opinio, dictos esse tamquam γῆς παῖδας, sed eam recte rejecit, qui de hac gente copiose tractat, Ludewigius Vit. Justin. cap. 8. § 123. et 124. qui addit, quamvis eos vicerit Justinianus, nullum se novisse monumentum, quo 'Gepidici' agnomine usus fuerit Imperator, quod tamen adfirmat Spanhemius de Usu Numism. tom. II. p. 504. *Arntz.*

§ 2 *Saccis*] Præferam *Sacis* vel Catulli auctoritate, cujus hic est versus: 'Seu Sacas, sagittiferosque Parthos.' *Livin.* Ignota nomina, præter Sacarum, quos Scythas fuisse Mela III. 5. tradit. Coluisse post mare Caspium dicuntur. *Cellar.* Fuere Asiæ populi, qui et ipsi mutua clade se attriverunt. *Sacci* scribuntur in codice nostro, et primis editionibus; alibi *Saci.* Mela l. c. ubi describit Oceanum Eoum, et Indiam, 'Scythæ,' inquit, 'Androphagi et Sacæ, distincti regione, quia feris scatet, inhabitabili.' Plura de Sacis collegit Cellarius Geogr. Antiq. tom. I. pag. 838. seqq. *Schwarz.*

Ruffis] *Rufis* Vet. *Ruffi*, seu *Rufi*, et *Gelli* hactenus mihi non lecti, non auditi. *Livin.* Feliciter hæc emendavit Crusius in Probab. Crit. legens *Rufiis et Gelis.* De Rufiis vid. Moys. Armen. de Gelis vero, Hyrcaniæ populo, Stephan. in v. Γέλυς, et Dionys. in Periegesi vs. 1019. atque in eum locum Eustath. Cf. Sammlungen von P. F. Suhm, Koppenh. 1771. ubi *Gelos* vel *Gellos* eam regionem, quæ nunc dicitur *Ghilan*, incoluisse, Cadusiis permixtos fuisse, et satis diu, sc. ad tempora usque regum Parthorum libertate usos esse, ostenditur. *Jæger.*

Frater Ormies] Sequor Divæum nostrum, cui repositum *frater Ormisda.* Sane Eutropius IX. avum Saporis et Ormisdæ Narseum memorat. Addit Pæanius, τῶν εἰς ἡμετέραν ἡλικίαν ἀφικομένων, *qui ad ætatem nostram pervenerunt.* Livin. Videtur *Ormisda* Eutropii esse IX. 15. adde ibi Pæanium sect. 6. *Cellar.* Puto legendum *Ormisda*, ut conjectavit et Livineius. *Patarol.* Scilicet Eutropius l. c. refert, Galerium Maximianum (qui vero nondum tunc Cæsar adoptatus erat, cum Mamertinus hunc Panegyricum recitaret) cum Narseo, Ormisdæ et Saporis avo, in Armenia Majori pugnasse, successu ingenti; castra ejus diripuisse, et uxores, sorores, liberos, et infinitam Persarum nobilitatem cepisse. Sed intricatior est istarum rerum historia, quam ut luculenter possit explicari. Interim Narses, seu Narseus, ab anno Christi 285. dicitur fuisse rex Persarum, cui successit a. 301. Hormisdas II. et an. 309. Sapores II. Potuit ergo et alius, Hormies sive Ormies dictus, cum fratre rege Persarum infesta contendere. Equidem Zosimus III. 13. et Amm. Marcellinus XVI. 10. commemorant aliquem Hormisdam, natione Persam, Saporis regis Persarum fratrem, vel, secundum Zonaram, Narsei filium, qui a fratre affectus injuriis ad Constantium imperatorem confugerit; sed nescio, an hic ad ista tempora, quibus Mamertinus hanc orationem habuit, commode referri possit. *Schwarz.* Cuperus ad Lactantium Mort. Pers. c. 9. ostendit, etiam Eutropii Hormisdam hic frustra intelligi; et quamvis illic in tempore Panegyrici habiti non satis sit adcuratus, ut dixi ad princip., id

tamen certum est, eum prius esse habitum, quam ad regnum pervenerit Narses, quod recte refert ad A. C. ccxcv. Cuperus. Cf. dicta ad Panegyr. c. x. § 6. a qua sententia hic decennio distat Schwarzius. *Arntz.*

§ 3 *Burgundiones*] Sub initium hujus capitis dixerat Mamertinus, *Alamanos Burgundiis*, a Gothis vi oppressis, auxilio venire voluisse: nunc ait, *Burgundiones* (si hi iidem sunt, qui Burgundii) occupasse Alamanorum agros, quos tamen repetant *Alamani*. Ita scilicet Germanæ istæ nationes de sedibus inter se acriter disceptarunt, facile ex amicitia ad hostilitatem prolapsæ. Vero simile autem est, ut ait Rhenanus, cum a Gothis ejecti Burgundii in Germania sedis inopes vagarentur, eos ad Alamanos tanquam amicos concessisse; sed cum Alamani gentem potentem recipere noluerint, Burgundiones vi et ferro in Alamaniam, non tamen sine sanguine et damno suo, irrupisse, et aliquandiu illic consedisse, usque dum postea in Sequanos transierint. *Schwarzius.* Guelf. et Vossii excerpta, *Alemanorum.* Alterum præfert Cellarius Orthogr. p. 65. *Arntz.*

Quæsitas Alamania] Vet. *Alamanni.* Aliter hic locus in Ms. legitur, et distinguitur, *Burgundiones Alamannorum agros occupavere; sed sua quoque clade quæsitas Alamanni terras amisere, sed repetunt.* Putean. Non mala quoque sententia, et structura: melior tamen, *quæsitos. Alamani terras amisere, sed repetunt.* Acidal. Id, quod edidi, primus habet Livineius, restituit Gruterus, eumque reliqui sunt secuti. *Arntz.*

§ 4 *Inmanitatis utuntur*] Id est, barbariæ, hoc est mutuam, ut puto. *Vertuntur* etiam, non *utuntur* legerim, e compendiis, nam *v°tuntur* est *vertuntur*. Livin.

Blemii] *Blemyes*, sive *Blemmyes*, Ægyptiorum et Æthiopum accolæ. Strabo xvii. ineunte, Zosimus i. 71. *Cellar.* *Blemyes*, sive *Blemmyes*, *Blemyi*, et *Blemiæ*, ab Ægypto versus Austrum Æthiopibus contermini, ad Nilum sedes habuere. De hisce mentionem faciunt Strabo lib. xvii. Mela i. 4. Plinius v. 8. et Zosimus i. 71. *Patarol.* Etiam Ammianus Marcellinus xiv. 5. confinia Blemmyarum ad Nili cataractas ponit; ad quem locum, si lubet, vide Valesium in notis, ubi præterea excitantur Dionysius de Situ Orbis, Procopius de Bello Persico i. 19. Claudianus de Nilo, Nonnus lib. xvii. in fine, quibus addatur Vopiscus in Aureliano cap. 33. et in Probo cap. 17. Illud vero adhuc notandum est, huc usque in omnibus exemplaribus hæc verba ita evulgata esse, *levibus modo adsueti sagittis.* Quæ particula *modo* mihi mox suspecta visa est: primum, quia in eadem περιόδῳ parum concinne bis occurrit; deinde, si Blemyes jam antea adsueti fuissent *levibus sagittis*, nulla nobis appareret ratio, cur arma quæsierint adversus Æthiopas, qui potissimum sagittis usi sunt; et cur denique Blemyes pæne *nudis odiis* prœlia commisisse dicantur, quasi sagittæ nullum iis usum in bellis præbere potuissent? Ideo vero *nudis odiis* prœlia commisisse dicuntur, quia armis aliis destituti non nisi proprie loquendo manum cum hoste conseruisse videntur, quod et antiquissimum et acerrimum pugnæ genus fuit. Itaque nihil dubitavimus, pro *modo* particulam negandi *non* ex codice nostro amplecti, tanquam huic loco satis congruentem. *Schwarz.* Schwarzium in substituta voce *non* secutus est Jægerus. Ipse *modo* reddidi, sanam, me judice, lectionem. Blemyes erant latrones, passim oberrantes, ut incautos opprimerent. Strabo Geogr. xvii. p. 1174. eosque adcuratius describit Ammianus Marcell. xiv. 4. alacritatis itaque caussa levibus modo sagittis utebantur, Æthiopes gravioribus; κοντοὺς illis tribuit Strabo

xvii. p. 1175. D. eosque usos τόξοις τετραπήχεσι adfirmat, ibid. pag. 1177. C. hæc itaque arma, quæ non habebant, id est graviora quærebant Blemyes in latrociniis, et quia levibus modo sagittis inpares erant Æthiopum armis gravioribus, ideo *nudis pene odiis*, quam justis armis, prælia committebant; 'nuda odia' possunt esse sola, aut inermia, cum, levibus quamvis sagittis armati, Æthiopibus nocere non possent, et ita velut essent inermes; de utroque vocis 'nudus' usu latius dixi ad Arator. Epist. ad Florian. vs. 20. et II. 752. de Rooy Spicil. Critic. p. 88. Ceterum *Blemyes* etiam Vossii excerpta, et ita dedi, alios secutus, quamvis sint, qui *Blemmyes* dicant. Vid. Not. ad Pompon. Mel. I. 4. 32. favet Βλεμύων Dionysii Perieg. vs. 220. 'Blemyes' apud Avienum O. D. vs. 329. 'Blemyorum,' Priscian. Perieg. vs. 209. quamvis illic in antiquissimo membranaceo Bibliothecæ Leidensis sit 'Blemmium;' et rectius *Blemyes* scribi docet meliorum codd. auctoritas, tum vero etiam poëtis servata quantitas. Vid. Vossius ad Melam p. 333. Perizonius ad eumd. in Observ. Miscell. tom. VII. p. 460. et apud Martianum Capellam hoc tuitus sum in Miscell. 19. p. 235. *Arntz.*

Habent arma] Codex noster, et Vetus Livineii hæc quodam modo transponunt, *quærunt arma, quæ non habent.* Schwarz. Similiter transponit Guelf. quod dedi codicibus obsecutus. Mox Puteolanus, *internecivа.* Alterum plerisque probatur. Vide Drakenb. ad Livium IX. 25. 9. *Arntz.*

Cap. XVIII. § 2 *Quod*] In antiquis libris male editum est, *et quod.* Retinemus editorum recentiorum lectionem, quam etiam firmat codex noster. *Et quid* hic ponitur pro ecquid, cum quadam admiratione loquentis. Ita præter alios loquitur Plinius Paneg. cap. LIV. § 1. 'Et quis jam locus miseræ adulationis manebat ignarus?' *Schwarz.* *Et quid* videtur recepisse Livineius secundum codd. unde reliqui eum secuti, præter Rivinum in prima editione. *Arntz.*

Occisos] Codex noster, et Bertiniensis, et vetus Livineii, atque alii libri excusi inter verba *quiescere*, et *pacem colere*, melius, nisi fallimur, interponunt *otiosos esse.* Schwarz. Verior est codd. scriptura, ut 'otium' statui quieto egregie convenit. Schulting. ad Senec. Controv. p. 229. Manut. ad Ciceron. ad Div. II. 17. p. 146. *Arntz.*

§ 3 *Lætabilius*] In codice nostro, et utroque Gudii libro pro *lætabilius*, i. e. lætitia dignius, legitur *laudabilius*, sed nobis magis probatur vulgata lectio. Vocis istius usum neque ipse refugit Cicero Tuscul. Disput. IV. 17. 'Is est sapiens, quem quærimus, is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut minus lætabile ad efferendum videri potest.' *Schwarzius.* Vulgatum probo oppositum præcedenti *lætius.* Arntz.

Circumfert barbaria? Darnia] Mera monstra. Divæus ex vestigiis Viennensis libri optime restituit: *omnium hominum ore circumfertur. Barbari ad arma concurrunt, sed invicem* (ludis scilicet gladiatoriis) *dimicaturi: vicerunt barbari, sed consanguineos suos. Tam innumeros vobis t. n.* Lips. Epistol. Quæst. I. 22. Vet. *damnas.* Putean. Sententia fœde corrupta, quæ in Langii schedis integra. Sic igitur ibi scribitur, *hominum ore circumfertur, Barbari ad arma concurrunt, sed invicem dimicaturi; vicere Barbari, &c.* Livin. Lege, *omnium hominum ore circumfertur:* (vel, *omnium hominum circumfert:*) *Barbari ad arma, sed invicem dimicaturi: vicerunt Barbari, sed consanguineos suos. Tam innum. &c.* Acidal. Meliorem ex quibusdam codd. lectionem sum secutus, quam confirmat sententia. *Arntz.*

Vicerunt] Ita dedi ex Guelf. Vossii

excerptis, et omnibus ante Gruterum editionibus, qui cur inmutaverit in *vicere*, non video, cujus tamen auctoritate hoc in omnes deinde editiones manavit, præter illam Rivini. *Idem.*

§ 4 *Separaveram*] Scilicet Mamertinus cap. 6. constituerat, de Diocletiani et Maximiani cum *pietate*, tum *felicitate* distincte et seorsum disserere, quarum laudum partes nunc conjungit. *Schwarz.* *Ab initio* ediderunt Schwarzius et Jægerus, quod tamen neque in codd. neque editis aliis est. *Arntz.*

Communium laude] Lege *communi.* Acidal. Recte sic scriptum est in codice nostro, unde omnino confirmatur recentiorum editionum lectio, cum in antiquioribus perperam evulgatum esset, *communium laude.* Schwarz. Olim edebatur *communium;* primus *communi* recepisse videtur Gruterus, quem præter Rivinum in prima edit. reliqui sunt secuti, idemque confirmant Schonhovii excerpta. Sed in Vossii excerptis est, *hominum laude*, in Guelf. *homi*, nisi id sit scripturæ compendium pro *omni;* unde patri meo adsentior, conjicienti in margine suæ edit. *communi omnium laude*, ut *omnium* et *hominum* permutata esse ostendit Jægerus ad Nazarium Paneg. II. § 7. Rittershus. ibid. XVI. § 2. et in Vossii excerptis supr. Paneg. XII. § 4. et cap. seq. § 2. Apud Ciceron. ad Divers. v. 12. 'omnes imagines omnium statuasque superavit.' In Trajectino est 'hominum.' Adde Not. ad Livium XXVII. 9. 14. De elegantia autem locutionis 'communis omnium' vide Buneman. ad Lactant. M. P. 18. 8. et 23. 1. 'Communis omnium laus' est, quod antea dixit, 'omnium hominum ore:' quæ antea suo judicio separaverat, ob communem omnium in utroque Imperatore laudem jam putat conjungenda; ita Eumenius Constantio XIX. § 3. 'Quæ communi gentium voce celebratur:' et Constantino IV. § 6. 'In ore omnium hominum oculisque versantur.' Et potest *omnium* facile, ob similes fere in *communi* litteras, ab ea voce esse absorptum. *Arntz.*

Quæro rationem] Hic distingue: *conjungere: dum tantorum eventuum quæro rationem, felicitatem istam, optimi Imperatores, pietate meruistis.* Putean. *Credo rat.* Bertiniens. inepte. *Livin.*

CAP. XIX. § 1 *Quantum arbitror*] Hanc collocationem verborum ex nostro codice, et altero Gudii libro admisimus, cum vulgo editum esset, *optime igitur, sacratissime Imperator, quantum arbitror, &c.* Schwarz. Vide ad cap. I. init. hic singularem retinui propter sequens *tuo.* Arntz.

Gemino] Cuspinianus rescripsit, *genuino natali tuo;* sed salvam putamus lectionem vulgatam. Utique quod jam in Proleg. ad hunc Paneg. § 6. ostendi, de natali vitæ Maximiani loquitur Mamertinus, sed oratorie vocat 'geminum natalem,' quia licet tunc, cum hic Panegyricus recitaretur, unius saltem Imperatoris, nempe Maximiani, incidisset natalis proprius, is tamen simul tanquam natalis etiam alterius Imperatoris, Diocletiani, ad declarandam utrorumque concordiam celebraretur. *Schwarz.* Delendum τὸ *tuo*, vel restituendum *vestro* judicat Pagius Diss. Hypat. p. 92. quem vide. *Jæger.* *Genuino* placebat etiam Gothofredo ad L. 11. C. Theodos. de Proxim. Comit. sed latius dixi supra c. I. § 1. *Arntz.*

§ 2 *Adscitur*] Vett. edd. *adscitur;* non prorsus incommode: præstare tamen nobis visa est lectio Cuspiniani, et recentium editorum, quam confirmat auctoritas nostri codicis, quamque ipse Livineius ex Bertiniensi, at suo vetere codice in margine libri sui annotavit. *Schwarz.*

Omnium moribus] An scribendum *hominum moribus;* an *omnium motibus?* id esset, causis omnium rerum

et eventis. *Acidal.* Ms. et edd. quos inspexi, habent *omnium*, solita permutatione. *Jæger.* Videtur quidem id postulare sequens *rerum*, oppositum *hominibus*, sed tantum Livineii conjecturæ contra codd. tribuere non audeo; revocavi igitur *omnium*, quamvis ad edit. Cellarianam pro varia lectione nihil ex Guelferb. adscripserit Cortius, sed in eo *omnium* quoque legi puto ob Jægeri de Mss. testimonium, quique ipse cod. illius excerpta habuit. Cf. cap. præced. § 4. *Arntz.*

Nascentibus] Exin cognoscitur, et quæ mox sequuntur, 'nascentes vos,' non posse Panegyricum hunc de natalibus imperii intelligi. *Cellar.* Mamertinus quidem tanquam orator dicere poterat, pietatem atque felicitatem esse naturalia animorum bona; sed dubitamus, an tanquam philosophus. *Schwarz.*

§ 3 *Gemini*] *Genuini* Cuspin. corrupte. *Licin.* Vide ad cap. I. § 1. *Arntz.*

Opem generis humani] Vide Juret. ad Symmach. Epist. I. 48. *Putean.* Habet quidem noster codex, habuit etiam Bertiniensis, *ad opes g. h.* sed quid necesse est, cur lectionem vulgatam rejiciamus? *Schwarz.* *Opes* etiam Guelf. idemque in antiquo Pithœi codice exstitisse monet Juretus ad Symmach. Epist. I. 48. hic codicum fecit consensus, ut id restituerim, præsertim cum splendorem et amplitudinem designet pluralis ille numerus, et præ singulari placuerit Drakenborchio ad Livium IV. 8. 6. IX. 42. 4. Summam autem fuisse Imperatorum laudem, eos ad bonum publicum natos esse docet d. l. Juretus. Ceterum pro *nascentes*, Vossii excerpta *noscentes*. Arntz.

Amica viderunt] Astra propitia, juxta inanem mathematicorum sententiam, qui siderum influxus in corpora nostra, hominumque generationem, et ortum mordicus tuentur. *Puteol.* Eumenius Constantino XIV. § 4. 'talem siderum decreta formarint.' Stella enim die natali adparens inter omina habebatur, ex qua de fatis hominum augurabantur. Cf. Pricæus ad Evang. Matthæi II. 2. inprimis Burmannus Secundus ad Lotich. II. 6. init. Frustra Baune edidit *juverunt*. Arntz.

§ 4 *Promittunt*] Sane quidem *promittunt;* non enim successit. Lege, quæ supra notamus. *Livin.* Ex navali bello adversus piratas, Britannico mari a Constantio Cæsare, auspiciis Maximiani Augusti, gesto: de quo Eumenius Paneg. Constantii. *Cellar.* Equidem orator classi Romanæ adversas Carausium felicem egressum, expeditionemque ominabatur; sed spei votisque minus respondit eventus, dum Carausius, bello navali superior, Maximiani classe partim capta, partim adversa tempestate disjecta, A. C. 290. nihilominus pacem, et Augusti honorem titulumque, quem ambierat, obtinuit. De cujus classis apparatu conferatur Mamertinus Paneg. priori Maximiano Aug. dicto cap. XII. *Schwarz.* Recte 'promittere' adhibuit de re adhuc futura, quod exposuit Marckland. ad Statium Silv. IV. 8. 19. Mox *et post* Guelf. et Vossii excerpta. *Arntz.*

§ 5 *Campi*] Mamertinus aut prorsus καταχρηστικῶς loquitur, dum rostra ista ait posita fuisse 'in campo Romano,' aut, quod probabilius est, prorsus ignoravit verum rostrorum illorum situm, cum rhetor ille Gallicus fortasse nunquam viderit Romam. Potius rostra illa fuere in 'foro Romano,' ubi adhuc A. Chr. 356. 'Constantius Augustus,' referente Ammiano Marcellino XVI. 10. 'Romam ingressus, imperii virtutumque omnium larem, cum venisset ad rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit.' Erat scilicet tribunal, sive suggestum, in foro Romano co-

immnis superstructum, et ab interiore parte rostris navium quondam captarum adornatum, in quod per gradus conscendebant ii, quibus pro ea, quam habebant, potestate conciones habere licebat. Et ille locus inde nomen 'rostrorum' accepit. Conferatur Dissertatio de Rostris fori Romani, loco concionibus solenni, a C. C. Fabricio sub præsidio meo habita. Haud secius ignoravit Mamertinus veram istorum rostrorum originem, dum ea ad bella Punica, aut bella cum Asiæ Syriæque regibus gesta refert. Tribunal autem illud, concionibus solenne, nomen 'rostrorum' demum anno urbis conditæ CCCCXVI. retulit, cum C. Mænius in suo consulatu Antium Volscorum, urbem maritimam, expugnavit, et ex navium captarum rostris suggestum illius tribunalis, in foro extructum, ornavit. Id quod testatur Livius VIII. 15. Florus I. 11. Plinius Histor. Nat. XVI. 4. et XXXIV. 6. Anonymus Scholiastes, quem Grævius annotavit ad Ciceronis Orat. pro Lege Manilia, cap. 18. 'Primum,' inquit, 'populus Romanus contra Antiates bellum gessit. et duodecim captis navium rostris forum ornavit; non, ut imperiti dicunt, Carthaginiensium navibus.' *Schwarz.* Rostris navium captarum suggestum fuisse ornatum monet Schwarzius; id tamen ita intelliga, non prælio maritimo fuisse captas, nondum enim hoc tempore Romani classe erant mare ingressi, sed quod Antiates, terra victi, ex pacis legibus naves tradiderint. Vid. Duker. ad Flor. I. 11. 10. unde in sequentibus non satis adcuratus est Pataroius. Cum vero anno demum CCCCXVI. fuerint constituta, adparet Pomponium in L. 2. § 4. ff. de O. I. per prolepsin esse exponendum, duodecim Tabulas pro rostris esse compositas adfirmantem; dixi in Specim. Observ. cap. 4. cujus prolepseos alia exempla dederunt Noodtius ad ff. 'de Tutor. et Curat. dat.' Duker. ad Flor. I. 22. 1. Drakenb. ad Livium I. 34. 10. Tollius ad Palæphat. Incred. p. 186. Bella autem Punica, eademque cum Asiæ Syriæque regibus magis ob spolia, ex iis reportata, arbitror memorasse Mamertinum, quam quod illis originem rostrorum tribuat, id quod Schwarzio videbatur, nisi forte in errorem ductus fuerit per eos, qui bello Punico rostra hæc Romanos cepisse fuerunt auctores, teste Ciceronis apud Schwarzium Scholiasta, et aperte Isidorus Orig. XV. 2. 'Hæc loca et prorostra vocantur, ideo quod ex bello Punico captis navibus Carthaginensium rostra ablata sunt, et in foro Romano præfixa, ut essent (cod. Groninganus optimæ notæ 'esset') hujus insigne victoriæ.' *Arntz.*

Ornentur iis exuviis] Videri queant istæc corrupta ob vicinitatem, quæ eis cum sequentibus verbis, legendumque, *Romani rostra fori novis ornetis exuviis.* Sed forte altius quid latet, quod frustra eruere tentemus sine libris melioribus. *Grut.* Abundat *iis*, sed junxerim præcedenti verbo, et scripserim, *ornetis exuviis.* Acidal. Antehac in omnibus hujus Panegyrici exemplaribus impressis, quæ nobis innotuere, editum est, *novis ornentur iis exuviis.* Soli Cuspinianus et Patarolus omisere pronomen *iis.* Livineius et Acidalius in notis conjecere legendum esse, *novis ornetis exuviis.* Et, ecce, hanc felicem conjecturam luculento suffragio corroborat codex noster; corroborant et alii codices a Gudio observati. Credas vero Mamertinum in his verbis Ciceronem ante oculos habuisse, ut qui pro Lege Manil. cap. 18. rostra ista vocat, 'locum exuviis nauticis, et classium spoliis ornatum.' *Schwarz.* In descriptis Vossii excerptis dubium mihi est, legaturne *ornet*, an *ornetis.* Savaro ad Sidonium Epist. I. 11. citat, *novis ornentur exuviis*, quod in nulla editione vidi. Vera est lectio,

quam primum dedit Schwarzius. *Arntzen.*

Rostra] Vide Livium VIII. 14. Horatii Scholiasten ad Epod. XVI. illum de origine dicentem, hunc de usu concionum, et laudationum, qui et ab aliis passim notatus est. *Cellar.* Cum populus Romanus Antiates navali prælio vicisset, ipsorum naves partim incendit, partim in navalia Romæ subduxit, et earundem rostris Hostiliam Curiam, a Tullo Hostilio olim extructam, adornavit, inde 'rostra' id templum adpellatum, teste Livio. Memorat et Varro de L.L. lib. IV. Plinius XVI. 4. *Patarol.* Parum adcuratus hic Patarolus. Navali prælio Antiates victos contra rei gestæ fidem adfirmat, ut paullo superius jam monui. Neque rostris illis Curia Hostilia fuit adornata. Deceptus est parum intellecto Varronis loco, qui ante hanc Curiam rostra fuisse scribit. *Arntz.*

§ 6 *Dico enim*] Unde ediderint Schwarzius et Jægerus, *digna enim*, me latet. *Idem.*

Digna est hac] Emenda *hac* ex Langii sched. Bertiniens. *Livin.* Lege, *digna est ista quoque gloria vestra p.* Acidal.

PANEGYRICUS IV.

Eumenii] De Eumenio, quamvis ejus fiat mentio in historicis collectaneis Suidæ, pauca ex aliis scriptoribus habeo, quæ dicam. Sed ipse de se ipso dicit satis multa in hac oratione, et, ut plura de eo dici possint, adjicio, eum præterea mihi videri auctorem trium, quos Beatus Rhenanus ἀνωνύμους edidit, Panegyricorum: dico illius, qui Maximiano Augusto dictus est, et incipit, 'Si mihi Cæsar,' et duorum, qui Imperatori Constantino dicti sunt in urbe Treverorum; hoc est illius, qui incipit, 'Facerem Sacratiss. Imp.' et alterius, qui Flaviensium nomine dictus est, et incipit, 'Si Flavia.' Conferantur illæ orationes cum hac, et esse ejusdem scriptoris phrasis, resque ostendet, atque adeo commendatio ejusdem civitatis, quam ille patriam suam vocat. Nam Heduum se fuisse non dissimulat, atque ita Belgam, ut Latinus Pacatus erat Aquitanus; et tamen uterque Gallus, sed Eumenius multo antiquior. Nam hic sub Constantio Cæsare, Constantini patre, Pacatus vero sub Theodosio floruit in Gallia. Intersunt ergo anni saltem LXXX. Fuit autem Eumenius talis tantusque professor artis, ut vocat, oratoriæ, ut et ejus auditorium jurisprudentiæ auditorium esset, et ex eo, tanquam ex equo Trojano, quod de Isocratis ludo dixit olim Cicero, prodirent præclari tanquam heroës ad remp. gubernandam, ut intelligi potest ex fine Panegyrici, qui incipit, 'Facerem.' Et licet abhorruerit a litibus, et causarum actionibus, a quibus abhorrent viri boni, atque ab illo sordido strepitu, et pulvere fori, ut fatetur principio hujus actionis, tamen indicat etiam sese, majoribus in rebus in aula, et Palatio Constantii, reip. operam dedisse, ne quis eum in umbra scholæ rhetoricæ consenuisse putet. Et licet non fuerit ex Schola Agentium in rebus, ut ejus temporis leges loquuntur, tamen, quod magis laudo, militavit in literarum præsidiis, ut loquitur, L. 1. C. Th. de Prox. Com. disposit. Nam testatur sese fuisse Magistrum

Sacræ Memoriæ, ut Papinianum, Ulpianum, et similes jurisconsultos legimus olim fuisse Magistros Libellorum. Magistros autem Sacræ Memoriæ, qui et Memoriales dicebantur, præfuisse libellis et epistolis, et peragendis, implendis, signandisque rescriptis et responsis sacris, id est, principalibus, intelligi potest ex L. ' Eos qui C. de Excusat. muner.' et L. 2. C. ' de Petit. bon. sublat.' In Epist. 55. Dioscori ad Augustinum lego istud: ' Zenobius Magister Memoriæ factus est.' Memini etiam me legisse apud Marcellinum lib. XXVII. de quodam Rustico Juliano, qui cum Magister Memoriæ esset, a Gallis ad imperium poscebatur, decumbente Valentiniano. *Balduin.* Eumenius ex Augustodunensi Rhetore Magister Sacræ Memoriæ in aula Constantii Cæsaris, rursus ad scholam eodem honore, et duplicato salario, quo in aula frui consueverat, revocatus, a provinciæ Lugdunensis præside petit, ut instaurationem Mænianæ scholæ, Bagaudico tumultu vastatæ, Principibus commendet. Sumptum ipse, quamquam numerosæ sobolis pater, ex abundantia salarii sui conferre pollicetur, cap. VI. XI. et XV. *Cellar.* De Eumenio quod dicatur, vix est, supra quod colligitur ex hac, et aliis Orationibus, quæ ipsi a plerisque adjudicantur, fuisse nimirum origine Græcum, in Galliis tamen natum, Constantii Chlori Imp. gratia plurimum floruisse, ab eodemque primo Sacræ Memoriæ Magistrum factum, deinde scholis Augustodunensibus præfectum. Nec vera est opinio Stephani Pighii, qui initio sui Herculis Prodicii Eumenium nostrum in Augusto Cliviensium oppido, quod nunc *Cleves*, in inferiori Germania inter Mosam et Rhenum est, docuisse contendit. Satis abundeque confutat Lipsius Excurs. ad Tacit. Annal. III. a quo etiam disces, non Eumenii esse statuam illam Cliviensem, quam præter Pighium citatum affert et Wernh. Teschenmacherus Annal. Cliviæ, quem lapsum fuisse adnotavit et Benedictus Balduinus de Calceo Antiq. c. 12. Oratio hæc, facili claraque methodo, atque artificio quodam scholastico conscripta est, ut prorsus pateat, a literarum didascalo prodiisse: elegantem tamen, eruditam, ac dignam judices, quam non legant modo, sed et imitentur literarum studiosi. *Patarol.* Orationem hanc quoque cultissimam, multisque exemplis florentissimam judicat Baptista Pius Adnotat. Poster. cap. 47. Præmittenda autem duco quædam, facta sequentis Panegyrici comparatione, quem Nostri quoque esse illic ad princip. ostendam, tum quia in enarranda Eumenii Vita nonnulla prætermiserunt Baunius et Schwarzius, tum vero etiam, quia, si parum adcurate distinguas, ex quibusdam vix te difficultatibus expediveris, quibus in auctore sequentis Panegyrici constituendo hæserunt interpretes. Hujus auctor in codd. constanter dicitur Eumenius; qui eum Eugenium adpellaverint, quod scribit Rittershus. infr. XVIII. § 1. ignorare me fateor. Male autem Eumenem dixerunt Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. IV. p. 128. Wasseus ad Sallust. Catil. cap. 6. et Drakenb. ad Silium VI. 711. Fuit autem Gallus, ex Æduis Augustodunensis; hanc enim variis locis ' patriam suam ' adpellat, in quam urbem migraverat ipsius avus, ortu Atheniensis, unde etiam Græcum Eumenii nomen; hunc vero Augustoduni docuisse testatur cap. XVII. § 3. quo jure Meursius Auctar. Phil. cap. 31. nostrum dicat Belgam, non video; erat enim Galliæ Lugdunensis, non Belgicæ, Æduorum civitas; nisi forte opinionem de Eumenio, in scholis Cliviensibus doctore publico, secutus sit, quam jure profligarunt Eruditi ad cap. XIV. init.

Avi secutus exemplum, arti oratoriæ docendæ sese tradidisse videtur, sed privatim, nulla auctoritate publica, unde se 'privatim' exercuisse dicit cap. I. § 1. quamvis Cellario aliter fuerit visum, cum eum ad scholam revocatum dicat; hac forte occasione orationem habuit, præsente Maximiano, quam ab ipso adhuc privato esse dictam, inde puto, quia per eam primum se in lucem fuisse eductum, et tum in quotidiana instituendæ juventutis exercitatione versatum esse tradit, Paneg. Constantio cap. I. § 2. et 5. his additis: 'Quoniam enim prima tunc (id est, cum in illa exercitatione versarer) in renascentem remp. patris ac patrui tui merita licet dicendo æquare non possem.' Hanc arbitror habitam ante annum CCLXXXVI. quia in Paneg. Constantio II. § 6. se præteriturum dicit, quæ tunc, id est, prima illa oratione, dixerat, et ab iis inchoaturum, quæ secuta fuerint; inchoat autem cap. II. a vastata Alamania; id est, bello, quod memorat Mamertinus Paneg. v. § 1. Genethl. XVII. § 1. et quod ad hunc annum refert Baunius in Vit. Dioclet. cave enim, Constantii de Alamanis victoriam intelligas, a Constantio jam Cæsare demum reportatam, cum hæc, quam in Panegyrico Constantio prædicat, ex ordinis serie Cæsarea Constantii dignitate erat prior; confer ibi cap. II. et III. Post illam orationem factus est Eumenius Sacræ Memoriæ Magister, dato trecentorum salario, infr. XI. § 2. atque in hoc munere interfuit illi contra Alamanos expeditioni, Paneg. Constantio I. § 4. et II. § 1. sed eodem sese honore abdicavit, post nactam a Constantio quietem, ibid. I. § 4. unde hunc honorem sese jam non gerere, sed 'gessisse' narrat infr. VI. § 3. dignitatem tamen, titulum, et salarium retinuisse videtur, eo modo, quo alii, ex gestis antea muneribus, sese dixerunt ex Proconsules, ex Quæstores, ex Cubicularii, ex Vicarii, et qui alii similes in Cod. Theodosiano occurrunt. Otium inde a publico munere nactus, sed retento dignitatis gestæ titulo et honore, quosdam ex veteribus imitatus, rus sese contulit; 'studium ruris sese abduxisse' refert Paneg. Constantio cap. I. § 4. et forte illic filium in arte oratoria instituit, quo tendere videntur, quæ legis infr. VI. § 9. quique filius postea fisci fuit patronus, quo eum nomine Constantino commendat, Paneg. Constantino XXIII. § 1. atque huc refero locum ibid. 'Hanc meam qualemcunque vocem, diversis otii et Palatii officiis exercitam.' Recuperata interim, et a tyrannide Allecti liberata Britannia, anno CCXCVI., in Gallias revertitur Constantius; de qua victoria ut eum, in cujus Palatio insigni fuerat munere functus, gratularetur, Panegyricum habuit proxime sequentem, Constantio inscriptum, quemque ideo ad annum CCXCVII. retulerim, et quidem tali habitum loco, forte Treveris, per quem in itinere transibat Constantius. Ex his jam lucem capiat illius Panegyrici initium, in quo adeo laborant interpretes: 'Si mihi, Cæsar invicte, post diutinum silentium sola esset vincenda trepidatio:' dicit enim 'diutinum silentium,' quia inde post annum CCLXXXVI. publice non dixerat, et diutinum tempus intercessisse, inde patet, quia ibid. § 4. inter priorem illum, et hunc Constantio dictum, non adfirmat unam esse gentem devictam, sed 'tot nationes,' et 'tot victorias' reportatas, in quibus longius temporis intervallum est necessarium. Cum autem, quæ in Galliis per barbaros, præsertim Bagaudas, vastata erant, reparari et instaurari jussisset Constantius, inque iis essent scholæ Augustodunensium Mænianæ, in quo, orationis illius tempore, artifices jam occupatos fuisse patet ex

Paneg. Constantio xxi. § 2. voluit Constantius, forte orationis illius vi, et dicendi copia Eumeniana permotus, ut juventutem in arte oratoria publice illic erudiret, salvo tamen honoris antea gesti, sive Sacræ Memoriæ Magisterii, privilegio, et geminato salario usque in sexcenta: infra cap. xi. § 2. et cap. xiv. quod enim illud ipsi salvum voluerit esse privilegium Constantius, ex eo nulla mihi de munere Palatii, honoris caussa retento, est dubitatio. Tanta Constantii liberalitate auctus hanc pro Instaurandis Scholis orationem habuit, quam itaque Panegyrico sequenti arbitror esse posteriorem, contra quam omnibus visum fuit interpretibus; in id me quoque movent excerpta cod. Puteani, quæ Mss. possideo, in quibus hoc ordine notantur Panegyrici: *Plinii Paneg. Trajano dictus. Incerti Auctoris Maximiano. Incerti ad eundem in ejus natali. Incerti alius Maximino.* (lege *Maximiano.*) *Eumenii Oratio pro Scholis Instaur.* Hoc si statuas, patebit ratio, quare in hoc Panegyrico res a Constantio gestas nec enarrat, neque longa oratione prædicat, nisi paucis admodum verbis, et velut aliud agendo, cap. ult. omisit enim, quia brevi antea, in eodem Constantio dicto, late eas enumeraverat, suis singulas laudibus persecutus. Ni fallor, hæc quoque sua sponte ducunt ad constituendum hujus orationis, quo sit habita, tempus, quod fuisse puto eumdem annum ccxcvii. aut initium sequentis, cui conjecturæ proxime etiam adcedit Fabricius Biblioth. Latin. tom. ii. p. 769. Baunius supra in Eumenii vita p. 170. annum ccxcvi. ponit, cui variis ex rationibus non adcedo. Etenim ex temporis, quam dedi, serie, debuit esse habita, Constantio jam ex Britannia reverso: est enim habita, Britannia jam liberata; ita cap. xxi. § 2. 'Britanniamque squalidum caput silvis et fluctibus exserentem.' Liberata autem fuit anno ccxcvi. ut ad Panegyricum Constantio dicam. Hoc itaque, aut sequentis initio revertit in Gallias Constantius, quem proximo prius est Panegyrico gratulatus Eumenius, quem igitur jam tractamus, quique illum est secutus, aut hoc anno exeunte, aut initio sequentis ccxcviii. haberi debuit. Tillemontium secutus ad hunc quoque annum refert Scheüb. Dissert. de Tabul. Peutinger. cap. 1. Deinde argumentum peto ex cod. cap. xxi. § 2. 'Sub tua, Diocletiane Auguste, clementia, Ægyptum, furore posito, quiescentem.' Intelligit victum Achilleum, et direptam Alexandriam, de quo Orosius vii. 25. Eutropius ix. 23. Scaliger ad Eusebium p. 244. et Bauldri ad Lactant. de M. P. cap. 9. id autem, ex adcurata Pagii computatione, referendum esse ad annum ccxcvi. ostendit Gruner. ad Aurel. Victor. Cæsar. xxxix. § 33. utrumne autem putes, Ægyptum statim post victoriam dici posse 'quiescere,' aut 'furorem positum?' quid, putabimusne aut victoriæ, aut quietis illius ita celeriter in Gallias pervenire nuncium potuisse, ut hæc prædicare potuerit orator? contra annum si sumamus sequentem, quanto rectius primum memorat tantum 'tropæa Niliaca,' Paneg. Constantio v. § 2. nunciis vero sequentibus adlata 'Ægypti quies,' et 'furor' post illa 'tropæa positus' hoc demum potuit Panegyrico laudari. Denique addo ex cod. cap. xxi. § 2. 'te, Maximiane Cæsar, Persicos arcus pharetrasque calcantem,' quod Eumenium, non nisi anno ccxcvii. aut sequenti, dicere ausum fuisse, illic ostendam. *Arntz.*

Instaurandis] Hoc revocavi ex Rhenani editione pro *Restaurandis*, quod primus dedit Livineius, et deinde omnes, præter Stephanos et Rivinum. Cum titulum omittant codices, pro arbitrio eum dederunt editores; neque illud *Restaurandis* de-

levi, tamquam Eumenii ætate indignum, sed quia in hac oratione constanter 'instaurare' adhibet. Vid. cap. III. § 3. cap. IV. § 1. c. VI. § 4. cap. IX. § 4. cap. X. § 3. cap. XVIII. § 1. adde Buneman. ad Lactant. VII. 24. 2. præterea in variantibus Puteanei Mss. quas possideo, Panegyricorum ordo additur, atque in eo *Eumenii Oratio pro Scholis Instaur.* Est autem hic Panegyricus in Guelf. ordine nonus: etiam, si Plinium omittas, in edd. antiquioribus; tertius vero Grutero, et sequentibus; quartus, non computato Plinio, in iisdem variantibus Mss. cod. Puteanei. *Arntz.*

Cap. I. § 1 *Vir Perfectissime*] Eumenius dicitur hanc orationem habuisse coram V. P. Præside Galliarum. Notas illas *V. P.* significare Virum Perfectissimum satis notum est. Fuit autem hic titulus dignitatis, qui et 'Perfectissimatus' eo seculo dicebatur, ut de eo extat Constantini constitutio, L. 1. C. de Perfectiss. dignit. Atque ita etiam Præses Arabiæ dicitur 'Perfectissimus,' L. 4. C. Th. de Pœnis; et de pluribus Perfectissimis, qui militabant in sacris scriniis, extat L. 7. C. de Palat. Sacrar. Largit. et huc alludit Lactantius v. 15. 'Nemo,' inquit, 'Perfectissimus, nisi qui omnes gradus impleverit:' ut et eodem tempore Constantinus dicebat eos codicillis Perfectissimatus fruituros, qui impetraverint, si abhorreant a conditione servili, nec sibi honorem venali suffragio emerint, L. 1. C. de Perfectiss. Dignit. *Balduin.* Vet. *V. P.* hic, et alibi semper. *Putean.* *V. P.* interpretantur omnes, *Vir Perfectissime.* Est autem nota dignitas 'Perfectissimatus,' de qua plurima mentio apud jurisconsultos. Dari hæc vero solebat viris honestis post senatores, ut præsidibus minorum provinciarum, puta Arabiæ, Dalmatiæ, Isauriæ, aliisque. Vide plura apud Pancirolum cap. III. Notit. Imp. *Patarol.* Litteris perscriptis primum Gruterus, et sequentes dederunt, *Vir Perfectissime;* notas *V. P.* prætuli codices, et Guelferb. secutus, et Gothofredi judicium in inscriptione L. 1. C. Theodos. de Bon. Vacant. Adde infra IX. § 1. ita autem adpellati fuerunt provinciarum præsides et rectores, de quo pluribus idem ad L. 2. C. Theod. de Cens. Valesius ad Ammian. Marcell. XXI. 16. Baluzius ad Lactant. M. P. 21. Bunemann. ad eumd. Instit. v. 14. 18. præsertim vero ad minores pertinuisse provincias videtur, quo fit, ut 'perfectissimi' aliquando a 'præsidibus' distinguantur, aut quia aliis quibusdam, præter præsides, datus fuit hic titulus, ante Constantini tempora jam cognitus. Cf. Gothofred. ad L. 27. C. Theod. de Decurion. et L. 1. C. Theod. de Perfectissim. Dignit. 'Perfectissimus' recte Latinis dici docuit Ruhnken. ad Jul. Rufinian. p. 200. De Riccio Varo, quem hic intelligunt, ejusque crudelitate, plura Brouwer. Annal. Trever. III. p. 193. et 202. *Arntz.*

In loco] Balduinus edidit, *usque ad*, cujus exempla notavi ad Sedulium I. 87. et Arator. I. 23. Vulgatum auctoritate codicum tueor, secutus simili in re Drakenborchium ad Livium XXXII. 32. 3. *Idem.*

Quoad] Antea legebatur, *quod labore ac diligentia videor:* alterum reposui ex Guelf. ita sæpe *quod* et *quoad* sunt permutata; apud Apuleium Metam. I. p. 5. ed. Colv. *quo me ad istam faciem*, in quibusdam est *quod*, in cod. Basil. *quoad*, quod substituendum monet vir doctus ad oram meæ edit. apud Sulpicium Severum Epist. III. § 13. ex binis codd. Biblioth. Trajectinæ lege, *quoad ipse tu jusseris.* Idem.

Exercere] Guelf. *exercerere*, inde puto scripsisse, *exserere;* id est privatim tantum ostendere, oppositum τῷ *jactare*, unde 'exsertiorem operam navare' recte redditum est Pacato Paneg. XXXV. § 1. sæpe ita fuit pec-

catum; infra cap. ult. § 2. jam melius legitur 'caput exserentem,' pro quo alii dederunt pessime 'exercentem:' recte etiam 'exseruit' Aurelio Victori reddere conatus est pater meus, Cæsar. III. § 9. quamvis illic 'exercuit' tueatur Grunerus, invito Klotzio Miscell. Critic. p. 38. Cf. not. ad Sueton. Tiber. 38. Drakenb. ad Livium VII. 10. 5. et Burman. ad Vellei. II. 47. 4. Addo Quinctilianum, quem adjuvem loco maxime vexato, Declam. I. cap. 10. 'Raro contingit semel ferire carnifici, quamvis componat ipse cervicem, et exercitata manus homicidium novissime, velut quoddam genus artis, exerceat.' Scribe, 'et exserta manus homicidium, notissime velut quoddam genus artis, exerceat.' Est 'exserta manus' ad ictum parata, vid. ad Sedul. I. 311. hoc malim, quam *expectata*, quod est in codd. apud Schultingium, et meo: *notissima* scripsi ex cod. Wittiano, in quo *notissime*. Arntz.

§ 2 *Quanquam sedes*] *Quanquam mihi sedes* Vet. et Bertiniens. *Livin.* Tò *mihi* omittit Cuspinianus, Livineius, Rhenan. Stephanus. *Jægerus.* *Mihi* primum restituit Gruterus, et est in Guelf. confirmat quoque imitatio Ciceroniana pro Leg. Manil. cap. 1. 'Quamquam mihi ... hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus.' Omisit tamen in prima edit. Rivinus. *Arntz.*

Videretur] Principium orationis Eumenianæ sumptum esse ex exordio Ciceroniano de Lege Manilia, et ejus quæ inscribitur Divinatio, literatus lector, etiam me tacente, facile sentiet. Sed magis nova, et insolens est hæc, quæ cum quadam gratiarum actione laudat sacram largitionem salarii, et eam ipsam, qui accepit, Scholis Instaurandis rependi vult, et, id ut fiat, petit. *Balduin.* 'Agere' cum populo, 'dicere' ad judices. Vide Gellium XIII. 15. et Ciceronem pro Lege Manil. principio, quem Panegyrista imitatus est. *Cellar.* *Videtur* in secunda edit. Rivinus. *Arntz.*

Abfuisse] Non male forsan fuerit, *abstinuisse*. Grut. Forte *abstinuisse*, quia bis positum *me*, quod tamen etiam sic geminatum eleganter. Exempla aliquot notavi ad locum quendam Ciceronis Famil. XIII. 18. *Acidal.* Sed nec *abfuisse* malim. *Cellar.* Pro *abfuisse*, quod vulgo legitur, Livineii cod. habet *afuisse*; is tamen edidit *affuisse*, uti etiam Cuspinianus; quod corruptionis genus sæpius est obvium. Sic Terrentius in Horat. Sat. I. 4. 101. testatur, se in tribus optimis codicibus 'affore' scriptum reperisse, pro 'afore.' *Afuisse* prætuli ob ea quæ monent Cort. ad Cic. ad Divers. XVI. 8. 1. Oudendorp. ad Jul. Cæs. de B. G. I. 36. *Jæger.* *Afuisse* edidi, secutus Jægerum, Heinsium ad Prudent. Perist. III. 125. et Drakenborchium ad Livium IV. 12. 6. XXVI. 41. 11. Hoc ita expressit Cicero pro Leg. Manil. cap. 1. 'Nondum hujus auctoritatem loci adtingere auderem.' Ediderunt autem Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Balduinus, et Rivinus prima edit. *ingenio me antehac abfuisse*: ita forte quis posset suspicari legendum, *ingenio me meo*, ut hoc posterius *me* pertineret ad *diffisum*, prius ad *afuisse*, usuque sit consueta elegantia, ut Tibullus I. I. 1. 'Me mea paupertas vitæ traducat inerti.' Quam restituendam puto Eumenio Constantio I. § 4. et ex codd. etiam Daventriensi, Sallustio Jugurth. XXIV. 4. 'dehortatur me fortuna mea:' ubi illud *me* cum quibusdam male ejecit Cortius. In eo tamen, quod alios secutus edidi, codicibus, etiam Guelf. obsequi malui. *Arntz.*

Conscientiæ trepidatione revocari] *Et consc.* Bertiniens. Forte *ex.* Livin. Mallem, *conscientiæ trepidatione sevocari*, aut *devocari*. Grut. Nil mutat.

Guelf. certe *et* foret supervacaneum, quamvis ceteroquin, si foret necesse, admitti posset Livineii conjectura, ut apud Sallust. Jugurth. XXXII. 5. *ex conscientia*, id est *ob*, de quo præpositionis usu vid. Cortius ad eumd. Catilin. XII. 2. Jugurth. VII. 5. Jægerus infra ad Nazar. Paneg. cap. II. § 9. dixi quoque ad Aratorem Epist. ad Florian. vs. 4. Male autem Gruterus *sevocari*, aut *devocari*. Indicat Eumenius se, quamvis hoc tempore in foro lites non acturum, sed orationem publice habiturum, tamen ad privata exercitia redire malle, quo sensu, 'revocare ad curam rei domesticæ' dixit Cicero pro Cœl. cap. 18. et 'revocare ad veteris consuetudinis similitudinem,' pro Cluent. cap. 40. aut simpliciter capiatur eo sensu, quo 'revocare' aliquem 'ab aliqua re' dixit ipse Paneg. Constant. cap. I. § 1. et 'ætas revocare ab imitatione virtutis paternæ,' Nazario Paneg. cap. XXXVII. 5. ubi Gruterus quoque 'sevocet' maluit; confer Not. *Hoc ipso in tempore* in editis jungitur cum *habiturum*, sed, inserto commate, retuli ad *revocari*; opponit enim *antehac afuisse*, et *hoc tempore revocari*, ut indicet eamdem, quæ antea, adhuc sibi mentem esse. Confirmat me Pacatus Paneg. II. § 1. 'Inopina trepidatio in ipso dicendi tempore deprehendit.' *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Opinioni*] Cod. Ms. Mœrl. *opinione*. Jæger.

Ex hac postulatione] Forte, *et hac*. Livin. Si codd. addicerent, conjecturæ huic non intercederem, quæ confirmatur ex iis quæ cap. præced. in fine dixi; vix enim video, quid 'promittere interpretationi' designet, nisi hoc voluerit, aut hominibus, consilium meum de habenda hoc loco oratione interpretantibus, majus videar promittere; ita ut hoc suum consilium, quo non consueto loco et more diceret, apud eos efficeret, ut majora exspectarent, quam præstare posset Eumenius. Quare autem hanc orationem adpellet 'postulationem,' ipse indicat cap. III. § 2. 'Id postulo . . . ut Mænianæ illæ scholæ . . . reparentur.' *Arntz.*

Mænianis] Cur Eumenius Augustodunenses scholas appellet 'Menianas,' quia obscura et ignota est loci appellatio, frustra quæsiero. Scimus alioqui, 'Meniana' vocari projectiones quasdam in ædificiis, de quibus est Honorii constitutio, L. Meniana C. de Ædific. privat. et Marcellinus lib. XXVII. ait, priscis legibus vetita fuisse Romæ ædificari. Fortasse scholæ, de quibus agit Eumenius, habebant ejus generis ἐξώστας. *Balduin.* An a 'Mænio' quodam, cujus impensis primum illæ scholæ ad studia exercenda juventutis provincialis fuerunt erectæ, an ob ædificii ipsius formam, obscurum nobis est. Nam plures habuisse depictas porticus Eumenius in fine orationis ostendit, quarum projecta ad umbram faciendam, vel ad ampliandum superiora ædificia Romani antiquitus a 'Mænio' quodam inventore 'Mæniana' vocabant. *Pighius.* 'Mæniana,' prout ex auctoribus, apud quos ipsorum mentio fit, colligere licet, fuere in ædificiis projectiones quædam, sive, juxta Cujacium ad lib. VIII. Cod. Justin. Tit. 10. de Ædific. privat. tigna projecta juxta ædes, in quibus sol capitur, qua ratione eadem et 'solaria' dicta comperimus. Hinc fortasse sancitum olim imperialibus decretis, prout loco citato videri potest, ut, nisi spatium inter se per decem pedes liberi aëris habuerint, omnibus modis detruncentur, ne scilicet ex iisdem alterum ad proximum alterum solis radios tendentes intercipe-ret. Vocata autem 'Mæniana' feruntur ab ipsorum inventore 'Mænio;' is etenim, ut docet S. Pomp. Festus, 'primus ultra columnas extendit ligna, quo ampliarentur superiora,' sive juxta Isidor. Origin. XV.

3. 'ut essent loca in quibus spectantes insisterent.' Hæc in foro primum constructa fuisse videntur, inde vero et domibus adjecta. In Circo pariter erant hujusmodi projectiones, seu 'Mæniana,' ex quorum uno, ut tradit Panvin. de Lud. Circens. lib. I. committendis quadrigis Circensium signum dare solebant. Hæc autem etiam 'pulpita' vocabantur, unde Juvenali Sat. XIV. dictum, 'Prætoris pulpita lauti:' quo vocabulo innui profecto 'Mæniana' existimo, e quibus prætor signum dabat mappa candida, non ludos scenicos, et mimos, aut pantomimos, ut Ferrario ad illum locum visum fuit. Ex hisce constat, 'Mænianum,' seu 'solarium' id veteribus fuisse, quod Tuscis *Ballatojo*, et nobis vulgatius *Pergolo* appellatur. Quare et Sabellicus post alia, 'Quæ Veneti Podiola dicunt, Romani Mæniana vulgo appellant.' 'Mænianas' autem vocatas scholas Augustodunenses credere licet, quod modo dictis projectionibus, seu podiolis instructæ et ornatæ essent, prout adnotavit etiam Balduinus ad hunc locum. Videri possunt Baldus. Lexic. Vitruv. et Pighius initio Hercul. Prodic. *Patarol.* Scholas has ad urbis 'mœnia' fuisse positas, locus a Baunio adhibitus non probat, neque ab earum conditore nomen fluxit, qui ipsi videatur Eumenio fuisse ignotus; ita enim c. IX. § 5. 'ipse ille, qui Mæniana hæc primus exstruxit.' Nomen ipsius posteritati certe tradidisset, si id cognitum habuisset. Malim itaque arbitrari, a projectionibus dictas esse, additis tum amœnitatis caussa, tum ut majorem adolescentium numerum complecterentur; prima enim Mæniana ad amplificanda superiora fuisse inventa testatur Festus, eorumque exemplo, vel ex lapide, vel alia materia, privatorum ædibus adjecta fuisse auctor est Isidorus Origin. XV. 3. ubi ex cod. Groningano emendandum, 'Mœniana adpellata sunt.' Idem itaque, quod Mænio, privatis fuit in hisce consilium. 'Solaria' quoque dicta fuisse, Græcis ἡλιαστήρια, ostendit Salmasius ad Spartian. p. 155. ubi de his late; ideo quoque 'Parapetasia.' Cf. Gothofred. ad L. 39. C. Theodos. de Oper. public. Fuerunt autem projecta in superioribus ædium partibus, ita ut nusquam requiescerent, L. 242. § 1. ff. de V. S. unde dicuntur collocata 'superioribus coaxationibus' apud Vitruvium de Architect. V. 1. et cum 'contignationibus' junguntur, ibid. II. 8. *Arntz.*

Delegendam] Quidam editi, et in iis Henr. Stephanus habent *delegendam;* optime alteram tuetur lectionem codicum auctoritas, in qua est notio committendi, sive id mandandi, quod, qui mandat, ipse perficere debuisset, ut verbum illud interpretatur Manutius ad Ciceron. ad Divers. VIII. 1. adde Burman. ad Sueton. Tiber. 16. Buneman. ad Lactant. Div. Instit. I. 4. 6. 'Jura delegata' apud Incertum Constantino II. § 5. ubi frustra 'denegata' tentabat Puteanus. *Idem.*

Putavi, majus] Inferenda particella, *putavi, ne majus.* Acidal. Videtur in hanc conjecturam ex eadem ratione ductus Acidalius, qua modo tentabat Livineius, *et hac postulatione.* Arntz.

§ 2 *Temporarium*] In interpretatione, textui addita, exponit Baunius, 'me ad tempus tantum patronum agere:' quomodo 'transitum temporarium' opponit 'operi sempiterno' Eumenius Constantino XIII. § 4. Hanc præfero interpretationem Schwarzianæ ad Plinii Paneg. XCI. § 7. qui de oratione subita et tumultuaria accipit, meditatæ et bene perpensæ opposita. *Arntz.*

Sectam] Id est, doctrinam, quam quis in vita sua sequitur. Cf. Barthium ad Claudian. p. 92. Not. ad Plinii Paneg. LXXXV. § 7. Rittershus.

ad Coripp. II. 241. *Idem.*

§ 3 *Aciem fori*] Quinctilian. XII. 6. 4. 'Quantum libet secreta studia contulerint, est tamen proprius quidam fori profectus, alia lux, alia veri discriminis facies; plusque, si separes, usus sine doctrina, quam citra usum doctrina, valeat. Ideoque nonnulli senes in schola facti stupent novitate, cum in judicia venerunt, et omnia suis exercitationibus similia desiderant,' &c. *Jæger.* Pater meus conjiciebat *artem fori;* vulgatum malo, tum ob sequentem comparationem, tum quia 'acies' de genere forensi adhibetur. Cicero de Orator. I. 32. 'quæ agenda sunt in foro, tamquam in acie.' Idem 'aciem forensem' dixit ibid. I. 34. et 'aciem quotidiani muneris' de rebus in foro agendis, ibid. cap. 59. Adde Harlesium ad l. II. 22. ideo foro 'Martem' tribuit Ovidius Fast. IV. 188. 'bella fori' sunt apud eumd. Trist. IV. 12. 18. 'arma fori,' ibid. IV. 10. 18. plura Abramus ad Ciceron. pro Cœl. c. 19. Schulting. ad Senecæ Controv. II. p. 126. Marckland. ad Statii Silv. V. 2. 108. ἀγωνίαν δικανικὴν dixit Procopius Hist. Arcan. p. 90. et nota est jurisconsultos inter et milites comparatio in L. 14. C. de Advocat. divers. jud. *Arntz.*

Exercitia] Loco τοῦ *exercitia* cod. Mœrl. et Gud. 2. habent *exercitatione.* Jæger. Nescio, utrum in illa codd. scriptura lateat *exercitationum.* Notum enim est, um in codd. nota scribi, litteræ *e* fere simill. Ita *secreta studiorum* accipiendum esset, ut 'alta montium,' et similia, de quibus dixi ad Sedul. I. 120. 'lata camporum' apud Mamertin. Julian. X. § 1. Sic infra Constantio I. § 2. 'instituendæ juventutis exercitatione:' et in schola docentibus 'exercitationes' tribuit Quinctil. Inst. O. XII. 6. vulgatum tamen tueatur locus infra XIX. § 4. *Arntz.*

§ 4 *Præliatur*] Recte; malui tamen, *hic præliantur.* Sic Lipsius Saturnal. II. 19. citat, qui in eodem etiam loco pro *sudibus et saxis* emendat *rudibus et hastis.* Acidalius. Sic antiquiores, itemque Patarol. Baunius cum Cellario, secutus Acidalii et Livineii conjecturam, quæ cod. Puteani et Gud. 2. suffragio firmatur, habet *præliantur.* Certum est quidem, neutraliter et impersonaliter hoc verbum, alias etiam, quamquam raro, adhiberi. Vid. Non. Marcell. XXXVIII. 7. et Justin. XIX. 1. 9. Attamen cum præcedat *ingenia armantur* omnino etiam alterum verbum, quod illi opponitur, melius eodem refertur. *Jæger.* *Præliatur,* quod ante Baunium omnes, potest esse a 'præliare,' quod ex Ennio habet Vossius de Anal. III. 7. ut alia deponentium activa contulit Stewech. Quæst. ad Apuleium p. 317. Colvius ad Apulei. p. 60. Muncker. ad Fulgent. p. 604. aut ita ponitur, quia deponentia aliquando passive sumuntur; ut 'tueri' in L. 7. ff. de Curat. Furios. Marckart. Probab. part. I. p. 157. Reinold. Var. Jur. pag. 21. Bondam. Var. Lect. p. 186. Passerat. ad Ciceron. pro Quinct. cap. 11. de utroque usu pluribus dixi ad Arator. I. 111. potius tamen rationem Jægeri sequor. *Arntz.*

Prælusio] Baunius conjicit legendum esse *prolusio*, quod habes in Bert. et vet. cod. Put. atque Gud. Recte. Vid. Gronov. ad Sen. Herc. Fur. vs. 222. et Schwebel. ad Veget. I. 13. *Jæger.* Scribit Burmannus ad Rutil. Itin. I. 257. inter criticos nondum esse certum, præstetne 'præludere,' an 'proludere;' prius autem habere defensorem Gronovium, eo loco, quem adhibuit Jægerus; sed illic 'proludere' tuetur vir summus, et memoriæ vitium deinde emendavit Burmannus, in 'proludere' pronior, ad Virgil. Æneid. XII. 106. Id notandum propter eos, qui Burmanni ad Rutilium auctoritate in diversa abeunt. Recte igitur ex codd. pri-

mus hic *prolusio* edidit Jægerus, et 'præluditur' restituit Senecæ Suasor. 6. Schottus; vide illic Schultingium; pluribusque hoc verbum tuetur Burmannus Secundus ad Lotichium II. 3. 19. ad Antholog. lib. II. p. 367. Adde not. ad Florum IV. 2. 2. *Arntz.*

Sudibus et saxis] Reponere studebat *rudibus et hastis* Lipsius Saturnal. Serm. II. 19. at nescio qua auctoritate ductus. *Patarol.* Sic Ms. et edd. quos vidi, omnes. Lipsius Saturn. II. 19. rescribendum esse censet *rudibus et hastis:* et sane docet Burmann. ad Ovid. Fast. IV. 209. 'sudes' et 'rudes' sæpius permutari. Attamen cum τὸ *hic*, æque ac in antecedentibus, 'aciem feri' indicet, ubi præliatur, et seria pugna committitur, 'rudes,' quibus in exercitiis tantummodo, et ludicris certaminibus utebantur, nullum hic locum habent. Sudibus et saxis dimicatum esse, ipse ostendit Lipsius Poliorcet. lib. IV. Dial. 3. et 4. *Jægerus.* Lipsio illius præcipua fuit emendationis caussa ob vocem 'saxa,' quam parum censet congruam. Sed non cogitavit vocabulum *velut*, quo non saxa forensibus negotiis esse apta indicat Eumenius, sed tantum bella, in quibus sudibus utebantur, et saxis, cum negotiis illis comparat, unde ex Silii Italici loco vulgatam hic lectionem egregie tuetur Heinsius ad Ovid. Fast. II. 367. De sudibus in bello vid. Stewech. ad Veget. de R. M. II. 23. ubi et differentiam inter 'rudes' adtingit. *Arntz.*

Pulvere sordidus] Elegantiam locutionis adtigit pater meus ad Plinii Paneg. XIII. § 1. In edit. Paull. Stephani est *sordibus*, certe typographi vitio, et ita citat Marckland. ad Statii Silv. V. 2. 108. sed ex ingenio *sordidus* emendat. *Idem.*

Orator] Marcklandus d. l. citat *ornatior*, quod in nulla ed. deprehendi, ex quo tamen ipse *orator* effingit: tantum præstat critico emendata uti editione. *Idem.*

§ 5 *Tubarum*] Umbratilem, et scholasticum doctorem, strepitus forensis ac convicia deterreant. *Cellar.* Ex Jægeri codd. *turbatum* scripsi; dixit quidem 'tubarum sonores' etiam Nazarius Paneg. XXX. § 4. sed *turbatum* mihi videtur aptius sequenti *deterreat*, et *sonus* non male ad *arma* pertinet. 'Sonitum armorum' dixit Mamertinus Paneg. II. § 4. Adposite Nazarius Paneg. XXVI. § 2. 'Arma late strepentia, et in unum quemdam sonitum diversi fragoris acta confusio.' XXIX. § 5. 'Sonat ictibus umbo securus.' Valer. Max. I. 6. 12. 'strepitum armorum,' et 'sonum tympanorum' memorat, ut mittam 'armorum senum' conviciis magis forensibus convenire, quam *tubarum:* et denique, si *tubarum* admittas, duo sunt uni *scenæ* opposita. *Arntz.*

Quidem triumphi deterreat] *Alium quædam triumphi quiddam deterr.* est in Bertiniens. quod non expedio. Deleveram *quidem*, nec video cur retractem. Mox, ubi deest quiddam, expleam e sensu *causis forensibus aptum, &c.* nam verba sine libris non præsto. *Livin.* Corruptum credo, et mutilum. *Acidal.* *Alium triumphi scena*] Sic in plerisque legitur. Sirmondus ad Sidon. Apollin. Epist. VII. 1. legit, *quædam triumphi scena*, quam lectionem probat et P. De la Baune. Cellarius legit, *quidem triumphi scena.* Mihi lectio prior plus arridet. *Patarol.* Scriptura, quam secundum codd. exhibuit Jægerus, est eadem quam expressi; male autem Cellarius cod. a Baunio visum memorat, qui nullo ad Panegyricos codice fuit usus, et lectio, quam profert, est ex vet. Puteani. Olim legebatur, *alium quidem triumphi deterreat:* primus *scena* inseruit Cellarius, et *quidem* uncis inclusit; unde, hoc etiam ejecto, dederat Patarolus, *alium triumphi scena.* Est autem *quædam scena triumphi* species triumphi, non verus triumphus. Qui

quo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum Pop. R. usurpant.' Lucanus tamen id irrisit, cum ait, 'Arvernique ausi Latios se fingere fratres, Sanguine ab Iliaco populi.' Assentior enim iis, qui Arvernos pro Æduis ob vicinitatem interpretantur. *Livin.* Interpretatur Tacitus Ann. XI. 25. ab antiquo fœdere Æduorum cum Romanis. Augustodunum autem situm in Æduis. *Cellar.* Adde Manut. ad Ciceron. Epist. ad Attic. I. 19. *Jæger.* Ablegavi lectorem ad Manutii Commentar. in Cicer. Ep. ad Attic. I. 19. ubi ad verba, 'Ædui fratres nostri,' monet, senatum, cognita Æduorum fide, 'fratres consanguineosque' sæpenumero illos appellavisse, testesque laudat Cæsarem, Plutarchum, Strabonem, Tacitum. Sed, auctore Bibliotheca Philologica, debebam annotare Ciceronis locum ex Ep. ad Trebatium VII. 10. 'Una nostra ... congressio pluris erit, quam non modo hostes, sed etiam fratres nostri Ædui.' *Idem.* Eumenius Constantino XXII. § 4. 'Cujus civitatis antiqua nobilitas, et quondam fraterno Populi Rom. nomine gloriata.' Id est, qui fœderis lege in Romanorum venerant amicitiam. Cf. Lipsiúm ad Tacit. Annal. XI. 25. Pighium Hercul. Prodic. p. 45. Smetium Oppid. Batav. p. 64. Spanhem. Orb. Rom. p. 201. *Arntz.*

Batavicæ rebellionis] Corruptus locus, scriboque *Bagaudicæ rebellionis.* Batavi latrones numquam ad ea penita loca, nec latrocinii Batavici mentio in mediterraneis sub id ævum. At de Bagaudis auctores credendi, qui res scripserunt Diocletiani. Victor: 'Namque ubi comperit Carini discessu Ælianum Amandumque per Galliam, excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis late agris, plerasque urbium tentare, Maximianum Imperatorem jubet.' Salvianus lib. V. de Gubernat. 'Itaque passim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios ubique dominantes barbaros migrant, et migrasse non pœnitet.' Vide et Orosium lib. VII. ubi tamen 'Baticadæ' in Ms. codice, qui apud me est, legitur, sicut et 'Baccharidæ' in Eusebii Chronicis. *Lipsius.* Legendum *Bagaudicæ rebellionis*, ut Lips. ad Tacit. Ann. III. Excurs. H. *Bacaudicæ.* De Bagaudis supra ad Panegyr. Maxim. *Putean.* Fuse eadem Gratiarum Actione: 'Divum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias primi sollicitaverunt,' et quæ sequuntur. Et inibi nota, sis, mihi, lector, 'rebelles Gallicanos' vocari, quod hic 'latrocinium Batavicæ rebellionis,' dubia ac suspecta, meo animo, scriptura. Sed hoc primum *Bacaudicæ*, seu *Bagaudicæ* repono, tum observo, barbaram, atque intra Gallias, opinor, natam appellationem, supra Maximianæam sæculum repetendam, siquidem jam inde a Divo Claudio Bagaudæ, qui non aliud, quam incolæ latrones, ac tyranni. Confer, quæ notamus ad Mamertini Paneg. Maxim. cap. IV. *Livin.* *Bagaudæ*, Zosimo VI. 2. Βακαύδαι, rustici sunt Galliæ, propter iniquitatem præfectorum tumultuantes, ut Salvianus Gubern. V. n. 149. tradit. Eutropius IX. 13. 'factionem' vocat, 'quæ Bagaudarum nomen sibi imposuerit.' *Cellar.* De Bagaudis satis dictum ad Mamert. Paneg. prior. Maxim. cap. IV. § 3. et Genethl. V. § 3. *Jæger.* Mirus est h. l. omnium codd. consensus in *Batavicæ rebellionis*, quod usque ad Gruterum retinuerunt editores, quem, ex Lipsii conjectura *Bagaudicæ* substituentem, uno atque pari suffragio, præter Rivinum, reliqui sunt secuti; probavit etiam Rittershus. ad Salvian. de Gubern. Dei p. 50. Vossius de Vitiis Sermon. II. 3. pater meus in Addend. ad Aurel. Victor. ad pag. 422. locumque ita citarunt Scaliger ad Eusebii Chronic. p. 243. Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. II. pag.

426. Ipse quoque Lipsii acumen sequor, primum, quia deest scriptorum auctoritas, qua vocis 'Batavicus' usus defendi queat; omnes enim in 'Batavus' consentiunt; deinde, quod jam adtigit Bannius, quia nulla hoc tempore perfidiæ Batavorum contra Romanos, aut eorumdem latrocinii, occurrit mentio, quos etiam deinde sua virtute juverunt, aut a Francis liberarunt Romani; porro, quia per 'Batavicam rebellionem' intelligi nequit latrocinium, ab aliis in Batavia motum, cujus nullum est apud historicos vestigium; hi enim illud tantum ad Galliam referunt; denique, quia apud plerosque, hac ætate, seditionis fit mentio a Bagaudis in Gallia motæ, quamvis non pro certo habeam, fueritne eorum receptaculum Bagaudarum castrum, quod, in Lutetiæ agrò circa cœnobium Fossatense situm, ex Charta Caroli Calvi protulit Du Cange Glossar. Med. et Inf. Latin. V. Bagauda; addatur Anna ad Eutrop. IX. 20. atque hanc 'priorum temporum labem' adpellavit Mamertinus Paneg. IV. § 1. adde Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. III. pag. 256. Fuerunt autem Bagaudæ rustici et agrestes, in turbam concitati, novisque adeo rebus studentes, ut Galliam ferro et igni vastaverint, agrisque late populatis plerasque urbium quoque tentaverint, quod tradit Aurelius Vict. Cæs. XXXIX. § 17. Armatos hosce rusticos suis eleganter coloribus ita depinxit Mamertinus Paneg. cap. IV. in fin. 'Cum militares habitus ignari agricolæ adpetiverunt, cum arator peditem, cum pastor equitem, cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est.' Factionis illius initia sunt ducenda ex magistratuum in provinciis inpotentia, et vexatione, de qua jam scripsit Avidius Cassius in Epistola ad generum suum, apud Vulcatium Gallican. in ejus Vit. cap. 14. 'An ego proconsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi a senatu, et ab Antonino provincias datas credunt, ut luxurientur, ut divites fiant?' Et ad rem nostram adcommodatius Salvianus de Gubern. Dei V. p. 91. 'Quibus enim aliis rebus Bacaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi inprobitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus et rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt, et indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt?' Horum autem rusticorum indignatio vires primum animosque sumsisse videtur sub Imperatore Claudio; ita enim Eumenius Grat. Action. Constantino IV. § 2. 'Quod Divum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias primi sollicitaverunt, exspectantesque ejus auxilium . . . tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt.' Ubi vera vidit Cellarius, atque ab hoc jam tempore, non a Diocletiani imperio, Bagaudarum esse nomen repetendum censuerim. Vires tamen majores præsertim adquisivit rusticorum audacia, cum, qui Diocletiano imperium invidebat, Carinus, plures contra eum copias ducturus, Gallias legionum præsidiis vacuas reliquisset, ipsique ducta et auspiciis uterentur Æliani et Amandi, quos ideo 'monstra biformia' dixit Mamertinus Paneg. IV. § 3. et Genethl. III. § 4. quæ utroque loco alia monui. Hi autem successu rerum facti audaciores imperium sibi sumserunt, unde supersunt numi his titulis: IMP. C. L. AELIANVS. P. F. AVG. et IMP. C. CN. SAL. AMANDVS. P. F. AVG. Vid. Brouwer. Annal. Trever. III. p. 191. pater meus ad Victor. Cæsar. XXXIX. 17. et quæ dixi supr. p. 26. Maxima autem seditionis erupit flamma a. CCLXXXV. ad quam exstinguendam plerique Maximianum a Diocletiano lectum fuisse Augustum putant, cujus tamen rei aliam dedi rationem ad Mamertini

Paneg. IV. § 2. Cæsar itaque adhuc Maximianus egregiam in domandis his agrestibus operam præstitit, sed homines, militiæ parum peritos, levibus vicit prœliis, teste Eutropio IX. 20. unde eodem, quo eruperat, anno oppressam fuisse seditionem dixi supra Mamert. Paneg. prior. II. § 1. auxilium autem fidele præstitit, et virtute sua Maximiano multum profuit ille, qui postea Romanorum partes deseruit, Carausius, atque hinc explicanda est L. 1. C. Ne rustic. ad ull. obseq. 'Ne quis ex rusticana plebe, quæ extra muros posita capitationem suam detulit, et annonam congruam præstat, ad ullum aliud obsequium devocetur, neque a Rationali nostro mularum fiscalium, vel equorum ministerium subire cogatur.' Cum enim in quibusdam edd. hæc lex Carisio inscribatur, probabiliter Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. V. p. 180. eam ad Carausium pertinere ostendit, solique Maximiano, non etiam, ut est in inscriptione, Diocletiano esse tribuendam, nisi eam tueri velles ex eo Triboniani more, quem exponit vir clariss. in Observ. Miscell. tom. IV. p. 281. et compressa jam seditione ideo latam, ne facile iterum tales fierent injuriæ, quibus istius modi motibus caussa daretur. Hæc copiosius, et ordine suo sum persecutus, ut aliis Panegyricorum locis lucem præbeant. Ad hujus lectionem revertor. Agrestium eorum nomen varie in codd. exstat, ex constanti librariorum in nominibus propriis errore: 'Senecaudæ,' 'Bagaudæ,' 'Bangandæ,' 'Baugaudæ,' 'Baucadæ,' 'Caudæ,' 'Vagabundæ,' 'Bacuadæ,' 'Batuadæ,' 'Vacaudæ,' in variantibus lectionibus apud Eutropium IX. 20. Orosium VII. 25. 'Boagandæ' apud Baluzium ad Salvian. Gub. Dei p. 343. 'Baccharidæ' in Eusebii Chronico, 'Bagandæ' apud Jornandem de Regn. Success. I. p. 700. denique 'Bagaudæ' iis locis, quæ habet Vinetus ad Eutrop. IX. 20. etiam apud Victor. Cæsar. XXXIX. 17. a quo nihil differt Βακαῦδαι apud Pæanium Paraphr. IX. 20. et 'Bacaudæ' apud Salvian. Gub. Dei V. p. 91. Adde Vossium de Vit. Serm. II. 8. Neque minor est in vocis origine discrepantia. Eam 'Bagaudarum' in Hebræo sermone quæsivit Arnoldus Pontacus, neque videtur dissentire Boxhornius Origin. Gallic. p. 21. in Græco βαγεύειν alii, quæ opiniones non alia sese specie commendant, quam in illius ætatis consuetudine, qua in talibus ingenii acumen captabant; vere Vossius d. l. I. 1. et II. 3. Gallicam esse vocem pronunciavit, quam a *bagax*, rusticos, qui caulas populantur, designante derivat. Alii 'Bagaudas,' 'Bacaudas,' 'Vacaudas,' quæ tria dialecto tantum differre censet Adamus ad Salvian. V. p. 240. manasse contendunt a *bagat*, id est, turba, hominum collectione, et *gau*, silva, ut designentur silvestres rustici. Cf. Basnage Annal. tom. II. p. 448. Du Cange Glossar. Med. et Inf. Latin. v. 'Bagauda,' Leibnitz. Collect. Etymol. p. 91. aut a *bugad*, tumultuatio, quod Heumanno placuit in Epist. ad Grunerum, inserta Eutropio Verheykii, IX. 20. denique Schwarzius supra ad Paneg. cap. IV. in fin. compositam putat ex *bag*, vel *bac*, vel *pak*, et *auwe*, vel *gau*, ut designet multitudinem scelestorum: nescio tamen, utrumne in talibus compositis *pak* magis in fine, quam principio addatur, ut in exemplis ab ipso prolatis, *Diebesback*, *Hurenback*, quo magis dicendi fuissent *Gaubacæ*, quam *Bacaudæ*. Aliam iterum viam est ingressus Glareanus ad Eutrop. IX. 20. qui maluit dici 'Purengardas,' cum enim in altero Eusebiani Chronici codice exstet 'Progaridarum,' vocem esse depravatam censet ex 'Purengard,' eamque compositam ex *gard*, collectio, et *puren*, rustici.

Denique, qui 'Bagandas' fuisse dictos opinantur, repetunt a *banda*, equitum turma, unde *bandum*, vexillum militare, de qua voce vid. Vossius de Vit. Sermon. II. 3. et Kilianus in Lexic. v. 'Bande:' ex *banda* enim conjiciunt formatum esse 'Bachanda,' Gallorum more *ch* inserentium, et inde manasse 'Bahanda.' Ita Nicol. Loënsis Miscell. Epiphyll. IX. 3. quem secutus videtur Brouwer. Annal. Trever. III. p. 191. sed parum hoc vocis interpretationi, a veteribus proditæ, consentaneum videtur; scribit enim Pæanius in Paraphr. IX. 20. Ὄνομα δὲ ἔστι τοῦτο τυράννους δηλοῦν ἐπιχωρίους. Illic τυράννοι sunt *rebelles*, de quo usu vide Marcil. ad Sueton. Vespas. cap. 1. unde suspicor 'Bacaudas,' et 'Bagaudas' fuisse dictos, a *bac*, sive *bag*, quod latronem designasse ostendit Schilterus Glossar. Teuton. in v. Eo igitur nomine indicarint homines latrociniis regionem vastantes, quos *Landlopers* diceremus; terminatio enim *auda* videtur ducta ex *auwe*, et *gouwe*, quod notat regionem, pagum, rus, Kiliano interprete; fieri inde potuit Latina terminatio *auda*, aut varia dialectus *auwe* dedit, et *aude*, ut ex *gouwe*, *goude*, quod superest in urbis *Goudæ* nomine, ex *aie*, *ode*, de quo Huydecoper ad Æmilii Stokei Chronic. tom. III. p. 485. et Cannegieter. in Epist. ad Comitem Lyndenum p. 54. Hoc autem nomen ab incolis acceperunt, teste Aurelio Victore Cæs. XXXIX. 17. idem sentit Orosius VII. 25. 'quos Vacaudas vocabant.' In alia ivisse censent Eutropium IX. 20. tamquam ipsi sibi hoc nomen tribuerint; cujus, ut videtur, auctoritate motus idem quoque scribit Cellarius ad Eumen. Grat. Act. IV. § 2. Ditmarus ad Teschenmak. Annal. Cliv. Part. I. p. 78. et dubitanter Vossius de Vit. Serm. II. 3. errasse autem Eutropium statuit Heumannus in Epist. ad Grunerum, supra memorata. Non placet utrumque; ita enim Eutropius: 'Et factioni suæ Bagaudarum nomen inponerent.' Hoc interpretor, effecerunt, ut inponeretur, qua ratione quis sæpe dicitur id fecisse, cui facto suo caussam dedit, ut ab aliis fieret. Dixi in Specim. Observ. cap. 1. Denique addo, ex hoc agrestium motu, 'Bagaudam' pro quovis latrone et perduelle sequenti fuisse tempore adhibitum. Cf. Scaliger ad Euseb. Chronic. p. 243. Rittershus. ad Salvian. p. 50. Boxhorn. Orig. Gallic. p. 22. Rupertus ad Besold. p. 356. Du Cange Glossar. in v. *Arntz*.

Romani Principis] Cf. Eumenium Grat. Act. Constantino IV. § 2. *Idem*.

Irrogantem] De Bagaudis istis divina multa produxit divinus ille noster Josephus Scaliger, Animadversionibus in Chronologica Eusebii. At illud *irrogaret*, cum hæreret constanter in Mss., editionibusque omnibus, revocandum putavi, ejecto *irrogantem*: idem notare videtur, quod 'erogare' apud Tertullianum. Nam si dubitaretur de statu ejus, minimo negotio transformari posset in *invocaret*, aut adeo *imploraret*, quod ultimum libri sui margini adlevit, disciplinarum harum curiosissimus, Bongarsius. *Gruter*. Vitiosa superest lectio *irrogaret*, quam intactam reliqui, contentus adtulisse *imploraret*, *invocaret*, a Cellario jam propositas. Bibliotheca Philologica tutissime *imploraret* reponi potuisse pronuntiat. Id si reposuissem, aliusque deinde censor ad ductus verbi *irrogaret* propius accedere *invocaret* judicavisset, non haberem, quod ei referrem. *Jægerus*. *Irrogaret*, quamvis etiam sit in Guelferb. sanum non arbitror; utrum Latine dicatur 'irrogare auxilium,' alii videant; saltem non congruit cum eo, 'irrogare pœnam,' et similia, apud Eumenium Constantin. X. in fin. Quinctil. Inst. Orat. VI. 4. p. 573. Hegesipp. Excid. Hieros. I. 38. verumne igitur, *rogaret*, ut *ir* ma-

naverit ex ultima vocis præcedentis syllaba *is*, non definio; nescio tamen, qui sim proclivior in *implorarat*, quia hoc verbum, et in eadem quidem historia adhibuit Eumenius Grat. Act. IV. § 3. 'implorantibus vobis subvenire potuisset;' Idque magis eum voce 'sollicitare' congruit, quod ibid. § 2. Æduis tribuitur. *Arntz.*

Casum] Lege *cæsum*. Acidal. *Cæsum*, quod hic emendat Acidalius, vitium typographi in edit. Henr. Stephani videtur. *Arntz.*

Inmanior] Id est, magis miranda, ut erudite exponit Burman. ad Ovid. Trist. II. 335. *Idem.*

§ 8 *Artifices transmarinos*] Extrema laudatione in Constantium Cæsarem: 'Quin etiam illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum, devotissima vobis Æduorum civitas (Augustodunum significat) ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ provinciæ redundabant, accepit artifices,' &c. *Livin.* Lipsius ibidem loci vult artifices illos transmisses e Græcia, quoniam in Britannia non elegantiarum ejusmodi copia. Astruit tamen hoc de Britannia locus Panegyrici, vulgo Maximiano, ex nostra mente Constantio dicti, ad ipsum finem: 'Devotissima vobis civitas Æduorum ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ provinciæ redundabant, accepit artifices, et nunc exstructione veterum domorum, et refectione operum publicorum, et templorum instauratione consurgit.' *Acidal.* Cum post Britanniam a Constantio devictam hæc sit oratio habita, 'artifices transmarini' non alii sunt, quam Britanni, inde translati, et ad opera publica adhibiti. Lactantius M. P. VII. 8. 'Non minor provinciarum exactio in exhibendis operariis et artificibus.' *Arntz.*

Incolas novos] Pro Flaviensibus ad Constantinum: 'Divus Pater tuus civitatem Æduorum voluit jacentem erigere, perditamque recreare, non solum pecuniis ad calendaria largiendis, et lavacris, quæ corruerant, exstruendis, sed et metœcis undique transferendis,' &c. *Livin.*

Devotissimarum] Imperatores in Æduis aliquot legiones reliquerant, ut aquæductus repararent, novosque alveos ad commodum civitatis facerent. *Cellarius.* Id est, non tantum addictissimarum, ut in Indice Baunius, sed sacramento Imperatori devotarum, interprete Burmanno ad Nemesian. Cyneg. 83. talis videtur esse 'devota cohors' apud Mamertin. Julian. XXV. § 1. *Arntz.*

Nunc cum maxime] Sic lego hunc locum, *quarum invicta robora, ne in his quidem, quæ nunc maxime gerunt, bellis, &c.* Putean. Vide Paneg. Mamert. prior. cap. II. § 1. *Cellarius.* Puteani confirmatur conjectura ex Guelferb. in quo *cum* abest, et ita edidit Patarolus, forte ex cod. Veneto, quo fuit usus. Nihil tamen mutavi ob ea, quæ dixi ad Mamertin. Paneg. prior. II. § 1. *Arntz.*

Egent bellis] Vet. *gerum, forte gerunt.* Putean. *Gerunt* Vet. Bertiniens. *Livin.* *Requirunt* scilicet Principes. *Egent* forte rectum, ut aliquid subintelligatur. Tamen malim *vigent.* Acidal. *Gerunt* reposuit Gruterus, quod sequentes, præter Rivinum, retinuerunt. Confirmat quoque Guelferb. Si adstipularentur codices, *egent*, juncto casu quarto *quæ*, posset retineri, antiquis 'egere aliquid' non contemnentibus. Ita Plautus Menæchm. I. 2. 12. ubi 'multa egere' ex Catone apud Gellium XIII. 22. adhibuit Taubmannus, et apud Sallustium Jugurth. cap. 102. in cod. est, 'pauca munimenta egebat,' quod in Indice probat Wassæus. Expressi tamen *gerunt*, tum propter codices, tum quia in *egent* quid incommodi deprehendes, si verborum ordinem consideraveris. *Arntz.*

Requirunt] Sine ullo sensu. Re-

pone, ne in his q. quæ n. c. m. ger. requierunt, ut comm. n. st. gr. h. operentur, nec resides aquas, sed novos amnes, &c. aut, et recentes aquas, et n. a. Vonck. Specim. Crit. p. 128. Loco τοῦ requirunt, quod ad Imperatores Cæsaresque referendum, Cod. Mœrl. requiruntur. Jæger. Recte jam, præcedenti observatione, requirunt ad principes retulit Acidalius; Vonckii conjectura oratoris menti adversatur; milites enim, quibus in bellis indigebant, instaurandis potius scholis adhibebant, quam ut eorum opera in re militari uterentur, hoc enim indicat 'requirere,' ut 'requirere auxilia' apud Phædrum I. 31. 2. Brouwer. Annal. Trever. III. p. 201. quibusdam omissis, citat hiberna legionum adhibent, ut resides, &c. Arntzenius.

Operentur] Seneca de Benef. VII. 14. 'At hic diebus noctibusque se lassavit, et omnibus aliis renuntiavit officiis, huic uni imminens et operatus, ne qua se fugeret occasio.' Muretus temere rescripsit, 'imminens et opperiens,' contra omnem vetustam lectionem. Tacitus Annal. III. 'nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam,' &c. Auctor in Constantium Cæsarem: 'Ille vagus, ille prædator exercitio squalidus operatur.' *Livin.* Pacatus Paneg. III. § 1. 'divinis rebus operantes.' In Guelferb. est, *commodis vestris*, male; supr. § 1. 'in nos benevolentiæ:' et recta est Baunii interpretatio: 'Ut nobis commodent pro eo, quo susceptæ sunt a nobis, hospitio.' *Arntz.*

Resides] Si quid emendandum, hoc mallem, quam Vonckii in observatione præcedenti *recentes*. Vulgatæ inhæresco, sunt enim *aquæ resides*, quæ currere desierant, ut apud Varron. de R. R. III. 17. 8. Sed hæ Imperatorum liberalitate erant redditæ. Sunt itaque eædem, atque aquæ *recentes*, a quibus 'novos amnes' distinguit; est enim 'recens,' quod nuper, 'novum,' quod nunc primum habemus. Cf. Cortium ad Sallust. Catil. LIV. 4. Præterea Guelferb. *ut resides*, quod propter ingratam repetitionem minus placet. *Idem.*

Infundant] Cod. Mœrl. et Gud. *refundant*. Jæger. Et hoc restitui; aquæ enim resides, quæ currere desierant, magis *refundebantur*. Arntz.

CAP. V. § 1 *Coloniam*] Referam ad incolas novos, de quibus præcessit. Nam alioqui coloniam Augustodunum non reperio. *Livin.*

Operibus] Vide, ne mutandum *opibus*, aut, illo retento, etiam hoc post ipsum inserendum. *Acidal.* *Opibus*] Ita placuit cum tribus exemplaribus, antea erat *operibus*, quod heic minus appositum. Id vocis iterum reduxi, totidem codicibus antiquis suadentibus, cap. VII. ubi erat: 'quia mutuis operibus et præmiis juvari, ornarique.' *Gruter.* *Opibus* primus exhibuit Gruterus, quem, præter Rivinum, secuti sunt reliqui; confirmat etiam Guelferb. Cf. ad Mamertin. Genethliac. VI. § 5. *Arntz.*

Et præcipue] Omnes jam, præter Paullum Stephanum et Livineium, ediderunt *vel*, de cujus usu vide ad Eumenium Constantio I. § 3. *Idem.*

Liberalium litterarum] Cod. Mœrl. habet *liberalium artium*, sed margini adscripta est vox *literarum*, cui haud facile alias additum invenitur epitheton *liberal.* cum *literarum* nomine solo omne fere genus artium liberalium comprehendatur. Vid. Ernesti Clav. Cic. v. 'Literæ.' *Jægerus.* *Liberalium artium*, quod est in Mœrl. citat Brouwer. Annal. Trever. III. p. 201. Videtur illud *litterarum* transtulisse ex 'liberalibus studiis,' quibus Galliarum subolem Augustoduni operatam tradit Tacitus Annal. III. 43. 'liberalia studia' etiam Constantinus in L. 6. C. de Profess. et Medic. 'disciplinæ liberales' sunt apud Sym-

mach. Epist. I. 21. *Arntz.*

Cum peculiarem] Quidam, etiam De la Baune, tollunt epitheton *peculiarem*. Cellar. Variant in hoc loco editores; antiquissima lectio est, *cum peculiarem*, quam dedit Puteolanus, Rhenanus, Balduinus, et in secunda Rivinus; *cum peculiare* Henr. Stephanus, et in prima Rivinus; porro *ut frequentium*, omissa voce *peculiare*, Livineius, et Paull. Stephanus; *cui peculiarem frequentiam* Gruterus, Patarolus, et Jægerus; *cui frequentiam* Baunius, cujus auctoritate motus Cellarius uncis *peculiarem* inclusit. Vera est lectio, quam cum Grutero aliisque exhibui, ut 'peculiaris frequentia' sit specialis, et huic sedi velut propria, qualia sunt 'peculiaria officia' apud Justinum XXII. 2. 5. 'peculiare secretum,' Ausonius Grat. Act. 4. in fin. Si *peculiare* esset ex Acidalii opinione capiendum, potius *peculiariter* scripsisset, ut supra II. § 2. Paneg. Constantio XXI. § 2. Grat. Action. IX. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Doctrinæ*] Guelferb. *doctrina;* alter casus rectior, ut 'studia doctrinæ' sunt apud Ciceron. de Senect. cap. 14. de Legib. III. 6. Orator, 10. *Idem.*

Dominis] Intelligit, puto, Maximianum Herculeum, et Constantium Chlorum. *Patarol.* Posteriorem sententiam probo. *Arntz.*

§ 3 *Quantum ad*] Sic P. et B. *quos ego quod ad votum.* Putean. *Quod ad votum* Vet. Infra: 'Hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio,' &c. Rursum: 'Quamobrem, ut dixi, sexcena illa, quantum ad honorem spectat, accipi oportere censeo,' &c. Alterum tamen haud damnem. Sic enim Mamertinus in Maximianum A. 'Sit licet hic illi urbi natalis dies, quod pertineat ad originem Pop. R.' &c. *Votum* vero, id est, benignam voluntatem et studium, infra: 'Habes, V. P., studii ac voti mei professionem.' *Livin.* Reposui *quod ad,* ita jubentibus codd. *Arntz.*

Indolem Galliarum suarum] Ideo *suarum*, quod plurima ibi confecerint bella, victoriasque retulerint, et quod plurimum ibidem perstiterint. *Patarol.* Vitium in voce *indolem*, quod interpretes non viderunt, deprehendit Bibliotheca Philologica, rescribitque *juventutem.* Debebam docere exemplis, 'indolem' pro sobole dici. Seneca Thyest. vs. 492. 'Et ipsum et una generis invisi indolem Junctam parenti cerno.' 'Indoles' hic dicuntur tres Thyestæ filii, quos Atreus vs. 523. alloquitur: 'Vos quoque, senum præsidia, tot juvenes meo Pendete collo.' Salvianus Epist. 4. 'Perorans quondam pro periculo existimationis atque incolumitatis suæ in Romano foro Servius Galba, cum ob difficultatem negotii, et invidiam facti sui parum non modo in causa, sed etiam in eloquentia spei poneret, arte usus est, ut judicum animos, quos inflectere precum ambitione non poterat, rerum tentaret affectu. Itaque, consumtis jam admodum cunctis oratoriæ artis ingeniique subsidiis, cum parum se promovisse intellexisset, parvulum, quem secum habebat, Galli, . . . clarissimi, et nuper mortui viri filium, et parvas ante subsellia auditorum indoles suas in consessu judicum conspectuque produxit.' Cf. Epist. 8. et Commentar. Rittershus. p. m. 122. Quæ hic 'parvæ indoles' dicuntur, Ciceroni, in eadem re narranda, de Orat. I. 53. 'filii parvi' sunt, Valerio Max. VIII. 1. § 2. et Quinctiliano Instit. Or. II. § 15. 8. 'liberi parvuli,' et in Epit. Liv. l. XLIX. 'filii prætextati.' Quemadmodum 'soboles' de singulis unius hominis liberis dicitur, ut Lucan. II. 331. 'tertia soboles,' et de sobole universa, non modo hominis, sed et regionis, vel civitatis, (ut Horat. Od. IV. 3. 13. 14. 'Romæ soboles') sic a Seneca et Salviano 'indoles' pro filiis

viri alicujus, ab Eumenio pro juventute Galliarum usurpatur. *Jæger.* Legamne *subolem?* id est Augustodunensium juventutem, ut Tacitus Annal. III. 43. Augustoduno tribuit 'nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam,' et ita 'juventutem Galliarum' dixit infr. c. VI. init. an vero hanc vocem repetiit ex Imperatorum litteris de Schola Instauranda? ita enim c. XIV. § 1. 'Merentur ... et ipsi adolescentes, ... ut eorum indoli consulere cupiamus;' sed ibi alia est vocis ratio. Potius tamen nil mutem, et *indolem* pro adolescentibus et subole accipiam, ut apud Salvianum Epist. 4. p. 176. 'vestri sanguinis indoles;' et p. 178. 'parvas ante subsellia auditorum indoles suas in consessu judicum produxit;' et Epist. 8. p. 183. 'ut indoles sanctæ æque doctrina ac vita inlustrarentur;' ubi Rittershusius. De juventute eximiæ indolis vocem accepit Wopkensius apud Florum I. 6. 1. invito tamen Burmanno. Cf. Observ. Miscell. tom. VIII. p. 57. et 386. tom. IX. p. 267. *Arntz.*

Interitus summi doctoris] Alii *interitu.* Rhenan. Vet. *interitu.* Putean. Usque ad Paullum Stephanum edebatur *interitus*, quod in prima edit. retinuit Rivinus, nullo sensu, et vocis sequentis littera adhæsisse videtur; *interitu* confirmant codd. et Schonhovii excerpta. *Sui* ex codd. Jægeri restitui. Cf. supra ad Mamertin. Genethliac. XI. § 5. *Arntz.*

Inter Imperatorias] *Inter illas Imp.* Vet. *Putean. Illas* Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Recte *illas* recepit Gruterus, et deinde omnes, præter Rivinum. Probat etiam Guelferb. nisi quod in eo sit *Imperatoris. Dispositiones* notant formam constituendæ, regundæque rei publicæ. Cf. Baluzium ad Lactant. M. P. c. 18. *Arntz.*

Dispositiones summis] Omnes fere, *dispositiones summis rei publicæ.* Ex codicibus additum est *longe majoribus*, quod etiam habent Schonhovii excerpta. Ad horum itaque fidem, inprimis Cellarius dedit, *longe majoribus summis*, sed abhorret ab aurium adprobatione hæc lectio: et quid sunt 'longe majores summæ provisiones?' Livineium, emendantem *longe majoribus summæ reip. gubernandæ*, secutus est in textu exprimendo Jægerus, auctoritate Gronovii, cujus emendatio vitiose in edit. Drakenborchiana exhibetur. Ipse mihi tantum sumere non audeo, ut conjecturam, quamvis elegantem, in textum recipiam, quem adeo secundum Cellarium dedi, donec meliora proferant codd. Mihi *summis* delendum videtur; est enim, ni fallor, glossa τῶν *longe majoribus*; ita enim *longe*, comparativo additum, eumdem intendit. Mamertin. Paneg. III. § 3. 'longe illa majora sunt.' Nazarius Paneg. XXI. § 2. 'longe operosior.' Lactantius de Ira c. XI. § 12. 'longe antiquior.' *Arntz.*

Dilectum] Felix respublica, in qua principes non minus litterarum, et eruditorum, quam militum curam agunt, et litterarios dilectus habent. *Cellar.* Revocavi ex Guelferb. et antiquioribus edd. *delectum.* Cf. not. ad Aurel. Victor. XLVII. § 2. Drakenb. ad Livium XXVII. 52. 4. Oudendorp. ad Sueton. Cæs. c. 79. Duker. ad Flor. IV. 2. 5. quamvis dissentiat Cortius ad Sallust. Catil. XXXVI. 3. *Arntz.*

§ 4 *Ad spem*] Qui nimirum studiis legum, et civilibus causis coram judice tractandis velint se addicere. *Patarol.* Malim *ad aciem omn. tr.* totus enim est in metaphora a re militari.. Sic cap. II. 'aciem fori' dixit. *Vonckius*, Specim. Crit. p. 128. De acie fori plura dixi ad cap. II. § 3. Sed nihil muto. *Arntz.*

Cognitionum sacrarum] Innuit judices sacrarum cognitionum, qui nimirum judicabant causas majoris momenti, et propiores gradu erant Imperatoribus. Ideo cognitiones illæ 'sacræ' dictæ, sicut et plures alias

dignitates, magis intimas Palatii, 'sacras' appellatas fuisse licet observare. *Paterol.* Cf. Gutherium de Offic. Dom. Aug. I. 25. *Arntz.*

Palatii magisteria] *Stipendii* Vet. Plura invenio, Officiorum, Scriniorum Memoriæ, Epistolarum, Libellorum, deque iis Eumenium loqui existimo. Sunt et alia, sed quæ minorum, ut sic dixerim, gentium. *Stipendii* vero magisterium, opinor, nullum, valdeque dormitaverit scriba, cùm *stipendii* exscripsit pro *Palatii*, inhærente memoriæ e versu proximo *stipendii* voce. *Livin.* Quæ plurima, neque hic opus referre. Vide Notitiam dignitatum utriusque Imperii, et in eam Commentaria luculentissima Guidi Panciroli. *Paterol.* Vid. Guther. de Offic. Dom. Aug. II. 20. 21. *Jæger.* Hæc 'Magisteria Palatina' adpellat Sidonius Epist. I. 3. ubi Sirmondus. *Arntz.*

Deprehensi] An *deprensi?* ut 'mari deprensus' apud Virg. Æneid. V. 52. late dixi ad Arator. II. 683. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. I. p. 199. Similis metaphora apud Pacatum Paneg. VII. § 4. 'Diu tamen vitiorum turbo jactavit, et naufragos atque fluitantes ab illis, quibus mersabantur, erroribus ægre ætas recepit.' Alii hanc 'lubricam ætatem,' 'lubricum adolescentiæ' adpellant, de quo Buneman. ad Lactant. Epit. LXIII. 7. *Idem.*

CAP. VI. § 1 *In quo ego*] Revocavi omissam a Baunio vocem *ego*, quam in editis omnibus, et in Ms. Mœrl. inveni. *Jæger.* Abest tamen a Guelferb. sed jure revocata. infr. XVII. § 5. 'Quod quidem ego meum ... studium non confiterer.' Eamdem opem feram Quinctiliano Declam. I. 2. 'Neque gravissimum patrem suprema sua juveni jactasse crediderim.' In Ms. meo est *neque ergo*, unde conjeci *neque ego:* jam video ita in sua edit. dedisse Obrechtum, male a Burmanno neglectum. Apud Sallust. Catil. LII. 24. Daventriensis cum quibusdam aliis, 'sed ego hæc omitto;' confer Cortium. Idem cod. in Jugurth. IV. § 5. 'nam sæpe ego audivi.' Ciceronis locum de Orat. II. 90. eodem modo sanavi ad Sedulium Epist. ad Maced. p. 14. *Arntz.*

Constantii] Falso *Constantini.* Patet de Epistola, quam mox inseret. Et profecto erant tum Constantius et Armentarius, non etiam Constantinus, sub Augustis Diocletiano et Maximiano Cæsares. Eaque dignitas, posteriori seculo, in locum successit Principum juventutis, qui sub Octaviano Augusto, ac republ. florente. Quo respexit auctor, cum ait, *vere Principis juventutis.* Quamquam et videri potest, sensisse, ob tam sollicitam erudiendæ juventutis curam *Principis juventutis* appellationem meruisse Constantium. *Livin.* In Guelferb. etiam est *Constantini;* hæc nomina sæpe permutata, præsertim in legum inscriptionibus, et quibusdam locis inferius. *Arntz.*

Principis] Provectior ætate Constantius erat, quam ut in juvenibus censeri posset. Ita autem dicebantur Cæsares, quia Augustis instar filiorum erant. Hoc loco suavis adlusio, eum vere Principem juventutis dici, qui juventutis instituendæ curam habeat. *Cellar.* Posterius illud de juventutis cura modo jam Livineio placuit, et Gothofredo ad L. I. Cod. Theodos. de Medic. et Profess. Cuspiniani *vere*, ab aliis omissum, revocavit Gruterus, et recte, præter Rivinum, retinuerunt sequentes, consentientibus etiam codd. ut 'vere Deus' apud Plinium Paneg. XXXVI. 1. adde patrem meum ibid. LXXX. 3. 'veram virtutem, verum genus' inlustravit Withof. Dissert. II. de Catone p. 568. *Arntz.*

Inventis] Pro *Constantii Principis inventis*, emendavi, *Principis juventutis.* Sic et Onufrius laudat veterem nummum, in quo legitur hæc inscrip-

tio: M. VALER. SEV. NOB. CAES. PRINCIP. IVVENTVT. Hic vero Severus factus est Cæsar, cum Constantius factus est Augustus. Indicat autem ea inscriptio, eo seculo Cæsares plerumque etiam dictos esse *Principes juventutis.* Siculi, et duo illi antiqui lapides, Valentiæ in Hispania reperti, in quibus Herennius Decius, et Hostilianus inscribuntur, 'Nobilissimi Cæsares et Principes Juventutis.' Sed et proferuntur antiquiores inscriptiones, in quibus Cæsares C. et L. dicuntur 'Consules designati et Principes Juventutis.' Dico Cæsares C. et L., hoc est, Caium et Lucium, natos ex M. Agrippa, et Julia Augusti filia, adoptatos deinde ab Augusto, sicuti et Corn. Tacitus testis est, Tiberium, vivente Augusto, Principem Juventutis appellatum esse. Sed eo tunc titulo donabantur adolescentes Cæsares, qui præfuerant ludicro illi certamini armatæ juventutis, quod Trojanum vocabant. Postea vero hic titulus videtur abs illa ludicra ad seriam militiam translatus, ut, quemadmodum duces olim post insignem aliquam victoriam dicebantur *Imperatores*, sic et Cæsares dicerentur *Principes juventutis.* Balduin. Quid illud *inventis?* an *Principis juvenis?* aut potius, *Principis juventutis.* De *Principe juventutis* Lips. in Electis. *Acidal.* De hoc tit. vide observ. præcedenti, et Menard. ad Ciceron. Verr. I. 54. Recte post Stephanum deletum fuit *inventis,* excepto Rivino; alterum confirmant codd. et Vet. Puteani præced. observat. *Arntz.*

Indulgentiam mirari] In Guelferb. est *imitari.* Recte *indulgentia,* curæ paternæ propria, qua adolescentes artibus moribusque formandos prosequebantur Principes. Justinus X. 1. 3. 'Per indulgentiam pater regem vivus fecit:' ubi 'pater' contra Schefferum recte tuetur Wopkensius Observ. Miscell. Nov. vol. ult. Cicero de Orat. II. 40. 'Qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus:' ubi male Trajectinus, 'diligentia.' Ausonius Gratiar. Act. XV. 7. de Gratiano Imp. 'indulgentia pater.' *Idem.*

§ 2 *Me potius*] *Filio* omisit Paull. Stephanus, quamvis Henricus Stephanus jam revocasset. *Idem.*

Ad pristina] Qui *filio* ignorant, illud *meo* quoque neglexerunt. Aliter codd. et Guelferb. nisi quod *pristinum* habeat, ut mox Vet. Puteani: forte, *filio meo pristinum in mea studia.* Sed præstat vulgata. *Idem.*

Studia molientem] Sic Vet. *meo quoque pristinum mea studia aditum molientem.* Vatic. *meo ad prist. m. stud. adit. molient.* Putean. Sive *moliente.* Sed illud relinquo. *Acidal.* *Aditum* recte recepit Gruterus, a Rivino iterum neglectum in prima edit. *Arntz.*

Injunxerat] P. C. *ut me filio potius meo ad pristinum mea studia aditum molientem, ipsum jusserit disciplinas artis oratoriæ retractare, et hoc ipso parentis munus injunxerat.* B. et F. et Vat. *invexerat.* Putean. Forte *injunxerit.* Acidal. Hæc ita accipe: Erat Eumenius sacræ Memoriæ Magister in aula Constantii Chlori, id est, in Palatio parentis ipsius, Maximiani Augusti. Magistri illius erat, adnotationes, id est, Imperatorum rescripta dictare, quod mox dicit, 'cælestia verba, et divina sensa proloqui;' preces præterea privatorum tractare, quæ 'arcana sacrorum penetralium' adpellat. Cf. infr. cap. XI. § 2. Inde autem eum hortatus est Constantius, ut professionem oratoriam in schola Augustodunensium instaurata susciperet, salva tamen Magisterii in Palatio dignitate, vid. cap. XIV. § 4. inde Paneg. Constantino XXII. § 1. suam memorat 'vocem, diversis otii (id est in schola) et palatii officiis exercitam.' *Hoc* itaque *munus ipsi palatio parentis sui invexit* Constantius,

ut *vocem*, qua rescripta Imperatoris in Palatio dictare solebat Eumenius, *ad privata Musarum adyta*, id est scholas Augustodunensium, *transferret*, quæ 'secreta studiorum exercitia' dixit cap. II. § 3. Tota itaque periodo nihil aliud significat, quam Constantium hoc munus invexisse, ut in aula jam esset Magister Memoriæ, qui idem in schola rhetor. Quomodo autem hæc mihi videantur ex rei gestæ serie intelligenda, dicam ad seq. Paneg. init. *Arntz.*

Prolocuturam] *Prolocutam* Vet. Bertiniens. περίφρασις Magisterii Sacræ Memoriæ, quod officium gesserat, ut infra referet, cujus est annotationes omnes dictare, et emittere, 'ac precibus respondere,' ait auctor dignitatum omnium, et administrationum Romanarum per Orientem. Bene ergo *prolocutam*, non *prolocuturam*. Rutilius Gallus Itinerario priore, de Rufio suo: 'Hujus facundæ commissa Palatia linguæ, Primævus meruit Principis ore loqui.' *Livin.* Imo *proloquutam*. Acidal. Magistrum Memoriæ describit, cujus munus erat, adnotationes omnes dictare, et emittere, et precibus respondere. Vid. Guther. de Off. Dom. Aug. III. 3. Eumenium autem hoc honore functum esse, ipse prodit cap. XI. infra, et Paneg. seq. cap. I. *Cellar.* *Prolocutam* recte recepit Gruterus, et confirmat Guelferb. quamvis in prima edit. *prolocuturam* retinuerit Rivinus. Quæ hic sunt 'sacra penetralia,' id Ausonio Grat. Action. init. est 'sacrarium imperialis oraculi,' et 'adyta Palatii,' Eumenio Constantio I. § 1. *Arntz.*

Privatarum] Recte illud *privata* recepit Gruterus, quod etiam est in Guelferb. Retinuit tamen *privatarum* Rivinus. *Idem.*

Aditus] *Adyta* Vet. Bertiniens. Cuspin. Rhenan. *Livin.* *Aditus* tantum dedit Livineius. *Arntz.*

§ 3 *Adderet dignitatem*] Sic infra in Epistola Constantini: 'Nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius hominem, quam destruat dignitatem.' Quo honore fungeretur, vide cap. 15. 'Palatini honoris privilegium oratoriæ professioni salvum et incolume servantes.' *Putean.*

§ 4 *Igitur dubium*] Codd. secutus, primus *est* inserui ante *dubium*. Cod. Bertiniens. lectionem, *dubium est*, dedit Balduinus. *Arntz.*

Gloriarum] Ex Plauto tamen, Cicerone, Tacito, et Gellio exempla dedit Vossius de Analog. I. 11. sed inter Gellii idiotismos retulit Noltenius Lexic. Antib. p. 896. 'Gloriarum gradus,' Incert. Constantino XXV. § 1. 'glorias vindicare,' Eumenius Constantino XV. § 5. 'factorum gloriæ,' Mamertinus Julian. VIII. § 1. 'gloriæ triumphales,' Nazarius Paneg. XXXVI. § 3. *Idem.*

CAP. VII. § 1 *Inde est Atheniensis*] *Quod* Vet. *Putean.* Hanc aram Misericordiæ, quam pietas, et, ut Græce loquar, φιλανθρώπεια Atheniensium dedicavit, arbitror id asylum fuisse, quod ex Atheniensium consensu postea Heraclidæ dedicarunt, qui adversum habentes, patris culpa, omne mortale genus ob impotentiam Herculis, post ejus obitum, dedicaverunt, nepotes videlicet Herculanei, Misericordiæ aram, ut eo pacto se defenderent, qui viribus inæquales non poterant se tutari. De hac ara Claudianus meminit. Scribit tamen Plutarchus in Theseo, Medorum bello consultantibus Atheniensibus ab Apolline responsum redditum, ossa Thesei in urbem deferrent, quæ cum reperta fuerint in insula Scyro, si memoria fideli utor, pompatice deportata sunt in urbem: locus, ubi deposita fuerunt, Misericordiæ consecratus, ad quem miseri, servi, et superiorem timentes confugere possent, hunc honorem

Thesei ossibus habentes, qui neque sepultus desineret popularibus suis auxiliari. De hac ara Misericordiæ Statius sic: ‘ Huc victi bellis, patriaque e sede fugati, Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes Conveniunt, pacemque rogant, mox hospita sedes Vicit et Œdipodæ furias, et funus Olynthi Texit, et a misero matrem summovit Oreste.’ *Pius*, Adnot. Poster. Syll. III. cap. 47. tom. I. Fac. Gruter. p. 457. *Est*, *quod* Vet. Bertin. Cuspin. Claudianus de Bel. Gildonico: ‘ Si flentibus aram Et proprium miseris numen statuistis Athenæ.’ Statius Thebaid. XII. ‘ Urbe fuit media, nulli concessa potentum, Ara Deum. Mitis posuit Clementia sedem, Et miseri fecere sacram.’ Vide et Pausaniam Atticis. *Livin.* Pausaniæ Attic. c. 17. pr. est Ἐλέου βωμός. Fuit media urbe, ut Statius refert Theb. XII. 482. in qua ‘ Mitis posuit Clementia sedem.’ Claudianus B. Gild. vs. 404. ‘ Si flentibus aram, Et proprium miseris nomen statuistis, Athenæ.’ *Cellar.* Erat hæc Athenis in foro, teste Pausania lib. I. Primi enim Athenienses Misericordiam adorare cœperunt, si Diodoro fides lib. XIII. immo, juxta citatum Pausaniam, soli inter Græcos Misericordiam coluere. De ara illa pluribus veteres; at inter recentiores fuse Jo. Meurs. Ceram. gem. c. 16. *Patarol.* *Quod* tuentur codd. et Schonhovii excerpta; omiserant illud Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus; contra *ut* . . . *instituerit* dederunt Livineius, et Paull. Stephanus: meliorem lectionem cum Grutero secuti sunt reliqui. Eamdem aram memorat Theophilus ad I. § 1. de I. N. et G. et cum ‘ portu quietis’ jungit Apuleius Metam. XI. p. 276. hanc per excellentiam τὸν βωμὸν adpellat Lysias in Corinth. Soc. p. 35. ubi, qui de hac ara erudite exponit, Taylor hanc lectionem contra codd., τῶν βωμῶν exhibentes, recte tuetur. Neque minus acute apud Juvenalis Scholiasten Ms. pro ‘ templum mire collocarunt,’ emendavit ‘ templum Misericordiæ’ Wasseus ad Sallust. Jugurth. cap. 88. adde V. D. ad Terent. Heaut. v. 2. 22. Barthium ad Statium Thebaid. XII. 481. Perizon. ad Ælian. V. H. IV. 6. hinc de asylo templi Ἐλέου βωμὸς in Constitutione Theodosii, Cod. Theodos. tom. III. p. 393. simili instituto Romæ fuit ‘ ara Clementiæ,’ de qua Barthius ad Claudian. B. G. vs. 404. Alberti ad Epist. ad Hebræos IV. 16. *Arntz.*

Instituit] Cod. Gud. et Mœrl. habent *constituit*, sine dubio ex proxime antecedentibus repetitum. *Jægerus.* Qui post *est* inseruerant *ut*, Paullus Stephanus et Livineius reposuerunt *instituerit*, et ita citat Barthius ad Claudian. p. 422. quamvis *quod* habeat. ‘ Aram instituere’ est apud Valer. Flacc. III. 426. ‘ Circum humiles aras, ignotaque nomina Divum Instituit.’ Sed forte illic magis ad nomina pertinet, quam ‘ aras,’ ut ‘ instituere ludos’ apud Ovidium Metam. I. 446. Virgilii hæc sunt Æneid. VI. 69. ‘ Tum Phœbo et Triviæ solido de marmore templum Instituam:’ ubi tamen ‘ Constituam ’ habet Servius ad Æneid. III. 274. alterum exquisitius Heynio videtur, eique confirmando adtulit Burmannus Valer. Flacc. I. 15. ‘ Ille tibi cultusque Deum, delubraque genti Instituet:’ ubi cod. etiam ‘ Constituet,’ quod displicet Burmanno, quia ‘ instituere ’ magis proprium videtur aræ templove primum exstructo, quæ ratio ad loci nostri lectionem etiam posset esse adcommodata; dubito tamen, an sit satis vera; de ara enim Maxima, certe primum exstructa, Ovidius Fast. I. 581. ‘ Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram.’ Adde Miscellan. mea cap. 2. in fin. Codd. itaque apud Jægerum secutus, dedi *constituit*; quod enim in fine præced. capitis

idem verbum occurrit, me non movet; id si auribus sit insuave, æque offendet *instituit*. Hinc etiam Ovidius Fast. v. 130. 'Aram constitui, signaque parva Deum.' *Arntz.*

Et Romani] Illud *et* debetur Livineio et Paullo Stephano; hi enim cum in prioribus dedissent, *ut Atheniensis*, necessario hic *et* adripere debuerunt, ne quid periodo deesset. Altera lectio est ex codd. *Idem.*

Ducis] Marcelli. Valer. Maximus I. 1. Cicero Verr. VI. 'Marcellus, qui si Syracusas cepisset, duo templa se Romæ dedicaturum voverat, id quod erat ædificaturus iis rebus ornare, quas ceperat, noluit; Verres, qui non Honori, neque Virtuti, ut ille, sed Veneri et Cupidini vota deberet, is Minervæ templum spoliare conatus est.' *Livin.* Dele vocem *ducis*, quæ totam sententiam obnubilat. Non de unius cujuspiam magnitudine animi loquitur, sed de Romana universim, plane ut 'Atheniensem humanitatem' dicit. *Acidal.*

Virtutis et Honoris] *Honoris et Virtutis* Vet. *Livin.* Sed alter ordo, quo præcedat *virtutis*, servatur in codd. et in locis, modo a Livineio et Baunio citatis, in Galbæ tamen nummo, quem dedit Patarolus, est HONOS. ET VIRTVS. *Arntz.*

§ 2 *Ardor fuerit*] Restat in aliquot libris, *ardor fuit*. Mallem, utraque vocula exclusa, *ingeneratus ardor, earum, &c.* Gruter. Lege, *fuerat*. Acidal. Ex Livineii cod. *fuit* primus recepit Jægerus: alterum est in Guelf. sive Gudiano, idque reddidi ob elegantiam. In secunda edit. Rivinus dedit *nominibus*, quod neque in codd. neque editis deprehendi. *Arntz.*

Earum] Post *earum* Ms. Mœrl. et Patarol. inserit *etiam*. Jæger. *Etiam* non inseruit Patarolus primum, sed est in omnibus codd. et editis, in sola Bauniana typographi vitio neglectum videtur, quam secutus est Jægerus. *Arntz.*

§ 3 *Herculis Musarum*] Lege *Herculis et Musarum*. Acidal. Jo. Petrus Bellorius Vestig. Vet. Romæ Tab. II. inscriptionem profert, AEDIS. HERCVLIS. MVSAR. et Plutarchus Quæstion. Rom. 59. Διατὶ κοινὸν ἦν βωμὸς Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν; *Quare commune templum fuit Herculis et Musarum?* Cellar. *Et* inseruerat Balduinus; male, pendet genitivus a suppressa voce 'ductor,' isque est Hercules musicorum, id est, eruditorum hominum fautor, interprete socero meo in Postum. cap. 17. adde not. ad Sueton. August. 29. ubi in quibusdam *et* quoque inseritur. *Arntz.*

Fulvius] Nunc dicitur Romæ esse S. Luciæ in Apothecis obscuris. Ovidius de Arte Am. III. 169. hujus templi meminit, cum ait, 'Herculis ante oculos, virgineumque chorum.' Fast. VI. 797. 'Dicite, Pierides, qui vos addixerit isti, Cui dedit invitas victa noverca manus.' *Balduin.* Victor Ætolico bello, unde Musarum imagines, Ambraciæ repertas, Romam transtulit, et postea censor, condita æde Herculis Musarum, dedicavit. Plinius XXXV. 10. *Cellar.* De hoc loco Heynius Opusc. Acad. vol. II. p. 305. ita judicat: 'An Herculem Musageten Fulvius, 'in Græcia cum esset imperator, acceperit,' ut Eumenius tradit, admodum dubitamus, cum nondum ulla ejus rei in vetere Græcia auctoritas occurrerit; sin is recte id adfirmavit, Herculis Musagetæ nomen vix aliunde ortum videtur, quam ab artificis opere aliquo insigni, qui Herculem cum Musis exhibuerat, eo forte consilio, ut præclara facta Musarum præconiis decorari significaret.' *Jæger.* Cicero pro Archia c. 11. 'Ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.' Hoc templum non instaurasse Philippum, quod Baunio aliisque visum est, de-

cet, qui de eodem copiose exposuit, De Rhoër Otio Daventr. p. 136. 'Philippi monumenta' memorat Ovidius, quia is porticum adjunxit. *Arntz.*

Summa poëtæ amicitia] Ms. unus, *summi*, quod et huic loco videbatur aptius Bongarsio. Suspicatus sum aliquando, repetitionem ejusdem vocis nocuisse sententiæ, ac scriptum primitus, *et summa summi poëtæ amicitia duceretur:* idque verosimile videtur. Nec obstat locus Symmachi Epist. lib. I. 'Haud ignoramus Magnum illum, cui supra votum fortuna fluxit, Stagiritæ suo nihilum commodasse. Quinto Ennio ex Ætolicis manubiis captiva chlamys tantum muneri data Fulvium decolerat. Enimvero neque Panætio Africanorum secundus, neque Oppio Rutilius, vel Cyneæ Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus liberalium disciplinarum pretia solverunt.' Hæc enim poëtice magis dicta, quam historice: et alioqui optime educata ingenia sæpius contenta esse Principis sui judicio, quam præmio, satis firmavi in Diatribis ad Tacitum, ubi Nero ita Senecam adloquitur: 'Etenim rubori mihi est, quod præcipuus caritate nondum omnes fortuna superas,' XIV. 55. fin. *Gruter.* *Summi* ex ingenio jam restituit Merula Vita Ennii p. *xi.* et ad Annal. XV. p. 555. recte id primus in textum admisit Gruterus, a quo in prima edit. non debuisset recedere Rivinus: est quoque in Guelferb. in quo tamen *et* deest. *Arntz.*

In Græcia] De hujus in Græcia bellis videndus Livius lib. XXXVIII. *Patarol.*

Herculem Musagetem] Hercules, qui magna gessit, materiam præbuit Camenis concinendi, harumque comes habitus est, unde Musagetes appellatus. Verba sunt Pomponii Læti in Dioclet. *Idem.*

Esse comitem] *Id est* inserit Guelferb. ita jam Henr. Stephanus, et post Gruterum, more in vocum Græcarum interpretatione vulgato. *Arntzenius.*

Ambraciensi oppido] Quod adjicit de Camenarum signis, ex Ambraciensi oppido translatis, confirmatur a Plinio, qui XXXV. 10. ait, Fulvium Nobiliorem ex Ambracia Musas Romam transtulisse. Livius lib. XXXVIII. late describit Fulvii hujus consulis bellum adversus Ætolos et Ambracienses, et quidem narrat, Fulvium ab iis accusatum esse, quod templa eorum spoliasset, et simulacra omnia advexisset, sed senatum respondisse, de his ad collegium pontificum referendum esse. *Balduin.*

Mutuis operibus] Pro *opibus*, Cuspin. Livineii textus, et Stephanus exhibent *operibus;* quod tamen voci receptæ nequaquam præferendum. *Jæger.* Recte *opibus* recepit Gruterus, jam ipsi ex codd. probatum supr. ad cap. V. § 1. confirmat quoque Guelferb. Vid. ad Geneth. VI. § 5. retinuit tamen *operibus* Rivinus. De locutione, 'ut res est,' vide ad Mamertin. Geneth. IX. § 2. infr. ad Eumen. Constantio princip. *Arntz.*

Et Musarum] Inserui *et* ex Guelferb. majoris elegantiæ in hac repetitione. *Idem.*

Et virtus] Sic Claudian. de Laud. Stilic. lib. III. 'Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas.' *Patarol.* Claudiano paria habet Cicero pro Arch. cap. 10. *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Avi Herculis*] 'Avus,' progenitor, est Hercules Deus, communi æde cum Musis cultus: 'pater' est Maximianus Herculeus, qui Cæsarem et filium Constantium cooptaverat. *Cellar.* Præsertim id nomen inde repete, quod Cæsares erant filiorum loco, et, qui eos adsciscebant, tamquam patres. Cf. Spanhem. ad Juliani Orat. I. p. 98. *Arntz.*

Studium] In Guelferb. est *studio:*

hoc est ex consueto scripturæ in codd. genere, unde non pauca scriptorum loca leguntur adhuc corrupta. Exempla dederunt Salmasius ad Jus Attic. p. 175. Cannegieter. ad Fragment. Vet. Jurispr. p. 142. et ipse Specim. Observ. cap. ult. addam hac occasione quædam alia. Aurelius Vict. O. G. XIII. 2. 'Suspenso certamine, per colloquium inquisito, qui essent, quidve peterent:' emendant quidam 'inquisivisse,' quidam ablativi absoluti usum vulgatæ explicandæ adripiunt, quod fieri posse negat Grunerus; plana erunt omnia, si scribas 'inquisitum,' suppresso 'est.' Porro apud Lactantium de M. P. LI. in fin. est, 'Ita illis pudicitia et conditio exitio fuit:' hæc non tentarem, nisi in cod. Colbertino, ex quo solo hic libellus est editus, legeretur 'conditioni,' quod recte vitiosum pronunciat Bunemannus, sed ultima syllaba male videtur lecta, et magis exstitisse 'conditio in,' ut scripserit Lactantius, 'conditio in exitium fuit,' locutione eidem admodum familiari, ut 'esse in usum,' 'in auxilium,' et similia ex eo contulerunt Cellarius et Bunemannus ad eumd. I. 18. 18. Adjungo Rutilium Lupum de Figur. Sentent. I. p. 83. 'Rursus eum reversurum officio,' scribe 'in officium.' Denique in L. 2. § 2. ff. Naut. caupon. 'Eodem modo tenentur caupones et stabularii, quo exercentes negotium suum recipiunt; ceterum si extra negotium receperint, non tenebuntur:' legit illic Accursius, 'quod exercentes,' Haloander, 'si quod;' Bestius de Rat. Emend. Leg. cap. I. § 12. n. 5. 'quando;' in Florentino fuit etiam 'quo,' sed postea mutatum in 'qui,' teste Brenckmanno, neque hoc damnat Bestius, et tantum probat Wieling. Lect. Jur. II. 10. n. 6. Lege 'quum exercentes,' quod opportune opponitur sequentibus, 'si extra negotium.' Contrarii vitii exemplum præbet Aurel. Vict. Epit. XLI. 2. ubi cod. Guelferb. habet, 'ad patrem in Britanniam situm pervenit:' illud 'situm' in omnibus edd. est neglectum, ex quo effingebat Grunerus, *confestim*; tu scribe, *cito*. Idem.

Numinis existimet] *Numinis sui*, Bertin. *Livin.* *Sui* confirmant codd. et recte recepit Gruterus, quamvis iterum neglexerit Rivinus. Mamertinus Paneg. Maximian. VII. § 5. 'Jovis sui more:' et XIII. in fin. 'inter officia est numinis tui.' *Arntz.*

Disciplinam] *Disciplinas* Vet. *Livin.* Etiam Guelferb. et id dedi, tum quia 'disciplinas artis oratoriæ' dixit supr. VI. § 2. tum ob duplicem speciem, 'bene dicendi,' et 'recte faciendi.' *Arntz.*

§ 2 *Venerunt omnia*] *Venerunt, ad* Vet. *Putean.* Forte *ad omnia*. Livin. Lego *venerunt, ad omnia*. Acidal. Cuspinianum secutus est quoque Balduinus, et prima ed. Rivinus, in altera utroque loco *ad* omisit: codd. obtemperans secundum Jægerum contextum expressi. *Arntz.*

Ad ipsa] *Et* Vet. Cuspin. *Livin.* Ante Gruterum legebatur *ad ipsa*, quod etiam in prima edit. habet Rivinus. Jægerus dedit, *et ad ipsa*, sed lectionem Gruterianam, quam reliqui sunt secuti, deleto *ad*, revocavi, quia in eam conspirant cod. vet. Livineii et Guelferb. *Arntz.*

Munimina convalescunt] Melius *munia*. Rhenan. Rhenanus recte *munia*. Acidal. Recte *munia* recepit Gruterus, et est quoque in Guelferb. et Schonhovii excerptis. Propter 'teneram ætatem,' 'convalescere' hic designabit crescere, potentia augescere; sic 'convaluit' apud Justinum III. 4. recte contra Crusium Prob. Crit. p. 12. tuetur De Rhoër Fer. Daventr. p. 237. sed ob vocem *diversissima* suspicor, utrum scripserit *coalescunt*, verbo rebus antea di-

visis, jam conjunctis, proprio. Incerti Epithal. Maximian. II. § 2. 'Romana res, diversis regentium moribus fatisque jactata, tandem perpetuis domus vestræ radicibus coalescat:' ut tuetur Livineius pro 'convalescat,' quamvis hoc servent codd. Cf. Notas, et ad Eumenium Constantino III. § 3. Pacatus Paneg. XXXVI. in fin. 'sub uno capite diversa reip. membra coalescunt.' Tacitus Hist. II. 37. 'Exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere;' similiter 'coalescere in unius populi corpus,' Livius I. 8. 1. et 11. adde eumd. II. 48. 1. Velleium Paterc. II. 90. 1. Auctor. de Rep. ordinanda Epist. II. cap. 7. § 2. *Coalescunt* pro *convalescunt* emendat etiam Balduinus infra XVIII. § 4. Cf. Cort. ad Sallust. Cat. VI. 2. *Arntzenius.*

§ 3 *Multo hic*] Pulm. *multo hoc.* Forte, *multo hæc.* Putean. Quam Remæ Fulviana. *Livin.* Ubi ita emendaverit Acidalius, me latet: præterea in ea, qua utor, Baunii editione ipsi tribuitur *huc.* Jægerum, et codd. secutus, *hoc* expressi, id est, ob hoc, ob cultum, et firmitatem. *Arntz.*

Atque Musarum] Miror, quare hic prætermiserit Livineius præclaram emendationem Merulæ, quam is in suo Ennio protulit, *ædes Herculis Musarum*, expuncto *atque*, quod a mala manu est. *Musarum*, scil. ductoris, Ἡρακλέους Μουσηγέτου. *Ritters.* Hæc Merulæ conjectura legitur in ipsius notis ad Ennium Annal. XV. p. 555. cui favent notata supra ad cap. VII. § 3. puto tamen *atque* retinendum esse, quia supra de vera æde Herculis Musarum agit, hic de scholis Mænianis, quas duplici commendat specie, tamquam ædem Herculis, ob easdem a Constantio Herculio instauratas, et tamquam ædem Musarum, ob humanitatis studia illic tractanda. *Arntz.*

Cap. IX. § 1 *Vir Præstantissime*] Valet procul dubio, *Vir Perfectissime*, ut ante semper. Quin dignitas ipsa tum 'Perfectissimatus' dicebatur. Lege, quæ Franc. Balduino hic notata, cujus sunt in orationem hanc notæ, ac sine libris diligens, et accurata opera. Inepte ergo in Cuspin. Rhenan. editum ad longum, *Vir Præstantissime.* Livin. Cuspinianus et Stephanus habent *Præstantissime*, quod jure reprobat Livineius. *Jæger. Perfectissime* etiam Schonhovii excerpta. Notas secundum cod. Puteani et Guelferb. expressi, quibus etiam usi sunt quidam editores. Confer ad Panegyrici init. *Arntz.*

Principes tot victoriis] Sic habent, quos vidi, omnes, excepto cod. Mœrl. et Gud. qui præfert, *tanti Principis tot victoriæ ac triumphi merentur.* Sed nihil mutandum. Nam, quæ sequuntur, verba *canendis eorum virtutibus* ad *triumphos* referri non possunt. *Jæger.*

§ 2 *Ostendant*] Balduinus edidit, *ostentant.* Quid hisce significet, præsertim vero *læto occursu juventutis*, dicam cap. XIV. § 2. *Arntz.*

Reparatum videant] Lege *viderint.* Sed eo tempore et Panegyrico primo, 'Hi, quum primum redeant ad te triumphantes, uno cupiunt invehi curru.' 'Redeant,' id est, redierint. *Acidal.* Præsens aptius, ut indicet rem certo eventuram. Cf. Grævium ad Ciceron. in Verr. V. 49. *Arntzenius.*

Illustrius, cum] Traductio est et alia corruptio. Lege, *opus istud cum ipsorum Cæsarum, tum etiam omnium h. a. promtum, reddit*, vel *redditur, illustrius, quod præcipuo est loco positum.* Acidal. Caussam trajiciendi non video. Probat etiam Guelferb. *et*, recte jam insertum a Grutero, cui in secunda edit. etiam obsecutus est Rivinus. *Arntz.*

Adspectu] *Adspectui* Guelferb. Recte Gruterus hoc recepit, quamvis *aspectu* retinuerint Rivinus et Cella-

rius. Est autem *opus adspectui promtius* magis in adspectum hominum patens, oculis eorumdem magis expositum, quomodo 'occulta' opponuntur 'promtis' apud Tacitum Annal. XI. 20. et contra 'manifestum' cum 'promto' conjungitur apud Arnob. advers. Gent. II. p. 57. ubi Heraldus. Dativum *adspectui* tuetur Livius XXIII. 1. 10. 'Mœnia, haud quaquam promta oppugnanti.' Quod vero in Mœrl. est *respectu*, videtur ex sequenti num. petitum, ubi alia res est. *Idem.*

Apollinis] Sitæ Mænianæ inter utrumque templum. Capitolium autem non solum Romæ erat, sed, ad exemplum ejus, etiam in provinciis. Sidonius Sapphico, extremæ Epistolæ lib. IX. subnexo, Tolosatium Capitolii mentionem fecit; Antiocheni Livius XLI. 20. *Cellar.* Plurimarum urbium Capitolia adcurate enumerat Rycquius de Capitol. cap. 47. Demster. ad Rosin. I. 5. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 47. Ad hoc Apollinis templum respicit Eumenius Constantino XXI. § 7. ubi latius eruditi. *Arntz.*

§ 4 *Utriusque late numeris*] Opinor legendum, *utriusque lateris instauranda.* Rhenan. Non dubito recte a nostro Delbenio emendatum, *numinis.* Balduin. Aperte verum est, *utriusque lateris instaur.*, quod et B. Rhenanus conjecerat, doctior mehercle, quam ut debuerit a criticis quibusdam tam petulanter et acerbe incessi. *Livin.* *Late numinis*] Sic aliquot Mss. et præponendum duxi vulgato *numeris;* etsi tamen adhuc prurit calamus inducere voculam *late*, natam ex superiore illo *lateris*, quod scriba temère cœperat exarare ob præcedens *utriusque*, neque etiam expunxit, ut debebat, ne deformaretur facies codicis sui lituris. *Gruter.* Vocem importunam *late*, ex superiore *lateris* ortam, ausus sum ejicere. *Jæger.* *Numinis* etiam habent Guelferb. et Schonhovii excerpta, et, postquam receperit Gruterus, reliqui retinuerunt, præter Rivinum in prima edit. De voce *late* major est dubitatio. Balduinus, et Jægerus ejecerunt, et quamvis speciosa in id sit Gruteri ratio, tamen contra codd. tantum mihi non sumserim. Forte scripsit, *utriusque e latere numinis*, ut indicet sedem utriusque Dei favore instaurandam; hoc enim sensu 'respectus' videtur accipiendus, quo homines Dii faventes dicantur 'respicere,' cum generatim designet actionem superioris erga inferiorem, potentis versus inopem, ut scribit Bentleius ad Horat. Epist. I. 1. 105. Conf. Barthium ad Eumen. Constantino I. § 3. ut contra 'Dii aversi,' apud Ovidium Trist. I. 3. 45. ubi Heins. et Burman. ad III. ex Pont. 2. 18. quam vocem per 'facie aversa' interpretatur Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. p. 655. quo modo Petrus Epist. I. cap. 3. 12. dicit πρόσωπον Κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά. Hoc tamen loco mihi visum est verisimilius *late* ad *instauranda* esse referendum, ut elegantiam sumtusque designet, quibus illa sedes instauraretur, de qua notione dixi ad Arator. I. 572. atque ita hoc opponeretur 'labi mediæ,' quam mox memorat, id est, scholis collapsis, nullaque elegantia sese commendantibus. *Arntz.*

Labes] Scholæ illæ excisæ, et collabentes, pulchrioribus delubris intermediæ. *Patarol.* Eodem sensu 'populorum labem' dixit Juvencus Hist. Euang. IV. 113. ubi Omeis. *Arntz.*

§ 5 *Minerva*] Non aliud a capitolio templum notatur. Minerva enim etiam ex capitolinis Diis. Sidonius jam dicto Sapphico: 'Qui Tolosatem tenuit cathedram, De gradu summo capitoliorum Præcipitatum. Quem negatorem Jovis et Minervæ, Et crucis Christi bona confitentem Vinxit ad tauri latus injugati Plebs furibunda.' Non autem Jovem, sed so-

lam Minervam Eumenius memorat, quia litterarum præsides ipsi curæ erant. Adde Livium XXXVIII. 51. in Scipionis oratiuncula: et Ryckium de Capitol. c. 47. *Cellar.*

CAP. X. § 1 *Mens divina*] Περίφρασις Jovis. Incertus in Constantinum A. 'Habes profecto aliquod cum ipsa mente divina, Constantine, secretum,' &c. *Livin.* Minerva ipsa, quam e cerebro Jovis exiisse fabulati sunt antiqui. Apollodor. lib. I. Apollon. Argon. lib. IV. Lucian. Opusc. de Sacrif. Nec assentior Livineio, qui hanc periphrasin arbitratur, Jovemque intelligit. *Patarol.* Ita recte; Minervam, non Jovem, intelligi ostendit chiasmus, *mens* enim *divina* pertinet ad sequens *virgo perpetua;* sed *carminum Deus* ad *præscius futurorum.* De hoc usu dixi ad Genethl. VIII. § 1. *Arntz.*

Virgo perpetua] 'Intacta Pallas,' Horat. Od. I. 7. 5. 'casta,' III. 3. 23. De 'innupta' Barthius ad Claudian. p. 29. et 548. *Idem.*

Providentiam præscius] Apollo namque fatidicus, cujus pluribus in locis oracula, ut in insula Delo, Delphis, Pataris, et alibi. *Patarol.* Ms. Mœrl. *prudentiam.* Jæger. Hinc 'augur' dicitur apud Virgilium Æneid. VIII. 336. Horat. Od. I. 2. 32. qui etiam tueri posset *prudentiam,* quod est in Mœrl. Od. III. 29. 29. 'Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit Deus:' et 'imprudens' de eo qui calamitatem non prævidet, in L. 52. § 3. ff. Pro Soc. Cf. ad Arator. Epist. ad Florian. vs. 17. sed cum 'providentiam' frequenter adhibeant hi scriptores, nihil mutandum puto. Cf. etiam Buneman. ad Lactant. III. 17. 18. et Burman. ad Sueton. Aug. 10. *Arntz.*

Medius Camœnarum] Cf. Heusinger. ad Vechner. Hellenol. I. p. 290. *Arntz.*

§ 2 *Quam*] Abest in Vet. Bertin. Non placet. *Livin.* Pro *ubi* Mœrl. cum Gud. Ms. habet *ut;* non male. *Jæger.* Atque hos codd. sum secutus, ut caussa exprimatur, qua usus eloquentiæ sit melior. *Arntz.*

Quodammodo suas] Hoc est, pæne et propemodum: nam in proximo capitolium, ut jam dixit. *Suas* etiam aperte rectum, non *suos,* quod Cuspin. exhibet. *Livin.*

Placata] Est conciliata Herculi Herculiisque. *Jæger.* Lactantius I. 11. 39. 'Jupiter sine contubernio conjugis, filiæque coli non solet.' Vid. Dausq. ad Sil. Ital. X. 431–34. qui numum exhibet Antonini Pii, in cujus altera facie trium istorum Deorum symbola ita conjunguntur, ut aquila inter noctuam et pavonem medio loco consistat. Ex religionibus Samothracicis rem repetunt nonnulli, et physica ratione interpretantur. Vid. Macrob. Sat. III. 4. Add. Rycq. de Capit. c. 13. *Idem.*

§ 3 *Satis verborum fecisse*] *Me* recte inseruit Gruterus, et probant Guelferb. et Schonhovii excerpta, quod non debuisset negligere Rivinus. *Dixisse* ex Jægeri codd. non probo, ne ingrata fiat in proximo *dicendum* repetitio. *Arntz.*

Ad dicendum] Auctoritate Guelferb. delevi *ad.* Prius sibi dicendum constituerat de scholarum instaurandarum usu et officio. Cf. cap. III. § 4. *Idem.*

Conjunctum] Cod. Gud. et Mœrl. *convinctum;* de quarum vocum confusione vid. quæ dicta sunt ad Mamert. Paneg. prior. cap. VI. § 3. *Jæger.* Utrum 'celeberrima' ad famam, an ad frequentiam hominum pertineat, dubium videtur; posterius mihi magis placet, quia cap. præced. templa hæc inter 'oculos civitatis' sita dixit, et ideo scholas has 'omnium hominum adspectui promtiores.' Hoc sensu 'celebrare viam' occurrit, de quo Buneman. ad Lactant. Instit. VI. 5. 7. *Arntz.*

CAP. XI. § 1 *Nunc in*] Lectio h. l.

non satis certe constitui potest. B. Rhenan. Livineius in contextu, Stephanus, manifesto errore, omittunt τὸ *quod*, sed jure optimo illud receperunt Parisienses, Cellarius, Patarol, cum et sententiæ ratio postulet, et exemplar. membr. Livineii, Bertiniense, et Cuspiniani, quibus et Ms. Mœrl. accedit, illud exhibeant. *Jæger*. *Quod* etiam Schonhovii excerpta, sed abest a Guelferb. Inseruit primum Gruterus, post quem retinuerunt omnes, excepto in prima edit. Rivino. *Arntz*.

Secundum eundemque locum] Deest quiddam; forte *potiorem*. Livin. Videtur vocabulum *eundemque* ortum, a priori voce *secundum*. Certe, si tolleretur, rediret auctori suus sensus integer, qui nunc hiat. *Gruter*. Mutilum et hoc. Sententia suggerit, *Nunc quod in secundum, eundemque ultimum locum distuli*. Acidal. Post *secundum* omnes, excepto Bannio, et Cellario, inserunt *eundemque*, idque etiam in cod. Mœrl. legitur. *Jægerus*. In ejicienda voce *eundemque* Bannium quoque secutus est in textu Jægerus, quod exemplum sequi non sum ausus, propter codd. etiam Guelferb. in hac voce consensum. Solus edidit Balduinus, *nunc in secundum locum distuli, ut, quemadmodum, &c.* Plerique ante Gruterum, ut dictum præced. observatione, *quod* omiserunt, sed tum languet sententia. Dedi textum ex codd., quamvis corruptum; utrum scripsit? *Nunc, in secundum tandem quod locum distuli*. Arntz.

§ 2 *Salarium*] Vide Not. ad Plinium Epist. IV. 12. 2. Salaria hæc constabant in rebus annonæ, frumento, vino, etiam vestibus, similibusque; hinc *salarium* in Glossis Nomicis exponitur, Σαντάνη, δῶρον ἡμερήσιον. Cf. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. pag. 214. tom. V. p. 49. hinc etiam 'annona' pro salario annuo. Meursius Auctar. Philog. cap. 29. quibus data fuerint, exponunt eædem Glossæ: Σαλάρια τὰ διδόμενα ἀπὸ τοῦ δημοσίου ἄρχοντι, ἢ συνέδρῳ, ἢ ἰατρῷ, ἢ παιδευτῇ. Ita Athenis data fuisse philosophis, eademque eloquentiæ professoribus, et philosophiæ magistris adsignasse M. Antoninum, ostendit Valesius Emend. III. 9. de aliis Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 556. atque hæc non magistratuum arbitrio, sed, Eumenii saltem tempore, solo principis jussu tribuebantur, unde cum hoc sibi sumsisse videantur magistratus, soli esse Imperatori relinquendum, sanxit Constantius in L. 1. C. de Præbend. Salar. adde Gothofred. d. l. tom. IV. p. 556. quin Imp. Gratianus in L. 11. C. Theod. de Medic. per omnem Galliam ita definivit, ut oratori XXIV. annonas, grammatico Latino aut Græco XII. præstari jusserit; hunc vero Treveris, tamquam claræ admodum civitati, honorem habuit, ut illic rhetori XXX. Grammatico Latino XX. Græco XII. darentur annonæ. Differunt autem 'salaria' a 'solatiis,' id est, beneficiis, et lucris præter salarium, de quibus Gothofred. ad Cod. Theod. tom. II. p. 222. Rittershus. ad Corippum III. 303. etiam a 'sportulis;' ita enim Glossæ Nomicæ: Σπόρτουλα τὰ διδόμενα τοῖς ἐκβιβασταῖς· σαλάρια δὲ τὰ διδόμενα τοῖς συνηγόροις. Cf. Homberg. ad Novell. 82. cap. 7. *Arntz*.

Reipublicæ viribus] Sic infra in Epistola Constantii: 'Denique etiam salarium te in sexenis millibus nummum ex Reip. viribus consequi volumus.' *Putean*. Solus, quod sciam, *juribus* edidit Balduinus, et ex ingenio tentabat Grotius Flor. Sparsion. p. 420. de qua permutatione dixi ad Arator. I. 317. hoc tueri conantur auctoritate L. 1. C. de Præb. Salar. ubi in quibusdam est 'juribus reip.' sed ex L. 1. C. Theod. de Salar. non præbend., ex qua hanc in Cod. Justinianeum transtulit Tribonianus, etiam 'viribus' emendandum esse, jam monuit Gothofred. in Notis, et Gro-

novius Observ. IV. 24. et probant exempla, quæ contulit Gothofred. ad L. 26. C. Theod. de Oper. publ. qui inde etiam hoc loco *viribus* probum esse, quod etiam servat Guelferb. ostendit tom. IV. p. 556. similiter Salmasius ad Lampridium p. 115. Barthius ad Statium Thebaid. II. 109. contra Petitum Miscell. IV. 1. Sunt autem 'vires reip.' reditus, vectigalia, canones, et pensiones, quas singulæ habebant civitates, partim operibus publicis reficiendis, partim aliis necessitatibus destinatas; etiam professorum salariis, quarumque administratores erant decuriones, quos tamen salaria suo non potuisse arbitrio constituere, sed in id Principis jussu opus fuisse, supra monui. Adde Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 556. *Arntz.*

Sexcenis millibus] Est summa nostratium aureorum XV. millium. Excederet certe hoc omnem fidem, si annuam hanc pecuniam accepisse eum crederemus. Atqui non *sexcenta millia*, sed *in sexcenis millibus* sibi constitutum stipendium scribit, quo loquendi modo arbitror intellexisse eum, sibi præstitum reditum et fœnus, quod ex tali summa resp. percipere potuisset, L. 'Si bene ff. de Usur.' Fœnerabant autem respublicæ civitatum duodenis assibus, ut inquit quadam Epistola ad Trajanum Plinius, quæ in jure nostro 'centesima usura' dicitur, id est, XII. annua in centum, qua computatione accepisset Eumenius mille et octingentos aureos annuos. Quod si civilioribus usuris, quales Justinianus constituit, L. 'Eos C. de Usur.' L. 3. § fin. Ad Leg. Falcid. eam pecuniam collocari fingamus, jam minor erit ejus honorarii quantitas. Sane modus ille loquendi, 'accipere in sexcenis,' apud auctores non sat frequens est, videturque non esse ei absimilis, quo Ulpianus utitur L. 'Si quis stipul. de Solut.' 'Si quis stipulatus fuerit X. in mille:' qua tamen in re amplius deliberandum est. *Alciatus*, Parerg. Jur. VI. 27. Quis credat, salarium tam amplum ulli rhetori fuisse? neque nos primos offendit ea summa. Sed nos ex collatione Græci scriptoris, qui testatur annua stipendia professorum sub Imperatoribus fuisse aureorum sexcentorum, putamus in hac oratione semper *sexagenis*, et *tricena* scribendum, non autem *sexcentenis*, et *terena*. Sexagena sestertium millia, sive sexagena sestertia, sunt aurei sexconteni, quod fuisse salarium professorum diximus. Tatianus in Oratione Apologetica, philosophorum increpans avaritiam, 'Vestri,' inquit, 'philosophi tantum a contemtu opum absunt, ὥστε παρὰ τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐτησίους χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινὰς εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ὅπως μηδὲ τὸ γένειον δωρεὰν καθειμένον αὐτῶν ἔχωσι·' et nota, sis, vocem τινάς· nam ex ea intelligimus, celeberrimis tantum doctoribus id datum salarium, quod facit valde ad destruendam illam immensam summam, quam falsa scriptura apud Eumenium ingerit. Quæ adversus hanc emendationem eruditissime doctissimi viri disputarunt, non adducunt me, ut sententiam mutem, maxime cum Eumenii illa verba cogito, 'ex hujus reip. viribus.' Quis credat, rhetores, qui in urbe docebant, annua centena habuisse ex instituto Vespasiani; hunc vero, qui in provincia, et quidem in urbe non admodum potente, ut ipse testatur, annua sexcentena, hoc est, ad coronatos hodiernos, decies mille et quingentos? Mihi istud mirum videtur, atque ἀπίθανον. *Casaubon.* ad Sueton. Othon. cap. 4. Id est, totidem sestertiis. Nam explorate idem sestertium, quod 'mille nummum,' et clare 'trecena sestertia' auctori sunt trecena millia nummum, hoc est, superioris summæ dimidium: ita enim capio, quod ait, 'addita pari sorte.' Ea liquido sena

millia aureorum conficit; aureorum, inquam, quales singuli nummis centum mutabantur, ut perspicue e Tranquillo, Tacito, Dione, Zonara constat. Nostrates, qui harum rerum periti, xv. millibus coronatorum æstimant. Sed pax, Eumeni, tantum de oratoria professione quæsisse! Falsum id, et incredibile visum Is. Casaubono ad Suetonium Othone cap. 4. itaque *sexagenis*, ac mox *tricena* e Tatiani, veteris, et eruditi scriptoris, Apologetico reponit, cui diserte sexceni aurei salarium philosophicum. Sane sexagena sestertia exacte aurei sunt sexceni ad valorem, quem dixi, sed hoc primum Vespasianus e fisco (verba sunt Suetonii cap. 18.) 'Latinis Græcisque rhetoribus annua centena constituit,' id est, pæne totum alterum tantum. Neque id verisimile mihi citeriore sæculo imminutum, sed, quæ ambitio fuit principum, auctum. Deinde autem cogita, sis, mihi, lector, Eumenium non e multis. Cui cum a sacræ Memoriæ Magisterio ad privatum digresso salvum fuerit honoris Palatini privilegium, quid mirum, si eopse respectu largius quoque salarium consecutus, præsertim in tam effusa Constantii Cæsaris liberalitate, quam Historiæ loquuntur? Itaque jam nulla caussa est, cur lectionem nostram, in tanta codicum, qua scriptorum, qua editorum, conspiratione, ex auctore Græco damnemus, dubiis numerorum notis, et magnam partem corruptis. *Livin.* Nulla causa est, cur aliqui corrigerent, *in sexagenis milibus numum.* Causam dicunt, quod sexcena illa numum millia pro captu rhetorica profitentis nimia sint. Sexcena enim millia numum esse nostratium aureorum millia quasi xv. at sexagena millia esse aureos quasi MD., quæ mediocris munificentia. Atqui si causa inspiciatur, ob quam datum ejusmodi salarium, patescet, nihil in eo nimium, aut supra fidem esse. Nam adsignatum Eumenio est, non solum ut rhetori, verum etiam ut Magistro Memoriæ, sive ut merita ejus compensarentur, et revocatio ejus ex cursu honorum illo quasi honore honestaretur. Quin autem salarium illud grande fuerit, dubitare non potest cogitans, satis fuisse illud tantæ scholarum ædificationi. Illa jam puerilis exerratio est putantis, recte apud Eumenium legi *sexcentis*, aut *sexcentenis* pro *sexcenis*. Ineptiæ vero illæ distinguentis 'tercena' et 'tricena,' cum differant 'triceni' et 'trigeni,' ut apud Agrætium. *Marcilius* ad Sueton. Vespas. cap. 18. Sexcena sestertia summum constituunt quindecim mille Philippæorum, ut adnotat Lipsius IV. 10. de Magnit. Rom. Visa hæc summa nonnullis modum excedere, ut Casaubono, ac Balduino, quibus in mentem venit lectionem mutare: at cum libri omnes consentiant, non est cur mutemus. Nec miremur, tantum salarii Eumenio collatum, 'singulari doctori,' ut ait Lipsius idem, 'et qui Palatii Magister fuisset. Credent mecum, qui veteres opes et animos satis sciunt.' *Patarol.* Quæ hic de Balduino memorant eruditi, vide infra ad cap. XIV. § 5. *Sexcentis* editum est ante Gruterum, post quem dedit quoque Rivinus. Codd. alterum tuentur, unde in Schonhovii excerptis adscriptum legitur, 'Sexenis, postea bis tamen idem exemplar legit sexentis.' Lectionem hanc contra Casaubonum, aliosque tueor, cum Gronovio Pec. Vet. IV. p. 380. Hi summam illam rhetori nimis grandem fuisse contendunt, sed non cogitarunt Eumenio, tamquam rhetori, tantum trecena sestertia fuisse data, alia enim trecena dudum ante acceperat ex sacræ Memoriæ Magisterio, ita ut salarium ipsi tantum fuerit duplicatum, ut ipse mox adfirmat. Jam trecena illa summam non adeo grandem fuisse docent exempla apud Lipsium

de Magnit. Rom. IV. 10. et Monit. Polit. Opp. tom. IV. p. 321. Accedit, summam Casauboni vix sumtibus in scholas reficiendas parem videri, cui negotio eam adhibendam voluit Eumenius. Sexcena igitur non faciunt salarium professionis. Voluit enim Constantius, ut, oblata professione oratoria, salvum tamen maneret dignitatis, id est, Magisterii Memoriæ privilegium, cap. XIV. § 4. cum dignitate salvum itaque mansit etiam salarium trecenorum, quod ex hoc munere se cepisse mox dicit, et professionis nomine tantum alia trecena cepit, totum vero salarium ad scholas restituendas destinavit. Hoc modo si res intelligatur, et certe ita intelligenda est, multum ex obmotis difficultatibus erit sublatum. Ceterum in *sexcenis millibus* est sexcentorum millium, interprete Buchnero ad Plin. Epist. X. 3. 2. neque auctoritate sua niti mihi videtur Alciati distinctio. *Arntz.*

Multo majora] Cuspinianus habet *multa*, non male. *Jæger.*

Prius quod postea] Voculæ *quod postea* alienæ videntur. *Acidal.* Rhenanus et Stephanus corrupte, *prius quod postea;* unde Acidalius voculas *quod postea* alienas judicat. Sed si pro *quod* legamus *et*, uti est in Ms. Mœrl. cod. Puteani, edd. Cuspin. Livin. Baun. Cell. Patar. sensus satis constat. Pro *præmia*, Gud. *munera*. Jæger. Balduinus dedit, *quam postea;* Rhenanum secutus est Rivinus, et Henr. Stephanus: reliqui omnes Livineium. *Arntz.*

Tercena] Cod. Bertiniens. Putean. Gud. Mœrl. habent *trecena*, quos sequor. *Jæger.* Recte *trecena* primus restituit Jægerus. Cf. Drakenb. ad Livium VIII. 8. 13. cesset itaque jam hujus loci auctoritas, qua *terceni* tuitus est Falsterus in Supplem. Fabr. p. 343. neque eadem amplius petatur ex Festo Breviar. cap. 6. ubi pro 'tercena millia' jam emendatius legitur 'quaterna millia.' *Arntz.*

Memoriæ Magister] Hæc olim e dignitatibus Palatinis. Hac præditus adnotationes dictabat, et emittebat, precibusque respondebat, ut tradit Notitia Imp. Orient. Erant autem adnotationes scripturæ quædam, continentes ea quæ a Principe statuebantur, vel confirmabantur. Alia dignitatis hujusce munera quære ex Pancirol. in eandem Notit. cap. 94. *Patarol.* Adde Gutherium de Offic. Dom. Aug. III. 8. Meursium Auctar. Philog. cap. 29. Balduinum supra ad Eumenium Inst. Schol. init. *Arntzenius.*

Pari sorte] Deest vox prior in Guelferb. est tamen necessaria, ut intelligatur, quantum ex Imp. liberalitate salario Magisterii Memoriæ accesserit. *Idem.*

§ 3 *Adoratum accipio*] Vox ista *adoratum* mihi suspecta est. Mallem *oblatum*, quod mavult noster Delbenius, vel, si propius accedendum est ad veterem lectionem, videamus, num potius *adæratum* scribi debeat, ut postea 'numeratam pecuniam' vocat Eumenius. Plerumque salariá erant annonaria. 'Adærari' autem dicebantur, cum pro iis pecunia numerabatur. Sic lex Honorii jubet annonas, quæ ministerianis militantibus in sacris scriniis, et universis officiis dignitatum debentur, 'adærari' exemplo militum, quibus ærariæ præbentur annonæ, L. Annonas C. de Erogat. milit. ann. *Balduin.* Bene *adoratum*, non *oblatum*, ut Delbenius, aut *adæratum*, ut Balduinus conjecit. Eumenius in Constantium Cæsarem: 'Adoratæ sunt igitur mihi Sarmaticæ expeditiones, quibus illa gens pæne omnis exstincta est.' *Livin.* Bene pugnat pro illo *adoratum* Livineius, quod et memini me restituere Floro II. 6. 'Itaque fugit, et cessit, et in ultimum se Italiæ recepit sinum, cum urbem tantum non adoratam reliquisset:' ubi tamen ea

dictio duplicis intellectus: ejus nempe, quo Plinii isthæc Nat. Hist. lib. XXIII. Procemio: 'Nec curvo adoranda aratro, nec cura laboranda:' item cujus Papiniana Theb. VI. 664. 'Concessit cetera pubes Sponte, et adorato redit illa ingloria disco:' ibi enim 'adoratur' discus non simpliciter, sed primum ei oculos propius admovent æmuli, et examinant, an viribus ipsorum conveniat: deinde nutu oris et flexu corporis testantur sese illi impares: atque ita discum quasi 'adorant.' Verum non hæc hujus loci: et diximus de eo verbo infinita in Suspicionum libellis, brevitati illi minime admiscenda. *Gruter.* Cum olim militibus stipendia, aut aliis salaria de publico solvebantur, denique cum principalis largitio suscipiebatur, hic mos invaluit, Imperatorum recentiorum maxime temporibus, ut oblatam pecuniam non ante susciperent, quam adorationis aut venerationis quadam specie uterentur. Nam cum antiquitas illa Imperatores aut Principes, velnti præsentia numina, coleret, ita etiam signa eorum, seu imagines pari venerationis cultu prosequebatur. Indeque 'sacros' Principum 'vultus' tam sæpe legimus, et 'adorationis' verbum eo sensu. Cumque nummi vultus Principum referrent, verisimile est etiam a suscipientibus adoratos fuisse. Cujus antiquitatis apertissimum est vestigium in illa Eumenii Oratione de Scholis Instaurandis, qui locus mihi videtur integer, et observationis non vulgaris index, neque facile *adoratum* in *adæratum* commutarem: cur enim *adæratum suum salarium* diceret Eumenius, cum ei in pecunia numerata fuerit constitutum? ita ut adæratione opus non fuerit, idque ex Constantii Imp. epistola, orationi inserta, fit manifestum. Annonæ 'adærari' poterant, salaria non item; salaria enim separantur ab annonis in Lampridii Alexandro. Præterea an absurdius est, 'adorari' sacros vultus in pecunia numerata, quam in militaribus signis? namque id fieri solitum, atque in veteri militia usitatum, sexcentis locis probare possem; sed unus aut alter suffecerit. Ait Vegetius de prima cohorte legionis, quæ milliaria dicebatur: 'Hæc imagines Imperatorum, hoc est, divina et præsentia signa veneratur.' Item Tertullianus in Apologetico: 'Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, omnibus Diis præponit, omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucis sunt; suppara illa vexillorum, et labarorum stolæ crucium sunt,' &c. Item Cl. Julianus, cos. urbis Romæ, in Epistola ad Pupienum et Balbinum, a Jul. Capitolino relata: 'Denique legionibus ipsis (gratulatus tum scilicet) et auxiliis, quæ ubique terrarum jam vestros vultus adorant,' &c. in summa, Principum vultus, sive æreos sive marmoreos, adoratos fuisse, D. Ambrosius, qui mihi est multorum instar, testis erit optimus; ait enim: 'Sola ære fusa capita, et ducti vultus de ære, vel marmore, ab hominibus adorantur.' Chiffletius de Antiq. Numism. cap. 15. Grato animo, et cum veneratione, *mit unterthänigsten danck.* Sic idem Paneg. Constantii c. v. 'Adoratæ sunt mihi Sarmaticæ expeditiones,' id est, honori habendæ, plurimi faciendæ. Sunt, qui lectionem sollicitent, quam tuentur Livineius et Gruterus. *Cellar.* *Adæratum* probat etiam Scaliger de Emend. Temp. v. p. 424. de qua voce exposuit Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. II. p. 256. et 320. et Glossar. Nomic. C. Theod. in v. Gutherius de Offic. Dom. August. II. 9. Sed huic conjecturæ omnem vim adimit ratio, a Chiffletio prolata, de salario, jam inde ab initio in pecunia numerata concesso. *Adoratum* probant constanter codd. neque aliter scripsit Eumenius, sed ve-

rum locutionis sensum non perspexerunt, qui a pecunia venerabunde accepta, aut adorato Principum vultu notionem repetunt, ut Chiffletius, Bannius, et Cellarius. Propius vero adcessit Gruterus, quamvis mentem non satis aperte explicuerit. Mihi simplicius ex adorationis ritu videtur significationis ducenda ratio; ut enim adoraturus, manu ad os admota, sese convertebat ad breve tantum tempus statuam adspiciens, ita significare voluit Eumenius, sese accepturum quidem salarium, sed ad breve tempus; statim enim in usum scholarum publicum illud esse conversurum. Simili sensu Florum II. 6. 46. interpretatus est Grævius. Neque locum Eumenii Constantio v. § 1. percepit Cellarius; illic enim 'adoratæ expeditiones' non sunt honori habendæ, aut veneratione æstimatæ, sed quas tantum adtingit, non explicat, quibus non est inmoraturus, ut ipse profitetur ibid. c. 4. in fin. *Arntz.*

Ratione] Forte *rationes*. Livineius. Hæc mutatio non necessaria. *Jæger.*

Perscribo] Loco τοῦ *perscribo*, cod. membr. Livineii, itemque Gud. et Bertiniens. *præscribo;* Mœrl. *in accepti nunc perscribo*, omisso vocabulo *ratione:* vitiose. *Jæger.* Ex codd. dedi *præscribo;* etenim 'perscribere' huc non pertinet; notat enim de argentarii mensa solvere. Vid. Grævius ad Ciceron. Verrin. v. 19. et Ernesti in Clavi; nisi tueri velis ex iis quæ notat Harlesius ad Ciceron. de Orator. I. 58. alia etiam est 'perscripta summa' apud Sueton. Galb. c. 5. 'præscribere' interpretor, priori loco, ante alia omnia in ratione scribere. *Arntz.*

Patriæ cupio] *Meæ* Guelferb. et Schonhovii excerpta, quod inde a Gratero, præter Rivinum in prima edit. fuit receptum: dixi ad c. 3. § 4. *Arntz.*

Poposcerit] Ms. Mœrl. *repoposcerit;* non male; præsertim, si consideres ea quæ dixi ad Mamertin. Paneg. prior. cap. XI. 3. *Jæger.*

Cap. XII. § 1 *Nam primum*] Pro *nam*, rescribo *jam*. Jæger. Mihi vulgata est potior, quia progreditur ad voluntatis suæ rationem, ut dixit præced. cap. § 4. cui reddendæ hæc vocula est aptior; quamvis sæpe librarios ita aberrasse certum sit. Cf. me ad Arator. I. 618. et 924. 968. Klotz. Miscell. Crit. p. 67. Van Dorp Observat. p. 98. apud Juvencum Hist. Euang. I. 791. in optimo Cantabrig. cujus variantes possideo, est 'jam tecta subire:' similiter apud Priscian. Perieg. vs. 1065. lego, 'Jam pelagi partes percurri carmine vastas;' ob Dionysii Perieg. vs. 1184. ἤδη γάρ. *Arntz.*

Ego maximos] In cod. Mœrl. et Gud. hæc ita leguntur, *in hoc ego arbitror, maximos esse fructus præmiorum, ut digni, quibus tribuant, habeantur.* Jæger. In hac utriusque cod. lectione displicet *tribuant*, nihil enim præcessit, quo hoc referas; sin legas *tribuantur*, offendet sequens *habeantur*. Vulgatæ igitur inhæresco. *Arntz.*

§ 2 *Syrus mercator*] Cf. Savaro ad Sidonium Epist. I. 8. *Idem.*

Deliacus] *Delicitus* Vet. corrupte. Lege quæ Jos. Scaligero ad Varronem notata de Re Rust. III. 9. *Livin.* Corrigo, *aut Niliacus, aut Indicus.* Meursius Auctar. Philol. c. 31. Celebris in insula Delo mercatus fuit. Cicero pro Leg. Manil. cap. 18. 'Delos in mari Ægæo posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant.' Plinius l. XXXIV. c. 2. 'Mercatus in Delo concelebrante toto orbe.' *Cellar.* Ex Delo, insula maris Ægæi, de qua infra cap. XVIII. Mercatura hæc, et divitiis celebris olim fuit. Cicero Orat. pro Cornel. 'Neque vero ornamenta ista villarum, &c. ab aliquo video perfacile Deliaco, aut Syro potuisse superari.' De eadem insula tradit Strabo lib.

XIV. emporium magnum et pecuniosum habuisse. Memorat et Columella lib. VIII. Ex recentioribus mercatores Deliacos laudat Turneb. XIX. 7. *Patarol.* Quid Meursium moverit ad emendandum, non video. Mercatu erat celebris Delus, præsertim cum post eversam Corinthum eam, navigantibus in Asiam maxime situ opportunam, frequentarent mercatores, unde 'Græciæ emporium' dicebatur. Cf. Spanhem. ad Callimach. in Del. vs. 16. et 316. *Arntz.*

Raræ] Nam lucri bonus est odor ex re qualibet, inquit Juvenal. Sat. XIV. ideo D. Ambros. Apol. 1. David. cap. 4. 'claruit, auri cupiditatem materiam esse perfidiæ, et avaritiæ studio sacrilegia solere generari.' *Patarol.*

Inter paucissimas] Cuspinianus, Livineius, Stephanus, Patarol habent *inter paucissimos*, non prorsus incommode. *Jæger.* Codd. tamen vulgatum servant, idque voci *raræ* videtur convenientius. *Arntz.*

Industriæ ad] *Sit* Guelferb. et Schonhovii excerpta, et a Grutero primum fuit recte insertum, a solo deinde Rivino neglectum. *Idem.*

Adsumendi] Vocem partiar, ac dejungam, *ad sumendi.* Livin. Ita codd. et recte recepit Baunius, et sequentes. *Arntz.*

Prævenire] *Pervenire.* Cuspin. Emendate *pervenire.* Livin. Vide, hoc satis capias, et, ut capias, distingue: *oblatum ut industriæ, assumendi copiam prævenire potuisse: continentiæ* (forte *ut continentiæ*) *præteriisse.* Id est, oblatum ducamus pro accepto, atque oblatum quidem tamquam industriæ, quia copiam assumendi prævenerimus; vel etiam tamquam continentiæ, quia præterierimus. *Acidal. Pervenire* codd. et recte recepit Gruterus, quamvis adhuc *prævenire* servaverit Rivinus. Satis difficilis est Acidalii interpretatio. Plana est oratoris sententia: Summa percipitur ex oblato præmio voluptas, si quis id accipiat, quia ex meritis dignus habetur. Hoc quamvis accipere nolit, id tamen inde lucri accedit, ut laudem meritorum et industriæ reportet. *Industria* enim ipsius fuit, quod pervenire potuerit ad sumendi, sive accipiendi præmii copiam, cum offerretur, sed cum laude meritorum suorum, offerenti adprobatorum, sit contentus, hoc est *continentiæ*, ut oblatum præmium prætereat, id est recuset, satis contentus, hunc sibi honorem fuisse habitum, ut potuerit offerri, atque in eo is, qui laudis studio et honesta æmulatione ducitur, a mercatoribus differt, non contentis, nisi re ipsa lucrum perceperint, cum contra hic satis lucri accepisse se arbitretur, si eodem dignus fuerit habitus, quamvis illud retinere noluerit. Hinc etiam malim *continentiæ*, quam, quod est in Guelferb. *continentia*, quamvis ferri posset. *Præterire* autem adhibuit tanquam oppositum τῷ *pervenire*, unde repetendum 'copiam sumendi.' *Arntz.*

CAP. XIII. § 1 *Certaminibus*] Ludis Olympicis, Isthmicis, ceteris, qui 'sacri' agones sunt, quia singuli in Dei cujusdam honorem instituti fuerunt. *Cellar.* Intelligo de ludis Olympicis, ideo 'sacris,' quod in Jovis honorem quinto quoque anno celebrabantur aurigationibus, cursu, lucta, &c. Vide fusam horum descriptionem apud Pausaniam lib. V. *Patarol.* Cf. ad Mamertin. Genethl. III. § 7. *Arntz.*

Vitæ periculo] Nam inter ceteros aurigantes valde periclitabantur, si in metam impegissent, quare dictum Horat. Od. I. 1. 'Metaque fervidis Evitata rotis:' et apud Sophoclem Elect. describitur lapsus e curru Pseudorestis, et ejusdem, actis in fugam equis, dilaceratio. *Patarol.*

Præconis] Qui victorem publice enunciabat. *Idem.* *Præconiis* male Rhenanus, et Rivinus; sed *præconii*

Balduinus; si codd. probarent, non male, ut 'conjugium' pro conjuge, et similia, de quibus vide infr. ad Nostr. Constantio VIII. § 4. sed vulgatum habent omnes codd. et Schonhovii excerpta; præconis autem fuisse ἀνακηρύξαι ἀγωνιστὴν late ostendit Dempster. ad Rosin. v. 5. in fin. *Arntz.*

Coronæ testimonium petunt] Quæ in Olympicis ex oleastro, ut ex citato Pausaniæ libro cap. 15. vide plura apud Cæl. Rhodig. XIII. 17. *Patarol.* In hac periodo voces *petunt*, et *instituendam* desunt in cod. Mœrl. *Jæger.*

Potentiam] Vox *potentiam* suspecta. Quod si fuerit *præconium?* præcedentia suadent. *Acidal.* Vox *potentiam* suspecta est Acidalio, eique, probante quidem Baunio, sed præter necessitatem, substituit *præconium. Jæger.* Probo emendationem Acidalii, rescribentis *præconium*, quod, Bibliotheca Philologica recte monente, vis oppositionis et concinnitas membrorum requirit. *Idem.* Vocis in præcone *potentia* erat, ut per eam quis victor renunciaretur; ante enim victoriæ, saltem præmii et laudis, non erat compos. *Arntz.*

Colam? Leges ergo] Mutilus sensus, sed ex arte, ut puto, lepida scilicet, atque apposita reticentia, qualis est Virgiliana illa Æneid. lib. I. Neptuni ad ventos: 'Quos ego,' &c. *Patarol.* Ante Gruterum nullo fuit sensu editum, *colam? leges ergo, Vir Perfectissime. Tametsi, &c.* Hoc deinde adhuc retinuit Rivinus. Altera lectio, sane elegantior, est quoque in Guelferb. et confirmat apud Virgilium, a Patarolo adhibitum, vulgatum *quos*, pro quo Schraderus maluit 'Vos ego;' invito Ruhnkenio ad Aquilam Rom. de Fig. Sentent. § 5. adde Schrader. Observ. in Præf. *Arntz.*

§ 2 *Tametsi*] Cod. apud Puteanum præced. observatione, et Guelferb. *tamen etsi:* hoc reddidi, quia alterum videtur esse a librario, utpote vulgatius; ita Gronovius aliique probant apud Ciceronem de Orator. II. 52. 'Tamenetsi ea non sit iniqua merces:' ubi Trajectinus quoque cod. 'tametsi.' Dissident tamen a Gronovio Ernestius, et Harlesius. Cf. Cortium ad Sallust. Catil. XXI. 1. Jugurth. XIII. 8. Græv. ad Ciceron. pro Quinct. c. 21. conjunctim vero scribendum esse monet Santenius ad Catull. ad Manl. vs. 135. *Idem.*

Neque enim ipsius] Ante Gruterum, et in Rivini edit. hic *fas* omittitur, et mox post *inducere* inseritur *fas est.* Res eodem redit, sed præstat codices sequi, in quibus etiam est Guelferb. *Idem.*

Ut perlecta] *Ea*, Bertin. *Livin.* Habet quoque Guelferb. et inde a Grutero recte fuit insertum, priscam tamen scripturam secutus est Rivinus. *Arntz.*

Etiam templis] Gueiferb. *etiam et templis*, ita jam olim a Puteolano, Rhenano, Balduino, Henr. Stephano, fuit editum. Primus *et* omisit Livineius, quem reliqui, præter Rivinum, sunt secuti. Priscam scripturam reddidi. *Idem.*

Litterarum] Hic præscribitur titul. huic Epistolæ in Fabr. cod. *Exemplar Epistulæ Constantii Augusti*, et in Pulm. *Exemplar Epistulæ.* Putean.

CAP. XIV. § 1 *Merentur*] Venio ad sacras literas Constantii, de quibus potissimum hic agitur. Ascribo eas Constantio Cæsari, tametsi non dubitem, præ se tulisse etiam nomen Imp. Diocletiani et Maximiani A. A. Est autem Rescriptum, imprimis dignum, quod in Cod. Theodosianum vel Justinianeum relatum fuisset, neque minus in eo beneficium Gallia sensit, quam cum Constantii pietatem in Diocletiani et Maximiani sævitia, adversus Ecclesiam excitata, eludenda, et reprimenda sensit. Quomodo Constantius id in sua Britannia, quod difficillimum erat, fecerit, indicat Eu-

seb. lib. I. de Vita Constantini. Idem eum fecisse in sua Gallia existimo. Nam et apud Optatum lib. I. libellus Donatistarum Constantino oblatus, 'Tuus,' inquit, 'pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, et ab hoc facinore immunis est Gallia.' *Balduin.*

Quorum vitia] Mendose *vitia* pro *vita* scriptum erat. Nam et paulo post hic laudatur studium vitæ melioris. *Balduin.* *Vitia* errore typographico tantum in Rhenani edit. irrepserat. *Arntz.*

Augusto Cliviensium] Quidam codices excusi anno 1513. Viennæ, et editi a Joanne Cuspiniano, viro antiquitatis omnis peritissimo, habent *Augusto Divensium.* Itaque in eo loco, ubi ipse Rhenanus legit *Augusto Cliviensium*, ita legerim ex Epistola D. Constantii ibi recitata: *Merentur et Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vitia* (lege *vita*) *in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum* (Constantii Cæsaris) *ex Italia revertentis suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus.* Ratio, cur ita legendum censeamus, ex præcedentibus verbis colligitur: 'Qui civitatem istam, et olim fraterno populi Romani nomine gloriatam, et tunc demum gravissima clade perculsam, cum latrocinio Batavicæ (Bagaudicæ) rebellionis obsessa auxilium Romani Principis irrogaret.' Hæduos autem, quorum civitas fuit Augustodunum, sese fratres, et consanguineos populi Romani jactasse, et socios ab antiquissimis temporibus, vel ex Julii Cæsaris Commentariis notum est. Omitto, quod ea, quæ nunc est Clivensium ditio, tum Germaniæ accensa sit, non Galliæ: nec suffragatur Rhenano Antoninus, qui Clivium oppidum non in Gallia, sed in itinerario provinciarum Britannicarum recenset. Ut aliud longe fuerit ab eo, quod nunc in Ducatu Clevensi, ditione Illustrissimi Principis Guillielmi, situm est, quod recentius esse, nec unquam tantæ dignationis fuisse, quam est Augustodunum, omnibus in confesso est. Adde, quod Augustodunum hic colonia Romana censetur, nimirum ab Augusto Octavio Cæsare deducta in medio Galliarum, cum, ut diximus, Clevum, quod nunc est, in Germania tum fuerit situm. Sed omnem nodum tollet locus, quem hic ex præcedenti Claudii Mamertini Oratione ad Maximianum adducemus: 'Quin etiam,' inquit, 'illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum,' &c. *Jacob. Nicol. Loënsis* Miscell. Epiphyll. v. 24. Quod *Cliviensium* scriptum est, etsi 'oppidi Cliverum' scio veteres meminisse, et nunc quoque non ignobile nomen ejus est, tamen dixerim potius scribendum esse *Flaviensium.* Hic enim agitur de Augusto oppido, id est, de Augustoduno Heduorum. Heduos autem vocatos esse 'Flavienses,' ut Augustodunum appellarunt 'Flaviam' a Fl. Constantino, alter Eumenii Panegyricus testis est. Sed, quia id factum videtur post tempora Constantii, suspicor, cum hic scriptum simpliciter esset *Augusto oppido*, quendam in margine addidisse *Flaviensium*, quod deinde in contextu irrepserit mendose *Cliviensium.* De Augustoduno addo, quod Tacitus lib. III. scribit, etiam olim nobilissimam sobolem Galliarum illic operam dedisse studiis liberalibus. *Balduin.* Sic fere Vet. *quorum vita in Augustodunensium oppido.* Urbs Æduorum vocata est Augustodunum. Cornel. Tacit. Ann. l. III. 163. 'Augustodunum caput gentis Æduorum.' *Putean.* Lege *Augustodunensium*, ut recte Lipsius ad Tacit. Sic et Pulm. et B. De schola autem Heduorum sic Tacit. Ann. l. III. 'Apud Heduos major moles exorta. Augustodunum, caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, et nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam.' *Idem.*

Augustodunensium schedæ Langii, Cuspin. Adi curas Lipsii secundas ad Taciti Annal. III. *Livin.* Augustodunum, nunc *Autun* Gallis, urbs fuit Galliæ Celticæ, caput gentis Æduorum, teste Tacito Annal. lib. III. modo Burgundici Ducatus pars illa, quæ ab eadem incolis dicitur *L'Autunois*. Scholarum frequentia floruit, etiam ante Taciti tempora, ut colliges ex libr. citato, sub A. U. DCCLXXIV. nec *Augustoclivienisium* legendum jam adnotavi initio. *Autun* intellexit etiam Jo. Le Clerc in sua Bibliotheca tom. III. *Patarol.* Tὸ *Augustodunensium* habet etiam cod. Mœrl. Vid. Vit. Eumen. De ludis Mænianis Eumenii vid. Walchium, in Commentat. de Eloquentia Lat. Vet. Germanor. p. 17. 18. n. c. d. Ex iis, qui putant, ludos illos Cliviæ fuisse, citat idem vir doctissimus Lehmann. Chron. Spir. lib. I. 25. pag. 36. ed. Francof. a. 1711. Couring. Antiquitatt. Academ. pag. 19. et Supplem. XI. pag. 223. ed. Heumanni; Hechtium Germ. sacræ et litterar. part. II. lib. II. c. 3. et Burckhard. de Fatis Linguæ Lat. in Germ. tom. II. pag. 21. Ex iis vero, qui Eumenium, eosque ludos Augustodunensium civitati vindicant, Cellar. Not. Orb. Ant. tom. I. p. 214. Fabric. Biblioth. Lat. vol. II. p. 770. et Histoire Litteraire de la France tom. I. part. II. pag. 46. quibus adde Lips. Excurs. H. in Tacit. Annal. III. *Jæger.* *Augustodunensium* etiam Guelferb. Usque ad Gruterum fuit lectum *Augustoclivienisium*, post eum vero retinuit Rivinus: in eadem lectione, patriæ amore ductus, Rhenano adstipulatur Pighius Hercul. Prodic. pag. 38. quem sequitur Ryequius de Capitol. p. 450. Singulorum argumenta longa disputatione ponderare hujus non est loci, præsertim cum in iisdem sedula aliorum opera jam fuerit versata, ut Rhenanum explodit Loënsis, Pighium vero Lipsius ad Tacit. Annal. III. Excurs. H. adde Brouwer. Annal. Trever. III. p. 201. fluctuat Conringius, dum Antiq. Acad. Diss. I. p. 16. scholas modo 'Augustoclivienses,' modo 'Augustodunenses' adpellat. Pro 'Augustodunensibus' pugnat ignorata hac ætate 'Cliviorum' mentio; fraternum populi R. nomen, Æduis, in quibus erat Augustodunum, proprium; civitas, a Bagandis obsessa, et Romani Imp. auxilium invocans, cap. 4. 1. quod ad Æduorum civitatem pertinere patet ex Eumenio Grat. Act. IV. § 2. et quæ alia peti possunt ex Ditmaro ad Teschenmak. Annal. Cliviæ part. I. p. 47. Fabricio Biblioth. Lat. tom. II. p. 769. Hesselio Adpend. Præfat. ad Gudii Inscript. p. si numeres, 40. Cannegieter. Britenb. p. 137. addo tamen argumentum, aliis neglectum, ex itinere Constantii ex Italia per Gallias, ut Carausium coërceret, de quo dicam sequenti observatione; id autem cum Cliviis nihil habet commune. Altera enim opinio si esset vera, debuissent eum Cliviensium adolescentes fuisse comitati; quia autem crediderit, Constantium, ex Italia per Gallias Gessoriacum versus tendentem, Clivios transiisse? Melius itaque fecisset Hagenbuchius, si a crambe recocta, in Eumenio Redivivo adposita, abstinuisset; nihil enim contulit, quod dudum non sit refutatum. At statuam tamen Eumenii, Cliviis adhuc conspicuam, obmoveant, ferulam, ut aiunt, dextra tenentis, qua juventutis præceptorem agnoscas. Statuæ imaginem, ejusque titulum expressit Balduinus de Calceo 12. Braunius de Vestit. Hebræor. p. 390. Teschenmaker. Ann. Cliv. part. I. p. 47. sed ferulæ formam visi sunt sibi videre, qui Cliviensibus Eumenium vindicare mallent; mihi statuam aliquando intuenti ea non adparuit; sed esto, sit ferula; utrumne hoc insigne, quod 'pædagogorum sceptrum' adpellat Martialis, tribuas rhetori, eidemque Sacræ Memo-

riæ in aula Imperatoris Magistro? adde Schwarzium supr. Vit. Eumenii, Patarol. ad Eumen. Pro Instaur. Schol. init. Saxium Onomast. tom. I. p. 382. Neque me movet nova Schwarzii suspicio supr. l. c. 'Nisi forte,' inquit, 'credamus, Eumenium jam ante officium Palatinum Cliviis instituendæ pubi vacasse, postea vero, quam conspicua Magistri Memoriæ dignitate functus fuerat, Augustoduni professoris munia obiisse.' Sed nullum hujus rei in tota oratione est vestigium, neque umquam antea Eumenium artem oratoriam publice professum esse arbitror, ut mox dicam. Ceterum 'Augustodunum' nomen accepit ab Augusto; terminatio 'dunum' indicat eam in altiori loco, aut sub eodem esse situm, ut Lugdunum, quia condita erat ὑπὸ λόφῳ, quod tradit Strabo Geogr. IV. p. 292. 'dun' enim, et 'dunum' locum significasse eminentem, quod in nostro *duin* superest, demonstrat Boxhorn. Orig. Gall. p. 39. et 48. inde 'Augusti mons' dicitur locis, a Wesselingio collatis ad Antonin. Itiner. p. 360. ante Augustum Bibracte fuisse adpellatum, sunt, qui credant, recte refutati a Cellario Geogr. II. 2. adde Notas infr. ad Eumenii Grat. Action. in fin. *Arntz.*

Meum Constantii Cæsaris] Lego, *meum comitatum.* Rhenanus antea excuderat, *meum Constantii Cæsaris ex Italia revertentis comitatum.* Sed hæc verba, *Constantii Cæsaris ex Italia revertentis,* videntur irrepsisse ex margine, cum quidam annotasset, quid sibi vellet *meum comitatum.* Est enim Constantii hoc rescriptum, tametsi communicetur etiam, ut tunc moris erat, ipsis Augustis, Diocletiano et Maximiano, quorum quidem ille Jovius, hic Herculius dicebatur, ut notum est. *Balduin.* Quidam hæc duo nomina, *Constantii Cæsaris,* expungunt tamquam glossema: ego retineo. Sic Eusebius Eccles. Histor. lib. x. c. 5. ὁπότε εὐτυχῶς ἐγὼ Κωνσταντῖνος ὁ Αὔγουστος ἐν τῇ Μεδιολανῶν, κ. τ. λ. *Puteanus.* Deleam illa, *Constantii Cæsaris,* ut e glossa inculcata. *Livin.* *Constantii Cæs.* Verba hæc Balduinus expungit, automatque irrepsisse ex cujuspiam adnotatione. Ego cum Puteano aliisque retineo. *Patarol.* Cod. Mœrl. glossemate interpolatam lectionem, *meum Const. Cæs. ex Italia revertentis susc. comit.* exhibet. *Jæger.* Balduini conjecturam in textu secuti sunt Baunius et Jægerus; verba autem, *Constantii Cæsaris ex Italia revertentis,* ob glossæ suspicionem, uncis inclusit Cellarius. Omnes reliqui eadem servarunt; idque jubent codices, in quibus etiam est Guelferb. unde eadem restitui, judicium quoque secutus Gothofredi ad L. 10. C. Theodos. de Prætor. Tantum abest, ut pro glossemate habeam, ut eadem potius inserenda jusserit rei indoles. Recte enim censuit Balduinus hoc cap. princ. rescripto huic non tantum Constantii, sed etiam Impp. Diocletiani et Maximiani nomina fuisse præfixa; confirmat illud locus ex cap. IV. § 1. 'Divinæ Imperatorum, Cæsarumque nostrorum providentiæ, singularique in nos benevolentiæ;' et cap. XV. § 2. 'In his Imperatorum et Cæsarum litteris:' cum vero præstiti in hoc rescripto favoris ratio sita esset in comitatu, soli Constantio facto, necessarium erat, ut illius nominatim fieret mentio; hoc enim omisso, *meum* nullius est efficaciæ in rescripto, et Imperatorum et Cæsarum nomina exhibente. Comitatum autem hunc intelligo factum, cum a Maximiano Herculió Constantius esset in Italia Cæsar lectus a. CCXCII. quod Mediolani factum fuisse suspicantur. Cf. Baluzium ad Lactant. p. 305. atque hic videtur fuisse 'lætæ juventutis occursus,' quem memorat cap. IX. § 2. tum vero a socero suo Maximiano ad Carausium debellandum missus est

Constantius; iter igitur per Gallias fecit, unde Eumenius Paneg. Constantio VI. § 1. 'Gallias tuas, Cæsar, veniendo fecisti.' Mediolano itaque per Lugdunum profectus est Augustodunum, atque illic comitati eum sunt adolescentes, in cujus rei memoriam hoc Augustodunensibus præstitit beneficium. Augustoduno autem per Galliam perrexit ad Sequanam, et Gessoriacum versus. Eumen. Constantio VI. § 1. Hunc itineris ordinem ostendit Antoninus Itiner. p. 356—363. Ceterum *meum revertentis* dicitur ex eleganti usu genitivi, ut apud Ciceron. Philipp. II. 43. 'Tuum hominis simplicis pectus vidimus,' quosque citat Van Dorp Observ. cap. 5. p. 40. *Arntz.*

§ 3 *Te vel potissimum*] Voculam *vel* abest a Guelferb. ideoque Jægerum secutus sum. Pro *præficere* male Puteolanus *perficere*. Arntz.

Ex actis nostri] Aliis, *ex actus nostri*. Rhenan. Egregrie *ex actus nostri*, id est, magisterio Sacræ Memoriæ, ut ego quidem ceperim. *Livin.* *Ex actus nostri*] Sic legendum, non, ut vulgo, *et actis*. Acidal. Etiam auctoritate Guelferb. ceteroquin mire variant editi. Præter Balduini lectionem Puteolanus dedit *et actus nostri;* sed Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus, *et actis nostri.* Denique Livineius et Paull. Stephanus *ex actis nostris.* Vulgata tantum est vera. Ita 'actum administrare' in L. 1. § 7. D. 'Si is qui testam.' notat enim vox quamcumque administrationem; unde 'actus rationem reddere' in L. 41. D. de Liber. legat. hinc explicanda L. 6. § 5. D. de Injust. rupt. irrit. ubi quis dicitur se venum dedisse 'ad actum gerendum,' id est, res domini administrandas, quæ locutio etiamest in L. 99. D. de U. S. L. ult. de Publican. ita recte hoc interpretatus est Costa ad § 4. l. de Jur. person. Arnaudtius de Jur. serv. p. 95. neque opus est interpretatione Ræverdi in Conjectur. II. 8. *Arntz.*

§ 4 *Receptes*] Hoc Bannius præfert; neque enim crediderim, ait, Eumenium, ante acceptam hanc a Cæsare epistolam, professionem oratoriam exercuisse. Sed quare hoc nolit credere, non indicat. Eumenius hoc Panegyr. VI. § 2. dicit, 'se disciplinas artis oratoriæ, pristina sua studia, retractare.' *Jæger.* Etiam *repetas* Guelferb. et in Schonhovii excerptis Aldus: primus hoc recepit Gruterus, quod tantum probo. Livineii *recipias* habet quoque Paull. Stephanus; Rhenani *receptes* Balduinus, Henr. Stephanus, et Rivinus. Recte autem censuit Bannius, Eumenium artem oratoriam antea publice non fuisse professum, neque hoc locus apud Jægerum probat, quo sese disciplinas illius artis 'retractare' dicit, id enim pertinet ad exercitia privata, quibus ipse sese exercuerit. Neque illud 'repetere' h. l. suadet; morte enim prioris præceptoris hæc exercitia publica erant intermissa, supra cap. V. § 3. novo præceptore lecto, is eadem repetebat, id est, id faciebat, quod intermissum erat, ac neglectum, quæ τοῦ 'repetere' notio est apud Columell. de R. R. XI. 2. 6. 'repetebat professionem' non a se gestam antea, sed alterius morte vacuam. *Arntz.*

Reformare] Cf. de hoc verbo Schwarz. ad Plinii Paneg. LIII. § 3. *Idem.*

Nomen] In Guelferb. est *hoim*, unde quis forte effingat, *hominum;* sed præstat vulgata. Eodem modo Constantius in L. 12. C. Theodos. de Prætor. de Themistio Philosopho: 'cujus auget scientia dignitatem:' ubi Gothofredus, hujus quoque loci non inmemor. *Nomen* in Banniana videtur esse typographi vitium, cum in Indice hic locus ad voc. *omnem* recenseatur. *Idem.*

§ 5 *In sexcenis*] *In* abest a Guel-

ferb. et edd. Puteolani, Rhenani, Balduini, Henr. Stephani, et Rivini; sed vide supr. cap. XI. § 2. Idem cod. et edd. *sexcentis*. Idem.

Viribus] Sic etiam paulo ante locutus est Eumenius, nec pro *viribus* suppono, ut quidam volunt, *juribus*. Extat Imp. Constantii, qui nepos hujus nostri Constantii fuit, L. 1. C. de Præb. salar. 'Nulli salarium tribuatur ex viribus reip., nisi ei, qui jubentibus nobis specialiter fuerit consecutus.' Quæ autem hic vocantur *sexcenta millia nummum*, paulo ante Eumenius dixit 'tercena sestertia geminari,' et paulo post, 'sexcenta sestertia,' ut jam minus laborare Budæus debeat, ut probet, et persuadeat, 'sexcenta sestertia' esse sexcenta millia nummorum sestertiorum. Sed cum immensa hæc summa sit, (æstimatur enim XII. millibus aureorum nostrorum,) tantum salarii datum esse Eumenio non temere mirari possumus. Ergo Alciatus noster in suis Parergis interpretatur, 'accipere in sexcentis' esse, accipere annuum reditum, qui confici poterit ex ea summa, si fenori detur, ut centesima usura ejus summæ redderet quotannis mille et octingentos aureos. Atqui Eumenius dicit, sibi deferri 'sexcenta,' ut antea 'tercena.' Ergo annua intelligit. Sane Vespasianus, quantumvis avarus esset, tamen primus fuit, qui, ut ait Suetonius, a fisco suo jussit Græcis Latinisque rhetoribus dari centena annua. Idem Suetonius in lib. de Clar. Gramm. scribit, temporibus Augusti Verrium Flaccum Grammaticum accepisse in annuum sestertia centena. Et, ut Capitolinus scribit, Imp. Antoninum Pium per omnes provincias professoribus annua stipendia dari voluisse, sic Lucianus in Eunucho ait, eum cujusvis sectæ primoribus, etiam philosophis, dedisse annuas μυριὰς δραχμάς. Sed jam addo, ipsum Constantinum, patris hujus sui exemplo commotum fuisse videri, cum ita ediceret: 'Salaria professoribus reddi jubemus, quo facilius liberalibus studiis multos instituant,' L. Medicos C. de Professor. Observo autem ex subscriptione, legem illam latam esse in Pannonia, proximo post victum Licinium anno: nam lata dicitur Sirmii, Crispo et Constantino CC. Coss. Tanto autem magis necesse fuit tunc illam edi, quia Licinius ille, qui litterarum non minus quam religionis hostis fuit, studia bona dissipaverat; Constantinum autem nutriisse artes studiaque litterarum, inquit Aurelius Victor. Sed tanto miror magis, et indigne fero, quod in Chronico Eusebii lego, Lactantium, qui et Crispum, Constantini filium, erudierat, virum eloquentissimum, adeo pauperem fuisse, ut etiam necessariis, sicuti ibi scriptum est, indiguerit, et cum Nicomediæ literas doceret, ab auditoribus desertum fuisse. Ut prima pars hujus orationis ostendit, admirabilem fuisse Constantii liberalitatem ad studia excitanda, sic pars altera testatur, admirabiliorem etiam fuisse ipsius Eumenii. Valeat Gorgias ille Leontinus, qui ex quæstu professionis suæ oratoriæ statuam auream, eamque solidam sibi posuit in templo Delphico; an non illa fuit illustrior, nobiliorque statua, quam Eumenius instaurando attollendoque eruditum auditorium non sibi modo, sed et patriæ, et reip. et posteritati posuit? *Balduin.* Male vir doctissimus *juribus;* nam quam ille affert L. un. C. de Præbendo salar. 'Nulli salarium tribuatur ex juribus reipublicæ, nisi ei, qui, jubentibus nobis, specialiter fuerit consecutus:' ibi omnino ex Cod. Theodosiano scribendum est 'viribus.' *Græv.* Observ. IV. 24. Vide supr. cap. XI. § 2. *Arntz.*

Constituere clementiam] Aliquid deest post verbum *meritis tuis*. Quid

si suppleas *præmium*, vel *pretium?* ita conjicit noster Delbennius, adolescens eruditus. *Balduin.* Pro voce *constituere*, nullius hic sensus, quæ adhuc in omnibus, quos vidi, editis libris legebatur, Livineius et Acidalius conjiciunt substituendum esse, *constare;* satis bene. Sed cum cod. vetus Puteani, itemque Gud. et Mœrlianus habent *consuluisse*, commodam hanc lectionem Mss. ingeniosæ quamvis, Livineii conjecturæ anteponendam existimavi. *Jæger.* Solus edidit Balduinus, *etiam pretium nostrum.* Pontanus Origin. Francic. VI. 22. substituit *confluere.* Recte locum sanavit Jægerus; in principio rescripti dixerat Constantius, sese adolescentium 'indoli consulere,' dato ipsis præceptore; jam addit, sese non minus illius præceptoris, sive Eumenii, meritis consulere, dato salario. *Arntz.*

Eumeni clarissime] Sic Constantinus in fin. Epistol. ad Anilinum: *ἔρρωσο Ἀνυλῖνε καὶ ποθεινότατε ἡμῖν. Putean.* *Carissime* jam recepit Livineius, a quo postea solus recessit Rivinus. Alterum probat Guelferb. et Schonhovii excerpta; erat enim 'carissimi' titulus iis proprius, qui honoribus fungebantur, præfectura prætorio, urbi, quique magistri officiorum fuerant, aliisque, quos enumerat meus Cannegieterus ad Fragment. Vet. Jurisprud. p. 16. recte igitur tribuatur Eumenio, Sacræ Memoriæ magistro. Apud Magnonem p. 75. *K.* exponitur 'Karissime,' et in Not. Jurid. p. 185. XXII. Vix dubitem, quin et ita scripserit Constantius. *Arntz.*

CAP. XV. § 1 *Meus et otio*] Balduinus edidit *meus etiam otio.* Reliqui ad Gruterum usque, *meus et otio;* et postea in prima edit. Rivinus; nisi quod Paullus Stephanus dederit *mens et otio*, ut 'mentem' et 'animum' junxit Cicero Nat. Deor. I. 15. sed codd. etiam Guelferb. et Schonhovii excerpta in vocula *ex* secutus sum. *Idem.*

Jacens] Hoc est torpens, et bonarum artium mala existimatione torpidus, atque adflictus. Julius Cæsar de Terentio apud Donatum, in Vita Comici: 'Ut æquato virtus polleret honore Cum Græcis, nec in hac despectus parte jaceres.' Propertius: 'Me sine, quem semper voluit Fortuna jacere.' Latinus Pacatus: 'Sibi humilitatem, et tenebras suas inputet jacens virtus.' Petronius: 'Rebus in adversis quæ jacuere, juvant.' Claudianus primo de Raptu Proserpinæ: 'An forte jacentes Ignavosque putas, quod non Cyclopea tela Stringimus, aut varias tonitru deludimus auras.' *Barthius*, Advers. LVI. 10. Dixi ad Sedul. II. 227. Cum Barthio tamen hoc non retulerim ad animum, mala bonarum artium existimatione torpidum, sed quia pristinas exercere non potuerat Eumenius, Sacræ Memoriæ magisterio occupatus. *Arntz.*

Verum et veterum ipsi] Quod dedi, est ex codd. et recte primum Gruterus. Antea, etiam a Rivino, edebatur, *verum et veterum ipsi quodammodo scholarum;* pro *et* autem Livineius et Paull. Stephanus *etiam.* Imitatus videtur Ciceron. pro Marcell. cap. 3. aut Mamertinum Genethl. XI. § 3. 'tecta ipsa se, ut audio, pene commoverunt;' ubi not. *Idem.*

§ 2 *Amphioni*] *Amphionis* edidit Balduinus, non necesse; significavit autem mihi Eldikius noster, sibi ab hoc loco non alienum videri Epigramma apud Murator. p. 672. Bonad. Cl. v. p. 489. nonnihil quidem mendosum, sed quod ita corrigebat: *Ἀμφίων Μούσαις κιθάρης ἐστήσατο Θήβης Τείχεα, νῦν δὲ τ' ἐμᾶς πατρίδος Ἰλλύριος, Ἀδυλόγου μοῦσαν μεθέπων, τῷ καὶ δοκέουσι Ἀκμηνεὶ β' ἕξειν πείρατα πάντα τέχνας. Arntz.*

Ducentibus] Cf. Drakenb. ad Silium XV. 461. *Idem.*

Construerentur] *Construerentur* soli

ediderunt Rhenanus et Rivinus, in quo cum hæreret sententia, Balduinus inserta præpositione dedit, *in murum velut arte construerentur*. Præfero *construerent* etiam illi lectioni, quam ex suis codd. dedit Jægerus. *Idem.*

Litteris inest] Mos fuit, leges et mandata, si plures uno imperarent, omnium simul nomine edere, ac promulgare, etiamsi ab uno proficiscerentur, ut hoc a Constantio. Imperatores autem Augusti erant Diocletianus et Maximianus Herculeus; Cæsares Constantius et Maximianus Galerius. *Cellar.* Antea constanter fuit editum, *quanta in his Imperatorum et Cæsarum litteris inest ad omnes animorum impetus, effectusque rerum ciendos vis atque permotio? qui, quod jubere possint, suadere dignantur:* sensu satis commodo, ita ut de vitio non suspicarer, nisi ex codd. apud Jægerum monitus. Scilicet veræ lectioni mutandæ caussam dedit, quod non senserint librarii, post *inest* ex præcedentibus repetendum esse *dulcedo*, atque inde, cum ceteroquin hæreret sententia, ortum est illud *vis atque permotio*, et tamen neque ita omnia apte cohærent, ad comparationem juste faciendam. Quid enim? secundum vulgatam Amphionis plectro inerat ad saxa movenda *dulcedo*, Imperatorum litteris *vis* ad animorum inpetus ciendos. Hoc tamen noluit Eumenius; dicit enim Impp. non jussisse, sed *suasisse*, cui nescio, an *vis* satis conveniat; magis itaque cohæret sententia, ut sua dulcedine saxa Amphion, sic eadem dulcedine animos moverunt Imperatores. Ex codd. itaque apud Jægerum hunc locum, distinctione adjutum, sic constitui: *quanta in his .... litteris inest*, (dulcedo) *qui domini, animorum inpetus effectusque rerum ciendo, suis atque etiam promovendo consiliis, per quod jubere possunt, suadere dignantur.* Erant Imperatores *domini;* potuissent itaque per epistolam Eumenium jubere, professionem oratoriam repetere, sed *per quod*, id est per quam epistolam, id jubere potuissent, suadere maluerunt; scripserant enim, 'hortamur, ut professionem oratoriam repetas.' *Animorum* autem *inpetus ciebant* honore dato, et liberalitate, *effectus rerum* schola instauranda, *suis* denique *consiliis promovebant* de adolescentium mentibus ad vitæ melioris studium excolendis. Vid. cap. præced. § 4. illud *atque etiam* a Cicerone quoque adhibitum, de Offic. I. 26. Pacato Paneg. XXIX. § 2. et 4. adde patrem meum ad Plinii Paneg. LXXXII. § 4. *Arntz.*

Jubere possint] Dedi scripturam codd. præcedenti observatione notatam. *Idem.*

§ 3 *Summi patris*] Jovis. *Livin.*

Firmantis] Vox nihili est, et incolumi sensu abesse potest. Sed nimirum uterque summus poëta, ut supra notamus, non totius mundi tremorem omnino Jovis nutui, sed unius cæli tribuit. Itaque *flammantis* surrogem, quod mundi appellationem constringat, et tamquam coërceat. Notum hemistichium vetus, 'semperflammantis Olympi.' *Idem.* Bene *firmantis;* nihil enim frequentius Virgilio, unde hæc ipsa desumta est, quam introducere Jovem, dicta sua firmantem illo concussu capitis, quo totum tremefacit Olympum. Itaque ex supervacuo alii hæc medicantur remediis non necessariis. *Grut.* Vid. Virgil. Æneid. IX. 106. Pro *firmantis* Livineius vult *flammantis mundi*, i. e. Olympi, non probante Grutero. *Firmantis* est simpliciter confirmantis, seu pollicentis. *Jæger.* Ovidius Metam. X. 430. 'Promissaque numine firmat.' De 'mundi tremore' confer Livin. ad Mamertin. Paneg. VII. § 5. Jæger. ad Mamertin. Julian. XXVIII. § 5. *Arntz.*

Conciliant] *Conciliant* non satis concoquo, et *condiunt* reponam. *Livin.* Non audiendus est hic Livineius, si quidem τὸ 'conciliare' idem est h. l.

atque 'condire,' i. e. gratum et acceptum reddere. Non desunt exempla hujus significatus. Cæsar. B. G. VIII. 52. 'T. Labienum Galliæ togatæ præfecit, quo majore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem.' Ovidius Trist. III. 11. 41. 'Quippe bovem Siculo fertur donasse tyranno, Et dictis artes conciliasse suas.' *Jæger.*

§ 4 *Gravitatem*] In Guelferb. est *genuitatem*: male; respicit verba rescripti XIV. § 3. 'cujus eloquentiam, et gravitatem morum.' *Arntz.*

Prædicantes] Ut in Epistola, versus finem. *Patarol.* Guelferb. *prædicantis.* Arntz.

§ 5 *Onerer, adducerer*] Opinor legendum, *monere*, aut *moneri*. Rhenan. *Intelligentiam onerer, adducerer* est in Vet. Bellissime in Cuspin. *intell. moverer ac ducerer.* Inepte Balduinus, *intellig. oneris adducerer.* Livin. Rhenanus hariolatur *monere*, aut *moneri*. Lege *monerer ac docerer*; id explicat iis, quæ subjuncta: 'Siquidem tantos Principes unum hominem tanta laude decorare, non est oratorem admonere, sed facere.' *Acidal.* Livineius in contextu, omisso vitioso *onerer*, quod Rhen. et Stephan. habent, itemque τῷ *moverer*, quod in Cuspin. invenit, solum exhibet *adducerer*. Ms. Mœrl. et Gud. *moverer et adducerer*. Cuspin. sequitur Patar. Hæc Mœrl. lectio, et ea, quam in ed. Cuspiniani reperimus, confirmata cod. Puteani, sine controversia ceteris est præferenda. Nec opus est, cum Acidalio τὸ *ducerer* mutare in *docerer*. Nam ad *intelligentiam duci*, vel *adduci*, idem certe est, ac doceri. *Jæger.*

Unum hominem] Forte *minimum hominem*. Acidal. Frustra, aut enim *unus* abundat, ut in exemplis apud Burman. ad Ovid. Heroid. XV. 126. aut est aliquis, quidam, de quo pater meus ad Victor. Cæsar. III. § 16. *Arntz.*

CAP. XVI. § 1 *Cum ullis*] Ms. Mœrl. *cum illis*. Jæger..

Midæ regis] Unde Statius Sylv. II. 2. 'Vive Midæ gazis, et Lydo ditior auro:' hoc est, Crœsi, de quo mox Noster ipse. *Patarol.* Adde Marckland. ad Statii Silv. I. 3. 105. *Arntz.*

Dicitur] Pro *dicitur* Mœrl. et Vet. Puteani cum Gud. *creditur*; porro post *divina* deest τὸ *hæc*. Jæger. Ex codd. vocem reddidi, ut recte factum infra apud Eumen. Constantio II. § 3. Cf. Bunemann. ad Lactant. de Ira 21. 4. *Arntz.*

Eorum præmiis] Diu est, quod litera addita volebam, *Deorum præmiis*, neque adhuc displicet. *Gruter.* In Guelferb. est *rerum*, unde emendo *regum*, Midæ et Crœsi, ut hæc permutata esse ostendit Burman. ad Lucan. VII. 584. *Arntz.*

§ 2 *Nisi forte Pythiados*] Mulieris fatidicæ, sic dictæ ab Apolline Pythio, cujus celebrata oracula in urbe Phocidis Pytho, seu Pythone. Forte autem mulier hæc Diotima illa Atheniensis fuit, quæ Socratem in amatoria facultate instruxit, ut ipse loquitur apud Platonem in Convivio. *Patarol.* Lego, *Mihi forte Pyth. il. exc. Socr. s. v. haut magn. c. videtur, haut ver.* *Aut* et *haut* promiscue scripta. Vid. ad Anton. Carmen, et, qui plura habet, vir doctus vol. VI. Miscell. Observ. p. 367. Sed et minori mutatione sic posset corrigi: *Nihil forte Pyth. ill. exc. S. sap. vat. aut m. c. videtur, aut v.* atque hanc quidem emendationem priori prætulerim. *Vonck.* Observ. Miscell. cap. 34. Non debuisset illud *nisi forte* tentari, ita eleganter in principio positum, ut apud Ciceron. ad Attic. X. 3. de Fato 16. Curtium V. 8. 12. Lactantium Instit. I. 13. 1. ubi Bunemann. Intelligit autem Pythiæ testimonium Chærophonti datum, ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, de quo Diogenes Laërtius II. segm. 37. Lactantius Epit. Instit. 37. 'Videamus tamen, an sapientissimus Socrates, sicut Pythius prædicavit:' sive 'Socrates sit, ut,'

quod emendabat Pfaffius, et Bondamius noster Var. Lect. II. p. 114. *Arntz.*

Vaticinatæ] Cod. Mœrl. cum Gud. exhibet, *vaticinantia.* Jæger.

Jovi Herculique] Lege *Jovii Herculiique*: id verum, qui paullum versatus in his Panegyricis, videbit. *Acidal.* Hæc conjectura est in Schonhovii excerptis, et primum recepit Gruterus; antea edebatur, quod etiam est in Guelferb. et in prima edit. retinuit Rivinus, *Jovi Herculique.* Mihi placet vulgata, propter præcedens *divina testimonia*, id est, Imperatorum Jovii et Herculei. *Arntz.*

Non modo dicta] De hac locutione, in qua deest *non*, v. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 7. 5. p. 694. sqq. Vechner. Hellenolex. I. 2. 5. p. 143. sqq. Bronckhus. ad Tibull. I. 1. 47. *Jæger.*

§ 3 *Sexcena*] Gueiferb. et edd. antiquiores *sexcenta.* Cf. XI. § 2. *Arntz.*

Oportere censeo, atque usum] *Acc. oportere autem, aut quæ usum*, lego explanate in Vet. in Bertiniens. *acc. oport. at aut usu, &c.* Rescribam e vestigiis, *acc. oport. autumo, atque usum, &c.* Livin. Lege, *atqui usum d. p.* Ritters. Putabam aliquando, litera una tantum mutata, rescribendum, *censeo: atqui usum, &c.* quomodo etiam video venisse in mentem optimo Bongarsio; sed enim cum audiam abire ab hac scriptura exemplaria authentica, suspicari licet fuisse, *spectat, accipio aperte, re autem atque usu delego patriæ*, ut subintelligatur 'sexcena sestertia:' nisi potius fuit, *accipi oportet: re autem atque usu delego patriæ:* quod ad sententiam attinet, eandem expressit ut supra c. XI. *Grut.* Cod. vet. Puteani, et Mœrl. cum Gud. *accipi oportet: ea autem delego patriæ, et ipsi, &c.* lectio quantivis pretii, et, pæne dixerim, unice vera. *Jæger.* Miror eam non recepisse Jægerum, quam codd. obsecutus reddidi. *Arntz.*

§ 4 *Ita salvo*] Forte, *ut salvo.* Livin. Forte, *id est, salvo hon.* nisi malimus cum Livineio, *ut salvo hon.* Gruter. Videatur potius legendum *ut*; illud ipsum, ut doceat salvo dignitatis suæ privilegio, quod principalibus literis continebatur, ita sibi videtur manifestius, et illustrius retinere posse, si dignum se illorum judiciis probet reip. amore. Ad verba Epistolæ respicit: 'Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ hortamur, ut professionem oratoriam receptes.' *Acidal.* Baunium, conjecturæ Livineii locum dantem, in contextu secuti sunt Cellarius et Jægerus. Hoc retinui, quia cum pro varia lectione nihil adnotasset Cortius, videtur etiam esse in Guelferb. Locum hunc ita constituebat meus Eldikius: *ita salvo honoris mei privilegio donum hoc* (casu sexto) *manifestius ... si me.* Obscura constructio videtur orta ex interpunctione vitiosa, parentheseos ope hoc modo adjuvanda; *Videor enim mihi* (*id quod sacris litteris continetur, ut salvo honoris mei privilegio doceam*) *hoc manifestius, &c.* Arntz.

Ut me dignum] Existimo legendum, *si me, &c.* Infra: 'Illum temporum statum, quo Romana res plurimum terra et mari valuit, ita demum integrari putant, si non potentia, sed etiam eloquentia Romana revirescat.' Incertus in Maximianum et Constantinum: 'Siquidem ipsum imperium hoc fore pulchrius judicabas, si id non hereditarium ex successione crevisses,' et quæ sequuntur. *Livineius.* Fuit fortasse, *si et me dignum*, quemadmodum pene item conjecit Livineius. *Gruter.* *Si me* primus in contextum tacite admisit Jægerus; codices tamen, etiam Guelferb. servant *ut me*, contra quorum consensum non ausus fui lectionem, ex sola conjectura oriundam, substituere, præsertim cum nulla sit necessitas; posterius enim caussa est effectus prioris, quare inlustrius esset retenturus, ad quod *ut* satis est adcommodatum. Ceterum in Guelf. est *illustrius.* Arntz.

Æternorum Principum] Vid. Cellar. ad Eumen. Grat. Act. Flaviens. nomine c. I. *Jæger*.

§ 5 *Operibusque*] *Opibusque* Guelferb. et Schonhovii excerpta, quod recte recepit Gruterus; inhæsit tamen priscæ scripturæ Rivinus. Cf. supr. v. § 1. et ad Genethl. vi. § 5. *Arntz*.

Cap. xvii. § 1 *Bello parta*] Simillimus locus apud Stat. Sylv. I. 4. 'Si Cereri sua dona, merumque Lyæo Reddimus, et dives prædæ tamen accipit omni Exuvias Diana tholo, captivaque tela Bellipotens,' &c. *Paterol*. Cf. Cerdam ad Virgil. Eclog. vii. 29. *Arntz*.

Item rerum omnium] Post *omnium* excidit quiddam, et fortassean *fructus*: infra: 'quemadmodum cetera vitæ nostræ commoda apud auxiliatores eorum Deos colimus,' &c. Balduinus, quod dicitur, levi brachio *res omnes*, edidit. *Livin*. Post *omnium* deesse videtur *primitiæ*, vel quod simile nomen. *Ritters*. Suspicatus sum olim, nocuisse huic loco compendium scripturæ, ac fuisse initio expressum, *si primitiæ rerum omnium*, *&c*. alios vero deinde per notam numeri primarii indicare voluisse idem verbi, una alteraque adjecta littera, nunc ne hisce quidem: adeo lubricum omnino est, aliquid tentare sine libris ducibus. *Gruterus*. Excidit aliquid, *fructus* forte, aut *primitiæ*. Cellar. Cod. Mœrl. habet, *si item ad cultum omnium rerum referuntur auctorum*. Sed hanc scripturam vulgata deteriorem esse, et magis depravatam, facile intelligitur. *Jæger*. Nullus dubito, quin *rerum* absorpserit *munerum*, vocisque hujus prior adhæserit littera præcedentis *item* posteriori. Lego itaque, *si item munera rerum omnium*: in id inducor per sequens *auctorum*; parum enim placet *auctor primitiarum*, aut *fructuum*, sed *muneris auctor* de Diis est frequentissimum, ut apud Ovidium Met. xi. 125. xiii. 669. sic 'munera Cereris' apud Valer. Flacc. ii. 69. 'Liberi,' Horat. Od. iv. 15. 26. ipse hanc confirmat conjecturam Eumenius, cum iisdem fere verbis, 'commoda' dicens, quod hic *munera* scribat infr. c. xx. § 1. 'Cetera vitæ nostræ commoda apud auxiliatores eorum Deos colimus:' quibus fere similia sunt hæc Mamortini Maximian. xi. § 6. 'Omnia commoda, cælo terraque parta, licet diversorum numinum ope nobis provenire videantur, a summis tamen auctoribus manant.' Addam duo adhuc loca, huic conjecturæ suffragantia; alter est Nostri Constantino ix. § 2. 'Muneribus utrisque sufficiat, et Cereris, et Liberi.' Alter Mamertini Juliano xxiii. § 2. 'Quantula ista sunt, si Deum auctorem consideres, munera:' mitto, *munera*, pari usu, de floribus, similibusque ab Eumenio adhiberi, Constantino xxii. § 6. *Arntz*.

Sede dicendi] Legendum *docendi*. Acidal. Cod. Mœrl. exhibet, *nisi ipsi scholæ dicendi*. Minus commode. *Jæger*. Etiam Guelferb. sed glossema videtur esse τοῦ *sede*. *Dicendi* est aptius loco, quo artes tractarentur oratoriæ. *Arntz*.

§ 2 *Quidem*] In locum τοῦ *quidem*, quod non satis aptum, h. l. substitui, *quidam*, auctoritate codd. Bertiniens. Putean. Mœrl. et exemplo Patarolì. *Jæger*. Recte: contra apud Isidor. Orig. ii. 22. ex Groningano lege, 'Hanc quidem primi Philosophi,' quod sequentia 'non tamen' postulant. *Arntz*.

Dilectus] Guelferb. *delectus*; hoc revocavi. Cf. citatos supra v. § 2. eadem est notio, atque in 'delectus rerum' apud Ciceron. in Verr. ii. 50. *Arntz*.

§ 3 *Prætermissa*] Cod. Mœrl. et Gud. melius exhibet *intermissa*. Jæger. Egregie *intermissa*; docuerat enim illic Eumenii avus, quo facto doctrinæ hujus studium non erat 'prætermissum,' sed post ipsius mor-

tem magis ' intermissum.' *Arntz.*

Exercendi studii] Forte *exercendis studiis.* Livin. Defendi potest lectio vulgata, si admittamus ellipsin vocis *gratia,* seu *causa,* seu *erga,* de qua vid. Heusinger. ad Vechner. Hellenolex. in Add. ad pag. 183. *Jæger.* Usus ille genitivi satis certus est, unde etiam interpretor Ciceronem ad Divers. XII. 14. ' cujus rei tanto in timore fui.' Hoc loco eum admittere parum videtur necesse: *eorum* enim pertinet ad præcedens *majorum,* ut sit constructio, *frequentatio studii eorum majorum exercendi.* Arntz.

Quondam meum] Cod. Mœrl. elegantius, *avum quondam meum.* Jæger. Elegantius illud restitui etiam ex Guelf. et edd. ante Gruter., qui forte *meum quondam* ex vet. Livineii edidit, unde in sequentibus est edd. retentum. De Eumenii avo ex sententia Bauniana mox vide. *Arntz.*

Perspecto et probato hominum] Vet. Fabr. et Palm. *perspectum probatumque.* Forte *perspecto probatoque.* Putean. Mira hic varietas. Puteolanus, Rhenanus, Balduinus, Henr. Stephanus, et in prima edit. Rivinus ediderunt, *perspectum probato hominum amore, doctrinæ atque, &c.* hic autem in sec. edit. *perfectum probato.* At vero Livineius et Paullus Stephanus *perspecto et probato,* quod retinuerunt omnes sequentes, et in Schonhovii excerptis est notatum, ubi tamen *et* deest. Constanter *perspectum et probatum* tuentur codd. unde suspicor rectum esse, *mox in ista urbe perspectum et probatum hominem amore doctrinæ.* In repetito *hominem* est emphasis. ' Perspectus homo ' quis sit, docet Cicero de Offic. I. 41. transiit *perspectum* in *perspecto* ex eo more, de quo dixi supra VIII. § 1. Aut, si hoc displiceat, interpunge, *mox in ista urbe perspectum et probatum hominum amore, doctrinæ atque hujus ipsius.* Hanc interpunctionem in contextu sum secutus: judicium viri eruditi in Actis Lipsiens. a. 1761. p. 160. parum probans, quo interpunctionis mutandæ consilium severe damnat; cum enim eædem a codd. absint, plurimæ soli editorum arbitrio, pro lege non habendo, debentur. Cf. Bestium Rat. Emend. Leg. p. 8. Hoc loco id magis prætuli, quia in Jægerianæ editionis interpunctione gravis est difficultas; legitur ibi: *mox in ista urbe, perspecto et probato hominum amore doctrinæ, atque hujus ipsius operis veneratione, detentum.* Ita *detentum* refertur ad *ista urbe,* id est Roma: qua si detentus fuerit, quo tunc Augustoduni in Mænianis docuit? Potius explico, eum Romæ fuisse celebrem et maxime probatum, Augustoduni autem detentum et moratum, veneratione scholarum Mænianarum, atque in iis octogenario majorem etiam docuisse. *Arntz.*

Hominum] Forte *omnium.* Livin. Confer ad Mamertin. Geneth. XVIII. § 4. *Arntz.*

Glauco] Lipsius ad Tacit. Annal. III. hunc ipsum Glaucum accipit pro avo Eumenii, Athenis orto. At manifestum, hic alium quendam præsentem, cui Glauco nomen, appellari, qui Atheniensis non sit. *Acidalius.* Hic Glaucus, nescio quis, præsens, alius est ab avo Eumenii, olim defuncto vita. *Cellarius.* Miror Baunium non alienum esse a sententia Lipsii. Ut tollat difficultatem, ex verbis *non civitate Atticum* ortam, tribuit iis hunc sensum, *non modo civitate Atticum, sed eloquio,* eumque confirmat illis, quæ profert ad hujus orationis cap. XIX. § 4. Si cui hæc interpretatio non arrideat, optionem facit alterius, *non tam civitate Atticum, quam eloquio.* Verum hæc omnia nihili sunt. Nihil apertius, et ex universa orationis serie clarius, quam Glaucum alium esse ab avo Eumenii. Nam si hic ad vitam revocandus fuit, quo modo tam præsens esse potuerit, nemo intelliget. *Jæger.* Recte Baunium refuta-

vit Jægerus. Quid enim? si Glaucus fuerit idem atque avus, hic fuit præsens, at quid tum significabunt, 'in quo, ut referunt, major octogenario docuit?' non opus, ut in homine præsenti testimonio eorum, qui referrent, uteretur; ipsum enim tunc certe adpellasset. *Arntz.*

Præsentem] Interpungunt omnes editi, *appello præsentem, quem videmus, non, &c.* sed tum languent illa, *quem videmus*, utique, qui præsens erat, eum videbant. Emendatius, ni fallor, interpunxi, *adpello, præsentem quem videmus.* Mamertinus Paneg. II. § 1. 'te præsentem intuemur.' Ciceron. pro Marcell. cap. 3. 'quem præsentem intuemur.' *Arntz.*

Atticum] Guelf. *accitum.* In hoc itaque et Glaucus erat ab Eumenii avo diversus, neque ulla est ratio, quare Bannii interpretationem, supra propositam, amplectamur. *Idem.*

Ipsum] Scilicet avum meum. *Livin.*

§ 5 *Meum ego erga*] *Ego meum erga.* Putean. In aliis edd. legitur, *quod quidem meum ego erga honorem*, quem insuavem verborum positum duce Ms. Putean. et Mœrl. et Pat. mutavi. *Jæger.* Recte: de efficacia in τῷ *ego* dixi ad cap. VI. § 1. *Arntz.*

Nisi si ipsis] Dele *si* ex Cuspin. Rhenan. *Livin.* *Si* inde ab Henr. Stephano recte fuit deletum. *Arntz.*

CAP. XVIII. § 1 *Oriorum labe*] Vet. *priorum.* Putean. Intelligit, opinor, decennium, quo Carausius et Allectus Britannia per tyrannidem potiti. Suadent, quæ sequuntur. *Livin.* Melchior Goldastus ab Haiminsfeldt, nobilissimi ac florentissimi ingenii adolescens, hunc locum putat mutilatum, et hoc modo reponendum; *quæ temporum priorum labe conc.* adductus loco Mamertini Panegyr. Maximian. 'Sed quum ad restituendam eam post priorum temporum labem,' &c. qui huic Eumenii, sive, ut quibusdam video placere, Eugenii tantum non geminus germanus est. *Rittersh.* Rhenan. *bellorum*, vel *superiorum.* Quid erat facilius, quam *priorum?* Acidal. *Priorum* ex suo cod. recte edidit Livineius, et est in Guelferb. neque ulla est necessitas inserendi *bellorum*, aut alterius vocis, ut monui ad Mamertin. Paneg. IV. § 2. ex sequentibus enim 'hac felicitate seculi,' cogitatione supplendum est *seculorum*, i. e. hominum ante viventium, de qua notione Barthius ad Statium Theb. IX. 592. Not. ad Livium IX. 18. 10. ita 'nostrum seculum' est nostræ ætatis, hominum nunc viventium. Burman. ad Velleium II. 58. 4. 'suum seculum,' Sueton. August. cap. 89. Talis ex præcedentibus aut sequentibus vox, tacite supplenda, decepit aliquando interpretes. Apud Lactantium M. P. 24. 'Namque sæpius, cum jam diutius negare non posset, dedit illi sigillum:' edidit Dufresnoius, *diu negare*, alii post *sæpius* inserunt *petitum, rogatum, petita venia;* melius Bunemannus, *nam quæ sæpius negarat;* sed neque hoc opus est, legendum enim, *nam, quæ sæpius* (supple *negarat*) *cum jam diutius negare non posset.* Aliud est exemplum apud eumd. XXXI. § 5. 'Quæ, quamquam intolerabilia sunt, eripi ab ore hominum cibos labore quæsitos tamen sustentabile aliquo modo vel spe futurorum; quid vestis omnis generis? quid aurum? quid argentum?' post 'omnis generis,' quia hiulca est oratio, supplent Bauldrius et Heumannus, 'exigitur,' sed Bunemannus, 'comparanda;' tu ex præcedenti cogitatione supple, 'eripitur.' Similiter in L. 68. § 1. ff. de Condit. et demonstr. 'Et ceteris omnibus nubere prohibetur, et Titio, cui inhoneste nuptura sit, cum nubere jubetur:' post 'Titio' repete 'nubere prohibetur,' sed hoc jam vidit Putmannus Interpr. 6. n. 2. Idem posset constitui de Aristotelis loco Politic. VIII. 10. Ὅτι δὲ πάντα ἀρχαῖα, σημεῖον τὰ περὶ Αἴγυπτόν ἐστιν· οὗτοι γὰρ ἀρχαιότατοι μὲν δοκοῦσιν εἶ-

νας, νόμων δὲ τετυχήκασι καὶ τάξεως πολιτικῆς. Inserit ante τετυχήκασι vocabulum ἀρχαιότατοι Vaasenius Animadv. ad Fastos I. 1. § 2. sed potest tacite ex prioribus repeti. Alia exempla dedit Buneman. ad Lactant. M. P. v. 8. Cannegieter. ad Fragm. Vet. Jurispr. p. 289. Van Dorp Observ. p. 82. et 53. Ceterum h. l. per *priorum seculorum labem* motam a Carausio seditionem intellexit Livineius; potius ad Bagaudas retulerim, quos eadem locutione significat Mamertinus Maximian. IV. § 2. 'post priorum temporum labem:' ubi Not. hi enim Æduorum regionem vastaverant, obsessa etiam urbe Augustoduno; vid. cap. IV. § 1. et Gratiar. Action. Constant. IV. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Semel*] Adi Plinium Natur. Histor. II. 87. meminere et poëtæ passim. *Livin.*

Opertis fluctibus] De mobilitate Deli ante Latonæ partum Ovidius Met. VI. 333. 'Quam vix erratica Delos Orantem accepit tum cum levis insula nabat.' Adde fragmentum carminis Petroniani. De repentino emersu Plinius IV. 12. cum Aristotele, 'Delon appellatam, quoniam repente apparuerit enata.' *Cellar.* Maris Ægæi insula, inter Cycladas olim prima, nunc *Sdille* incolis. De hac finxere poëtæ, quod instabilis esset, et sub undis interdum delitescere; cum vero Latona parituгa esset, jussam fuisse a Neptuno, ex imperio Jovis, aquis emergere, et consistere, ut parturientem reciperet. Hæc fere Lucianus Dial. Irid. et Neptun. De eadem insula cecinit Alphæus Mitylenæus: 'Latonæ partus nutrix, quam Jupiter olim In maris Ægæi sistere jussit aquis.' Secundum hanc fabulam 'instabilem' Delon dixit Statius Achill. lib. I. 'Nec instabili fama superabere Delo.' *Paterol.* In variantibus Puteani, quas Mss. habeo, ex cod. Vaticano notatum quoque est *operta*; egregie hoc restituit Jægerus, et antea jam ediderat Balduinus; 'fluctus' nequeunt dici 'operti,' sed locus quidem 'fluctibus;' sic de scopulo Ovidius Met. IV. 731. 'Operitur ab æquore moto:' et 'campi ossibus operti' apud Eumenium Constantin. VI. § 3. *Arntz.*

§ 3 *Ruina*] Carausii et Allecti tyrannidem notat, de quibus Eutropius IX. 13. et 14. *Cellar.*

Perfuso] Lege *si superfuso*. Acidal. Recte jam Gruterus recepit *superfuso*; priorem lectionem retinuit in prima ed. Rivinus. Pari metaphora Pacatus Paneg. c. III. § 3. 'Barbaris nationibus Romano nomini velut quodam diluvio superfusis.' *Arntz.*

Tegerent] Etiam codd. apud Jægerum præced. observatione, et in excerptis Schonhovii Aldus: recte hoc inde a Grutero, præter Rivinum, placuit; altera lectio plane est vitiosa. *Idem.*

Pœnorum gurgite] Sequor *pœnarum*, id est, miseriarum et calamitatum, aut certe *P.* majuscula, *Pœnarum*, hoc est, τῶν Ἐρυννύων. *Picti*, quos Balduinus substituit, nihil ad rem, et historiam præsentem. *Livin.* Ita Rhenanus. Pighius, *Pictonum*. Forte *Pictorum* voluit. Cuspinianus et Lipsius, *pœnarum*. Ego ne in hoc quidem acquiesco. Forte *prædonum*, nam 'latrocinium' vocat id bellum Mamertinus Genethliac. Maxim. *Acidal.* *Pœnarum*, miseriarum, calamitatum. Quidam *prædonum* legunt. *Cellar.* *Pœnarum*, quibus ipsam Carausius et Allectus devexaverant. *Paterol.* *Pictonum* prætulit Pighius Hercul. Prodic. p. 54. sed Pictones, aut Picti nihil ad hanc Carausii seditionem. Dedi, quod est in codd., *pœnarum*; hoc probavit quoque Lipsius ad Tacit. Annal. III. Excurs. H. quod accipiunt pro miseriis et calamitatibus, de qua notione vide Schulting. ad Senecæ Controv. III. p. 231. sed neque ita locum arbitror

persanatum. Nullum mihi est dubium, quin scripserit *piratarum*, quæ vox metaphoræ, a profundissimo maris, in quo dominantur piratæ, gurgite sumtæ maxime est consentanea: intelligit enim Carausium, mare et Britanniam infestantem, ipsumque etiam, Carausio jam occiso, Allectum; hinc 'parata,' et 'archipirata' dicitur Carausius in Paneg. Constantio XII. § 1. et 2. 'piratica factio,' ibid. § VI. 'bella piratica,' Mamertinus Genethl. VII. § 2. ut itaque hic Brittanniam 'profundissimo piratarum gurgite liberatam' adfirmat, ita eamdem Constantii victoria 'servitute liberatam,' Paneg. Constantio XVIII. § 4. præterea sicut hic fertur Britannia 'ad conspectum Romanæ lucis emersisse,' ita Britanni 'vera imperii luce,' post victoriam de piratis, 'recreati,' ibid. XIX. § 2. Conjecturam confirmat similis Nazarii locus Paneg. VI. § 1. 'Quæ (Roma) demersa quondam tyrannidis inpiæ malis.' *Arntz.*

Hæc ipsa] Gallia, quam Maximianus a Bagaudis liberaverat. *Patarol.* Petiit ex hoc loco argumentum Pighius Hercul. Prodic. p. 55. pro scholis Cliviensibus, quia Augustodunum mare non adluit. Sed utrum igitur adluit Clivios? potiusne integram intellexit Galliam Eumenius, a Bagaudis aliisque hac ætate oppressam? *Arntz.*

Non magis] Ex communi repetendum *nisi forte*, sine quo sensus *non minus* postularet. *Cellar.*

Veritate] Vet. *feritate*. Puteanus. Et excerpta Schonhovii; alterum in antiqua ed. videtur fuisse errore typographico. Cf. ad Eumen. Constantio IX. § 3. *Arntz.*

Desiderat] A 'desido.' *Rhenanus.* Ms. Mœrl. *deciderat;* male. Livineius conjicit *desederat;* sed nec hoc melius, siquidem, judice Burmanno ad Petron. c. 96. et Drakenb. ad Sil. Ital. v. 6. præteritum verbi 'sido,' et compositorum ex eo, rectius tertia vocali scribitur. Nihil itaque mutandum. *Jæger.* Guelf. *desideat:* in margine edit. suæ conjecerat quoque Cortius, *desederat;* pater meus *desideret.* Præfero *desiderat.* Est tamen nulla varietas apud Incertum Maximian. x. § 3. 'ac pene consedit:' ubi Jægerus in Livio 'desederat' habet: adde Heinsium ad Virgil. Eclog. VII. 1. est autem 'desidere' verbum sollemne de locis aqua submersis. Vid. Stewech. ad Arnob. adv. Gent. v. p. 125. Heinsium ad Virgil. Æneid. III. 565. Drakenb. ad Livium XLII. 15. 5. Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 3. 8. patrem meum ad Plinii Paneg. XVI. § 1. Not. infr. ad Incertum Maxim. x. § 3. et XI. § 1. et XII. § 8. Ceterum *velut hausta* simile est his Plinii in Paneg. XLIII. fin. 'cum privatis facultatibus velut hausta.' *Arntz.*

§ 4 *Toto Rheni*] Quis 'Rheni limes' sit, non video; ipse Rhenus erat imperii limes. Elegans est lectio in Guelf. quam restitui, et Jægerum neglexisse miror, *toto Rheno, et Istro, et Euphrate limite*, id est, in limite. Mamertinus Maximian. VII. § 3. 'Rhenum antea videbatur ipsa sic natura duxisse, ut eo limite Romanæ provinciæ vindicarentur:' ubi Not. Incertus Constantin. II. § 6. 'Rhenum tu quidem, toto limite dispositis exercitibus, tutum reliqueras.' Conf. plura ad Genethl. III. § 9. *Idem.*

Convalescunt] Balduinus, *coalescunt.* Cf. ad cap. VIII. § 2. Supra in Guelferb. est *autumnique.* De eleganti vocis 'clementia' usu vide ad Mamertin. Paneg. Maxim. XII. § 5. *Id.*

§ 5 *Saturno Rege*] Ita legendum est, quod moneo, quoniam referat editio postrema, *Saturno rere*, sphalmate procul dubio typographorum, sed quo tamen valde remoretur lector, cui tantum ad manum illa unica editio. *Gruter.*

Nunc æternis auspiciis] *Non* Vet.

error a compendio scribendi. *Livin.* Jovii Diocletiani et Maximiani Herculei: nam et in nummo apud Illustr. Spanhemium de eisdem Imperatoribus: IOVI. ET. HERCVLI. AVGG. *Cellarius.* Id est, auspiciis Imperatorum, æternitate dignorum. V. Cellar. ad Eumen. Gratiar. Act. Flaviens. nomine c. I. *Jæger.*

CAP. XIX. § 1 *Honorandisque*] Scripsi *honorandisve* ex Guelferb. ed. Puteolani et Rhenani. Primus *honorandisque* dedit Balduinus, quem omnes, præter Rivinum, sunt secuti. Sequens *impartiunt* recte esse, docebunt notata a Cortio ad Plinium Epist. VI. 23. 3. *Arntz.*

§ 2 *Belli munera*] Mœrl. et Gud. *nulli umquam antehac Principes curas belli, muniaque, et hujusmodi pacis ornamenta coluerunt.* Sed vulgata sine dubio melior est. *Jæger.* *Munia* rectum est. Vide supra VIII. § 2. omissum *pari* in codd. apud Jægerum, omnino servandum est; id postulat locus, ad quem per verba, 'ut initio dixi,' provocat; est is c. V. § 2. 'cui enim umquam veterum Principum tantæ fuit curæ,' &c. Vocabulum 'tantæ' indicat curam eos quidem habuisse, sed non his Imperatoribus parem. *Arntz.*

§ 3 *Sectam*] Quid *secta* sit, docebunt notata a patre meo ad Plinii Paneg. LXXXV. § 7. qua notione 'variæ sectæ' apud Sedulium I. 310. *Idem.*

Deflexus est, dispar] Vividæ enim, ac fervidæ mentes magis ad bellum, placidæ ac mitiores ad studia feruntur. *Patarol.* In Guelferb. pro *est*, legitur *et;* videtur scripsisse, *est, et dispar:* inserendum esse *et*, videtur suadere sequens, *et discrepans.* Arntzenius.

Nominum] Nihil verius est scriptura Viennensis editionis, *præsidentium numinum*, quamvis non item comprobent membranæ; nam pacis utique bellique diversissima numina et rebus, et sermone, et habitu. Et sic forte legendum ad marginem libri sui adscripserat Petrus ille Daniel. *Grut.* *Lege numinum.* Acidal. Mars et Bellona feroci voce ad cædes et pugnas hortantur; Musæ ad vitæ tranquillitatem suaviter invitant. *Cellar.* *Numinum* confirmat Guelferb. et ex ingenio jam restituit Stewech. ad Arnob. adv. Gent. III. p. 91. Cf. ad Mamertini Paneg. III. § 1. Genethl. II. § 4. Intelligit autem Martem et Musas. *Arntz.*

Dissoni monitus] Non fero illud *monitus*, Diis fatidicis proprium, de quibus hic sermo nullus. Virgilius Æneid. VIII. 335. 'Carmentis nymphæ monita, et Deus augur Apollo.' Hinc 'divinitatis vestræ monitus' apud Eumenium Constantio XV. § 2. Cf. Bronckhus. ad Tibull. I. 7. 56. Drakenb. ad Silium V. 117. Stewechio ad Arnob. adv. Gent. III. p. 91. legendum videbatur *motus*, sed restitui egregiam in Guelferb. lectionem, a Jægero omissam, *sonitus*, quæ vox utrique numini, Marti et Musis, est consentanea. De Musis adhibuit Ovidius Metam. V. 297. de bellis, adeoque Marte, Idem Trist. II. 529. et 'sonus et strepitus armorum' supr. II. § 5. substantivo huic magis quoque congruum est epitheton *dissoni*, et sequens *habitus.* Idem.

§ 4 *Qui inter*] Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Balduinus, et Rivinus ediderunt *quæ inter:* vitiose; significat enim Imperatores numinibus oppositos. De 'bellorum operibus' cf. Schwarzium ad Mamertin. Paneg. VI. § 2. *Idem.*

Temporum] Quorumnam temporum? Nunquam fortasse Romana res terra marique plus valuit, quam sub finem libertatis; nam tunc plurimæ et maximæ utrobique victoriæ partæ, ac celeberrimi Imperatores multi: utinam civilibus odiis, ac cladibus pepercissent! Tunc maxime ipsa eloquentia viguit; nam floruere iis temporibus Cicero, Hortensius, J. Cæsar, et alii. *Patarol.*

Ut non] Ms. Mœrl. habet, *si non solum potentia*, sine dubio a manu interpolatoris. Vid. quos laudavi ad hunc Paneg. c. XVI. § 2. et ad Mamert. Paneg. Julian. X. § 1. *Jæger.* Cf. copiose supr. ad Genethl. IV. § 1. Si Perizonii sententia, illic memorata, sit vera, præferenda hic foret Mœrl. scriptura. Guelferb. tamen habet vulgatum. *Arntz.*

Roma] *Romana* Vet. *Livin.* *Romana* jam dedit Balduinus, et post Gruterum est receptum, præterquam a Rivino in prima edit. Antiquiores itaque *potentia* et *eloquentia* casu sexto ceperunt, sed alteram lectionem habent codd. *Arntz.*

CAP. XX. § 1 *Dedicata*] Lege *dedicato.* Sensus: Largitio illa, mihi a Principibus tributa, detur huic operi eloquentiæ dicato. *Acidal.* *Dedicata* constanter est in codd. neque debetur Balduino, quod putabat Baunius, sed est quoque in antiquissima Puteolani, quam Rhenanus, Balduinus, et Stephanus sunt secuti. Acidalii conjecturam recepit Gruterus, et in secunda edit. Rivinus, postea omnes reliqui, ut pertineat ad *operi*, quo modo c. 9. in fin. 'tecta litteris dedicata,' et X. § 3. 'opus studiis dedicatum.' Codices sequi mihi est religio potior, unde *dedicata* revocavi. 'Largitio dedicata doctrinæ' est pecunia in usus doctrinæ publicos data, quam in privatos sese non retenturum significat. De hac vocis 'dedicare' notione cf. Casaubon. ad Sueton. Neron. c. 31. Buchner. ad Plinii Epist. I. 117. *Arntz.*

§ 2 *Videat*] Tam antiquus usus geographicarum tabularum est, quod studium, tamquam lucem historiarum, nobiliori juventuti commendat. *Cellar.* De antiquo harum tabularum usu vide ad § 3. Porticus, quam memorat Eumenius, reliquias deinde inventas fuisse, ex Memoriis Trevultinis tradit Fabricius Biblioth. Latin. tom. II. p. 770. *Arntz.*

Nationum aut virtute] Vid. Varr. Lectt. Puteolanum et Rhenanum secutus est Rivinus. Egregie veram scripturam adseruit Jægerus. 'Conficere' est prorsus debellare. Florus III. 5. 23. et 12. 6. Lucanus VI. 131. hinc jungitur cum 'consumere.' Buneman. ad Lactant. Instit. III. 4. 2. Similis locus est infra in Paneg. Constantio XX. § 3. 'aut metu quietum est, aut armis domitum, aut pietate devinctum.' Posterius per 'devinctos venia' expressit Eumenius Constantino X. § 4. *Arntz.*

§ 3 *Auditu*] Horatius: 'Segnius irritant animos demissa per aures, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.' Nazarius in Constantinum: 'Ad animum languidius accedunt, quæ aurium via manant, quam quæ oculis hauriuntur.' *Livin.* Ausonius Gratiar. Act. IV. § 3. 'Qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt.' Adde Cellar. Geogr. Antiq. I. 1. In scholis tales tabulas, pictasque fuisse imagines, quibus puerorum animos ad studia excitarent, docet Cannegieter. in Postum. cap. 17. et late Scheüb Dissert. de Tab. Peutinger. cap. 1. p. 8. Tabulis ejusmodi nonnumquam usi quoque fuerunt ad locorum situs describendos, sed eo etiam in errores lapsi, parum adtendentes, alium loci fuisse situm tempore tabulæ confectæ, alium sua ætate, qua scribebant, quod exemplis ostendit Pontanus Hist. Danic. p. 650. Ceterum hæc Eumenii verba contulerunt Cujacius et Otto cum similibus Justiniani § 9. J. de Gradib. Cognat. 'cum magis veritas oculata fide, quam per aures animis hominum infigatur.' Plura Alciatus Parerg. Jur. VI. 8. Rittershus. ad Oppiani Cyneg. III. 46. et similia habet Mamertinus Juliano XXX. § 1. 'Neque enim auribus expetuntur, quæ fuerunt usurpata luminibus.' *Arntz.*

Quidquid ubique] Cf. Wopkens. ad Pacat. Paneg. pag. 5. *Idem.*

Quove ambitu] Recte *qua*, id est, qua parte. Observ. Miscell. VIII. p.

61. Boltius Silv. Crit. p. 93. Not. ad Sedul. I. 187. *Idem*.

Vel irrumpit] *Vel impetu irrumpit*, Bertin. *Livin.* Τὸ *impetu* etiam habet Guelferb. et recte jam a Grutero fuit insertum, quamvis iterum in prima Rivini editione neglectum. *Arntz.*

CAP. XXI. § 1 *Ibi*] Vet. *ubi*, malo *ibi*. Putean.

Recolantur] *Recoluntur* Guelf. et antea jam ediderant Livineius et Paull. Stephanus: hoc revocavi, quia magis convenit τῷ 'descripta sunt,' quod est in fine proximi capitis. De rebus gestis vide Cuperum ad Lactant. M. P. p. 146. *Arntz.*

Calentibus] Præ celeritate atque anxietate. *Patarol.*

Venientibus] Forte *novis*. Livin. Videtur indicare nuntiorum sese subsequentium numerum, ut Mamertin. Paneg. III. § 4. 'accipere innumerabiles undique nuntios.' Eumenius Constantio V. § 2. 'nuntiis jam jamque venientibus.' *Arntz.*

Revisuntur perfida flumina] *Persidos* nomine non tam Περσὶς, *Persis* propria, quam totum regnum Persarum, quod in Mesopotamiam usque recedebat, intelligitur. Flumina sunt Euphrates et Tigris, citra fines Persidis propriæ decurrentes. *Cellar. Perfida* est in antiquissima Puteolani, unde hoc expressit Livineius, et Paull. Stephanus. Sed *gemina* primus recepit Gruterus, iterum neglexit Rivinus; reliqui recte retinuerunt: quod edidi cum aliis confirmat quoque Guelferb. *Gemina flumina* sunt duo diversa, Tigris et Euphrates, adeoque alio sensu, quam de quo dixi ad Mamertin. Geneth. VI. § 6. Cf. Cuperum ad Lactant. M. P. p. 141. *Arntz.*

Sitientia] Præ sole nimio; jacent enim sub Zona torrida. *Patarol.* Λιβύης διψάδα γαῖαν dixit Oppianus Cyneg. IV. 320. ubi Rittershus. Ita 'sitientes Afri,' apud Virgilium Eclog. I. 65. 'Indi,' Georgic. IV. 425. 'Sitire' et 'sitis' de terra arida, Ovidius Metam. XV. 269. Statius ad Tiboll. II. 1. p. 328. *Arntz.*

Connexa] Nollem, illud *convexa* in textum recepisset Jægerus, veteremque scripturam revocavi. 'Convexum,' interprete Festo, est 'ex omni parte declinatum, qualis est natura cæli, ex omni parte ad terram versus declinatum.' Cf. Barthium ad Claudian. B. Gild. l. II. Per curvum, inclinatum interpretatur quoque Servius ad Virgil. Eclog. IV. 50. Æneid. I. 310. adde Davies. ad Ciceron. N. D. II. 43. Kœnig. ad Juvenc. Hist. Euang. III. 322. qui vero hoc ad flumen adcommodetur, non video. Rhenus olim dictus 'bicornis' propter duo ostia. Virgilius Æneid. VIII. 726. 'Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.' Eumenius Constantino XI. § 5. 'greges flumine bicorni mersantur:' et XIII. § 2. 'in sua cornua gestit excedere.' Adde mox Puteanum, Freherum ad Ausonii Mosell. p. 430. Matthæum de Nobilit. II. 4. in fin. Cannegiet. in Postum. cap. 7. est tamen 'bicornis' alio sensu apud Virgilium, alio apud Eumenium, quod discrimen adtigit Alting. Notit. German. Infer. part. I. p. 113. Cluverius de Rheni Alveis cap. 9. adde Marchionem de S. Simone Hist. Bell. Batav. et Rom. in Præfat. p. 24. duo cornua deinde fuerunt *connexa*, unde Rhenus Batavorum insulam 'divortio sui' dicitur 'complecti' apud Eumenium Constantio cap. VIII. princ. et Constantino cap. VI. in fin. Cum autem hic res a Constantio per Bataviam gestas intelligat, *connexa cornua* insulam illam significant, quam complectebatur Rhenus, supra in duo cornua divisus, quæ in inferiori insulæ parte deinde sunt connexa: eo modo, quo copula, 'in diversum tendentia nexu suo tenere' dicitur apud Nazarium Paneg. X. § 1. *Arntz.*

Cornua] Virgil. Æneid. IX. 'Rhenusque bicornis:' ubi vide Servium Ms. Danielis. Claudian. de Laud. Stilicon. lib. I. 'Rhenumque minacem

Cornibus infractis adeo mitescere cogis:' et in Consul. Honorii: 'Tempus erit, cum te trans Rheni cornua victor.' Sic infra in Panegyr. Constantino: 'Arat clam terribilem aliquando ripam inermis agricola: toto nostri flumine bicorni mersantur.' *Putean.*

Ora multifida] Quæ juxta nonnullos auctores novem, juxta plerosque septem sunt, quare Virgil. Æneid. VI. 'Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.' Statius Silvar. III. 5. 'Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili.' *Patarol.* Cf. Rittershus. ad Oppiani Cyneg. II. 85. *Arntz.*

§ 2 *Adfingit*] Lege *animus effingit* id est, effigurat. *Acidal.* Hanc conjecturam in contextum admisit in prima edit. Rivinus. In Guelferb. est *efficit*, quod etiam in Mœrl. se invenisse testatur mox Jægerus, sed damnat. Ut non vere orbem terrarum in tabulis conspiciebant, sed tantum cogitatione, et velut fictione quadam, complectebantur, ita locis illis res gestas *adfingebant*, fere eo sensu, quo Livius XXIV. 2. 'Miracula aliqua adfinguntur plerumque tam insignibus locis;' et quo civitas dicitur sibi præsentiam Impp. 'fingere' a Mamertino Paneg. Maxim. XIII. § 4. *Arntz.*

Ægyptum, furore posito] Vide Euseb. in Chronic. Zonar. lib. II. *Puteanus.* Interfecto Alexandriæ Achilleo. Atqui victoria acerbe usus est, totam Ægyptum gravibus proscriptionibus, cædibusque fœdavit. Eutropius lib. IX. *Livin.* Mœrl. et Gud. *orbem, egypto in furore posito, quiesc.* Perperam; sicuti et supra *efficit*, pro *adfingit*. Jæger. Si admittenda foret Mœrl. et Gud. scriptura, legi posset, *orbem, Ægypto in furore posita, quiescentem*: ut indicaret terrarum orbem pacatum, excepta Ægypto, adhuc in furore posita propter Achilleum, nondum devictum. Sed cum mox memoret 'Persicos arcus' a Galerio Maximiano 'calcatos,' videtur oratio habita, Achilleo jam devicto, et pacata Ægypto; præstat itaque vulgata, præsertim etiam, quia non orbis, sed speciatim Ægyptus Diocletiano tribuenda videtur, ut mox singulæ regiones suis victoribus. Confer supra ad Princip. In Guelferb. deest *Auguste.* Arntz.

Maurorum] Incertus Auctor Panegyr. Maxim. et Constantino: 'Tu ferocissimos Mauritaniæ populos inaccessis montium jugis expugnasti.' Forte ad hoc spectat, quod Maximianus Quinquegentianos, qui Africam infestabant, debellavit. Vid. Eutrop. lib. IX. Euseb. in Chronico, Zonar. lib. II. et alios. *Puteanus.* De hac contra Quinquegentianos victoria videantur Orosius VII. 25. Eutropius IX. 23. et Scaliger ad Eusebium p. 243. judice Baunio in Vit. Diocلet. referenda ad a. CCXCVI. sed confer de Mauris illis, et utrum Quinquegentiani intelligantur, infra ad Incertum Maxim. VIII. § 6. *Arntz.*

Britanniamque] Hinc etiam adparet anno CCXCVII. aut sequenti, hanc orationem esse habitam. Cf. ad init. et de Britannia ad seq. Paneg. *Idem.*

Exercentem] Malim *exerentem.* Rhenan. Vet. *exerentem.* Putean. *Exserentem* recte admisit Livineius, et post Gruterum omnes, neque deteriorem lectionem deinde debuisset retinere Rivinus, cum alteram habeant codd. etiam Guelferb. 'Squalidum caput' eleganter vertit Wagenaerius Hist. Patr. tom. I. p. 226. *den bemosten kruin.* Arntz.

Maximiane] Scil. Galeri. Vide Zonar. lib. II. Eutrop. Oros. Paull. Diac, Ruffin. *Putean.* Galerius Maximianus est, quem vero 'Maximiane invicte' modo adloquebatur: est Herculeus. Historiam tradit Eutropius IX. 15. *Cellar.* Armentarium intelligit, qui Orienti maxime præfuit, Persasque domuit. Videndi Eutrop. lib. X. Sext. Aur. Vict. Oros. VII. 25. *Patarol.*

Persicos arcus] Rege Narseo in Armenia majore victo. Flav. Vopiscus Caro: 'Licet plane, ac licebit per sacratissimum Cæsarem Maximianum Persas vincere, atque ultra eos progredi, et futurum reor, si a nostris non deseratur promissis Numinum favor.' Idem Carino: 'Diocletianum et Maximianum Principes Dii dederunt, jungentes talibus viris Galerium atque Constantium, quorum alter natus est, qui acceptam ignominiam Valeriani captivitate deleret, alter, qui Gallias Romanis legibus redderet.' *Livineius.* Achilleum nempe in Ægypto coërciturus Diocletianus Galerium jussit in Mesopotamiam progredi, qui Persas debellaret, sed is anno CCXCVI. infelicissime pugnavit, Callinicum inter et Carras pulsus, et ideo turpiter a Diocletiano exceptus, ita ut eum, quamvis purpuratum, gregarii militis instar ante carpentum suum currere jusserit. Cf. ad Mamertin. Paneg. II. § 6. Casaubon. ad Vopisc. Carin. p. 258. Sed, quod ad annum sequentem pertinere videtur, collecto iterum exercitu, Persas profligavit Galerius, quod male Hermannus Contractus in Chronico, et alii referunt ad annum CCC. Cf. Victorem Cæs. XXXIX. 34. Orosium VII. 25. Eutropium IX. 25. Lactantium M. P. 9. 6. Basnage Annal. tom. I. p. 460. et 463. hinc iterum adparet, orationem hanc demum a. CCXCVII. aut sequenti, habitam fuisse, post eamdem victoriam, ceteroquin enim non *Persicos arcus*, a Maximiano *calcatos*, memorare ausus fuisset Eumenius, præsertim cum is ob cladem, præcedenti anno adceptam, ea fuisset turpitudine a Diocletiano adfectus. *Arntz.*

§ 3 *In illo*] Omnia enim parent Romanis armis. *Pateol.*

Videmus] In Mœrl. legitur *videamus*, quod tamen vulgatæ scripturæ haud anteponendum. Vid. Voss. de Construct. c. 67. *Jæger.*

§ 4 *Cupientium*] In Guelferb. est *sapientium*, quod minus convenit proximo *voluntas*. Idem cod. inverso ordine, *eorum voluntas*. Arntz.

Perferatur] Si quis quærat de successu, et exitu actionis Eumenianæ, equidem vix audeo jactare, tam diu et stetisse, et floruisse Menianum illud auditorium, quam vellem, cum lego Eumenii ipsius ad Constantinum Panegyricum, nomine Flaviensium editum, hoc est, Augustodunensium Heduorum. Ex quo facile conjicio, novas tunc ruinas et calamitates illius urbis prope desertæ. Memini etiam, quod Marcellinus lib. XVI. scribit, Imp. Julianum vidisse Augustoduni, civitatis antiquæ, muros spatiosi quidem ambitus, sed carie vetustatis invalidos, barbarorum repentino impetu insessos. Sed tamen Gallia propterea non desiit alias habere frequentes, et bene cultas eo seculo scholas. Testis est Ausonii libellus de Professoribus Burdegalensibus, Tholosanis, Narbonensibus: ubi et de Tiberii Victoris Minervii cathedra Burdegalensi lego illud: 'Mille foro dedit hic juvenes, bis mille senatus Adjecit numero, purpureisque togis; Me quoque.' Ergo et Ausonii discipulus, Imp. Gratianus, primis sui imperii annis edixit ad Antonium P. P. Galliarum, ut in singulis Galliæ metropolibus præficiantur egregii professores erudiendæ juventuti, quibus et annonarum emolumenta liberaliter præbeantur, L. 'Per omnem,' C. Theod. de Professor. Necdum tamen audeo affirmare, Eumenii scholam tali constitutione rursus instauratam atque restitutam fuisse. Et memini, quid Ausonius in Panegyrico ad Gratianum significet de municipali, ut vocat, schola Visontionensi, atque Lugdunensi. Equidem anno superiori, cum Sequanos, et in itinere Heduos inviserem, cum Augustodunensium ruinarum vetera radera, quæ in via spectabam, fecere, ut de hac

Eumenii Oratione cogitarem, deque fatis, et conditione civilium studiorum, tum vero Visuntio Sequanorum fecit facitque, ut magis atque magis sentiam, quidnam hoc sit. Equidem cum ibi essem, docebam rerum suarum imperitos, quod memineram ante annos quadringentos ita decrevisse Imp. Fridericum Ænobarbum, et, cum ex Curia Sequanorum in Italiam venisset, edixisse, quod ibi conceperat, dico non modo suas de Feudis leges novas, et Constitutionem de pace publica, cujus portio quædam est lex 'de Sacramentis puberum,' quæ postea inserta est Codici; sed etiam nobilissimam illam, quam ipse in Codicem referri jussit, Constitutionem de scholis juris, et earum privilegiis, hoc est, Authentic. Habita C. 'Ne fil. pro patr.' quam quidem juvabat cum Constantii literis Eumenianis conjungere. Sed redeat cum Friderico Constantius, ut rursus sua decreta sanciant! Quid dicam, quod Marcellinus lib. xxx. scripsit, paulo post tempora Constantii in Oriente juris scientiam professos fuisse, veluti umbras mutas? Tolerabilius id tamen fortasse fuit, quam quod adjicit, fuisse et larvas ita rudes, ut nunquam se codices habuisse meminerint, et, si auctoris veteris nomen incidisset, piscis, aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrarentur. Quid si vel Constantius, vel Eumenius in suis Menianis, vel in majori Galliæ metropoli tales vidisset? an eorum professione passus fuisset jurisprudentiam infamari? an, iis ejectis, doctos non revocasset? an illos pœna, hos præmio non affecisset? Hic ego pro coronide instituebam ad leges de Professoribus justum Commentarium pertexere. Sed horum scholiorum tenuitas eum non capit. Et vero quid eas leges nunc frustra appellem, ubi inanis earum vox, nullusque vindex est? Jacent ergo illæ, si non mutæ, at certe contemptæ in pulvere auditoriorum, ut et jam pridem desiit honos artes alere. Imo hanc injuriam jurisprudentiæ faciunt, quos minime omnium oportebat. Scio quandam esse quorundam indignissimorum hominum, qui professores juris dici volunt, sed quos tanquam moriones ipsa subsellia derident, ipsique parietes aversantur, fæcem et colluvionem, quæ indignissima sit ullo vel honore, vel honorario, et sit eo contemptu, in quo jacet, dignissima. Sed cur non abigitur? cur impune interea suis sordibus contaminat, suaque infamia inquinat scholas juris? cur et, qui esse, et quo loco esse non debeant, tolerantur adversus leges? cur aliis interea, in quorum fraudem id fit, fit injuria? Conquererer bonis eripi præmia, quæ leges deferunt, sed scio, quod Sidonius Apollinaris Gallus Epist. lib. III. loquens de miseria Galliæ sui temporis, olim scripsit: 'Respublica,' inquit, 'in extrema hæc miseriarum defluxit, ut studiosos sui non remuneretur.' Miratur quidem Sidonius, cum desint præmia recte factorum, non deesse tamen in Gallia facta præclara, et esse semper quosdam, qui nihilominus bene mereantur de ingrata rep. quæ, ut loquitur, moratur beneficia, quæ illi merentur. Sed tales, neque multos, neque, si qui sint, diu futuros esse existimo. *Balduin.* In Guelferb. est *finis Quint.* alium tamen ordinem notavi ad princip. *Arntz.*

PANEGYRICUS V.

Eumenii] Imp. Cæsar Diocletianus Aug., qui se postea Jovium appellari voluit, Maximianum, cui Herculei cognomen additum est, imperii consortem sibi adjunxit, atque hunc in Gallias statim ac Germanias misit in officio retinendas, cum in Orientem ipse proficisceretur. Itaque Panegyricus hic Maximiano quidem dictus est, sed sic tamen, ut utrique laudentur. Ab his, ante quam abirent imperio, præter Galerium Constantius quoque fuit ascitus, Constantini Magni pater, cujus in fine quoque fit mentio, ubi 'Constantine' legebatur ante, cum esset legendum 'Constanti.' 'Cæsar' autem appellatur, cum Diocletianus et Maximianus essent Augusti. Et hic videtur Panegyricus a Belga quopiam dictus, qui literas, ac oratoriam aliquando docuerit, in aulam imperialem postea ascitus. Libenter Mamertino tribuerim. *Rhenan.* Inscribi debet, et dictus fuit hic Panegyricus Constantio Cæsari, qui fuit pater Constantini Magni, cujus præcipue laudes, et res gestas exequitur, ac potissimum Britannicam victoriam. Diocletiani et Maximiani quoque Augg. laudes, et res gestas obiter perstringit. Debet ergo præponi hic Panegyricus illis, qui sunt dicti Constantino Magno. *Putean.* Ex quatuor illis Panegyricis, quas Eumenii esse judicat [Lipsius], duæ dictæ sunt Constantio Chloro, Cæsari a Maximiano Herculeo adoptato, aliæ duæ Constantino Magno, ejusdem filio. Prima, quæ incipit 'Si mihi Cæsar,' est gratulatoria de Britannica, Batavicaque Constantii victoria, quod bellum, Maximiani Imperatoris jussu et auspiciis, post adoptionem confecerat, cujus etiam ipse in suæ orationis fine meminit Eumenius. Hanc dixit Æduus quidam orator, qui in Palatio ab arcanis Principum aliquando fuerat, et post indultam quietem ad ruris studium secesserat. Non igitur hic Eumenius fuit, qui in aula Constantii Cæsaris Magister Memoriæ fuerat, et, ejusdem deinde jussu, duplicato cum stipendio scholis Cliviensibus est præfectus. Verum primæ hujus orationis titulum esse falsum, miror Beatum Rhenanum, atque Belgam nostrum non animadvertisse. Ex ipsa enim oratione haud dubie palam fit, Constantio Cæsari, non Maximiano Aug. dictam esse. Cæsarem enim semper Principem, cum eum alloquitur, et in fine orationis 'Constantium' appellat, non 'Imperatorem,' non 'Augustum,' nisi uno in loco mendoso, ubi legitur, 'Quid faciam, Cæsar Auguste? ignosce, si moror:' et tollenda profecto superflua vox 'Aug.' quæ scribæ librarii negligentia contextui irrepsit. Etenim, vivo adhuc Maximiano Augusto dicta est hæc oratio, qui ex more sibi titulum 'Imperatoris,' et 'Augusti,' quoad cum Diocletiano se imperio abdicaret, reservavit. Est et aliud argumentum, liquidum prorsus, Constantio dictam orationem illam esse. Ubi enim rhetor Æduus per apostrophen flectit orationem suam ad absentem Maximianum Aug. declarat eum bello Britannico non interfuisse, sed eum repente ex Italia in Gallias venisse dicit, et Rheni ripam observasse, ne quid novi motus ab imperii hostibus, Germanis, absente exercitu, ibidem excitaretur, dum Constantius Cæsar Gessoriacum capit,

et Britanniam classibus invadit. Ex dictis igitur luce clarius fit, Constantio Cæsari hanc orationem esse dictam post bellum confectum; sed quonam in loco, vel qua in urbe sit habita, nobis obscurum est. Facile tamen adducor, ut credam, in Æduis fuisse, cum ejus civitatis urbes etiam, ut ubique per Gallias, Principum illorum jussu restaurarentur, quemadmodum in orationis fine rhetor Æduus indicat. *Pighius* in Hercul. Prodic. p. 48. Eumenio et hunc tribui cum aliis nonnullis argumentis, quæ sparsim hic occurrunt, tum præcipue, quod initio statim 'quotidianæ' suæ instituenda juventute 'exercitationis' meminit, ac 'Palatinam dignitatem' commemorat, quæ, ut suspicor, magisterium fuit Sacræ Memoriæ. Quorum utrumque Eumenium hunc obivisse, clarum ex oratione pro Restaur. Scholis. Constantio quoque Cæsari dictum Vet. confirmat, in quo explicate lego indice, qui primore pagina descriptus, *Panegyricus Constantio dictus.* Accedit præter cetera, quod ait auctor, 'patris ac patrui tui,' qui profecto non alii, quam Maximianus et Diocletianus, quorum ille Constantium Cæsarem creavit, a qua notione 'pater' ei quidem fuerit, hic Maximiano 'frater,' imperii societate; Genethliaco Maximiani, 'Non fortuita in vobis est germanitas, sed electa:' et mox, 'certissimæ fraternitatis est usque ad imperium similitudo.' *Livin.* Maximiano Rhenanus ait dictum. Mihi non videtur. Certe omnis oratio ad ipsum Constantium directa est, et de Maximiano tanquam absente loquitur: etsi tamen alicubi ipsum alloquitur, sed, ut solet in his, absentem nihilominus. Atque eodem plane modo ad Diocletianum hic. Igitur Constantio ego inscribam. Et lector serius et sobrius facile id necessum videbit. Rhenanus etiam ait Constantii in fine saltem fieri mentionem, ubi ipse 'Constanti' pro 'Constantine' emendat. Miror, ubi oculos et animum antea habuerit. Monuit de inscriptione et Livineius in notis in eundem plane sensum. *Acidalius.* Orationem hanc Treveris, aut alio loco, de eo enim mihi non constat, habitam esse anno CCXCVII. cum ex Britannia revertisset per Gallias Constantius, late ostendi ad Paneg. Pro Instaur. Schol. init. unde etiam cap. V. 'proximam' dicit Carporum ruinam, hi autem in Fastis Idatianis sese anno CCXCV. tradidisse dicuntur; adde Eusebium in Chronic. p. 178. quamvis aliter Scaliger; neque post annum CCXCVII. esse rejiciendam ostendit, de victoria Lingonica, brevi post reportata, silentium, de qua ad Paneg. Constantino dictum; præcedenti tamen habeo priorem. Hunc ἀνωνύμως ediderunt Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus; Incerto tribuitur in excerptis cod. Puteani, quæ possideo; esse tamen Eumenii persuadet stili similitudo, et quæ de instituenda juventute, et officio Palatino commemorat. Cf. Baunium supr. in Vit. Eumenii p. 170. et Balduinum ad Orat. pro Instaur. Schol. init. Vide enim, quantum hæc conveniant; c. I. § 1. 'rudimenta quædam vocis meæ rursus experior;' cum his 'rudimentis' congruit 'serum tirocinium,' quod est pro Instaur. Schol. I. § 1. deinde mox c. I. § 1. 'quantulacumque studii mei ferret opinio,' quæ paria sunt his pro Instaur. Schol. I. § 1. 'quantulumcumque illud est, quod labore ac diligentia videor consecutus.' Porro cap. I. § 4. 'Sed cum ex veteri illo curriculo me aut, inter adyta Palatii vestri, alia quædam sermonis arcani ratio demoverit,' eadem sunt, atque hæc pro Instaur. Schol. VI. § 2. 'Ab arcanis sacrorum penetralium ad privata Musarum adyta transtulerit.' Præterea, quod peculiariter sibi gratulandum esse dicit

nomine civitatis Æduorum devotissimæ, id est, Augustoduni, quæ congruunt iis, de quibus passim pro Instaurandis Scholis prædicat; denique argumentum peto ex formula, 'ut res est,' cap. VI. § 4. et VIII. § 3. Eumenie familiari. Vide pro Instaur. Schol. VII. § 3. et XVIII. § 5. Livineium infr. ad c. VI. § 4. Schwarzium ad Mamertin. Geneth. IX. § 2. Male igitur hunc Panegyricum Mamertino adscribunt Rhenanus et alii, quod non satis perspecta temporum ratione fieri recte jam indicavit Pithœus Adversar. Subcesiv. II. 1. præcipuum quidem petunt argumentum, quod se Maximiano orationem dixisse refert, et præterea 'post diutinum silentium trepidare,' infr. I. § 1. et § 3. et 5. quod utrumque in Eumenium cadere negant, qui 'diutinum' sibi 'silentium' tribuere non posset, cum nuper pro Instaurandis Scholis dixisset. Sed nodum hunc extricavi ad initium præced. Panegyrici; iisque, quæ ibi contuli, corruunt quoque, quæ hic Pighius, qui tamen præcipue Eumenio non tribuisse videtur, quoniam in hac oratione quædam occurrebant, opinioni suæ de Eumenio, Doctore Cliviensi, maxime contraria. Inscripsi autem aliorum exemplo *Constantio Cæsari*, et ita codd.; deterius Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus, *Maximiano Aug.* pessime Paull. Stephanus, *Constantino Cæsari Augusto:* qui enim Augustus dici potuit, qui adhuc erat Cæsar? Denique quod ordinem spectat, in Guelferb. est octavus; in edd. Puteolani, Rhenani, utriusque Stephani, Gruteri, Parisiensium, et Rivini, si ille Plinii una computetur, nonus; in ed. Livineii decimus; primus post Panegyricum pro Instaur. Schol. inseruit Baunius, ut sit quartus, quem secuti sunt Cellarius et Jægerus; hunc retinui ordinem, quamvis, ex temporis serie, hunc arbitrer illo pro Instaurandis Scholis priorem, ut ad illius init. dixi; retinui autem, ne in eumdem scopulum impingerem, qui fraudi fuit Patarolo; hic enim cum in prima edit. Livineii exemplo, decimum hunc constituisset, id in secunda edit. mutare non fuit ausus, addita hac admonitione: 'Panegyricus hic anteriorum uni aut alteri præponendus esset, ut temporum ordo servaretur, quo orationes hæ dictæ fuerunt. Sed cum ex incuria huic loco in prima editione affixus fuerit, cumque per adnotationes non semel aliquot orationum ipsarum loci citentur, eo expresso numero, quo in ipsa prima editione gaudent, ideo etiam in hac altera priori loco relictus est, ne forte in citandis iterum orationibus aliquis in numeris error obrepat. Ignosce, lector, et humanitate tua supple, quidquid defectus est, ac Panegyrico ipso, cui suæ sedi restituto æquo animo utere.' *Arntz.*

CAP. I. § 1 *Cæsar*] *Cæsar invicte* Vet. *Puteanus.* *Invicte* inserit cod. Bertiniens. et Mœrl. acceptatque Rittershusius cum ceteris, quia sæpissime sic postea; in textu Livin. et Cuspin. deest. *Jæger.* Habet quoque Guelferb. et recte post Gruterum est insertum, quamvis iterum neglexerit Rivinus, ita enim Constantium quoque adloquitur c. II. § 2. c. V. § 4. c. VII. § 3. c. IX. § 6. c. XIII. § 4. c. XIV. § 3. c. XV. § 5. c. XVII. init. et § 3. et § 4. cap. ult. § 3. Cf. Rittershus. ad Eumen. Constantino XII. § 1. Similiter est apud Mamertin. Paneg. I. § 4. et VII. § 6. et 'invictissimi Principes' ibid. XI. init. hoc autem loco vocem admitto, codd. magis auctoritate, quam rei necessitate, est enim simpliciter 'Cæsar' infr. § 5. c. III. § 5. c. IV. § 3. c. VI. init. c. VIII. init. c. XVI. § 3. c. XIX. § 3. *Arntz.*

Diuturnum] Auctoritate Guelferb. scripsi *diutinum*, ut 'diutinum otium' apud Livium XXVII. 24. § 6. ubi Dra-

kenb. quem de frequenti hac permutione etiam consule ad XXV. 11. 11. Not. ad Valer. Max. I. 8. 2. Oudendorp. ad Sueton. Calig. cap. 1. quam etiam deprehendi in cod. apud Apulei. Metam. pag. 5. ed. Colv. Proximum vocis recte per dicendi facultatem explicuit Schwarzius ad Mamert. Genethl. I. § 1. *Idem.*

Ultra ætas] Hic locus non bene habet, et me valde torsit, sic, ut puto, restituendus, *haud immerito me ultra, quam ætas e. q. st. m. f. o. perturbatum confiterer*. Rhenan. *Ultra quam* Vet. *Putean.* Rhenanus recte, *ultra quam ætas*, et *perturbatum*, pro quo tamen facilius possit, *perturbari*, quod disertim in Venet. editione. *Acidal.* *Quam* etiam Guelferb. et Schonhovii excerpta, quod recte inseruit Gruterus, neque iterum negligere in prima ed. debuisset Rivinus. *Arntz.*

Perturbat] Vet. *perturbari*. Putean. *Perturbari*, Cuspin. Livin. ceterique. Rhen. et Steph. corrupte *perturbat*, pro quo ille conjicit *perturbatum*. Jæger. Olim, quod in prima ed. adhuc retinuit Rivinus, nullo fere sensu legebatur, *haud immerito me ultra ætas, et quantulacumque studii mei ferret opinio, perturbat confiterer*. In Schonhovii excerptis adnotatum est: '*Perturbatum confiterer* Rhenanus: alii legunt *perturbari*, ut videatur deesse *debere*; legatur, quomodo monet Rhenanus.' Recte *perturbari confiterer* primus dedit Livineius, quem omnes, præter Rivinum, secuti, probante etiam Acidalio præced. observ. *Arntz.*

Miracula vestrarum] *Vestrarum miracula* Vet. B. *divinæ virtutis tuæ miracula*. Forte, *divina virtutis tuæ miracula*. Putean. *Vestrarum miracula*, Bertin. *Livin.* Non tam enim Constantii, quam aliorum imperatorum illius temporis laudes attigisse credendum. *Paterol.* Olim id fuit editum, quod ex Caspiniano profert Jægerus; transpositionem in contextum primus admisit Baunius, quem secuti sunt Cellarius et Jægerus, eamque probo propter codd. etiam Guelferb. quamvis antiquam etiam lectionem dederit Paterolus, cujus interpretatio satis ostendit, Puteani conjecturam minus esse necessariam. *Arntz.*

Prædicarem] Jæger. *prædicarim* retinuit; ego, quod est in codd. apud eumdem, et edd. Grutero antiquioribus, ut etiam prima Rivini, *prædicarem* restitui. Alteram enim lectionem si sequamur, alio debuit tempore Constantii laudes prædicasse; sed orationem pro Instaurandis Scholis, qua id fecerit, hac arbitror esse posteriorem, neque adeo intelligere potuit, quamvis contraria sententia, in qua fuit Livineius, videatur fuisse caussa, quare *prædicarim* verum pronunciaverit; neque intelligere potuit orationem, Maximiano dictam, quam mox memorat, eam enim ad Paneg. præced. init. ostendi eo fuisse tempore habitam, quo Constantii virtus nondum enituisset. Inperfecto *confiterer* etiam *prædicarem* est aptius. *Idem.*

§ 2 *Cum quotidiana*] *In* Guelferb. et primum a Grutero recte est insertum, quem in secunda edit. secutus quoque est Rivinus, et reliqui; absorpta est præpositio a præcedenti littera *m*, cujus rei alia dedit exempla Cannegieter. ad Fragm. Vet. Jurispr. pag. 208. et ipse ad Arator. I. 499. In memoriam redit Quinctiliani locus, ex hoc fonte emendandus, Declam. I. 6. 'Temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur, et frigescunt inpetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. Ad solum se adligant destituta mœrorem.' Loquitur de cæcitate, hac sententia, eam corporis calamitatem efficere, quo minus quis in patrando facinore sit audax, cum in impetu faciendo nesciat, quo manus dirigat; quid itaque 'mœrorem?' Vere Ms. meus, 'ad solum se adligat destituta in errorem,' id est, te-

meritas hominis cæci frangitur, et adligat sese ad solum, id est terram, visu adeo destituta, ut facile errare queat, et ratio est, quæ continuo sequitur, 'cogitat semper errare et offendere, cogitat eundi redeundique difficultatem.' *Idem.*

§ 3 *Patris ac patrui*] Utriusque per adoptionem. Maximianus Herculeus Constantio Cæsari pater erat, quia Cæsarem cooptaverat; Diocletianus eidem Constantio patruus, quia duo simul Augusti 'fratres' dicebantur. Vid. Epithalam. c. VIII. § 5. *Cellar.* De Augustis fratribus vide ad Mamertin. Paneg. p. 1637. *Arntz.*

Licet æquare non possem] Impeditam sententiam, et obscuram ante inspectos codices emendaram, *merita dicendo æquare non possem, poteram tamen, &c.* cujus me conjecturæ nondum pœnitet, et juvat lectio, quam in Bert. Cusp. post offendi. *Livin.* Nullum sententiæ nexum video, ut nunc distinguitur; illud video, postrema hæc, *sed quum, &c.* non a proximis pendere, sed a superioribus, atque ipso adeo initio, *si mihi post diuturnum silentium, &c. perturbari confiterer. Sed cum, &c.* Ea cohærent recte, quamobrem interjecta reliqua sic distinguenda, ut appareat hæc inter se referri; sed etiam in proximis istis inconcinna quædam, quæ non concinnes, ni cum præcedentibus committas, et ipsa leviter mutes, hunc potissimum in modum; *quo in genere orationis, &c. exercitatione versarer: et quamvis sane prima tunc in r. r. p. a. p. tui merita dicendo æquare non possem, possem tamen percensere numerando. Sed cum me ex curriculo illo vetere.* Sic enim et hæc postrema emendo, non ut Rhenan. *quum me esse curriculo,* quod quid sit, nescio. *Acidal.* Non immerito impeditam hanc sententiam vocat Livineius, et pro posteriori voce *possem* conjicit *poteram:* unde in interpretatione sic ordinanda sunt illa verba: Licet enim non possem æquare dicendo merita patris, ac patrui tui, Maximiani et Diocletiani, in rem publicam renascentem, i. e. reflorescentem, quamvis, i. e. quantumvis, tunc prima adhuc: poteram tamen ea recensere numerando. Noster codex pro *poterat* vulgari modo habet *posset*, sed pro *recensere* exhibet *vel censere*, nostra quidem sententia satis commode, quasi Eumenius dixerit: poteram tamen ea merita quasi æstimare, et laudare sola enumeratione. Verbum enim *censeo* pro æstimo, laudo, commendo alias usurpatur, v. g. Pacatus cap. IV. 'Campania censetur monte Gaurano.' Plinius Paneg. cap. XV. 'Quisquis paullo vetustior miles, hic te commilitone censetur,' i. e. ex eo æstimatur, et magni fit, atque commendatur, quod te commilitone usus est. Vulgaris lectio ταυτολογίαν quamdam infert. Suffecisset enim verbum *recensere* sine addito *numerando.* Nostro codici suffragatur uterque Gudianus liber, et ed. Cuspin. et Steph. *Schwarz.* *Dicendo* recte inseruit Gruterus, probante Guelferb. etiam in secunda Rivinus. Non debuisset *possem* in *poteram* mutare Livineius, neque inpeditam esse sententiam video, modo interpungas, ut verba vere sunt interpungenda; *quamvis enim prima ... patrui tui merita, licet dicendo æquare non possem, possem tamen vel censere numerando.* Dixerat se sensisse, quam difficile esset illud orationis genus, qua Imperatorum laudes prædicentur, sed addit modum, quod id fiat facilius, ut cum merita æquare dicendo non posset, posset tamen enumerare, eaque etiam enumeratione æstimare. Adumbratus videtur locus ex Cicerone pro Marcell. cap. 2. 'Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit.' Eaque videntur obversata Nazario Paneg. XIX. § 1. 'Ita omnia prætervolans cecidit oratio, ut victoriarum tuarum non summam evol-

veret, sed ornamenta monstraret.' Elegans est repetitio illius *possem*, ut in § 3. J. de Suspect. Tutor. 'avia possunt, potest et soror.' Plinius Ep. VIII. 8. 6. 'publice præbent, præbent et hospitium.' Incertus Constantino XXIV. § 3. 'Uni tibi cedunt, cedunt ex omni etiam memoria,' &c. Mamertinus Maximian. V. § 4. 'cuncti Chaibones, Erulique cuncti.' Ceterum miscet hic omnia Bannius, Eumenium hic respexisse scribens ad impositum sibi a Constantio munus, id est, artis oratoriæ in Augustodunensium schola profitendæ; licet enim statueremus, id quod tamen mihi negandum videtur, hanc esse orationem illa pro Instaurandis Scholis posteriorem, non tamen video, qui oratio, Maximiano habita, dici potuerit ex munere in Eumenium a Constantio Cæsare collato, qui tum nondum erat Cæsar. Aperte etiam falsum est, quod addit, ex illo munere ad Palatii officium esse admotum Eumenium, cum ex præced. oratione pateat, post depositum Palatii officium demum Nostro hoc munus obtigisse. Adeo semper fui miratus, neglecta historiæ serie, in his Panegyricis interpretes fuisse versatos. Meliora, ni fallor, docui ad init. præced. Paneg. et *instituendæ juventutis exercitatio* hic non alia est, quam privata, qua juventuti ante officium Palatinum proderat Eumenius. *Arntz.*

Vel censere numerando] *Recensere*, Bertin. *Livineius.* Cod. Bertiniensis scripturam recepit Gruterus, et reliqui omnes, præter Rivinum. Veterem revocavi, cum etiam codd. apud Schwarzium observ. præcedenti eam tueantur, et ipse Schwarzius egregie explicet. *Vel* hic est 'etiam.' Eumen. pro Instaur. Schol. III. § 1. 'vel uno die,' et ibid. V. § 1. recte emendatum est, 'vel præcipue,' de quo usu satis eleganti Drakenb. ad Livium XXIV. 22. 7. Burman. Secund. ad Anthol. Latin. tom. I. p. 267. ad Propertium I. 12. 29. et geminus huic loco est alter Eumenii Constantino VII. § 1. 'Si omnia patris tui facta vel hac brevitate percurram.' *Arntz.*

§ 4 *Sed in eo curriculo*] Sic opinor legendum, *sed cum me esse curriculo.* Rhenan. Sic Vet. *sed cum me meo illo vetere curriculo.* Puteanus. Veterem scripturam non una cum fide proponam, ac tunc arbitrario locum hunc constituam. Igitur in Vet. lego, *sed cum et in eo illo vet. curric. aut inter, &c.* in Bertin. *sed et cum in meo curric. illo vet. aut inter, &c.* in Langii schedis, *sed cum ex vet. illo curric. me aut inter, &c.* Corrigam indubie, *sed cum et me ex illo vet. curric. aut inter, &c.* sequitur enim alterum *et, et vos interim nullum, &c.* Livin. *Sed cum ex veteri illo*] Ita restitui ex Langii antiquo codice; nam vulgati prius, *sed cum in eo curriculo illo vetere, aut, &c.* quod tamen nec satisfaciebat Petro Danieli, itaque reformatum ierat, *sed cum me ex veteri illo curric. aut, &c.* Gruter. Ex his, et paullo ante dictis de instituendæ juventutis exercitatione probatur, Eumenium Augustodunensem et hujus orationis auctorem esse. Respice, quæ supra pro Restaurandis Scholis Panegyrico dixerat. *Cellar.* Cuspinianum quoque secutus esset in prima edit. Rivinus, eaque lectio est in edd. usque ad Gruterum; postquam vero is ex Langii schedis dedisset, *sed cum ex veteri illo curriculo me*, sequentes eam retinuerunt, nisi quod in sec. Rivinus omisso *me* verba transposuerit, *quum ex curriculo illo vetere.* Veram lectionem Puteanus servavit, *sed cum me meo illo veteri curriculo*, quam restitui. De elegantia in *me meo* dixi ad Paneg. pro Instaur. Schol. I. § 2. Est autem hic locus adumbratus ex Ciceron. pro Marcell. cap. 1. 'versari me in nostro veteri curriculo,' ubi Abramus neque hujus inmemor. *Arntz.*

Alia quædam] *Alia* omissum est in ed. Rhenani, Henr. Stephani, et Ri-

vini. Ex quo *alta* recepit Gruterus, omnes illud editores servarunt. Sed quæ est *alta ratio?* Aliud est apud Pacatum Paneg. x. § 2. 'in altiorem provectus gradum:' et 'altissimæ dignitates' apud Plinium Paneg. LXI. § 2. Revocavi itaque ex codd. apud Schwarzium, *alia;* ratio enim timoris in dicendo non erat, quia in *alto* erat munere positus, sed *alia*. Cum in quotidiana instituendæ juventutis exercitatione dicendo esset adsuetus, sentiebat tamen, quanta esset in hoc orationis genere cura, cum vero ex illo curriculo jam alia sermonis ratio eum, Sacræ Memoriæ magistrum, demovisset, ideoque jam dicendo minus esset adsuetus, ideo major erat trepidationis caussa. Aliquoties tamen ita peccarunt librarii. Apud Boëthium Consol. Philos. II. Metr. 2. 'Altos pandit hiatus:' in cod. suo invenit pater meus, *alios*, idque probat ad Plinii Paneg. XIV. in fin. Adde Drakenb. ad Livium XXXVII. 16. 7. *Idem*.

Post indulgentam] Opinor legendum, *indultam*. Rhenan. Schonhovii excerpta, *post indulgentiam*, sed neque hoc, neque vetus lectio, ullius pretii. *Arntz*.

Ulciscendæ] Id est, vindicandæ. *Petr. Faber*. Gudian. 2. *vindicandæ*, sed nihil est mutandum. *Schwarz*.

Tot postea] In Guelf. est, *ut postea;* si hoc admittatur, sententia est, tot gentes esse excisas, postquam victoriæ essent partæ; alterum tamen prætulerim. *Arntz*.

Undique] Potius *ubique*, nisi forte *funditus*. Acidal. Nil opus est. Mamertinus Genethl. XVI. § 1. 'Ut undique se barbaræ nationes vicissim lacerent et excidant.' De 'nationibus excisis' cf. ad Mamertini Paneg. XVII. § 1. *Arntz*.

Sunt Roma cultores] Vet. *sint;* Pith. *translati sint rura in Romana cultores*. Putean. Non fit mihi verisimile, colonos Roma in barbarum solum deductos. Itaque ad veterem scripturam potius inclinem, ac fidenter reponam *in Romana*, hoc est, in Romanas nationes, maxime in Gallias. Auctor in Constantinum A. de hoc ipso Constantio Cæsare: 'Terram Bataviam, a diversis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgavit, nec contentus vicisse ipsas, in Romanas transtulit nationes.' *Livin*. *Sint Romam*] Sic malui cum Bertiniensibus membranis, quam ut erat antea *Roma*. Grut. Falsum illud *Roma* esse liquet mihi, non, qui emendandum. Neque enim *Roma* cultores isti transferebantur, sed e devictis nationibus. Ex iis, quæ ad finem hujus orationis, apparet. *Acidal*. Plerique libri *Roma*, quasi Romani cives in barbaras gentes deducti fuissent, quod pro illis temporibus minus est probabile. Gruterus ergo ex antiquo codice *Romam* legit, quia nobiliores barbarorum sæpe in civitatem fuerint adscripti. *Cellar*. Sunt, qui legant *in Romana*, alii *in rura Romana*, alii *Romam*. Ego retineo Parisiensem lectionem. Verum quidem, gentes barbaras in Romanas provincias translatas fuisse, sed et verum, deductos Romanos in provincias barbaras, quas incolerent. *Patarol*. Mœrl. et uterque Gudianus exhibet *rura in Romana*, ita etiam, notante Bannio, Pithœus. *Jægerus*. *Translati sint*, aut *sunt Roma cultores* olim constanter editum, donec Gruteri conjecturam primus in textum admiserint Cellarius et Jægerus, quamvis antiquam servaverit Patarolus: quod autem de nobilioribus barbarorum, in civitatem receptis, eam explicet Cellarius, id hoc quidem loco plane est absurdum. Non enim de civitate data loquitur, sed de iis, qui agrum colerent, sive cultoribus. Pro *Romam* pater meus conjiciebat *Romani*, quod proxime accederet priscæ lectioni *Roma*, et Pataroli interpretationi, de Romanis in barbaras pro-

vinclas deductis. Et tolerari posset *Roma*, si rei gestæ conveniret. At vero, in prædicanda Constantii per Bataviam victoria, tradunt hi scriptores, Francorum captivos in aliorum, qui Romanis parebant, præsertim Galliæ, agros desertos sterilesque fuisse translatos, ut illic opus facerent, eosque redderent fertiliores. Non itaque loquitur de Romanis in gentium victarum agros, sed de victis in eosdem Romanorum translatis, in quo ut 'transferre' est verbum sollemne, ita etiam 'abducere,' et similia, de quibus Putean. ad Incert. Maximian. IV. § 2. Debuissent itaque locum dare eruditi pulcerrimæ lectioni cod. Pithœani, Mœrliani, et Gudii, *rura in Romana*, quam exhibuit, et cui proxime accedit Livineii conjectura. Confirmat me Eumenius infr. cap. VIII. in fin. 'Ad loca olim deserta transirent, ut, quæ fortasse ipsi quondam deprædando vastaverant, culta redderent serviendo.' Similiter cap. IX. princ. ubi captivos memorat distributos, 'donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur,' id est, donec in rura Romana, et colendas illic solitudines transferrentur; hinc ibid. § 3. 'Arat nunc mihi Chamavus, et Frisius,' in rura nempe illa jam translatus; et cap. XXI. § 1. 'Per victorias tuas, Constanti, Cæsar invicte, quidquid infrequens Ambiano, et Bellovaco, et Tricassino solo, Lingonicoque restabat, barbaro cultore revirescit.' Omnium autem clarissime Paneg. Constantino v. § 3. 'Terram Bataviam .... omni hoste purgavit, nec contentus vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes,' id est, rura Romana, quæ loca recte adhibuit Wagenaerius Hist. Patr. tom. I. p. 226. adde Eumenium ibid. VI. § 2. ubi Francorum nationes a suis sedibus avulsás dicit, 'ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, et pacem Romani imperii cultu juvarent, et arma delectu:' iique sunt 'metœci undique transferendi' apud eumd. Grat. Act. IV. § 4. Fuit autem is Romanorum mos, ut captivos in alia rura transferrent, primum ad ea colenda; deinde ad eorum virtutem, naturamque in seditiones pronam frangendam; porro, ut, abductis alio prioribus incolis, novos substituerent; præterea ut frumenti major fieret copia, et laxaretur annona; et denique ut contra gentes interiores militarent. Vid. Vopiscus in Probo cap. 15. Pontanus Origin. Franc. IV. 3. Trotz Jur. Agrar. Rom. p. 93. Wagenaer. Hist. Patr. tom. I. p. 214. *Arntz.*

Prolati] Forte et hic addendum, *tot prolati.* Acidal. Forte *tot* omissum, ut intelligantur limites prolati agris, per cultores, in eosdem missos, jam fertilioribus, aut ex ultima vocis præcedentis syllaba legendum, *et prolati.* Arntz.

§ 5 *Deterior*] Placet *deterreor*, non, quod Vet. repræsentat, *deteror*. Tum lego, et distinguo, *deterreor*. *Ut hoc, &c.* Livin. *Deterreor*, quod liquido Veneta editio. *Acidalius.* *Deterreor* recte jam antiquiores edd. et codd. *Arntz.*

Nisi hoc uno] *Ut* ex codd. et Livineium præced. observatione secutus, recepi, sententia aperta. *Idem.*

Hortatu] Vocabulum *hortatu* superfluum videri queat. Certe, quamvis abjicias, sua sibi auctori constabit sententia. *Gruter.*

Quamvis maxime] Cod. noster, et uterque Gudian. pro *quamvis* haud incommode exhibent *quemvis*. Schwarzius. Contra hanc lectionem parum commodam arbitrer; proximum enim *mihi* non de alio quocumque, sed de se loqui Eumenium ostendit. *Arntz.*

Imparem facis] Locus hiulcus et sine sensu, sed quem a me rite sanatum in omnes fortunas meas spondeam. Scribo inprimis *facis*, non *facit*, quod perspicue verum; sequitur

enim, *favente numine tuo.* Deinde, inserta vocula, sententiam erigo, *quamvis orationi imparem, parem facis, Cæsar auditor.* Quid potest clarius? Et notum illud poëtæ, 'excitat auditor studium.' *Livin.* Lego, *orationi imparem, parem facit Cæs. aud.* Sequentia evincunt. *Acidal.* Voc. *parem* recepit etiam Patarolus, et Jægerus, et cum ad oram ed. Cellarianæ nihil pro varia lectione adnotaverit Cortius, suspicor etiam ita legi in Guelferb. quamvis de eo nihil monuerint Schwarzius aut Jægerus. Idem obtinet in *facis,* quod primum recepit Cellarius, et Jægerus: alii omnes, etiam Patarolus, *facit;* totus periodi nexus secundam mihi personam postulare videtur; idem itaque Eumenio obversabatur, quod scribit Julianus Orat. I. p. 3. B. δεηθέντα τῶν λόγων ἀκροατὴν εὐμενῆ γενέσθαι, οὐχὶ δὲ ἀκριβῆ καὶ ἀπαραίτητον κριτὴν καταστῆναι· ubi neque Nostri immemor Spanhemius. *Arntz.*

Qui in lucem] *Me* Guelferb. et primus recte inseruit Gruterus, cui obsecuti sunt sequentes, præter Rivinum et Baunium. *Idem.*

Divitiarum patris] Legendum videtur *divinarum.* Rhenan. Mihi contigerit favore tuo, adloqui Herculeum. *Cellar.* *Divinarum* secundum codd. jam inde a Livineio editum. *Arntz.*

§ 6 *Possim*] Lege *possum.* Acidal. Mihi *possim* elegantius est, ex usu præsentis subjunctivi pro futuro indicativi, de quo dixi ad Arator. Eleg. ad Florian. vs. 24. et I. 1072. *Arntz.*

Cap. II. § 1 *Hoc in tempore*] *Hoc* abest a Guelferb. Præpositionem quoque addit Pacatus Paneg. I. § 2. 'hoc præcipue in tempore:' et II. § 1. 'in ipso dicendi tempore.' Alia dedit exempla pater meus ad Plinii Paneg. VI. § 3. Burman. ad Sueton. Claud. cap. 18. *Arntz.*

Officio] Castra enim etiam aliquando secutus fuerat Eumenius. *Cellar.* Non militiam indicat, sed Sacræ Memoriæ magisterium, quod mox 'stipendia' adpellat, ubi vide. *Arntz.*

Captus scilicet rex] Francorum aut Alamanorum, ut puto. Sed quæ hæ insidiæ, quisve hic rex, ignoro; nudi hic enim, et destituti ab historia sumus. *Livin.* Alamanorum credo, quia mox Danubii, et Alamaniæ mentio. Ignota cetera, historia silente. *Cellar.* Alamannorum, quorum innumeram vim cecidit Constantius, teste Eutrop. lib. IX. et nos adnotavimus ad Paneg. Eumenii Constantino cap. VI. *Patarol.* Locum ad Maximiani de Alemannis victoriam esse referendam, ostendi ad Eumen. pro Instaur. Schol. init. *Arntz.*

A potestate Rheni] *A ponte Rheni* Vet. Cuspin. Rhenan. Egregie restitutum *ponte* pro *potestate,* qui a compendiis error. Nam *pote* in veteribus libris et *ponte,* et *potestate* valet. Itidem erratum et Paneg. Constantin. ubi inepte est 'potestati faucibus' pro 'ponti.' *Livineius.* *A ponte*] Retinui istud, subnixum auctoritate tum veterum editionum, tum aliquot etiam Mss. nam Livineius objecerat nobis, *et a potestate Rheni.* Gruter. Hic erat fortasse in finibus Alemaniæ, seu hodiernæ Sueviæ, quæ Rheno quidem ab Occasu terminatur. Continebat autem Alemania, de qua nunc sermo, Rhætiam quoque, unde et mox subditur, *ad Danubii transitum Contiensem,* ubi forte legendum, *Guntiensem,* quod intelligo non de *Guntzberg,* Rhætiæ urbe, sed de *Guntz,* Rhætiæ pariter fluvio, qui in Danubium sese exonerat. Unde vides, a nostro Alemaniam, tanquam Rheno Danubioque comprehensam, describi. *Patarol.* Pontem hunc Rheni fuisse in Triboccis suspicatur mox Cellarius, sed apud Moguntiacum collocat Pontanus Orig. Francic. II. 2. atque ex hoc loco patere putat, Alemannos non modo intra Mœnum et Rhenum, sed ultra

etiam ad Boream consedisse. Cf. quos excitavi ad Mamertin. Genethl. XVII. § 1. *Arntz.*

Transitum Continensem] Blanditur, nescio quo modo, quod ex Langii schedis notatur, *continenter*, sed non hercle verisimile mihi, in voce obvia et protrita librarium errasse, ut *Continensem*, aut *Contiensem* exscriberet. Sane Guntiam urbem Rhætiæ ad Danubium invenio, ut Guntiensem placere posset, sed non expedio, quis hic *transitus Guntiensis*. Deinde, quod geminum est huic loco, haud longe infra, 'porrectis,' inquit, 'usque ad Danubii caput Germaniæ Rhætiæque limitibus.' At Guntia procul a Danubii fontibus, si doctorum auspicio vera, Guntiam esse, quæ nunc *Guntzberg*. Tu vide, sis, mi lector, et nodum hunc dissolve. *Livin.* Videatur legendum, *continens devastata, &c.* id est, tota continenter devastata. Sed quid est *ad Danubii transitum?* legerim omnia, *et a fonte Rheni usque ad Danubii, transitu continente devastata atque exh.* Ad Danubii scilicet fontem, id est, caput, cui lectioni favet, quod post sequitur, 'porrectis usque Danubii caput Germaniæ Rhetiæque limitibus.' *Acidal.* Varie legitur, *Continensis, Contiensis*, aliter. In re incerta conjectura valeat, esse ad Guntiæ confluentes illum transitum. Rheni pons est superioris, in Triboccis forsan, ubi Alemaniam præterlabitur. *Cellarius.* Ms. noster *Contiensem;* sic et Puteanus e vetusto codice adnotavit. *Gunz*, Rhætiæ fluvius, inter Ulmam et Augustam Vindelicorum, qui in Danubium sese exonerat; hinc et oppidum Rhætiæ, quod adhuc hodie superest, Gunzenburga. In codice nostro forte G in C mutatum est; quamquam in Monachi Weingartensis historia de Guelfis Principibus, quæ tom. I. Lectionum Antiq. Canisii exstat, commemoratur etiam locus juxta Licum fluvium, ultra Augustam, qui dicitur 'Concio Legum;' quod nomen non nemo per *Gunze Lech* interpretatus est. *Schwarz.* Ut in talibus nominibus fieri solet, mira hic est in edd. varietas. *Continensem* dederunt Puteolanus, Rhenanus, H. Stephanus, Livineius; sed *Contiensem* Gruterus, Rivinus, Patarol; *continentem*, Paull. Stephanus, quod etiam habent Schonhovii excerpta. Primus, qui *Guntiensem* admisit, est Baunius, quem secuti sunt Cellarius et Jægerus; utrum ita in Guelferb. quoque fuerit, nescio; saltem pro varia lectione nihil adscripserat Cortius. Vera est scriptura jam vulgata, et intelligendus est amnis Guntia, in Danubium influens, ubi transitum fuisse in urbem Guntzburgam, sed aliam, quam quæ ad amnis illius fontes erat sita, arbitratur Cellarius Geogr. Antiq. II. 7. neque video, quam moveat difficultatem a fonte Danubii Livineius; potuit enim ad Guntiensem transitum devastari Alemannia, et limites porrigi Germaniæ ad Danubii caput. Adde Pontanum Orig. Franc. II. 2. *Arntz.*

Devastata] Cod. noster *deusta*. Schwarz. Etiam Guelferb. et in suo veteri quoque exstare monet Puteanus: hoc restitui, cum alterum, tamquam magis vulgatum, ex glossa videatur profectum. Eodem modo 'deustum montem Cœlium,' id est, omnia quæ in eo erant, dicit Tacitus Annal. IV. 64. 'vicos deustos,' Livius X. 4. 7. 'et agros Ligurum deurere,' Idem XXXIX. 2. 7. Herodian. Hist. VII. 2. 5. κώμας ἐμπιπράς. Tales sunt 'vici igne consumti,' apud Eumenium Constantino XII. § 3. inde 'exusta mœnia,' ex libro Danielis, possent defendi apud Valer. Max. V. 3. ext. 3. *Penitus*, quod additur, videtur mihi reddendum Ampelio lib. Memor. cap. 14. 'Lysander dux, qui dominantem toto mari classem Atticam, apud Ægeos primus oppressit;' substituo, apud 'Ægos penitus;' quod enim ex Perizonii mente, 'apud Æ-

gospotamos,' maluit Oudendorpius ad Frontin. II. 1. 18. videtur Latinis infrequens, qui magis 'Ægos flumen' scribunt, ut Nepos Lysandr. I. 4. Conon. I. 2. Plinius Hist. Nat. II. 58. Mela II. 2. 75. *Arntz.*

Stipendiis] Meruisse hoc bello Eumenium hinc apparet. Non enim faciunt huc, opinor, stipendia, quæ Sacræ Memoriæ magister accepit, de quibus pro Restaur. Schol. *Livin.*

§ 2 *De te igitur*] Lege *det igitur.* Acidal. *Det* est in Guelferb. quod primus recepit Baunius; ita ex conjectura Freinshem. ad Curtium X. 9. 3. et probat Wopkens ad Pacat. III. init. ubi olim legebatur, *De te igitur mihi sermonis hujus auspicium erit ille felicitatis publicæ auspex dies.* Rectius jam emendatum est, *det igitur:* hic vero si *de te* legatur, hærebit sententia, quia verbum deest substantivum. *Arntz.*

Ortus] Nam ex ante diem Kal. Mart. A. U. C. MXLII. a Maximiano Herculio Cæsar dictus est. Fasti Goltzii. Confer quæ notamus ad Incerti Pan. Max. IV. *Livin.* Non nativitas, sed adoptio, et Cæsareæ dignitatis auspicium, quod in Kal. Martias incidebat, cap. III. et *vestræ* dicit, id est, utriusque Cæsaris, Constantii Galeriique. *Cellar. Ortum* illum explicui ad Mamertini Paneg. VI. § 2. alia quædam ad h. l. habet Freinshem. ad Curtium X. 9. 3. In Guelferb. est, *divinus ille serenus majestatis vestræ,* sed vocem insertam librarius parum adtentus ex sequentibus repetiisse videtur, et, ne lituris codicem macularet, suo quamvis non loco positam, servasse. Cæsarea illa Constantii et Galerii Maximiani dignitas referenda est ad Kal. Mart. a. CCXCII. post institutum Mediolanense colloquium; quare autem lecti fuerint, rationem dedi ad Mamertini Paneg. IV. § 1. Cf. etiam Baluz. ad Lactant. M. P. cap. 35. *Arntz.*

Serenus: atque] Distinguendum, *serenus, atque.* Acidal.

Mundi nascentis] Infra mox: 'O tempus, quo merito quondam omnia nata esse credantur.' Virgil. Georg. II. 'Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliamve habuisse tenorem Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri.' *Livin.* Cf. Lips. Physiolog. Stoic. l. II. Dissert. 9. *Jager.* De mundo vere nato vide Cerd. ad Virgil. Georg. II. 336. Weitzium ad Pervigil. Vener. vs. 2. Simson. Chronic. in Parasc. c. 6. alii autumno adscripsere, unde Ægyptios anni initium ducere a mense, qui Septembri est æqualis, testatur Lactantius Instit. I. 6. Cf. Junium Animadv. I. 8. Patarol. ad cap. seq. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Moderatus*] Id est, εὔκρατος, subaudi ὢν et *dicitur* expungam, quod sententiam turbat. *Livin.*

Certasse dicitur] Ingrata, imo inepta ejusdem vocis *dicitur* repetitio, alterutro loco quidem mutanda, sed posteriore potius, quo certe plane non convenit. Non enim id ex auditu loquitur, sed ex sensu, quia supra, 'ut celebrantes sensimus,' &c. Forte *ducitur.* Acidal. Etiam Guelferb. *creditur,* quod post Gruterum recte est receptum, præterquam a Rivino. Cf. supra pro Instaur. Schol. XVI. § 1. *Arntz.*

CAP. III. § 1 *Omnia nata*] Idem credidit et Virgil. lib. II. Georgic. cum cecinit, 'Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem Crediderim: ver illud erat,' &c. Variant sententiæ tamen de tempore quo mundus sit conditus, non modo inter Hebræos, Græcosque, ac nos Catholicos, sed inter nos ipsos; alii siquidem verno tempore, alii autumnali creatum dicunt. 'Tamen nostrorum communior opinio est, Martium mundo dedisse principium,' &c. inquit Genebr. Chronol. init. Vide Rhodig.

I. 9. maxime vero Perer. in Genes. cap. I. *Patarol.* Vide ad cap. I. § 2. *Arntz.*

Volventium] Ovid. Fastor. I. et III. Plutarch. in Numa, Solin. in Polyhist. *Putean.* De 'annis volventibus' cf. ad Mamertini Geneth. II. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Reip. propagatio*] In Vet. Bertin. Cuspin. *propagati* est; certe, nam perspicue integrum est, *propagatio.* Sed et *secula* ex Bertin. Cuspin. addendum, ut sit, *Reip. secula propagatio.* Livin. *Secula propagatis*] Hæc lectio etiam in Cod. Mœrl. invenitur. *Jæger.* Est quoque in Guelferb. et recte primus restituit Baupius, desumtam ex Cicerone Catil. II. 5. quo modo 'propagare dies' apud Eumen. Grat. Act. VIII. § 2. ubi vide; et 'propagare optabilis boni seriem,' Nazarium Paneg. II. § 3. adde Buneman. ad Lactant. Instit. II. 12. 21. et infra ad Incertum Maximian. II. § 2. Quæ addit, 'orbis vestri participando tutelam,' videntur ad id pertinere, quod, post Constantium Cæsarem lectum, ipsi commissa fuerit tota trans Alpes Gallia, Herculio autem Africa et Italia, Galerio Illyrici ora ad Ponti fretum, cetera tutaretur Diocletianus. Victor Cæsar. XXXIX. § 30. unde Diocletianum in quatuor partes orbem divisisse dicit Lactantius M. P. VII. 2. De 'tutela orbis,' et 'generis humani,' cf. Buneman. ad eumd. Instit. VII. 26. 11. *Arntz.*

Discursus] Hanc vocem explicuit Schwarzius supra ad Mamert. Geneth. II. 4. *Arntz.*

§ 3 *Partho*] Persis, quos legimus victos a Diocletiano, qui etiam Narsis, ipsorum regis, uxorem captivam in triumphum duxit. *Patarol.* Recte *Persis* explicat Patarolus, cf. ad Mamertin. Genethl. V. § 4. et de ipsa re ad Eumen. pro Instaur. Schol. XXI. § 2. Quæ agnomina a triumphis hic memoratis acceperint, indicat Spanhem. ad Juliani Orat. I. p. 61. *Arntz.*

Dacia] Dacia Aureliani cis Danubium, quam Carpi et Sarmatæ invaserant, cap. 5. *Cellar.* Ea olim, ubi nunc fere provinciæ, Transylvania, Moldavia, et Valacchia. *Patarol.*

Usque ad] *Ad* omisit Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus; non male. Cf. patrem meum ad Victor. Inlust. XXXIV. 7. sed codd. præpositionem servant, etiam non sine exemplis, quæ dedi ad Sedulium I. 87. *Arntz.*

Bataviæ] Innuit tyrannidem a Carausio occupatam, contra quem movit, jussu Maximiani Herculii, Constantius Chlorus. Diximus alibi. *Patarol.* Cf. ad Mamertini Paneg. cap. II. § 1. et mox cap. VI. init. *Arntz.*

Republica] Lege *respublica.* Acidal. Scilicet *republica* ediderant Puteolanus et Rhenanus, et in prima edit. Rivinus, qui *vindicta* recto videntur casu accepisse; sed jam veriorem lectionem dedit Livineius, probantibus codd. et Schonhovii excerptis. *Arntz.*

Filio] Habuerat in matrimonio Constantius Helenam; male enim ex Orosii testimonio VII. 27. quidam hanc ipsius concubinam habuerunt, quorum errorem ostendunt V. D. ad Eutrop. X. 2. sed, eadem abjecta, Theodoram, Maximiani privignam, duxit. Victor Cæsar. XXXIX. 2. Orosius VII. 25. putat quidem Hearn. ad Eutrop. IX. 22. Theodoram Constantino fuisse nuptam, et utrumque Constantii et Constantini nomen, vulgato errore, a scriptoribus fuisse confusum, sed illud a Grunero egregie refutatum esse docet Verbeykius. *Idem.*

CAP. IV. § 1 *Majestas*] Patar. *potestas;* vertit tamen *maesta.* Jæger.

Jovio] Distinguendum ad verum sensum, *Jovio Herculioque Principibus, totius mundi cœlestiumque.* Acidal. *In primum secundum* codd. recepit Gruterus, omissum a prioribus, etiam Rivino in prima ed. Præterea olim distinctio post *mundi* fuit posita, ut

jungeretur cum *Principibus*, quod Gruterus et Baunius adhuc retinuerunt. Melior est illa, in qua Cellarium, et sequentes secutus sum duces. Principes sunt Diocletianus, et Maximianus. Cf. Schwarzium Prolegom. ad Mamertin. Geneth. § 4. *Arntz.*

§ 2 *Numero*] Hoc est, quaternione, duobus Augustis, Diocletiano et Maximiano Herculio, totidemque Cæsaribus, Constantio et Galerio Maximiano. Non est igitur, hoc quidem Panegyrico, Constantino locus. *Livin.*

Anni tempora] *Vices* Guelferb. et Schonhovii excerpta, idque post Gruterum fuit receptum, recte, quod exemplis confirmat Cellar. ad Curtium v. 1. 23. quamvis *tempora* retinuerit Rivinus, quod fieri posset, si codd. paterentur. *Arntz.*

Orbis quadrifariam] In orientalem nempe, et occidentalem ab Oceano occidentali, seu Atlantico; a mari vero Mediterraneo, quod a nostro Oceani nomine, improprie tamen, dici pro certo teneo; in septentrionalem, et meridionalem. Illustrat explicationem hanc Lipsius Physiol. Stoic. Dissert. II. 17. *Patarol.* Veteres plurimi censebant, terram cum mari rotundam esse, sed ipsam duplici Oceano dividi, et velut decussari. Priorem esse ipsum verum, magnum, originalem Oceanum, qui terram ab Ortu ad Occasum mediam dividit sub ipsa Zona torrida, id est Æquatore: alterum, qui ab illo ortus eamdem terram, parte altera, mediam secat, ab Austro in Septemtriones. Itaque duplici hoc Oceano tota terra scinditur in partes quatuor, i. e. totidem insulas, e quibus unam dumtaxat nos habitamus. Hæc Lipsius uberius exsequitur; et testimoniis, in quibus clarissimum est Macrob. in Somn. Scip. II. 9. firmat, Physiolog. Stoicor. Dissert. II. 17. *Jæger.* Vera est hæc expositio, neque enim cum Patarolo hic 'Oceanum' capio pro mari Mediterraneo, quamvis ea notione adhibuerit Florus III. 5. in fin. *Arntz.*

Et emenso] Subintellige Solis annuo curriculo. *Patarol.* Codd. scripturam *emenso* revocavi; primus videtur ex Bertiniensi dedisse *remenso* Gruterus, quem in secunda edit. secutus est Rivinus, et ceteri. Frequentem harum vocum permutationem probat vir clariss. in Observ. Miscell. tom. I. p. 203. *Arntz.*

Duobus] Soli et Lunæ. *Livin.*

Vespera] Ex vulgi opinione distinguit, qui unus planeta, una stella lucidissima. *Cellar.* Hi quidem una et eadem stella, duplici tamen gaudent nomine, et tanquam pro duobus sumuntur, ex diversa apparitione, matutina ac vespertina. *Patarol.* *Vespere* Rhenanus; codd. constanter *Vesper*, et Schonhovii excerpta. Vel vulgi sententiæ, vel doctrinæ sideralis ignorantiæ hoc tribuendum, ut ex una duas faciat stellas, videtur Daviesio ad Ciceron. N. D. II. 20. Cf. de hac stella V. D. ad Hygin. Fab. 165. *Arntz.*

§ 3 *Cuncta sidera*] In Guelferb. est, *sed neque aurora humanas res tam perpetuo sidere intuentur.* Huic si quid lectioni foret tribuendum, mallem priora *sed neque sol ipse* abesse, ut hæc ex margine intrusa videantur, cum aurora passim solem designet. Vid. Davies. ad Ciceron. de N. D. I. 28. Potior tamen sit vulgata, ad quam etiam nonnulla pertinent, notata ad Mamertin. Genethl. III. § 1. memorat enim 'duo cæli lumina,' et mox 'discrimen dierum ac noctium;' Lunam itaque etiam intellexit, eamque sub 'cunctis sideribus' comprehendit. *Idem.*

His modo] In Guelferb. est *iis modo.* Pro *quibus* in prima Rivini edit. est *duobus*, tamquam *iis modo duobus, quibus.* De locutione 'orbem inlustrare' vide ad Mamertin. Genethl. IV. § 2. *Idem.*

Et præteritur] Alludit, et tanquam digitum intendit in victorias Princi-

pum, quaternis orbis terrarum partibus. Galerius enim Maximianus Cæsar in Oriente prospere adversus Narseum pugnavit; et Ægyptum, capto Alexandriæ Achilleo, Diocletianus restituit; Mauros ac Quinquegentianos in Africa Maximianus Herculius oppressit; Bataviam et Britanniam Cæsar Constantius a Francis recepit; Quados, Carpos, Bastarnas, Sarmatarum gentes, Diocletianus afflixit. Lege pro Restaur. Scholis sub finem. *Livin.* Patar. *præterit;* recte. Qua dies, id est, Sol præterit, est plaga meridiana. *Jæger.* Omnes ediderunt *præteritur.* Utrum *præterit* ex suis habuerit codicibus, nihil monuit Patarolus, cum tacite in textum admiserit, eumque sit secutus Jægerus. Et maxime hoc blanditur; ita enim Eumenius Constantino IX. § 3. 'ut Sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi adpareat præterire.' Adde, quæ notantur ibid. cap. VII. § 2. unde et ego retinui, præsertim cum in altera lectione nihil sit quod rite interpreteris, quamvis id in omnibus codd. ab Interpretibus visis, esse doceat horum silentium; habet quoque Guelferb. De locutione 'condere dies' vide Not. ad Plinii Paneg. LXXX. in fin. Adde ad Mamertin. Genethl. VI. § 6. *Arntz.*

Cæsar] *Cæsares* Cuspin. Præferam *Cæsar,* non *Cæsares;* nam habita hæc oratio, uno Constantio Cæsare præsente, et (amplius) stante, ut mox dicet; Augustis, et altero Cæsare Galerio absentibus. *Livin.* *Cæsares* habet Schonhovius in ora ed. Froben. itemque Cusp. Sed *Cæsar* merito præfert Livineius, nam hæc oratio habita est absente Galerio, absentibus item Augg., coram uno Cæsare Constantio. *Jæger.* *Cæsares,* duce Cuspiniano, dederunt Paullus Stephanus, Gruterus, secunda ed. Rivinus, et Patarolus; et sane favet, quod cap. 3. 'Cæsares maximos,' et 'invictissimos Principes' memoravit; præterea hoc cap. omnium extollit beneficia, quo spectat quoque sequens *vestra;* et denique cap. seq. § 3. demum ad Constantii gesta transit. Quod autem obmoverit Livineius, et alii, reliquos fuisse absentes, parum habet ponderis, cum et plurali numero passim usus fuerit supra Mamertinus, solum adloquens Maximianum. Cum tamen Guelferb. et alii codd. singularem habeant, iis potius obtemperare malui; et potuit solum adloqui Constantium, quamvis reliquorum res gestas oratione complexus. *Arntzen.*

§ 4 *Et habenda est ratio*] Servo vulgatum; *et* enim vim adversativæ habere docui ad Arator. Epist. ad Florian. 10. aut in initio ita fuit positum, ut in quibusdam apud Passerat. ad Ciceron. pro Quinct. cap. 11. *Idem.*

Cæsares tanta] Vitium hic aliquod. Neque enim sensus videtur plenus satis, et expressus. Et Cæsares non alloquitur, sed unum Constantium, ad quem diximus haberi hunc Panegyricum. *Acidalius.* Nescierim sane, cur stans panegyricam hanc orationem audierit Constantius. De Constantino Magno, ipsius filio, legimus quidem apud Eusebium lib. IV. de ejusdem vita, quod stans audire voluit Eusebium ipsum, de Servatoris nostri sepulcro dicentem; asserendo 'nefas esse, ubi de Deo instituta sit disputatio, remisse, ac molliter auscultare,' &c. 'pium enim ac religiosum est,' inquit, 'ut de rebus divinis stantes audiant.' *Patarol.* Guelferb. *Cæsare stante,* melioremque illam lectionem recte admisit Gruterus, a ceteris retentam, præterquam Rivino. *Arntz.*

CAP. V. § 1 *Adoratæ sunt*] Lege *sint.* Acidal. Laudatæ, magni æstimatæ, cum veneratione victoriæ. Vide pro Restaurand. Scholis XI. § 3. *Cellar.* *Sunt* ante Livineium fuit edi-

tum, et est in Guelferb. ceteri præter Rivinum in prima ed. *sint*, idque ex sententia præstat. Male *adoratæ* explicat Cellarius; est enim leviter tactæ, quas enumerando tantum perstringit. Dixi ad Orat. præced. XI. § 3. *Arntz.*

Sarmaticæ] A Diocletiano et Maximiano factæ. Eutrop. lib. IX. In hujus victoriæ memoriam cusus est nummus apud me argenteus, quem Occo aureum describit, et quatuor figuras, quæ in ipso videntur, milites esse ait stantes ad aram accensam, ad ostium castrorum, &c. Ego tamen non negaverim, duos illos, qui dextras jungunt, ipsos esse Imperatores, sibi post victoriam occurrentes, pone quos sunt utriusque præfecti prætorii: nisi etiam dicamus, figuras illas ipsos esse quatuor Imperatores. *Patarol.*

Solo nomine] Hanc proverbii speciem habet Juretus ad Symmach. Epist. II. 52. *Arntz.*

§ 2 *Niliaca*] In Ægypto scilicet, adversus præcipue Achilleum tyrannum, quem Diocletianus profligavit. Eutropius ibid. *Patarol.* Cf. pro Instaur. Schol. XXI. 2. Male Guelferb. *trophæi*. Vid. ad Sedulium V. 321. *Arntz.*

Æthiops et Indus] De Indis in Africa vid. Burman. ad Virgil. Georg. IV. 293. *Jæger.* Recte ad Indos in Africa hoc refert Jægerus, sive Libyæ incolas, quod 'tropæa Niliaca' satis ostendunt, et quia veram Indiam numquam est ingressus Constantius, ut locum hunc eximie explicuit Cuperus Observ. IV. 7. *Arntz.*

Et proxima] Carpi, Sarmatiæ populus in Carpate monte, ut plures sentiunt, qui postea in Mœsiam irrupere, cis Danubium sedem captantes. *Cellar.* Memorat citatus Eutropius: 'Varia deinceps simul, et viritim bella gesserunt, Carpis et Bastarnis subactis.' Fuere autem Carpi, ubi nunc fere Russia nigra, Podolia, et Volhinia. *Patarol.* In Guelferb. est corrupte *corporum*; intelligenda enim est victoria de Carpis, a. CCXCV. Coss. Tusco et Anulino, reportata, ad quos eam referunt Fasti Idatiani; sed est ea distinguenda ab alia Carporum victoria, hanc orationem secuta, qua illi in Romanorum agros sunt translati, quam recte distinguit Scaliger ad Eusebium p. 244. Rapertus ad Besold. p. 359. De illa vide Aurel. Victor. Cæsar. XXXIX. 43. Orosium VII. 25. Jornandem I. p. 700. Cf. præterea V. D. ad Eutrop. IX. 25. *Arntz.*

Jam jamque] De similibus vide ad Mamertini Genethl. X. § 5. indicat hæc locutio tempus proxime futurum, ut infra XV. § 5. apud Pacatum Paneg. XLIV. § 3. Tibullum I. 8. 78. Ovidium Trist. I. 1. 20. et 22. Metam. XII. 588. (cui idem recte restituit Heinsius IX. 388.) Rutilium Itin. I. 35. ubi pro eo Crusius Probab. Crit. p. 55. male substituebat 'quanquam.' Apud Juvenc. Hist. Evang. II. init. 'Jamque dies prono decedens lumine pontum Inciderat, furvamque super nox cærula pallam,' &c. ex optimo Cantabrig. cujus habeo varientes, legendum, 'furvam jam jam nox.' *Idem.*

Mauris] Per Maximianum Herculeum. Vid. Paneg. in Nupt. Constantini et Faustæ cap. VIII. § 6. Victi tum Quinquegentiani, ut Eutropius IX. 15. et Aurel. Victor vocant. *Cellar.* Guelferb. habet *et Mauris*, quod revocavi, in variarum victoriarum enumeratione non inelegans. Cf. ad Incert. Maximian. VIII. § 6. reliqui *et* omittunt. *Arntz.*

§ 3 *Celebrabo*] Gud. pro *celebrabo* habet *celebrando*, quod non male mutari possit in *celebranda*. Jæger. Vera Eumenii manus est *celebranda*, quod egregie conjecit Jægerus; hoc opponitur sequentibus, 'sine dilatione dicenda sunt.' Simili permutatione apud Sulpic. Sever. Dial. I. 21. 'vel

imitanda operatus est,' cod. Bibl. Trajectinæ, 'imitando.' *Arntz.*

Et ipsis] *Ut ipsis* Vet. Bertin. *Livin.* Lege, *temporibus, et* (*Dii immortales! vota suscipio*) *ipsis, qui gessere, præsent.* Acidal. Hinc satis constat, nisi Constantio præsenti dictam hanc orationem, aliis absentibus; et Constantio quidem, non Constantino, ut in aliquibus perperam legitur. *Patarol.* Τὸ *ut* desiderat præcedens *vota suscipio*, sc. *ut hac celebrare mihi contingat ipsis q. g. p.* Jæger. *Ut* primus recepit Gruterus, et sequentes præter Rivinum, quod expleta sententia recte tuetur Jægerus. *Arntz.*

§ 4 *Ductu*] Guelferb. corrupte *dictu.* De ipsa re cf. ad init. cap. seq. *Arntz.*

Quæ priora] Scopæ dissolutæ, et non una in nostris lectio, quam repræsentabo cum fide. Igitur *gratulari* abest in Vet. et mox pro *gratulationi* scriptum *gratulari*, in quo equidem sensum non perspicio. In Bertiniensi haud multo rectius, *necesse nob. quæ priora nobis sunt max. scilicet gratulari.* Juvem ego, et, commutata una vocula, rescribam, *nec nob. quæ propiora nob. sunt maxime scil. gratulari.* Supra etiam verba invertam, et *in quamvis communibus* legam, hac sententia, in reip. bonis, quamlibet communibus, gaudendum esse iis maxime, quos propius contingant. Itaque Gallis de Britannica ac Batavica victoria (has enim sentit) præcipue gratulandum, Franco hoste depulso, qui eorum fortunis proxime imminebat. *Propiora* reposui pro *priora*, ut hac ipsa laudatione contra *propiore* corruptum pro *priore* observamus. Quod superest, *quæ propiora sunt gratulari*, sic dictum, ut Terentio, 'adventum gratulantur,' et infra iterum, 'hoc ipso in administratione providentiam vestram impensius gratulantur.' *Livin.* Lege *propria.* Acidal. Hunc locum, varie tentatum a viris eruditis, nunc integrum proferre possumus e cod. nostro Ms. et Gud. *eo magis, quod, quamvis in communibus rei publ. bonis, necesse est, quæ propria nobis sunt, maxime gratulari.* Hanc nimirum, ni fallor, sententiam Panegyristes exprimere voluit: eo magis gesta tua, quorum spectaculo ipsi fruimur, nunc sunt a nobis prædicanda, quod, quam libet etiam in communibus rei publ. bonis et felicitatibus, maxime tamen decet de iis gaudium testari, et gratulationem facere, quæ nobis propria sunt præ ceteris populis, provinciisque; nempe victoria illa Batavica et Britannica, qua Galliæ nostræ a barbarorum incursionibus sunt liberatæ. *Schwarz.* Patarol vitiose dedit, *propriora.* Jæger. Hic locus usque ad Cellarium ita lectus est, *necesse nobis gratulari, quæ priora nobis sunt, maxime sunt gratulationi.* Livineii conjecturam recepit Cellarius, *propriora* Patarolus. Veram Eumenii manum egregie dederunt codd. apud Schwarzium, quam restitui; priorem enim Cellario scripturam retinuit Jægerus, nisi quod pro *priora* ex Puteaneo reposuerit *propria.* 'Propria' sunt, quæ magis ad Eumenium pertinebant, et de quibus adeo latius erat dicturus, in Gallia gesta, et ab ipso, homine Gallo, fere visa, unde eorum 'spectaculo sese frui' dixerat. In his necesse erat, maxime et præcipue gratulari, quamvis bona etiam reip. communia prædicari possent, id est, in aliis regionibus patrata. Parum distant hæc Incerti Epithalam. Maxim. I. § 2. 'Cetera enim in remp. beneficia vestra possunt multis occasionibus diversorum temporum prædicari, huic voto propria nunc debetur oratio.' Mamertin. Juliano II. § 6. 'Ad ea, quæ propria sunt, perveniat oratio.' Non tamen prætermittam, in meis ex Gudiano sive Guelferbyt. excerptis posteriora ita notata esse, *maxime sunt gratulari*, unde suspicor in *sunt* latere *scilicet*, quod ex Bertiniensi

quoque protulit Livineius, ut adhuc legendum sit, *maxime scilicet gratulari*, quæ vox Eumenio est frequens. Vid. cap. II. § 1. Paneg. Constantino XVI. § 1. Gratiar. Act. X. § 3. Cf. Not. ad Phædr. v. 5. 30. *Gratulari* autem est gaudere, et Diis gratias agere, de quo Withof. Specim. Gunther. p. 138. Schœtgen. ad Juvenc. Hist. Euang. II. 10. Paullo ante, pro *quod quamvis*, pater meus maluit *quo*, forte ob sequentem in altera lectione comparativum *priora*, ex iis quæ monuit ad Plinii Paneg. XXI. § 4. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *Veniendo vicisti*] Egregie *fecisti*, idque ad *tuas* adjungam; non enim vincendæ erant Galliæ, sed asserendæ, atque ab advena hoste purgandæ. *Livin.* *Vicisti* omnes ante Gruterum; ortum id videtur ex trito Cæsaris, 'veni, vidi, vici.' Vulgata rectior est; ad barbaros opprimendos Cæsar lectus Constantius, Mediolano in Gallias profectus, eas non 'vicit,' sed suas 'fecit.' Corrupta autem hujus Panegyrici inscriptione deceptus Bertius de Aggerib. c. 12. totam hanc de Gesoriaco historiam ad Maximianum retulit, atque hoc loco citat *Maximiane Cæsar*, quod, ut in nulla ed. inveni, ita aperte historiæ adversatur, cum Augustus hoc tempore esset Maximianus. Ceterum ad ea, quæ sequuntur, inlustranda historiæ series breviter est contexenda, quod commodius suo fiet ordine, quam si singula sparsim legantur, præsertim ut et Wagenaerio in quibusdam opem feram. Postquam igitur Maximiani partes deseruisset Carausius, sumtoque etiam in Britannia imperio, Gallias redderet infestas, Constantio, Cæsari lecto, commissa fuisse omnia trans Alpes, dixi ad cap. III. § 2. in his itaque curandam accepit Galliam, quæ Britanniam quoque fuit complexa. Cf. Cannegieter Neglig. Trebell. Poll. p. 181. In Gallias autem venientis Constantii prima fuit cura, ut Carausii milites debellaret, Galliæ Belgicæ portum, et Morinorum navale præsidio tenentes; hos statim dicit 'Gesoriacenses muros,' de quibus illic vide. Gesoriacum navibus profectum esse tradit Wagenaer Hist. Patr. tom. I. p. 224. sed potius Mediolano terra iter fecisse evincent, ni fallor, quæ dixi ad Eumenium pro Instaur. Schol. XIV. § 2. Hunc itaque Gesoriacensem portum, sive ipsius sinum, fixis trabibus, saxisque ingestis, anno CCXCII. clausit Constantius, in quod naves videtur minores adhibuisse, ab altera autem parte exercitu urbem cinxit, hinc præsidium illud terra marique sepsisse dicitur, Paneg. Constantino v. § 1. portum autem clausit, ne ex præsidio in Britanniam evaderent Carausii milites, aut is ex Britannia, in qua jam imperium tenebat, ipsis opem ferret; Carausio autem, quem per 'piratam' intelligit infra VII. § 3. hoc facile fuisset, propter commodum ex Britannia in hunc portum trajectum, ut ex eodem in Britanniam solvit Claudius, teste Suetonio in Claud. cap. 17. adde Cannegieter Britenburg. p. 50. male autem Patarolus ad Eumen. Constantino v. § 2. Allectum intelligit, ut ex sequentibus patet. Hoc autem modo præsidium illud, et urbem vicit, quo sensu obsidionem illam 'necessitas, et clementiæ fides' dicitur 'solvisse,' infra VII. § 3. et exercitus 'captus,' et 'clementia conservatus,' Paneg. Constantino v. § 3. obsidione autem soluta, demum claustrum illud maris impetu fuit dirutum, et collapsum, infra cap. VI. et VII. Paneg. Constantino v. Parta hac victoria, de debellando in Britannia Carausio cogitavit Constantius, sed quo minus illud adhuc conficeret, fecit navium fabricandarum necessitas; interim itaque arma in continentem vertit, ut Francos, sive Frisios, Batavorum insulam depopulantes, coërceret, quos fœdus rupisse, ab ipsorum rege Genobaude cum Ro-

manis ictum, suspicatur Wagenaerius Hist. Patr. tom. I. p. 224. qui præterea censet navibus in Bataviam profectum esse Constantium; mihi magis terra per Morinorum agros movisse videtur, propter iter brevius, et navium, qua laborabat, penuriam; hæ enim adhuc interea erant ædificandæ, cap. VII. in fin. præterea illic dicit Constantium hostes aggressum, 'quos adiri continens terra permisit,' quod in iter maritimum non quadrat. Denique cap. VIII. § 3. tradit, exercendum fuisse militem ad navale certamen per palustria Bataviæ, regionumque vicinarum loca, id est, eos ad expeditionem Britannicam fuisse exercendos, quod tum magis factum fuisset per iter illud maritimum, quam paludes, in quibus velut cum aquis certabant. Ceterum hos Francos vicit, pluresque captivos in colendos aliorum agros misit, infr. cap. ult. Interim Carausium in Britannia, anno CCXCIII. interficit Allectus, qui aliis 'Alectus' teste Scaligero ad Eusebium p. 244. unde satelles 'archipiratam occidisse' dicitur, infr. XII. § 2. majori itaque debellandæ Britanniæ spe captus Constantius, classem anno CCXCIV. instruxit, evocato ad Rheni ripam Maximiano, ne quid novi ad eam gentes barbaræ molirentur, infr. cap. XIII. fabricatas autem naves, anno CCXCV. in duas divisit classes, hinc 'diversas classes' memorat infr. XIII. § 4. alteri præfectum prætorio Asclepiodotum præfecit, per Sequanam in mare naves deducturum; ex Sequana enim transitus quoque erat in Britanniam, teste Strabone IV. p. 305. alteram sibi sumsit, qua e portu Gesoriacensi esset soluturus, infr. cap. XIV. Orosius Histor. VII. 25. non itaque ex Batavorum insula solvit, quod verisimile videbatur Wagenaerio Hist. Patr. tom. I. p. 228. Statuunt vulgo Panegyricorum interpretes, præmissum a Constantio fuisse Asclepiodotum, Constantium vero ipsum demum solvisse, nunciata victoria, quam in Britannia reportaverat Asclepiodotus. Vid. Baunius cap. præced. § 4. Cellarius cap. XIV. § 4. et præmissum fuisse Asclepiodotum testatur Aurel. Victor, Cæs. XXXIX. 42. sed his adversatur Eumenius cap. XIV. Constantium priorem mare fuisse ingressum adfirmans, nunciumque ipsius jam navigantis tantum Asclepiodoteæ classi ardorem injecisse, ut signa navigationis ab Asclepiodoto exposcerent milites, ob cælum et mare turbidum, diem pluvium, ventumque obliquum adhuc cunctante, unde addit ibid. § 5. 'Quis enim se, quamlibet iniquo, mari non auderet credere, te navigante?' Sed, ni fallor, hic ultra veritatem rem extulit orator. Ut enim mittam, diu ante Constantium adpulisse in Britannia Asclepiodotum, quamvis id fieri potuisset vento ipsi magis favente, tamen hoc urgeo, si navigationem distulit ob mare turbidum Asclepiodotus, debuit illud æque turbidum experiri Constantius, si brevi ante Asclepiodotum id sit ingressus, et tamen Eumenius in Paneg. Constantino V. 4. de Constantii navigatione, 'ita quieto,' inquit, 'mari navigavit (Constantius) ut Oceanus ille, tanto vectore stupefactus, caruisse suis motibus videretur.' Turbidum itaque mare damus Asclepiodoto, id persuasionibus militum ingresso, quod etiam confirmat ipsius in Britannia adventus, pacatum Constantio deinde demum navigante. Intellecta hac Constantii expeditione, classem in speculis, et insidiis ad insulam Vectam constituit Allectus, quo minus ad littus illa hostium adpelleret; sed tantæ fuerunt nebulæ, ut Asclepiodotum non senserit transeuntem, qui in littore exercitum, nemine inpediente, exposuit; et, igne navibus suis injecto, omne fugæ præsidium et spem suis militibus ademit, quo fortius pugnarent, infra

cap. xv. Tum demum mare ingressus videtur Constantius, quem cum advenientem vidit Allectus, littus reliquit, et ab incolis lætitia exceptus adpulit Constantius, cap. xix. continentem vero petens Allectus in Asclepiodotum incidit, sed ita territus, ut non omnes etiam copias in acie explicuerit, victus est, et occisus, infr. cap. xvi. Orosius vii. 25. Eutropius ix. 22. qui vero ex ipsius militibus evaserant, Londinum petierunt, spe, direpta urbe, aufugiendi; sed Constantii milites, aëre nebuloso oberrantes, forte illuc quoque perveniunt, militesque incautos, et deprensos oppresserunt, infr. cap. xvii. atque ita, anno ccxcvi. liberata fuit Britannia servitute, ut tradit Incertus Epithalam. iv. 3. hinc explicandus Eumenii locus pro Instaur. Schol. xviii. 3. Ceterum hoc cum Carausio bellum descripsisse celebrem poëtam Ossianum in carmine 'The War of Caros' probavit Jacob. Macphersonus, de quo Saxe Onomast. tom. i. p. 587. Vellem, hæc cum Carausio gesta adcuratius distinxisset Wagenaerius Hist. Patr. tom. i. pag. 225—228. quem in plerisque in errorem duxisse videtur Brouwerus Annal. Trever. iii. p. 119. uti pleraque a Maximiano gesta suo loco non posuit; ecce enim, scribit Wagenaerius, domitis in Batavia Francis, eorumque captivis per aliorum agros distributis, Constantium in Britanniam fuisse profectum, et cum Carausio adeo infeliciter pugnasse, ut, facto fœdere, Britanniam ei cedere debuerit. Miscentur hic omnia; quæ enim de Carausio tradit, ad primam expeditionem contra eumdem pertinent, postquam Romanorum partes perfide deseruisset, non a Constantio, sed Maximiano factam, de qua dixi supra ad Mamert. Paneg. cap. i. § 1. in qua classem quidem paravit Maximianus, sed quæ tempestate fuit disjecta; hæc itaque contigerunt diu ante obsidionem Gesoriacensem, diu ante Francos in Batavia oppressos. Qui enim de Carausii historia descripte agat, quatuor, oportet, tempora distinguat; primum, quo Romanos contra Bagaudas adjuvit; tum cum ab iis defecit, et expeditionem maritimam contra ipsum paravit Maximianus, de quibus egit Mamertinus; deinde, quo pax cum eo facta, cessaque Britannia; denique cum contra eum arma movit Constantius, de quo præsertim Eumenius. *Arntz.*

Omnes ortus] Supra, 'vestræ majestatis ortus,' &c. ibi vide. *Livin.* Cum non diu ante hanc expeditionem Cæsar lectus fuerit Constantius, forte de eo, ut fecit Livineius, posset *ortus* exponi, ob illa, quæ dixi ad Mamertin. Paneg. vi. 2. et favet Eumenii locus Constantino v. 2. ubi de eadem hac re; 'qui (Constantius) adscitus imperio (id hic *ortus* est) primo adventu suo,' &c. Prætuli tamen *motus*, quod sequenti *adventus* est adcommodatius; tanta erat celeritas, ut nuncios de castris motis, deque Constantio adveniente præverterit. Ita 'movere' absolute pro castra movere apud Livium xxxviii. 40. 2. adde Not. ad Ciceron. ad Divers. iii. 6. Oudendorp. ad Cæsar. B. G. i. 40. 14. *Omnis* ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus. *Prævenisti* quoque est in Guelferb. sed ex glossa. Mamertinus Genethl. viii. § 3. 'Ipsam, quæ vos comitata est prævenire famam, prævertistis.' Eumenius Constantino xviii. § 6. 'ventorum flamina prævertererent.' Symmachus Epist. ii. 5. 'percontationem vestram scriptione prævertimus:' ubi in Pithœan. etiam est 'prævenimus.' Drakenb. ad Livium ix. 17. 9. qui frequentem harum vocum permutationem confirmat ibid. xxiv. 5. 6. *Arntz.*

Gesorigiam censibus] Legendum arbitramur, *cepit oppressam Gessoriacensibus muris pertinacem tunc errore*

misero manum piraticæ factionis, atque illis olim mari fretis alluenti portus ademit. Loquitur, ni fallor, de piratis, quos Carausius ad vexandum Romanum imperium exciverat, intra muros Bononiensis portus Gallicani, etiam nunc celebris, conclusis: hoc enim munierant trabibus; sed fluctibus iis disjectis, portu et piratis potitus est Constantius. *Gessoriacum* igitur idem esse, quod Bononiam, præterquam quod Beatus Rhenanus probare nititur charta militari, apud Conradum Peutingerum inventa, in qua depictum erat Gessoriacum, et suprascriptum 'Bononia,' manifeste convincitur ex alio alterius Panegyrici, ad Constantinum scripti, loco, cujus initium est, 'Facerem, sacratissime Imperator, quod paulo ante,' &c. in quo hæc eadem historia de Constantio et piratis memoratur, ibique, qui hic *Gessoriacenses muri* dicuntur, 'Bononiense oppidum' nominatur. Sed verba illius alterius Panegyristæ hic advocanda sunt: 'Qui adscitus imperio, primo adventu suo, innumerabili hostium classe ferventem exclusit oceanum, exercitum, qui Bononiensis oppidi littus insederat, terra pariter ac mari sepsit, cum reciprocos cursus illius elementi, jactis inter undas vallis, diremisset, ut, quorum portus fluctu alueret mare, quod tangerent, perdidisset;' plane eadem commemorans, quæ prior Panegyristes. Jam cum subdit, *qui eodem exercitu virtute capto, clementia conservato*, alludit ad id, quod Eutropius scribit: 'Cum Carausio tamen (qui sedem belli habebat hanc Bononiam, ut idem supra commemorat) cum bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax convenit,' qua icta et ipsi, et piratis venia data est, receptis in fidem, id quod utrique Panegyristæ hic pluribus exsequuntur. Ex his liquet, merito explodendos, qui Gessoriacum Calesium, aut Gandanum, aut Brugas censuerunt, reclamante etiam topographia Tabularum Ptolomæi. Gessoriacensis autem pagi nomen, cujus meminit Plinius IV. 17. commutatum est in 'Gestiensem terram,' etsi tum etiam omnem agrum Bononiensis Comitatus complecteretur. *Jac. Nicol. Loënsis* Miscell. Epiphyll. V. 25. Locus mire depravatus, qui videtur ita legendus: *cepit oppressam Gessoriacensibus muris pertinacem tunc errore misero manum piraticæ factionis, atque illis olim mari fretis alluentem portus ademit Oceanum.* Sic fere codex Pulmanni. *Puteanus.* Locus miserrime fractus, nec totus ab ingenio solo restituendus; mutilus enim. In partibus aliquantum juverim, sed auxilio non magnæ rei. Pro *Gesorigiam* nescio, an *Gesoriacum.* Sequentia sic videntur restituenda, *consensibus miris pertinacem*, et mox detracta, quæ repetita, syllaba, *errore misero manum pir. f.* ultima sic, *atque illis olim mare fretis alluens portus ademit.* Acidal. *Gesoriacum*, quæ postea 'Bononia' dicta, in Morinis. Hoc oppidum, vel portus Carausiano præsidio tenebatur. Constantius ita obsedit, mole in mari structa, ut præsidiariis neque exitus pateret, neque ex Britannia, ubi Carausius agebat, auxilium adferri posset, quo factum, ut deditione in potestatem Constantii veniret. *Cellar.* Guelferb. habet *Gergoviam ausibus.* Puteolanus dedit *Gesoriam censibus*, reliqui *Gesorigiam censibus*, donec *Gesoriacensibus* receperit Gruterus; recte, a 'Gesoriaco,' ut editum est apud Sueton. Claud. cap. 17. ubi Græv. pro quo alii 'Gessoriacum,' quæ urbs, saltem Constantini ævo, 'Bononia' dicta, idemque videtur portus esse, qui Cæsari 'Iccius,' ex quo facilis erat in Britanniam trajectus, unde 'Gesoriacum Morinorum gentis littus' memorat Plinius Hist. Nat. IV. 16. Confer pluribus Cluverium Antiq. German. II. 28. Scrive-

rium Batav. p. 181. Bergier. de Viis Militar. II. sect. 42. n. 2. et 3. Cellarium Geogr. Antiq. tom. I. p. 241. Wesseling. ad Antonini Itiner. p. 363. Cannegieter. Britenb. p. 50. Ampliss. van de Spiegel Oorspr. der Vad. recht. p. 12. Fabric. ad Dion. Cass. tom. I. p. 216. infra ad Eumen. Constantino v. § 2. Schœpflinus tamen in Inlustr. de Britann. Hist. Controv. c. 1. § 2. Gesoriaci portum ab Iccio diversum statuit, hunc autem Bononiam inter et Caletum esse quærendum. Vid. Museum Hagan. tom. II. p. 186. Ceterum ignoro, unde Bertius de Agger. cap. 12. hunc locum ita citaverit: *cepit oppressum Gesoriacum, censibus murisque pertinacem.* Duplex denique hic Loënsis notandus error; alter, quo portum trabibus clausum tribuat piratis, iisque fluctibus disjectis tum demum urbe potitum esse Constantium: opus enim illud fuit Constantii, et demum, urbe jam capta, a maris fluctibus disjectum est; vid. num. 2. alter, quo Eutropii locum de Carausio huc refert; pax cum eo facta ad Maximianum pertinet, ut modo dixi. *Arntz.*

Misero Romano] *Misero Romanum* dederunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Rivinus, quod est in quibusdam codd. etiam Guelferb. sed *Romano* Livineius et Paull. Stephanus; utrumque nullo sensu. *Manum* recte nonnulli in præced. observ. conjecerunt, jam confirmatum a cod. Gudii apud Jægerum in nota præced. et suspicor ita quoque fuisse in Ms. Pulmanni apud Puteanum ibid. illud jam recepit Gruterus, et reliqui: singularis est lectio, quam in hoc loco excitando habet Bertius de Aggerib. cap. 12. *errore misero Romanorum piraticæ factionis rebellem.* Arntz.

Adluentem portas] Vet. *portis adeunt Oceanum*, lege *ademit*. Putean. Ante Gruterum omissum fuit *Oceanum*, neglectum quoque in prima ed. a Rivino. Hinc in præcedenti observatione Loënsis legit, *illis mari fretis alluenti portus ademit*, et ita citat Brouwer Annal. Trever. III. p. 199. nisi quod habet *alluente*; at vero Acidalius, *illis olim mare fretis alluens portus ademit.* In priori conjectura displicet plurale *portus* de uno, quem tantum Gesoriaci fuisse indicant sequentia, *sinum illum portus*; in posteriori vix video, quo *fretis* referatur: præterea, quamvis *portus* sit quoque in Schonhovii excerptis, tamen codd. et Guelferb. *portas.* Vellem, Bertius de Agger. cap. 12. monuisset, ex ingenio, an codd. locum hunc ita excitaverit, *illis olim fretum alluens portas ademit.* Sed ut hæc mittam, egregie ex suis mox *Oceanum* protulit Livineius, a Grutero, et sequentibus, ut dixi, receptum. Ipse, ni fallor, 'portas et Oceanum' tuetur Eumenius Constantino v. § 2. de eadem hac re locutus; 'ferventem exclusit Oceanum . . . et quorum portas fluctus adlueret.' Gratiar. Act. VII. § 2. 'flumina ipsas oppidorum portas adluentia.' 'Adluens mare' est pro Instaur. Schol. XVIII. § 3. ita 'terras æstu adluere,' Valer. Flacc. IV. 132. 'terras adluit oceanus,' Curtius IV. 14. 9. Florus IV. 12. 46. 'tumulum adluere,' Lucanus VI. 810. hinc male infra XVII. in fin. in quibusdam, 'mediterranei sinus abluunt.' Adde Drakenb. ad Livium XXVI. 44. 10. *Arntz.*

Ademit. In quo] Ita dicitur 'Oceanum exclusisse' apud Eumen. Constantino v. § 2. *Idem.*

§ 2 *Æstus alternat*] Intelligit accessum et recessum æstus maris, de quo Plinius II. 97. Mela III. 1. et Aristotel. II. Meteorol. Infra vocat 'mare reciprocum,' et Incertus Constantino, 'reciprocos fluctus illius elementi;' et Mamertinus, 'sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt.' Ausonius Epigr. III. 'Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis.' *Putean.* Eleganter hoc describit Curtius IX. 9. 20. 'Reciprocare cœpit mare mag.

no tractu aquis in suum fretum recurrentibus, reddebatque terras paullo ante profundo salo mersas.' Cf. Savaron. ad Sidon. Apollin. Epist. IV. 3. Guelferb. pro *statis* habet *statutis*, quod interpretis est. *Arntz.*

Loci naturam] *Loci* mallet deleri Cortius in margine ed. suæ, tamquam diceretur Constantius ipsam superasse naturam, ne statis ita vicibus amplius posset mare alternare, quæ τὰ φύσει πεφυκότα dicit Lysias in Corinth. Socios p. 46. Sed nulla est necessitas; *loci naturam* superabat, prohibendo, ne in portu, more consueto, mare alternaret, ut 'naturam fluminis vincere' dixit Paneg. Constantino XVIII. § 4. *Idem.*

Tamquam nullo usu] Responsat meis auribus *tanquam*, et verum arbitror *jamque*. Livin. Lego, *tamque nullo u. i. inclusos, quam si red.* *Quasi* etiam pro *quamsi*. Sed non in his auctoribus ei locus; apud Plautum hoc monstravimus. *Acidal.* *Tamquam* tueor secundum codd. Effecerat Constantii moles, ut maris æstus non rediret, quo ipso urbis præsidium fuga inpediebatur; huic itaque præsidio mare videbatur inludere, quasi plane redire desiisset, et ita inclusos juvaret, ideo quod hi, nullum maris æstum videntes, facile in suspicionem adducerentur, id suæ saluti fore, cum ita, si mare non rediret, navibus in portum non posset adpellere Constantius. Videtur ingenio suo indulsisse Bertius de Agger. c. 12. cum totum hunc locum ita excitarit: *mare frustra reciprocum prohibuisti fuga. Quænam umquam, &c.* Arntz.

Quasi redire] Livineius ex schidis Langianis adfert *ad quos*, satis commode. *Jæger.* Verbum *inludere* postulat *quasi*. Arntz.

§ 4 *Si quæ*] *Qua* jam est in ed. Henr. Stephani, et cod. Guelferb. 'Firmitatem murorum' memorat contra arietes, 'altitudinem' contra turres, quod recte monuit Lipsius Poliorc. III. Dial. 5. *Arntz.*

Liberatus impetu] Verum est *libratus*, ducta a machinis bellicis metaphora, telisve, quæ summis viribus efferuntur. Cf. Barthium ad Stat. Theb. VIII. 438. *Idem.*

Sive anhelitu] Pomp. Mela III. 1. 15. ed. Gronov. 'Neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id mundus efficiat, (de caussis æstus, et recessus oceani loquitur) retractamque cum spiritu regerat undam undique, si (ut doctoribus placet) unum animal est,' &c. Cf. quos ad eum locum laudat Schottus. *Jæger.*

Numquam tua] Pro *numquam* in cod. Put. Gud. et Mœrl. legitur *nequaquam*, quod melius esse judicat Baunius, quia re ipsa moles illa dissiluit post confectam expeditionem, ut mox addit. Si vulgatam servari placet, illud *numquam* non tam presse accipiendum est, sed referendum ad tempus obsidionis. *Jæger.* Vera est Baunii crisis, vocemque ex codd. reddidi, quamvis, qui ante ita emendaverint, sciam neminem. *Arntz.*

Claustra] Sic dixit, ut Virgil. Georg. II. 'Quid memorem portus, Lucrinoque addita claustra?' Auctor iterum: 'Cum statim atque obsidionem necessitas, et clementiæ vestræ fides solverat, eadem claustra, qui primus insiluit, æstus irruperit.' *Livin.*

Receptu recursuque] Æstum describit, qui abitu, redituque constat. Egregie ergo *occursuque* est in Cuspin. nam 'recursus' quid est aliud, quam 'receptus?' at diversum 'occursus.' *Livin.* Non nego, bonam esse scripturam Cuspin. Sic etiam Mela l. c. 'recedere atque adventare' dicit oceanum, quæ verba satis congruunt cum *receptu* et *occursu*. Sed enim vero 'recursum' nihil aliud esse, quam 'receptum,' i. e. abitum, id largiri Livineio non possumus. 'Recursus' sæpe est reditus, v. g. apud Ovid. Heroid. VI. 59. 'Dent modo fata recursus:' adeoque 'receptus'

et 'recursus' diversa sunt, et sibi invicem opposita, nec unius codicis, bona quamvis, scriptura, contra reliquorum consensum, præter necessitatem est obtrudenda. *Jæger.* Nihil verius. Mare cum abierit, æstu recurrit. Ita 'fretum recedens,' et 'recurrens' opponit Seneca Herc. Furent. 321. 'undam per alternos recursus labentem' dixit Ovidius Ibid. vs. 423. ceteroquin de mari recedente est apud Curtium IX. 9. 20. not. ad Valer. Max. III. 2. 23. *Arntz.*

Ripasque defringeret] Exilius mihi videtur *defringeret*, ac *diffringeret* mallim. *Livin.* Malim *refringeret*. Acidal. Neutrum melius vulgato, quod significat h. l. vi et impetu deterere. *Jæger.* Recte; unde vulgatum tuetur Burman. ad Sueton. Cæs. c. 37. *ripas* potuit intelligere de iisdem ad fluminum ostia, potius tamen de littoribus acceperim, iis præsertim, quæ rupibus sunt obsita, ut Pomponius Mela III. 9. 25. 'Vastis præcisa montibus, ripæ potius sunt, quam littora.' Adde Schraderum ad Musæum vs. 189. pro littore vocem Rutilio Itin. I. 322. reddere conatus est Burmannus, quod etiam sibi in mentem venisse significabat meus Eldikius, ut legatur, 'Nec sinuosa gravi ripa labore caret:' editur 'cura:' si tamen verum sit, 'ripam' hac notione de recto magis littore adhiberi, quod observat Pintianus ad Melam II. 1. 32. parum idonea esset 'sinuosa ripa;' forte prævaleat Almeloveenianum, 'sinuosa terra;' cum tamen majus latere vulnus videatur, legerim, 'gravi cornua mole carent,' sive 'molem' accipias, ut apud Ovidium Heroid. II. 131. 'Est sinus, adductos modice falcatus in arcus; Ultima prærupta cornua mole rigent:' sive pro summa difficultate, quæ navigationi obstabat, ut apud Tacit. Histor. III. 84. Annal. XIII. 35. Ovidium ex Ponto [illegible]3. Senec. Œdip. vs. 829. ut [illegible] nolis' per 'difficultatis' interpretatur Servius apud Virgil. Æneid. I. 38. adde Heins. ad Claudian. In Eutrop. II. 100. Drakenb. ad Silium XII. 38. 'Cornua' autem sinui recte conveniunt, cui illa tribuit Ovidius d. l. et Metam. v. 409. Fast. IV. 479. Florus IV. 11. 4. ubi de Græco κέρας Dukerus § 9. *Arntz.*

Ut res est] Infra: 'Ita, ut res est, subjacentibus innatat,' &c. in Constantinum A. 'Nullis, ut res est, muneribus Fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat,' &c. Arnobius advers. Gent. v. 'Nec quid sceleris cuperet conturbatis per insaniam mentibus, aut retractare poterat, aut pervidere, sed, ut res est, ponderis et majestatis oblitus ad furta illa flagitiosa correpens ibat,' &c. ejusdem operis VII. 'Delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis.' Adde, quæ notamus ad Mamertin. Genethl. IX. *Livin.* Cf. supra ad princip. *Arntz.*

CAP. VII. § 1 *Pedicas jecit aureas*] Vid. Herodot. VII. 35. *Jæger.* Orta enim tempestate, Hellesponto trecentas jussit plagas infligi, et par compedum in pelagus mitti. De pedicis 'aureis' nihil tradit Herodotus, qui tantum πεδέων ζεῦγος habet, VII. p. 526. et πέδας, VIII. p. 670. Arrian. Exped. Alexandr. VIII. p. 472. Themistius Orat. IX. pag. 226. 'vincula,' Virgilius Culic. vs. 30. 'compedes,' Valer. Max. III. 2. ext. 3. 'catenas,' Seneca Constant. Sap. 4. hoc autem Xerxis factum inter Græcorum commenta, duce Stanleio, refert Valckenaer. ad Herodot. VII. p. 526. forte desumserunt ex simili narratione, qualis est apud Æschylum Pers. vs. 747. ubi de hoc facto conqueritur Darius: Ὅστις Ἑλλήσποντον ἱρὸν, δοῦλον ὣς, δεσμώμασιν Ἤλπισε σχήσειν, ῥέοντα Βόσπορον ῥόον θεοῦ, Καὶ πόρον μετερρύθμιζε, καὶ πέδαις σφυρηλάτοις Περιβαλών· ubi πέδαις σφυρηλάτοις forte ad ancoras pertinet, quas memorat Herodotus VII. p. 526. adde

etiam Bertium de Agger. c. 3. indicat enim ea vox, quod 'malleo' est 'fabricatum,' σφύραις ἐληλασμένον, ut Hesychius in v. Potuerunt autem talia comminisci ex similibus, quæ scribit Æschyli Scholiastes l. l. τὸν Ἑλλήσποντον δεσμοῖς σιδηροῖς περιβαλὼν, ἤτοι γέφυραν ἐν αὐτῷ διὰ σιδήρου ἐργασάμενος. .... ὤετο δὲ, καὶ ὑπελάμβανε .... κρατήσειν πάντων τῶν Θεῶν, καὶ τοῦ Ποσειδῶνος αὐτοῦ. Adde eumd. ad vs. 72. *Arntz.*

Qui fluctibus] In meo variantium ex Puteaneo apographo non divisim *qui a*, sed conjunctim *quia* legitur, unde in ed. Parisiensi, cui hæ variantes sunt additæ, de typographi vitio suspicor; posset ceteroquin *a fluctibus* exponi propter fluctus, de quo usu dixi ad Arator. Epist. ad Vigil. vs. 30. Guelferb. etiam *quia*, quod primus recepit Gruterus, et ceteri præter Rivinum. *Idem.*

Ferociret] Guelferb. *ferociter*, idque edidit Puteolanus. Eumenius Constantino x. fin. 'ferocire non audeant.' *Idem.*

Ille jactantia] In Guelferb. est *illa*, male, quamvis etiam ita citaverit Savaro ad Sidon. Epist. vii. 7. quod tamen in editis non deprehendi. *Idem.*

Sacrilega vanitate] Utpote in numen admissa, Neptunum scilicet maris Deum, Ethnicis cultum. *Palarol.* *Sacrilegus* ita substantivó junctum confirmat Savaro d. l. *Arntz.*

§ 3 *Statim atque*] Infra: 'Statim atque illo infestům majestatis tuæ fulmen intenderas.' Iterum: 'Statim atque Britanniæ littus invaserat.' Rursum: 'Statim atque ad littus illud exoptatus olim vindex et liberator appuleras.' Observa et 'illico atque' pro eodem. Auctor in Constantinum A. 'Illico enim atque ille terris fuerat exemptus.' *Livin.* Eumenius Constantin. v. § 3. de eadem hac obsidione, 'exercitu virtute capto, clementia conservato.' *Arntz.*

Insiluit] Codd. Gud. et Marl. *qui pr. incubuit.* Satis probabiliter. *Jæger.* *Insiluit* est ex glossa; alterum restitui, tempestati proprium, ut apud Virgil. Georg. ii. 310. Sulpic. Sever. Dial. iii. 7. 3. translate Lucanus iii. 94. Lactantius Instit. ii. 1. 9. *Arntz.*

Irruperit] Simplex aptius *ruperit.* Acidal. Nil necesse. Supr. pro Instaur. Schol. xx. fin. 'Vel impetu inrumpit oceanus.' Infr. xviii. 3. 'Pervecti oceanum, qua terras inrupit.' *Arntz.*

Piratæ] Carausio. *Livineius.* Male igitur mox Guelferb. et ed. Puteolani, *ferrent.* Idem.

Victoriam] Victoriam de præsidio Gesoriacensi intelligit. *Idem.*

Potuisset enim] Forte *enim vero, Cæsar.* Livin. Ineptum hic *enim;* nec tamen sat scio, an hic quoque mutandum sane, ut initio hujus Panegyrici. *Acidal.* Sequentia præcedentium caussam plane non continent, unde suspicor legendum *etiam;* ad victoriam ita portus patebat, ut etiam totum continuo bellum potuisset peragi. Permutarunt hæc item aliis locis librarii. Vid. Van Dorp Observ. pag. 35. apud Sulpic. Sever. Vit. Martin. xxii. 1. Trajectinus, quamvis male, 'persæpe enim;' rectius idem Dial. ii. c. 3. 1. 'senserat enim;' nisi forte 'enim' pleonasmum hoc loco sapiat, ut in exemplis apud Schulting. ad Senec. Controv. i. p. 67. *Arntz.*

Ædificandis] Eodem Panegyr. in Constantinum A. 'Dum ædificandis classibus Britanniæ recuperatio comparatur,' &c. Locum perlege. Meminit et Mamertinus in Maximianum A. *Livin.* Mamertini locus est in Paneg. xii. 3. is autem, si de ipsa re loquamur, huc non pertinet, quia ad Maximiani contra Carausium expeditionem est referendus, hac Constantii longe priorem; de locutione 'ædificare naves' ibid. vide. *Arntz.*

Dari tempus] Cuspin. *dare temp.* Jæger. Mox pro *suasisset* in Guelferb. est *successisset*, corrupte. *Arntz.*

§ 4 *Omni nunquam*] Ex codd. inserui *tempore*, quamvis ceteroquin omitti potuisset propter præcedens *tempus;* sed talis repetitio scriptoribus non infrequens; vide ad Mamertin. Genethl. II. § 1. *Idem.*

Quos adiri] Cusp. et Rhenan. cum Stephano, *quos adire.* Sic certe verbum 'jubere' infinitivo activo recte jungi, docet Ernestius ad Tacit. Hist. I. 38. *Jægerus.* *Adire* etiam Henr. Stephanus, et prima ed. Rivinus; alterum servat Guelferb. *Arntz.*

Terra] Abest in Vet. *Livin.* Cf. ad c. VI. init. Quamvis in Livineii Vet. *terra* absit, et continens sufficere queat, tamen plenam locutionem exemplis adserit Cortius ad Sallust. Jugurth. XII. 5. *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Illa regio*] Bataviam sentit. Clarum ex iis, quæ proxime citavi. Zosimus III. Τῇ Βαταβίᾳ προσχόντες, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου, κ. τ. λ. *Ad Bataviam appulsi, quam bipertitus Rhenus insulam facit, quavis fluminea majorem, &c.* Livin. Batavia, quam, permittente Carausio, Francorum gentes invaserant, Constantius, pulsis barbaris aut captis, vindicaret. *Cellar.*

Vendicata] Vet. *vindicata.* Putean. 'Vendicare' an 'vindicare' rectum sit, dixi ad Mamertin. Paneg. Maxim. VII. § 3. adde Bueneman. ad Lactant. Instit. II. 4. 10. Constantii de Francis victoria in numis quoque celebratur. Vid. Morelli Specim. p. 85, *Arntz.*

Callidus interfluit] *Calidis* Vet. *Caldis* Bertin. Emenda *Scaldis* ex Langii schedis. *Livineius.* Ita graphice, et ad amussim Bataviæ solum depinxit, ut nullus pictor melius, nullus rhetor ornatius, magisve apposite dicendo assequi queat: nisi quod subesse mendas suspicio est, ita ut restituendam hunc in modum lectionem existimem: 'Quanquam illa regio divinis expeditionibus tuis, Cæsar, vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Scaldis interfluit,' &c. Nam, quod pro *callidis* reposuerim *Scaldis*, non temere, nec sine autore facio. Quid enim acervata bina epitheta, præter Latinorum ferme autorum usum, sibi volunt? quid *callidi* significatio, huic loco aliena, huc facit? Atenim ego facilem fuisse lapsum in duobus verbis, non ita multum absimilis soni, ignorante scriptore, quid *Scaldis* esset, contenderim: nisi quis pugnet legendum esse *Vahalis*, quod alterius cornu Rheni nomen fuit, vel Cornelio Tacito teste, qui lib. II. ita scribit: 'Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursu, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior, et placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.' Quibus ex verbis facile liquet, alterum Rheni ostium, quod Belgicæ oram prævehitur, 'Mosæ' nomine hodie clarum, 'Vahalim' superioribus locis, ubi divortii initium est, dictum fuisse, fortassis ab arenæ, qua tingitur, subruffo colore, quem 'Valum' vocant, quo nomine equum, quo Belisarius, fortissimus dux, invectus fuisse legitur in Gothorum exercitu, subruffi coloris designabant Gothi, jaculis solum illum appetentes, uti apud Procopium legitur. Quoniam autem Bataviæ solum ita ad ingressum intremit, et pressum sidit, concutiturque, quod de hac insula, ut elegantissime, ita verissime dixit, hinc ego factum puto, ut Hollandiæ, quæ Bataviæ pars est, nomen a cavitate creatum sit, siquidem ad pedum pulsum concuti eam certum

est, et procul etiam pondus videri sentire atque vacillare, velut aquis innatantem, rideat licet Martinus Dorpius hanc nominis rationem. Addit et suam conjecturam de insulæ hujus nomine Petrus Nannius noster in suis Symmictis; illum legat, si quem juvat ista cognitio. *Junius* Animadv. IV. 11. Non ausus sum invehere amnem aliquem libris, quanquam suaderet Langianus codex legendum *Scaldis*, videremque Livineium inclinare in eandem conjecturam, quod meminissem placuisse magis Junio *Vahalis*, quod æque accedit ad literas, atque illud alterum, et alioqui verius est. *Gruterus.* *Vahalis*] Sic Hadr. Junius, Hadr. Valesius, Val. Acidalius legunt, pro quo *Scaldis* in vulgatis erat, qui extra Bataviam amnis est. *Cellar.* Incolis *Schelde*, fluvius Belgii. Oritur in Piccardia, fluitque per provincias, Hannoniam et Flandriam, quam a Brabantia primum, inde a Zelandia dirimit, labiturque in Oceanum duobus vastis ostiis. D. Le Clerc Biblioth. tom. III. legit hoc loco *Vahalis*. Ita et Cellarius, cum Junio, Valesio, et Acidalio, a quibus non dissentio. *Patarol.* Pro *Vahalis*, in Cusp. Rhen. Livin. Steph. textu *callidis*, in schedis Langii, et codd. Put. et Mœrl. *Scaldis*, quam lectionem, adnotatam quoque a Schonhovio, probant Livineius et Parisienses, a quibus discedit Gruterus, et Cellarius, qui cum Hadr. Junio, Hadr. Valesio, Clerico, et Acidalio legit *Vahalis*, quia Scaldis extra Bataviam amnis est; probatur hæc lectio etiam Patarolo, licet *Scaldis* in textu exhibeat, et Schwarzio, qui ab istis viris nos vetat dissentire. Et sane, nisi auctorem in nomine amnis errasse dicamus, quod equidem nolim, recipienda omnino est emendatio. *Jæger.* Lectionem codd. *Scaldis* bene tuetur Hummelius, *Handb. der alten Erdbeschr.* I. B. I. Th. p. 105. Eumeniumque non modo de ea regione, quam Scaldis interfluit, sed simul etiam de illa, quæ divortio Rheni et insula Batavorum continetur, loqui monet. *Jæger.* Cellarium, in contextu *Vahalis* admittentem, secutus est Jægerus, me quidem invito, et mirante, qui illud adeo eruditis placere potuerit. Meliores enim codd. in *Scaldis* consentiunt, neque alio nos corrupta quorumdam ducit scriptura in *callidis*, *caldis*, et *calidis*. Plus dicam; si *Vahalis* admittatur, mihi Eumenium videri bis idem, sine ulla necessitate, dixisse. Ecce enim, hæc addit; 'quamque divortio sui Rhenus amplectitur;' est autem 'divortium' proprie via in diversum tendens. Isidorus Origin. XV. 16. 'Divortia sunt flexus viarum, hoc est, viæ in diversa tendentes.' Hinc de fluminibus dicitur, quæ, cornu facto, aliorsum divergunt, et in mare exeunt, ut 'flumina spargere in divortia Ponti,' Lucanus Phars. II. 404. adde Freher. ad Ausonii Mosell. vs. 432. via itaque regia, ex qua alia deflectit, non est 'divortium,' sed tantum alia illa, quæ deflectit, et ab altera est separata: similiter illud flumen, quod Rheni nomen servat, est ipse Rhenus, non 'Rheni divortium;' at quod ex Rheno aliorsum deflectit, et ab eo separatur, est ipsius 'divortium;' is antem est ipse Vahalis, per quem demum efficitur, ut insulam Rhenus amplecti dicatur, sollemni voce, qua etiam Euphrates Syriam 'amplexu suo tegere' apud Mamertin. Paneg. VII. § 5. neque aliter Eumenius Constantino VI. § 3. 'insulam, quam divortio sui idem amnis' (Rhenus) 'amplectitur:' ubi cf. Putean. Pari sensu intelligendus Zosimus Histor. III. 6. τὴν Βαταβίαν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ vertitur male, *Bataviam bipartito Rhenus dividens;* utrum Rhenus Bataviam dividit? tu cape σχιζόμενος passive, *Rhenus in duas partes divisus*, facto nempe divortio. Hæc si vera sint, et mihi quidem ex lin-

guæ analogia videntur, non sine molesta repetitione Noster regionem descripsisset, quam *interfluit Vahalis, et quam Rhenus Vahali amplectitur*. Præterea regionem omnes hic esse consentiunt Batavorum insulam; vellem autem, Cellarius, et reliqui docuissent, qui eam possit dici Vahalis 'interfluere,' quam præterfluit. Donec igitur adferantur meliora, *Scaldis* tueor, et ex hac quoque lectione argumentatum est Altingius Notit. German. Infer. part. I. p. 120. Videntur interpretes in *Vahalis* facti proclivióres, quod putaverint de una tantum regione, sive sola Batavia, Eumenium loqui, quem duas adtigisse censuerim, alteram, quam obliquis meatibus Scaldis interfluit, alteram, quam Rhenus et Vahalis amplectitur, sive Batavorum insulam; in quam sententiam me duxit tumviri amplissimi Van de Spiegel auctoritas, ita locum hunc capientis, in Origin. Jur. Patrii pag. 16. tum vero etiam historiæ series. Capta enim Gesoriaco, ad debellandos Francos, Bataviam agrosque vicinos depopulantes, profectus dicitur Constantius. Ad eos Gesoriaco progredi non potuit, nisi regionem, quam *interfluit Scaldis*, transierit, tum ut in Bataviam pergeret, tum vero etiam, ut Francos, ad Scaldim quoque dominantes, coërceret; hos enim eodem tempore regiones ad Scaldim quoque invasisse didici ex Incerto Paneg. Maxim. et Constant. IV. § 2. 'Multa ille (Constantius) Francorum millia, qui Bataviam, aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit.' Habita videtur illa oratio Treveris, in qua urbe, illo tempore, degebat Maximianus, coram quo præsente dicta est; regiones itaque 'cis Rhenum,' a Batavia distinctæ, sitæ fuerunt a Batavia ultra sinistram Vahalis ripam, itaque eædem illæ, quas interfluebat Scaldis, et forte intellexit Panegyrista Scaldim inter et Mosam sitas, nostram Zeelandiam, regionesque adjacentes complexas, ut suspicatur idem illud patriæ nostræ, doctrinæque adcuratæ ornamentum, Van de Spiegel d. l. Restat, ut ostendam, in illis regionibus, quas interfluit Scaldis, eamdem fuisse soli indolem, quam hic admodum eleganter, et ex naturæ veritate depingit Eumenius. Gesoriaco profectus Constantius Morinorum agros transire debuit; his autem Toxandros, et Menapios, tamquam vicinos, addit Plinius Hist. Nat. IV. 17. et aperté Strabo Geogr. IV. p. 296. τοῖς Μεναπίοις εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μορῖνοι· et p. 305. ἀπὸ τῶν ὁμορούντων τοῖς Μεναπίοις Μορινῶν. Jam vero Strabo d. l. p. 296. Morinorum solum illi Menapiorum simile fuisse adfirmat, Menapiorum autem ita describit: Τῶν ἐκβολῶν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ κατοικοῦντες ἕλη, καὶ δρυμοὺς, οὐχ ὑψηλῆς, ἀλλὰ πυκνῆς ὕλης, καὶ ἀκανθώδους· estne hoc solum æque palustre, atque illud Eumenii, et, propter mare frequenter exæstuans? mihi videtur simile fuisse illi Cauchorum, de quo ita Plinius Hist. Nat. XVI. 1. 'Effusus in inmensum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controversiam, dubiumque, terra sit, an pars maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi æstus, casis ita inpositis, navigantibus similes, cum integant aquæ circumdata, naufragis vero, cum recesserint.' Ita cum quibusdam legendum, non 'dubiumque terræ sit, an parte in maris:' idque vel hic Eumenii locus confirmat. Constantium vero propius mare ad Scaldim, et in Batavia res gessisse, inde colligo, quia magis regiones mari vicinas invasisse videntur Franci, tum Carausii adjuvandi caussa, tum vero etiam piraticæ, cui erant adsueti, exercendæ. Unde et mihi fit verisimile, Francorum 'Saliorum' nomen a 'salo,' sive mari, quod adcolebant, flexisse; id jam vidit Vredius Hist. Comit. Flandr.

p. 102. a quo nihil differt amplissimi Van de Spiegel Orig. Jur. Patrii p. 16. derivatio a ζαλῇ, probata a Cruisselbergenio in Actis Societ. Vlissing. tom. II. p. 16. et Cerisier Hist. Fœd. Belg. tom. I. p. 67. ed. Belg. nescio tamen, utrum oppositum Francorum 'Ripuariorum' nomen, ex Latino fonte ductum, quoque in 'Saliis' non magis pro Latina, quam Græca, stet derivatione. A Spiegelio dissentit quidem Bareis *over het enkel verband* p. 56. qui ab ipsa lege Salica hoc nomen deducit, quam ita adpellatam, quia de 'Sala,' sive bonis præsertim sanxit, et sub Pharamundo, Francorum rege, latam arbitratur. At Salios dudum ante ex consuetudine hoc nomen habuisse testatur Ammianus XVII. 8. Cf. Pontanum Orig. Francic. II. 8. et ante Pharamundum latam esse legem, sunt etiam, qui constituant, quia in eadem nulla regum, quorum primus creditur Pharamundus, sed procerum gentis mentio. Cf. Heineccium Opusc. Varior. Syllog. III. p. 255. Sed hæc non sunt hujus loci. Non tempero mihi, quin ultimum pro *Scaldi* argumentum addam ex iis quæ sequuntur § 4. 'Sed neque illæ fraudes locorum, nec, quæ plura inerant, perfugia silvarum barbaros tegere potuerunt.' Id vero Morinis, et Menapiis usitatum fuisse tradit Strabo Geogr. IV. p. 296. Κατὰ δὲ τὰς πολεμικὰς ἐφόδους συμπλέκοντες τὰς τῶν θάμνων λόγους, Βατάδεις ὄντας, ἀνέφραττον τὰς εἰσόδους. . . . αὐτοὶ δὲ κατέδυνον εἰς τὰ βάθη πανοίκιοι, νησίδια ἔχοντες ἐν τοῖς ἕλεσι, κ. τ. λ. idem de Menapiorum fuga in silvas et paludes tradit Cæsar B. G. VI. 5. *Arntz.*

Quamquam divortio] *Quamque* confirmant codd. Locutionem *divortio* sui adserui ad Mamertin. Paneg. Maxim. XIII. § 4. Genethl. II. § 1. Bunneman. ad Lactant. Instit. VII. 4. 11. de Ira 13. § 1. *Idem.*

Cum verbi periculo] Hæc multum lucis accipiunt ex Mœseri Osnabruck Gesch. I. Th. p. 92. sqq. et 162. sq. ed. 1780. *Jæger.* Egregie vertit amplissimus Van de Spiegel Orig. Jur. Patr. p. 15. *om zo te spreken.* Indicat enim 'periculum' audacem vocis translationem, qua res ultra naturam fere describatur, sive, cum adhibeatur 'mira sublimitas, qua res audaci, et proxime periculum translatione adtolluntur,' ut scribit Quinctilianus Instit. Orator. VIII. 6. ubi Burman. Eodem sensu videtur Bannius cepisse hæc Pacati Paneg. VII. § 6. 'sed sine exempli periculo providebitur;' interpretatur enim, 'absque eo, quod quisquam sperare idem posset;' sed meliora docuerunt Schwarzius, et pater meus. Ex hac autem Batavi soli, quam describit, indole sunt, qui Hollandiæ nomen repetant, quasi dicas terram cavam, et palustrem, ut inter alios Matthæus de Nobilitat. cap. 12. p. 50. a Danis repetit Bertius de Agger. cap. 13. parum id Wagenaerio placet Hist. Patr. tom. II. p. 173. quia primam Hollandiæ mentionem sibi visam testatur in Diplomate Henrici IV. apud Hedam p. 129. Diderici V. Hollandiæ Comitis, tempore, unde sequi putat, si a Danis fuisset oriundum, nomen illud jam antea debuisse occurrere; sed parum ea persuadet ratio; quis enim dixerit, utrumne sit lectum in antiquioribus Diplomatibus, aut adhuc latentibus aut deperditis? et præterea serius potuisset id nominis inponi, proximis Danorum Normannorumque in Bataviam excursionibus sub Diderico III. Mihi videtur ex silvarum, arborumque copia nomen ductum, tamquam 'Holtlandia,' neque tamen datum ei regioni, quam ita jam adpellamus, sed comitatui cuidam, quales olim in uno tractu fuerunt plures, et forte illi, qui prope Dordracum; hæc enim antiquissima illius, quam nunc Hollandiæ nomine significamus, pars, postea a Diderico VII. Brabantiæ feudum facta, vid. Wagenaer Hist.

Patr. tom. II. p. 293. universa enim regio, quam Hollandiam adpellamus, olim magis Bataviæ, deinde Frisiæ nomine continebatur, tum eo tempore, quo ad Scaldim Mosamque patuit Frisia, tum vero etiam illo, quo, Frisiis fere intra priscos fines remotis, idem tamen mansit nomen, ut Trajectum, sub Diderico IV. 'urbs Frisiæ' dicitur, et Viaardinga, sive Phladirtinga, per quam Dordracum intelligendum putant, apud Herman. Contractum in Chronic. tom. III. Thes. Canisiani pag. 268. et 269. cf. Wagenaer Hist. Patr. tom. II. p. 165. ipsa Frisia Flandriæ dicitur 'contermina,' apud Lambertum Schafnaburgensem ad a. 1072. Vid. Van de Spiegel Origin. Jur. Patr. p. 27. Wiarda de Comit. Frisic. pag. 49. Cerisier Hist. Fœd. Belg. tom. I. p. 77. et 84. ed. Belg. Forte etiam derivationi a solo palustri hoc opponi posset, quod, quamvis antiquissimo tempore ea fuerit indoles, quam ex Eumenii mente etiam describit Pontanus Hist. Gelr. tom. I. p. 18. tamen illa ætate, qua ortum sit Hollandiæ nomen, videatur jam ita inmutata, ut a palustri indole non facile nomen repeteretur; per limum enim maris aggestum, aliasque caussas solum est factum altius, firmius, fœcundiusque, quod exemplis arborum, ad pedes XV. e terra in portu Delfensi, et Leidæ præcedenti seculo effossarum, docet Bertius de Agger. cap. 13. cujusmodi exempla aliæ quoque in patria nostra regiones aliquando præbent, et de quibus eleganter disseruit acutissimus, mihique, dum viveret, amicissimus apud Groninganos collega, Brugmansius, in Orat. Actis Societ. Groninganæ tom. I. adnexa. *Arntz.*

§ 2 *Ut non*] In Guelferb. est, *et non*, male. *Idem.*

Qua] Sic libuit cum chalcographorum libris, etsi restet in scriptis *quæ*. Ceterum quæ faciunt ad loci hujus explicationem uberrimam, jucundissimamque, petenda e Batavia Hadriani Junii cap. 12. *Gruterus.* Pro *qua* Livineius in textu *quæ*, Stephan. *quam*, optime Cusp. et Ms. Mœrl. *qua*. Jæger. Livineium quoque secutus est Paull. Stephanus. *Qua*, quod recte recepit Gruterus, est quoque in Guelferb. positum pro 'ea parte, qua.' Dixi ad Sedulium I. 137. adde Boltium Silv. Crit. p. 94. Est autem hæc soli Batavi descriptio simillima illi, quam de Claudii Civilis tempore dedit Tacitus Hist. V. 23. 'Crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.' Neque hoc tantum ab imbribus, sed etiam a Rheni Vahalisque inundatione videtur derivandum. Quamvis enim aggerem contra dextrum Rheni cornu dicatur fecisse Drusus, cujus situm descripsit Wagenaer Hist. Patr. tom. I. p. 58. eum tamen sustulit Civilis, ibid. p. 173. Videntur quidem et alii aggeres fuisse, postea facti, qui etiam viæ militaris usum præstiterunt, de quibus copiose disseruit socer meus in Monument. Dodenw. c. 19. sed verisimile mihi fit, per frequentes Francorum aliorumque incursiones eos sæpe fuisse disjectos, et flumini viam dedisse. Aut potest terra illa palustris ad partem referri vicinam mari, ejusque æstui expositam; aggeres enim oceano oppositos hac ætate ignorabant, et ignoraverunt ad comitum tempora, si vera sit opinio Barelsii *over het enkel verband* p. 27. atque tunc ad superiorem partem, aggeribus munitam, posset firmior illa terra referri, quam memorat Eumenius. *Arntz.*

Plaustris] Vet. *palustris*. Putean. Illud *plaustris* dedit Rhenanus, et Henr. Stephanus; retinuit, quamvis ex aliis meliora discere potuisset, Rivinus. *Idem.*

Ad nixum] In Guelferb. est *nisum*, quod ex consensu aliorum codd. restitui, ob ea quæ dicta sunt ad Ma-

mertini Paneg. XII. § 7. 'Terræ' autem ad 'nisum cedenti' simile est 'incertum vadum,' in quo sine titubatione non consistat miles, apud Livium VIII. 24. 11. ut locum exposui ad Arator. II. 1075. Minucius Fel. Octav. 2. 'Molli vestigio cedens arena subsiderat:' contrarii sunt 'certi pedes' apud Horatium A. P. 58. 'certos passus' vindicavit Ovidio Burmannus, Metam. III. 175. hinc apud Quinctil. Declam. I. 6. in fin. emendo, 'cujus humeris certior incumbet,' ut 'vestigia errantium incerta' sunt apud eumd. Declam. II. 16. *Idem.*

Hauriat] Id est, ut pedis inpositi vestigium non supersit, sed illud statim aqua inpleatur, et solum veluti sugendo retineat, aut totum absorpsisse vestigium videatur, ut paludes dicuntur 'feras haurire' apud Lucan. IV. 101. et 'profundo limo mersos' memorat Livius XXXI. 37. 8. ubi not. atque hoc sensu 'stagna avidi soli' capio in difficili loco Lucani II. 71. a quo parum differt viri cl. interpretatio in Actis Lipsiens. 1742. pag. 7. quamvis emendare sit conatus Burmannus, Oudendorpius, et alii, inprimis etiam Clercquius Specim. in Lucan. I. p. 60. *Idem.*

Quatiatur] Huc pertinet Ovidius Heroid. XVI. 59. 'Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moveri.' Homerus Iliad. B. 465. Αὐτὰρ ὑπὸ χθὼν Σμερδάλεον κονάβιζε ποδῶν αὐτῶν τε καὶ ἵππων· quæ forte Floro fuerunt obversata, de exorto terræ tremore ita scribenti, II. 6. 14. 'Nisi illum horrorem soli equitum virorumque discursus, et mota vehementius arma fecerunt:' quamvis ob id recte eum damnaverint eruditi interpretes. *Idem.*

§ 3 *Res est, subjacentibus*] Vocem *aquis*, ad quam refertur *subjacentibus*, textui debebam inserere, recte monente Biblioth. Philolog. *Jæger.* Ob codd. auctoritatem neglectam in omnibus edd. vocem *aquis* restitui. De locutione, 'ut res est,' propria Eumenio, vide ad princip. et supra VI. § 4. *Arntz.*

Duxerit] Cod. Mœrl. Gud. Put. *dixerit.* τὸ *dixerit* præferam. *Jæger.* Quem in recipienda hac voce sum secutus, judicium quoque patris mei, ex ingenio, in edit. suæ margine, ita emendantis. *Arntz.*

Fuisse tale] Capitolini de Maximiano verba hic asscribam, quæ mirifice hæc illustrant: 'Denique quasi navale quoddam prælium in palude fecit, plurimosque illic interemit.' Tu compara, sis, mi lector. Proxime 'navale certamen' intellige, quod adversus Carausium parabatur. *Livin.*

§ 4 *Sed neque*] Schonhovii excerpta, *Tamen neque:* similiter 'fraudes locorum' sunt apud Tacitum Annal. XII. 33. pertinent autem hic illæ *fraudes* ad paludes, ut *perfugia* ad silvas refert, et ita Paneg. Constantino XII. § 2. 'perfugia silvarum ac paludium' memorat: ad inlustrandum hunc locum facit Strabo Geogr. IV. p. 296. cujus verba ad § 1. protuli. *Arntz.*

Plura inerant] Guelferb. *inierant.* Posset hoc tueri Strabo Geogr. IV. p. 296. de his latebris; αὐτοὶ δὲ καταδύνον εἰς τὰ βάθη, malim tamen vulgatum servare. Neque *plura* mutaverim, id enim sæpe pro plurima poni docuit pater meus ad Aurel. Victor. Inlustr. III. § 2. *Idem.*

Sese dedere] Mœrl. *secedere.* Jæger. Etiam Guelferb. præterea *ditionis* Puteolanus; utrumque corrupte. *Idem.*

Conjugibus] Ποιητικώτερον *conjugiis*, quod in Vet. est diserte. Propertius II. 15. 'Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ Masculus et totum femina conjugium.' Claudianus de Entropio, qui subinde heros mutaret: 'Vetustum Servitium, semperque novum:' et alia talia passim. *Livin.* *Conjugiis* est in solo vet. exemplari Livineii: ipse in textu suæ editionis, uti etiam Cusp. Rhen. Steph. Mss. Gud. et Mœrl. habent *conjugibus.* Locus quidem Propertii perperam est

adscriptus; in eo enim non legendum est 'tutum conjugium,' quo significetur fidelis conjux, sed 'totum conjugium,' ut omnes libri, nullo dissentiente, exhibent, teste Brouckhusio, quem vide. Verum ut in citato Claudiani loco, et sexcentis aliis, 'servitium' pro servis, ut 'matrimonia' pro uxoribus interdum, sic etiam *conjugium* poni pro conjuge a poëtis certissimum est. Juvenalis VIII. 218. sq. 'Electræ jugulo se polluit, aut Spartani Sanguine conjugii:' ubi vid. Grang. Licet itaque τὸ *conjugiis* unius tantum cod. suffragio nitatur, illud tamen, ex lege critica, quæ e duabus lectionibus minus usitatam jubet præferri, tuendum judicavi, secutus Parisienses, Patarolum, et Cellarium, qui lectionem hanc, a Livineio commendatam, sunt amplexi. *Jæger.* *Conjugiis* primus dedit Gruterus, cui sequentes præter Rivinum sunt adstipulati, et in eo sequor adcuratum Jægeri judicium, propter abstracta, ut vocant, frequenter pro concretis posita; *ναυαγία* Æschylus Pers. 420. similia, etiam in *conjugiis*, exempla dedi ad Sedulium I. 218. et 287. Aratorem Epist. ad Florian. 17. adde Reinesium Epist. p. 891. Bunneman. ad Lactant. Instit. III. 21. 4. et Mort. Persec. VIII. 4. Rittershus. ad Corippum III. 163. Cort. ad Sallust. Catil. XIV. 1. et XXIV. 4. *Arntz.*

Examine] Gudian. *agmine*. Jæger. *Agmine* est ex glossa. Pacatus Paneg. XXXII. § 3. 'tantis examinibus confluebant,' ubi plura meus pater, et Bunneman. ad Lactant. Instit. IV. 10. 14. *Arntz.*

Deserta] Constantius captivos in Gallia ad agrum colendum, cultoribus destitutum, distribuit; vide mox c. IX. *Cellar.*

CAP. IX. § 1 *Etsi coram*] Ut edidi, est in Guelferb. et inde a Grutero est receptum, pro corrupta priorum lectione, quam adhuc retinuit Rivinus, '*si coram voluistis et adfari*' ant, quod habent Livineius et Paull. Stephanus, *etiamsi coram voluistis et affari.* Posset Schonhovii tolerari interpunctio, qua *Deus* ad *adfari*, non ad *persuadere* referatur, sed vulgata præstat, quia *Deum Principibus* opponit eodem modo, quo Mamertin. Paneg. V. § 1. 'Quis Deus tam imperatam salutem nobis adtulisset, nisi tu adfuisses?' Parum distant hæc Ciceronis pro Marcell. cap. VII. 'Quem Deum, si cupiat, opitulari posse reip. credamus?' ubi Abramus. *Arntz.*

Nunc vidi] *Vidi* ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus; sed jam Livineius recte *vidimus*, quod probant Guelferb. et Schonhovii excerpta. Superest tamen forte quid vitii in parum apta repetitione, *nunc vidimus et videmus*; suffecisset enim, *nunc videmus*, aut *nunc vidimus*, nisi pertineat ad id, quod brevi ante, et nunc etiam videbat; posset igitur ex Mærl. posterius omitti, malim tamen ex Guelferb. pro *et* scribi *ut*, sed distinctione mutata, hoc pacto, *quod nunc vidimus. Ut videmus totis, &c.* *Ut* valet qua ratione. Eumenius Constantino XIII. § 2. 'pulcrum tibi videtur ut Rhenus ille calcetur:' et ita sæpe est admirantis. Confer Heinsium ad Claudian. Stilicon. II. 327. Dukerum ad Florum Procem. 5. Cortium ad Sallust. Jugurth. XXXI. 2. nihil tamen in textu mutavi, ne videar audacior. *Idem.*

Totis porticibus] Pro *totis*, i. e. omnibus, *porticibus civitatum sedere* alter Gud. habet, *tot. port. civitatem insidere.* Jæger. *Civitatem insidere* minus probo, cum præsertim sit eorum, qui locum capiunt, quo maneant, domiciliumque sibi teneant. Cf. ad Mamertin. Paneg. I. § 2. *sedere* magis est captivorum, sive eorum, qui stupore velut adtoniti sunt, conditionisque suæ fata mœrent. Ita de Romanis; cum Romæ a Gallis caperetur, Livius V. 40. 2. 'Vestiti medio ædium eburneis sellis sedere:' et num. 8. 'In-

tuebantur in ædium vestibulis sedentes viros.' Est itaque hoc verbum miserorum, et fortunam lugentium adversam. Apud Quinctilian. Declam. XVII. 4. 'locus, in quem secedebam reus,' emenda ex meo cod. 'in quo sedebam.' Cf. ibi Burmannum, et Alberti Observ. Philol. p. 24. Burmann. Secundum ad Propert. IV. 4. 31. *Arntz.*

Barbarorum] Francorum. *Livineius.* Brouwer Annal. Trever. III. p. 199. in margine notat, alios hic legere *Francorum*, quod tamen in nullo deprehendi, et passim in his Panegyricis 'barbari' sunt Franci similesque. *Arntz.*

Veritate] *Feritate* vel *severitate.* Schonhovius. Vet. *feritate.* Putean. Lege *feritate*, quod idem mendi Eumenii Rhet. Orat. 'non magis veritate Francorum velut hausta desederat.' *Acidal.* Videtur illud *veritate* ex typographi errore ortum in Rhenani edit. Alterum Francis, quos hic intelligit, tribuitur. Supra pro Instaur. Schol. XVIII. § 3. 'feritate Francorum velut hausta.' Paneg. Constantino V. § 8. de iisdem, 'feritatem ponere cogerentur.' *Arntz.*

Copulatas vinculis] In Ms. lectionibus ex Puteaneo, quas habeo, non *copulata*, sed *copulatas* legitur, ut adeo in eo cod. non nisi verborum ordo fuerit inversus, vulgatum tamen Guelferb. et alii habent. De verbo 'copulare' vid. Torren. ad Val. Max. VII. 4. ext. 2. *Idem.*

Ac puellas] Eleganter de pueris *murmur* addit, ut usum loquelæ nondum perfectum, sed quamdam imitationem indicet: quomodo fere 'murmura verborum' a clara voce distinguit Ovidius Metam. X. 382. XII. 49. restituere hoc sensu vocem Prisciano Perieges. vers. 1022. conatus est Marcklandus ad Statii Silv. IV. 5. 24. at legatur: 'Psittacus hic viridis, decoratus torque rubenti, Nascitur, humanæ similat qui murmura linguæ:' non 'verbera linguæ;' hoc tamen capi posset de clamore magno et ingrato, quo aures 'verberari' dicuntur, de quo Burman. ad Virgil. Æneid. VIII. 583. quo etiam spectant de 'ore verberato' notata a Bondamio nostro, Var. Lection. I. pag. 74. mihi tamen non est dubium, quin scripserit Priscianus, 'humanas simulat qui verbere linguas;' auctorem do Solinum, ex quo sua Priscianum hausisse jam notavit Papius, Polyhist. cap. 52. p. 58. 'Sola India mittit avem psittacum colore viridem, torque puniceo, ... ut si quando ad discendum plagis siet admonendus, nam studet, ut quod homines adloquatur (Salmasius non male, 'id loquatur') ferrea clavicula sit verberandus.' *Patarol.*

Provincialibus] Alii e captivis in publica custodia erant, teste Eutropio lib. II. alii a privatis etiam tenebantur, et hi quidem aut ab iisdem in prælio sui juris facti, aut ipsis ab Imperatoribus dono dati. *Patarol.*

Destinatos sibi] *Sibi* abest in Guelferb. De ratione hujus instituti dixi ad cap. I. § 4. *Arntz.*

§ 2 *Insultare*] Galliis hic blanditur, quod essent provinciæ Constantio maxime caræ. *Patarol.* De verbo 'insultare' cf. Buneman. ad Lactant. M. P. I. 5. *Idem.*

Libet, quod pace] Forte, *et quod.* Livin. Bene Bongarsius, et Livineius, *libet*, et *ipsis*, &c. Gruter. Lege, *libet*, *et* (*quod*, &c. Acidal. Τὸ *et* omittit Cuspin. et Mœrl. *Jæger.* Est tamen *et* in Guelferb. absorptum in aliis codd. a præcedenti syllaba. De locutione 'pace vestra' vide ad Mamertin. Paneg. VI. § 4. *Arntz.*

Adsignare] Gallias ipsas ad triumphi partem quodammodo vocare. *Patarol.* Mœrl. habet *assignate;* in Gud. altero *triumphum* abest. Sed nihil mutandum. *Jæger.* Brouwer Annal. Trever. III. p. 198. citat as-

signastis, et in margine notat in aliis esse *assignare*, in quo conjicit *placuit*, aut simile quid deesse. Unde illud *assignastis* habet, me latet. *Arntz.*

§ 3 *Caunus*] Nihili populus. Scribe ex Langii schedis *Chamavus*: idem nomen restituimus et Nazario in Constantinum A. *Livin.* Hi sunt illi barbari, a Carausio in Bataviam admissi, quos Constantius partim expulit, ac delevit, partim captos per Galliam distribuit, ut servirent, ac agros colerent. Vid. cap. XXI. *Cellar.* De Chamavis vide dicta ad Paneg. Nazarii cap. XVIII. *Patarol.* Omnes ante Gruterum *Caunus*, quod etiam retinuit Rivinus, et videtur placuisse Puteano ad Eumen. Constantino VI. 4. Brouwer Annal. Trever. III. p. 199. citat *Chaucus*, nescio, unde habuerit. Livineii substituentis *Chamavus* conjecturam secuti sunt post Gruterum omnes, et ex ingenio emendavit Colerus ad Tacit. M. G. cap. 33. qui idem reddidit Nazario Paneg. XVIII. init. ubi vide. *Amavos* quoque dici probat Cannegieter. Britenb. cap. 8. Recte hos Frisiis jungit. Videntur enim olim consedisse ad ostia Rheni supra Bataviam, unde etiam eorum nomen censent deductum, tamquam *Cham-Auers*, ab *Hamlanden*, sive eluvionibus, quibus eorum agri erant expositi. Deinde autem in Bructerorum, Flevum inter et Amisiam habitantium, fines concesserunt, adeoque ad austrum Frisiis, ad boream Cauchis vicini. Cf. Matthæum de Nobilit. I. 21. Cellarium Geogr. Antiq. II. 5. Dithmar. ad Teschenmak. Annal. Cliv. part. I. p. 14. Van Hattum Descript. Zwoll. tom. I. p. 59. Trotzium Jur. Agrar. tom. III. p. 94. Wagenaer Hist. Patr. tom. I. p. 227. Nominis eorum vestigium in oppido Kamen quæsivit Conringius Dedicat. ad Antiquit. Academ. Neque tamen ita fuerunt deleti, quin postea a [illegible]ibus trans Rhenum sint missi, [illegible]ios Batavia expellerent, atque tunc in Romano limite sedes sibi videntur posuisse. Vide Vales. ad Ammian. Marcell. XVII. 8. *Arntz.*

Frisius] Quod hic *Chamavis* junguntur, rationem inde repetit Pontanus Orig. Francor. II. 3. quia ipsi Frisiorum nomen post Clodium Albinum videtur desiisse, universo Francorum nomine comprehensorum. Dubito; suum mansit Frisiis nomen, sed facile potuerunt cum aliis Bataviam invasisse, et ita eorum captivi e Constantio abduci. *Idem.*

Et ille vagus] *Et* videtur superesse. *Rhenan.* De Frisio, quo de proxime, accipio. Sed vir doctissimus, Car. Langius in *ille vagus* populum aliquem Francorum suspicione sibi fingebat, quem in lucem equidem non extraho. *Livin.* Suspicionem Langii adjuvat *vagius*, quod est in Guelferb. Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. VI. 4. emendat *vargus*, et explicat expulsum, ex latrocinio viventem. Conjicio, *et Ambivarius*, qui populus Chamavis jungitur apud Tacitum M. G. cap. 33. ubi saltem pro *Angrivariis* substituendum esse *Amsivarios* docet Alting. Notit. German. part. I. p. 7. quem etiam confer pag. 20. Sic Isidorus Origin. IX. 2. 'Samsi, Variquadi, Tungri, Marcomanni, Bruteri, Camasi,' ubi cod. Groninganus egregie, 'Amsivarii, Quadi, Tungri,' quod ex ingenio etiam vidit Wesselingius Observ. I. 20. qui reliqua optime sic effingebat, 'Marcomanni, Bructeri, Chamavi.' 'Amsivarios' a flumine Amser, vel Emser vocatos, quod accolebant, censet Conringius Dedicat. ad Antiq. Academ. *Arntz.*

Exercitio squalidus] Potest hæc lectio retineri, tamen, quæ in Vet. cod. inveni, adferam. in Pulm. *exercitia squalidi ruris operatur*; B. *exercitio squali rudis operatur*: uterque corrupte. Sic puto legendum, *exercitio squalidi ruris operatur.* Putean. *Exercitio* interpretor culturæ, quæ insolens populabundo, et latroni. Phra-

sin quoque illustravi ad Eumen. pro Restaur. Schol. IV. Quod deinde est *squalidus*, non habeo, cur suspectem, etsi in Vet. *squali rudus*, in Bertin. *squali rudis* inveni. Nam et Juvenalis in re gemina, de damnato in metalla, dixit, 'Quæ nunc Squalidus in magna fastidit compede fossor.' *Livin.* Commendatam a Puteano lectionem *exercitio squalidi ruris*, textui debebam inserere, recte monente Bibliotheca Philologica. *Jæger.* Retinui cum Jægero *exercitio squalidus*, quod tum ad totius corporis habitum referri potest, ut 'squalidus senex' apud Senecam Hercul. Fur. 765. tum ad vestes, quales 'atro pulvere squalentes' memorat Lucanus VIII. 57. recte autem *exercitium* de agri cultura interpretatur Livineius; 'exercere agrum' ita explicuit Cortius ad Plinii Epist. VII. 18. 3. *Arntz.*

Core venali] Ego cogitabam, *frequentat nundinas meas merce venali.* Sed majus subesse mendum videtur. Forte, *et frequentat novales meas, cultorque soli barbarus laxat annonam.* Acidal. H. Stephanus putat *corpore venali* legendum. Sed quomodo? obsecro; de frumento heic sermo. Arbitror nihil potius mutandum, et, cum Belga sit, qui Panegyricum istum scripserit, et de barbaris loquatur, videtur frumentum, quod venale afferrent, barbaro suo vocabulo, ita ut ipsi appellabant, hic posuisse. Certe Germanicæ omnes nationes, sive superiores, sive inferiores, *Koren* nuncupant. Ausonius quoque in Phalæcio ad Latinum Pacatum, a *burra*, voce Aquitanica, non abstinuit: 'Burras, quisquilias, ineptiasque.' Quod si quibus commentum hoc nostrum non placuerit, videant, an malint *Cerere venali*, quemadmodum Virgilius loquutus est Æneid. I. 'Tum Cererem corruptam undis.' *Meurs.* Auctar. Philol. cap. 31. *Pecore* recepit Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum, pro *core*, quod edi solebat, eamdemque lectionem secutus est Wagenaerius Hist. Patr. tom. I. p. 227. Parum tamen mihi congrua videtur. Quid enim? loquitur Eumenius de agris 'arandis;' de 'exercitio,' id est agrorum cultura, ut recte Livineius; de 'annona laxanda,' quibus pecora parum conveniunt; quid enim hæc ad 'laxandam annonam?' Adde, quotiescumque de his captivis, in agros Romanos translatis, agit, nihil de pascuis et pecoribus memorare Eumenium, sed semper eos in solitudines esse translatos, ut 'ararent,' ut agros 'colerent,' unde etiam 'cultores' dicuntur; id vero quid aliud est, quam ut ex agris ita cultis frumenta redigerentur? Lepidum interim est Meursii commentum. Scio, quædam Gallorum aliorumque vocabula fuisse Romana civitate donata, quæ dedit Vossius de Vit. Sermon. I. 2. sed illud in *core* æque fit verisimile, atque in Arminio, Claudio Civili, aliisque, ex quorumdam ingenio, et, si Dis placet, acumine ad vernaculam adcommodatis. Altera certe Meursii conjectura *Cerere* foret præferenda. Mihi scripsisse Eumenius videtur, *farre venali;* illud *farre* primum abiit in *rure*, hoc in *core*. Ex tali confusione apud Lucanum I. 318. 'Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,' indicio acutissimi Schraderi olim legendum didici 'farra;' apud Juvencum Hist. Evang. II. 750. pro 'farra quidem depromunt,' ex cod. Lipsiens. ad marginem Cortius notavit, 'terra quidem depromit:' sed alterum magis placet. Conjecturam meam confirmat Vopiscus Prob. 15. ubi de similibus barbaris, ad agros colendos translatis: 'frumento barbarico plena sunt horrea.' *Arntz.*

Laxat annonam] Imperator Probus Epistola ad senatum, quam Vopiscus refert: 'Subacta est omnis, quam tenditur late, Germania. Omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serunt,

et contra interiores gentes militant;' et mox, 'Arantur Gallicana rura barbaris bobus, et juga Germanica captiva præbent nostris colla cultoribus.' *Livin.* Pacatus Paneg. XXXII. 4. 'Quam numero artarat annonam, comparcendo laxabat.' Livii apud Baunium locus est XXVI. 20. 11. *Arntz.*

§ 4 *Ad dilectum*] *Delectum* est in Guelferb. et edd. Puteolani, Rhenani, utriusque Stephani, prima Rivini, et Pataroli, idque reddidi. Cf. ad Eumenium pro Instaur. Schol. v. § 3. male præpositionem *ad* ignorat Guelferb. *Idem.*

Teritur] Guelferb. *territur*, et ita edidit Puteolanus. Vulgatum Baunius in interpretatione explicat, 'subigitur ad obtemperandum.' *Idem.*

§ 5 *Cæsar Auguste*] *Auguste* abest in Bertin. probe, non enim Augustus Constantius, qui duntaxat Cæsar. *Livin.* *Auguste*, quamvis etiam sit in Guelferb. justa ratione motus, et ex ingenio, delendum quoque jubet Pighius supr. ad hujus Paneg. titulum, primus recte ejecit Gruterus, omnes, præter Rivinum, adstipulatores nactus. *Arntz.*

§ 6 *Hactenus explicabitur*] In Guelferb. quod prætermisit Jægerus, est *replicabitur;* id est, in memoriam revocabitur, repetetur, idque restitui. Cicero pro Syll. c. 9. 'replicare annalium memoriam,' ubi locutionis rationem interpretatur Sylvius; et 'temporum memoriam,' Idem de Legib. III. 14. 'secum replicare,' Apuleius Metam. I. p. m. 11. 'antiquitatem replicare,' Ammian. Marcell. XVI. 7. p. 132. 'ordinem gestorum replicare,' ibid. XXIX. 1. p. 600. 'caussas replicare,' Pacatus Paneg. III. § 3. *Idem.*

Ut prius dicam] Cod. Put. Gud. 2. et Mœrl. *si prius, &c.* Seneca Epist. 88. 'Meritoria artificia sunt hactenus utilia, si præparant ingenium, non detinent.' Verum non parem esse rationem loci Senecæ, et hujus nostri facile largior, adeoque vulgata non est sollicitanda. *Jæger.* Si reposui, voci *hactenus* magis consentaneum; at *prius* maluit noster Bondamius Specim. Anim. c. 1. *Arntz.*

Quo magis] *Quo* legam *Q* majuscula, et exponam: Quo id acrius urgeri, et confici e rep. visum. Sed, ne quid dissimulem, integra hæc non apparent, nec præsto sine libris. *Livin.* Corruptum, et forte mutilatum. Sic tamen sensus integer, *quam quomodo confectum sit*, vel *dein quomodo conf.* Tertia abhinc pagella locus, quo huc respicitur. *Acidal.* Viris doctis haud adsentior, qui aliquid excidisse putant, cum e contrario nullam agnosco lacunam. At tu parva mutatione reponas, *cujus magnitudo, Cæsar invicte, hactenus explicabitur: at prius dicam, quam necessarium illud et difficile bellum fuerit, quod a te confectum sit.* Bondam. Specim. animadv. c. 1. Lenissima emendatione salvus erit, *hujus magnitudo, Cæsar invicte, hactenus explicabitur, ut prius dicam, quam necessarium illud et difficile bellum fuerit, quo majus confectum sit.* Ideo scilicet, quo majus, illustrius, graviusque bellum fuisse appareat, prius de urgente necessitate, et difficultate ejusdem Eumenio disserere placuit. *Hoven.* Campens. Fasc. I. p. 91. Nihil certius Hovenii emendatione, quamvis *magis* sit quoque in Guelferb. sed in interpretatione dissentio. Sententia est, in memoriam revocabitur belli magnitudo, si prius dixerim, quam difficile illud fuerit, quo inlustrius erit confectum, cum tanta esset illius difficultas, ut vix confici posse videretur. Geminus est locus infr. c. XIII. princ. 'Hoc igitur bellum, tam necessarium, tam difficile aditu, tam inveteratum, tam instructum ita, Cæsar, adgressus es, ut, statim atque ille infestum majestatis tuæ fulmen intenderas, confectum omnibus videretur.' Facilis in hoc potuit esse librariorum error, est

enim talis permutatio apud Mamertin. Paneg. VII. § 2. Nazarium Paneg. XXVI. in fin. Livium IX. 19. 7. Apud Sallustium Jugurth. IV. 4. in Daventriensi vidi, 'magisque commodum,' non 'majus.' Nihil tamen in contextu mutare sum ausus, ob codd. *Arntz.*

CAP. X. § 1 *Harum provinciarum*] Vide Zosimum lib. I. *Putean.* Adi Trebellium Pollionem Gallienis, et XXX. tyrannis. *Livin.* Per 'provincias' intelligit Galliam, qua eo, de quo loquitur, tempore imperabat Postumus, facta imperii sede Colonia Agrippinensi. Zosimus Histor. I. 31. et Cannegieter. in Postum. c. 3. isque Galliæ aliarumque gentium metus Gallieni solet perfidiæ tribui; sintne tamen a Trebellio Pollione quædam ultra modum, ex Vallemontii opinione, aucta, de eo disserit Klotzius Histor. Numor. Contumel. p. 104. *Arntz.*

A Romano duce] Quis ille? non Gallienus; eum enim 'Principem' adpellat Eumenius; neque filius ipsius Saloninus, cui Gallia quidem parebat, sed moderatore Postumo; neque Postumus, in quem, Salonino occiso, imperium est translatum. Tacent hic interpretes; prætermissam vero a Jægero miror pereximiam, eamdemque veram, Guelferb. lectionem, *e Romana luce.* Propria est hæc Eumenio phrasis, ut pro Instaur. Schol. XVIII. § 3. 'ad conspectum Romanæ lucis emersit.' Infr. XIX. § 2. 'tandem vera imperii luce recreati.' Sumsit eam a Cicerone, qui 'lucem reip.' dixit pro Leg. Manil. c. 12. 'lucem Asiæ,' ibid. c. 3. et 'in clarissima luce versari,' de Offic. II. 13. Facilis fuit illa permutatio; apud Martialem Epigr. XIV. 61. ex Thuaneo habeo enotatum, 'Lux laterna viæ.' Vulgo editur 'Dux,' quod magis placet. *Idem.*

Dissidium] Cod. Puteaneus habet *discidium*, quod recipiendum h. l. videtur, siquidem de separatione membrorum quasi a capite loquitur orator. Vid. Gronov. ad Livium XXV. 18. *Jæger.* Jægero adsentior, cum *dissidium* sit animorum. Confer Buneman. ad Lactant. Instit. IV. 30. 1. VII. 3. 23. et 6. 1. Kœnig. ad Juvenc. I. 533. Oudendorp. ad Sueton. Tiber. c. 7. Domit. c. 3. *Arntz.*

Incuria rerum] Congrua sunt hæc Flori I. 13. 1. 'Sive invidia Deum, sive fato.' *Idem.*

§ 2 *Se nimium*] Forte *nimirum* legendum, nec tamen mutem. *Acidal.* Ut Acidalius conjicit, locum excitat Casaubon. ad Trebell. Poll. Trig. tyrann. p. 212. sed longe præstantior est Puteanei et Guelferb. lectio, quam neglexit Jægerus, sed reddidi, *Tunc se Medus, et Parthus.* Non quidem Medorum meminerunt Zosimus et Trebellius Pollio, sed ob terminos Parthis vicinos addere potuit Eumenius; certe *nimium*, quod omnes ediderunt, nullius est efficaciæ. *Arntz.*

Palmyrenus] *Æquarat* est in Guelf. Parem se Persis fecerat, regio nomine adsumendo, atque ita sese extollendo. *Idem.*

Syriæ] Vet. *et Syria.* Puteanus. Tyrannidem occupantibus in Ægypto Æmiliano, in Africa Celso, in Oriente, ubi Syria, Cyriade ac Macriano, cum filiis Macriano Juniore, et Quieto. *Patarol.* Olim editum fuit, *Ægyptus, Syriæ defecerant.* Addidit Livineius particulam *que*, ex solo, ut videtur, ingenio, quamvis reliqui sint secuti, præter Rivinum in prima ed. Ego potius *et* inserui, quia Puteanei et Guelferb. potior est mihi præ conjectoris auctoritas. *Arntz.*

Rhætia] Ubi tyranni, Posthumus, Lollianus, Victorinus, aliique, in Gallia proxima. *Patarol.*

Noricum] A Regilliano, Aureolo, et Ingenuo. *Idem.*

Pannoniæque] Superior et inferior, de quibus Cellar. Geogr. Antiq. I. 8. *Arntz.*

§ 3 *Tantum doloris*] Obscura mihi quidem complexio, et amplius, corrupta. Emendem, *non erat tanti dolere in singulis*, id est, non erat operæ pretium, et præcipua aliqua causa. Frequens Senecæ. *Livin.* Lego, *mœrebat: nec erat tantum doloris in singulis.* Acidal. Legerem, *non erat tantum doloris singulis.* Schwarz. Sana est vulgata, et recte in interpretatione Baunius: 'Non tantum doloris afferebat provinciarum amissio singularum,' sive, ut ex mea sententia melius, 'urbium singularum Italiæ.' *Arntz.*

Omnibus careret] Præit ad verum scripta lectio, *careretur*, a qua ægre, et cum cura, *quateretur* exsculpsi, meo animo non infeliciter. *Livineius.* In interpretatione habet Baunius, 'cum pæne universa perderentur,' quod nihil distat a Jægeri explicatione. Quamvis in Guelferb. etiam *careretur* videatur fuisse, cum pro varia lectione ad ed. Cellarianam, in qua hæc etiam lectio, a Grutero primum recepta, exstat, nihil enotatum invenerim, tamen vocem hanc, analogiæ adeo contrariam, retinere non sum ausus, et *careret* restitui, quod etiam retinuit Rivinus. Videtur mutatum ab iis, qui nesciebant, quo *careret* referrent, quod ad *Italia* pertinere arbitror. Hæc dicitur *gentium domina*, adeoque etiam earum, quæ defecerant; ipsa autem suarum urbium excidia mœrebat, sed in singulis illis tantum non erat doloris, quia pene omnibus gentibus, quarum domina fuerat, carebat; hic dolor, utique major, minorem facile exstinguebat. Loco huic corrumpendo occasionem dedisse videtur nota terminationis *ur*, in codd. addita, aut neglecta. Ita supra IV. § 3. emendatum est 'præterit,' non 'præteritur:' apud Eumen. Constantino XXI. 5. 'debentur,' non 'debent.' Ita in L. 2. § 5. D. de O. I. lego, 'ut interpretatio desideraretur, et prudentium auctoritate necessaria esset,' &c. non 'desideraret:' aliter Bynckersh. in Prætermiss. et Bachius Hist. Jurispr. pag. 261. et Kœhler Interpret. Jur. R. II. 9. *Arntz.*

§ 4 *Romanus limes fuerat*] *Limes* abest in Vet. Bertin. Placet. *Livin.* *Limes* quoque omisit Guelferb. in quo vitiose *Romanis*; ante Gruterum omnes inseruerunt *limes*, et postea in prima ed. Rivinus. Patri meo in mentem veniebat *miles*, facili permutatione, de qua ad Mamertin. Genethl. III. § 9. mihi vulgata præstat, tum quia *orbis Romanus* opponitur *hostili*, tum vero ex iis, quæ habet Duker. ad Flor. III. 10. 16. *Arntz.*

Alamania] De hac supra cap. II. et Paneg. super. cap. VI. *Patarol.* Scaliger ad Eusebium pag. 244. Eumenium carpit, quod proculcatam tantum Alemanniam memorat, nihilque de insigni victoria addit, qua ad Lingonas LX. millia Alemannorum dicitur occidisse Constantius, de qua vid. Orosius Hist. VII. 25. Eutropius IX. 23. Sed quamvis in vita Diocletiani Baunius hanc referat ad annum CCXCVI. videtur post hanc orationem contigisse, cum etiam Eusebius ad annum CCC. rejiciat, unde eamdem Noster demum prædicat Paneg. Constantino cap. VI. *Arntz.*

Obstricta Sarmatia] De victoria Sarmatica dictum cap. V. *Patarol.* Cuspin. *obstricta*. Jæger. Etiam Guelf. omnesque ante Gruterum, et postea Rivinus; hæc deberet lectio referri ad Sarmatiam fœdere, aut beneficiis devinctam Romanis, ut 'obstrictus populus' apud Tacit. Histor. III. 30. Adde Annal. XII. 25. sed cum Mamertinus Genethl. V. § 4. memoret 'Sarmatiæ vastationem,' præstet vulgata. *Arntz.*

Vitungi] *Juthungi*. Sic barbaram hanc gentem vocant Dexippus in Excerptis de Legation. pr. et p. 10. ac 11. et Ammianus XVII. 12. et Suidas in ἰκόντων, qui ad Danubium lo-

cavit; tabula autem Peutingeriana cum Quadis *Jutugos* conjunxit. Unde Sirmondus, fretus etiam vetustis libris, in Sidonii Panegyr. VII. Avito vs. 233. *Juthungos* restituit, et nostro etiam Eumenio reddendum censet, in quo vulgatum erat *Vitungi*, sicut in Sidonio *Vithungi*. Cellarius. De hisce mentionem apud antiquos non vidi. *Virunos* quidem lego apud Ptolom. lib. II. inter Saxones et Suevos. *Paterol.* Primus *Juthungi* restituit Cellarius, quem secutus est Jægerus; omnes reliqui *Vitungi*. Nescio utrum *Juthungi* etiam sit in Guelferb. ex quo diversa non erat lectio notata; præter Sirmondum huic loco idem restituit Valesius ad Ammian. XVII. 6. quem etiam confer in Præfat. ad Ammian. in fin. Juthungos hos partem Alemannorum facit Ammianus, eosque tradit Rætos sæpe vexasse, unde videntur iis fuisse contermini, forte ad Danubium. Prætermittere hic nefas elegantem ejusdem Valesii emendationem, editoribus neglectam, in Aurelio Vict. Cæs. XXXIII. 3. ubi gentes memorat, quæ his temporibus, de quibus agit Eumenius, imperium Romanum invaserant, 'Alemannorum,' inquit, 'vi tunc æque Italiam ... possiderent.' Illic Sylburgii conjectura, 'Alemannorum vis' in textum est admissa, sed elegantius Valesius, 'Alemannorum Vitungi æque Italiam.' *Arntz.*

Rege Persarum] Eadem Mamertinus in Maximianum A. 'Offert interim varia miracula, eximiæ pulchritudinis feras mittit, amicitiæ nomen impetrare contentus promereretur obsequio.' Idem Genethliaco: 'Prætereo Francos ad petendam pacem cum rege venientes, Parthumque vobis munerum miraculis blandientem.' *Livin.* De quo dictum Paneg. Mamert. Maxim. cap. x. *Paterol.* Dubito, utrum recte de Narseo hæc acceperit Baunius; Persarum enim regem magis intellexisse videtur, de quo Mamertinus Maximian. x. § 7. ubi vide, quem alium a Narseo fuisse illic § 6. ostendi. *Arntz.*

Urebat animo] Receptis cunctis partibus imperii dolebat Romanis sola carere Britannia, quam relinquere Carausio coacti fuerant, tum impares navali bello adversus virum peritissimum gerendo. Eutrop. IX. 14. De hoc ita Aurelius Victor Schotti: 'Soli Carausio remissum insulæ imperium.' *Cellarius.* Cuspin. habet pro *urebat animum*, *urgebat*: male. *Jæger.* In Guelferb. est *animo*, et ita ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus prima ed. alterum dederat jam Livineius, quod probo. Sueton. Tiber. cap. 66. 'urebant anxiam mentem.' Videtur autem Florum imitatus, II. 6. 2. 'Urebat nobilem populum ablatum mare.' Altera lectio ex eo scribendi more orta videtru, quem adtigi ad Eumen. pro Instaur. Schol. VII. § 1. Quod Cuspin. dedit *urgebat*, est ex frequenti utriusque verbi permutatione, de qua Drakenb. ad Livium XXVII. 29. 9. Burman. ad Lucan. v. 811. *Arntz.*

Restabat] Repugnabat, adversabatur. Vid. Broukhus. ad Propert. III. 6. 31. *Jæger.* Livius IV. 58. 4. 'summa vi restare,' ubi Drakenb. et ad XIII. 14. 12. XXIII. 45. 9. Taubman. ad Plaut. Amphitr. III. 2. 3. Cort. ad Sallust. Fragm. p. 955. Buneman. ad Lactant. de Ira IV. 13. *Idem.*

CAP. XI. § 1 *Nomen tuum*] Probe *unum*, ineptèque *tuum* est in Cuspin. Aliis sane duæ sunt insulæ Britannicæ. Dionysius Alexandrinus de Situ Orbis: Ἄλλαι δ' Ὠκεανοῖο παραὶ Βορεάτιδας ἀκτὰς Δισσαὶ νῆσοι ἔασι Βρεταννίδες ἀντία Ῥηνοῦ. Andreas Papius, frater meus consobrinus, etiam tum puer vertebat: *Tum geminæ Boreas tenuere Britannides actas Insulæ Oceano in magno Rheni ostia contra.* Livin. Quæ plures, easque maxi-

mas provincias continet. *Patarol.*

Mediocris jacturæ] Ex codd. Put. et Gud. textum emendavi, quamvis nihil intersit, quid præferas. In Guelferb. ordine mutato, *erat jactura.* Arntz.

Frugum ubere] Pro *ubertate*, ut et apud Virgil. Æneid. lib. I. 'Terra antiqua potens armis, atque ubere glebæ.' *Patarol.* Pro ubertate, ut sæpius Maro, Tacitus, et Claudianus. *Jæger.* Eumenius Constantino IX. § 2. de Britannia: 'In qua segetum tanta fecunditas, ut muneribus utrisque sufficiat, et Cereris, et Liberi.' Weitz. ad Val. Flacc. VI. 711. *Arntz.*

Numero pascuorum] 'Pastio,' inquit Valla lib. IV. 'videtur significare cibum, sed tamen potius ad alimenta pecudum pertinet,' &c. *Patarol.* Pro *pastionum*, quod in solo Bertin. teste Livineio, comparet, receptumque fuit a Parisiens. Patar. et Cellario, lectionem ceterorum omnium *pascuorum* reduxi. *Jæger.* In Guelferb. suspicor quoque fuisse *pastionum*, quia pro varia lectione nihil erat adscriptum; in constituenda autem lectione ab Jægero dissentio, et *pastionum* prætuli, tum ob vocem minus vulgarem, tum vero etiam, quia hoc suadere videbatur Ciceronis locus, ex quo hunc adumbratum suspicor, pro Leg. Manil. cap. 6. quo Asiam omnibus terris antecellere dixit 'ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis.' Varro de R. R. I. 12. 1. 'ubi pastiones sunt laxæ:' et III. 1. 8. 'altera est villatica pastio, altera agrestis.' Ante Gruterum omnes *pascuorum*, et post eum quoque Rivinus. Neque tamen ita locus erat persanatus; adhuc enim ex Guelferb. dedi *munere*, a Jægero neglectum. Similiter de Britannia Eumenius Constantino IX. § 2. 'pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte distenta, et onusta velleribus.' Ex quo loco, si hic *pecorum* legeretur *numero* posset defendi. *Arntz.*

Metallorum] De Britannia Isidor. Orig. XIV. 6. 'Multa, et magna flumina in ea, fontes calidi, metallorum larga et varia copia.' *Patarol.*

Immensa circuitu] Idem poëta: Τόσσον τοι μέγεθος περιώσιον, οὐδέ τις ἄλλη Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρεττανίδεσσιν ἰσοφαρίζει. Id est, eodem interprete, Andrea Papio, *Quarum magna quidem moles: neque enim insula prorsus Ulla Britannidibus sese jactaverit æquam.* Ptolomæus quoque in secundis post Taprobanam collocat. *Livin.* Qui est juxta prædictum auctorem, 'quadragies octies septuaginta quinque millia;' juxta Cæs. B. G. lib. IV. 'vicies centena millia passuum.' *Patarol.*

§ 2 *Ille auctor*] Eustathii e Commentariis in eundem Dionysium verba hic subscribam: Εἰς Βρεταννικὴν νῆσον διαίρων, ἤγουν ἀποπλέων, Καῖσαρ ὁ ἐπιλεγόμενος θεὸς νύκτωρ ἀνήχθη, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κατῆρε περὶ τετάρτην ὥραν, τριακοσίους σταδίους διάπλουν τελέσας. Δὶς δὲ, φασὶ, διαβὰς ἐκεῖ, ἐπανῆλθε διὰ ταχέων, οὐδὲν μέγα διαπραξάμενος· οὐδὲ προελθὼν ἐπὶ πολὺ τῆς νήσου, ἀλλὰ δύο μὲν ἢ τρεῖς νίκας νικήσας, ἀπολέσας δὲ πλοῖα πολλὰ, διὰ τὴν αὔξησιν τῶν ἐν τῷ Ὠκεανῷ πλημμυρίδων, καὶ τῶν ἀμπώτεων. Tu, cui vacat, ipsum Cæsarem lege IV. de B. G. *Livin.* Julius Cæsar, cujus nomine appellabantur juniores Principes, Augustis minores, forte quia Augustus nepotes suos, juventutis principes, in nomen et familiam adoptaverat. *Cellarius.* Imperatorum primus, ideoque Imperialis nominis auctor Romanæ reipublicæ Principibus. *Patarol.* In Schonhovii excerptis est, *Cæsar Julius auctor*; non placet, quia illud *Julius* nihil ad nominis auctorem facit, cum Julium nomen ab eo hi Imperatores non gesserint. Ceterum dedit Jægerus, *Cæsar ille, auctor*, sed Cellarianam interpunctionem præ-

tuli, ut Mamertinus Genethl. III. § 4. 'ille siquidem Diocletiani auctor Deus:' et XVI. § 3. 'ille Romani carminis primus auctor:' et ita apud Pacatum Paneg. XI. § 1. malim interpungi, 'dies, ille communis boni auctor.' *Arntz.*

Alium se orbem] Non certum est, ubi id scripserit, an ad senatum epistola, cujus mentio lib. IV. extremo est Belli Gallici. *Cellar.* De eodem Sueton. cap. 25. 'Aggressus est et Britannos, ignotos antea.' Consentit Tacitus: 'Primus Romanorum D. Julius cum exercitu Britanniam ingressus,' &c. Suum in Britanniam transitum, et res gestas describit ipse Cæsar de Bell. Gall. lib. IV. et V. *Patarol.* Infr. XVII. § 3. 'alium te orbem terrarum reperisse.' Eam significat veterum opinionem, qua Britanniam extra orbem habebant positam, et non minori spatio patentem, quam notum sibi terrarum orbem. Cf. Barthium ad Claudian. p. 84. et 1139. Cellar. Geogr. II. 4. Fabric. ad Dion. Cass. tom. I. p. 217. Duker. ad Flor. III. 10. 16. *Arntz.*

§ 3 *Navigiis*] Quæ Britannis incognita. Cæsar citat lib. IV. 'Navium figura, et remorum motu, et inusitato genere tormentorum permoti barbari.' *Patarol.* Atque hinc argumentum peti pòtest, Britannos non fuisse navigationis auctores, de quo contra Dempsterum disserit Scheff. de Milit. Naval. I. 2. *Arntz.*

Et postea Mithridatico] Falsum id quidem, præcessit enim, non successit Mithridaticum. Clarum ex historiis. In Cuspin. *et propiore Mithrid.* in Vet. Bertin. *et propiore* inveni. Juvem ego, et, primore syllaba recisa, *priore* corrigam, quod perspicue rectum. *Livin.* Animo meo blanditur lectio codicis Viennensis, *et propiore Mithrid.* neque enim necesse confugere ad emendationes; si enim dicimus *bellum longinquum*, quod multis ante annis gestum est, quidni appellare liceat *bellum propius*, quod recentius est? *Gruter.* Multis suspectum *postea:* et Gruterus *propiore* legi jubet. Sed bene res habet, si de exitu interpretamur. Finis enim Mithridatico impositus, finito pridem bello piratarum. *Cellar.* *Et propiore* etiam Gud. 2. et ed. Patarol. *Jæger.* Si nihil adderetur, facile defendi posset Eumenius ex eo scriptorum more, quo rei gestæ ordinem nonnumquam neglexerunt. Cicero pro Leg. Manil. cap. 6. 'Cum Antiocho, cum Philippo, cum Pœnis;' bello enim cum Antiocho prius fuit Punicum, et cum Philippo. Livius I. 32. 4. 'et Numæ, et Romuli memor.' Virgilius Æneid. I. 264. 'Moresque viris, et mœnia ponet:' ante enim mœnia, et tum mores, sive leges, erant ponendi. Cf. Servium et alios. Similiter Lucianus Timon. p. 102. ἐπειδὰν δὲ τὸ σημεῖον ἀφαιρεθῇ, καὶ τὸ λῖνον ἐντμηθῇ· loquitur de testamento, in quo aperiendo prius incidebatur linum, et tunc signa auferebantur. Cf. Salmas. de Subscrib. testam. cap. 19. Jam in Cellarii interpretatione adquiesco, sed cum *propiore* etiam sit in Guelferb. illud restitui, quod tacite jam fecerat Patarolus; retinuit tamen *postea* Jægerus. *Arntz.*

§ 4 *Natio etiam tunc*] *Etiam natio tunc* Bertiniens. non placet. *Livin.*

Soli Britanni] Transposita videntur. Lege: *Ad hoc natio etiam tunc rudis, Pictis modo et Hibernis assueta hostibus, ad hoc seminudi, et soli Britanni facile Rom.* Acidal. Proba hæc lectio ex Ms. Gud. *et solis Britanni Pictis modo et Hibernis adsueti hostibus, adhuc seminudi, facile Romanis armis signisque cesserunt.* Sic magis exprimitur quasi vilitas veterum Britannorum, qui quondam eo facilius a Julio Cæsare vinci, superarique potuerunt, quod solis Pictis, et Hibernis hostibus olim adsueti fuerint, et quod sine gravi armorum genere ad-

hac seminudi prælia inierint. *Schwarzius.* Exemplo Jægeri recepi *solis*, recte a Schwarzio explicitum; omnes *soli.* Arntz.

Pictis] Memorat eos quoque Eumenius Constantin. VII. § 2. ita enim recte illic est emendatum. *Idem.*

Hibernis adsueta] Pro *adsueta*, quod in omnibus est, exemplo Jægeri dedi *adsueti*, fide cod. Gudiani sive Guelferb. apud Schwarsium præced. observatione. *Idem.*

Seminudis] Omnes usque ad Jægerum habent *seminudis*; hujus exemplo, et fide cod. Puteanei, et Guelferb. apud Schwarzium prætuli *seminudi.* Idem.

Navigasset Oceanum] Mamertinus Juliano IX. § 1. 'Istrum adhuc navigans.' De hac ellipsi vide ad Arator. I. 673. Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 4. 18. *Idem.*

CAP. XII. § 1 *Pirata*] Puto Carausium intelligi, de quo Eutrop. lib. IX. *Puteanus.* Pro *pirata* Gud. habet vitio scripturæ *piratica.* *Jæger.* Rem ipsam explicui supra ad Mamert. Paneg. initio. *Arntz.*

Ædificatis] Auctoritate codd. *quæ* inserui. Naves ad Romanorum modum ædificatas ideo memorat, quia Gallorum naves alia erant ratione constructæ, quam tradit Cæsar B. G. III. 13. et Strabo Geogr. IV. p. 297. *Idem.*

Cuneis] 'Cuneus' in exercitu sunt pedites ita collocati, ut priores ordines angustiores, subsequentes vero latiores exeant in cunei formam. Vid. infra cap. XVI. § 2. *Schwarz.* Prudentius Cathem. V. 53. 'Densetur cuneis turba pedestribus.' *Arntz.*

Ad dilectum] Cod. noster, *contractis ad delictum mercat.* quasi Carausius mercatores Gallicanos ad delictum rebellionis, et in societatem pertraxerit. Sed potest tamen et pristina lectio locum suum tueri. *Schwarz.* Vera tantum est prisca lectio, modo ex Guelferb. scribatur *delectum*, quod pariter est in antiquioribus edd. etiam Stephanorum et Rivini, cum *dilectum* dederit Livineius, Gruterus, et reliqui. Vid. ad Eumen. pro Instaur. Schol. V. § 3. et supra IX. § 4. *Arntz.*

Iis omnibus] *His* Guelferb. quod prætuli. Cf. Jæger. ad Nazarii Paneg. XVII. § 1. *Idem.*

Auctorum magisterio] *Auctoris* Bertiniens. Cuspin. Sequor *auctoris*, et de Carausio capio. *Livin.* Et hoc præfero. *Ritters.* Ejusdem Carausii. *Cellar.* Livin. Stephan. Gudd. habent *auctorum*, ut Carausius et Allectus intelligantur. Alias satis bene legitur *auctoris.* Schwarz. Veterem Cuspiniani lectionem *auctoris*, ab aliis neglectam, primus restituit Gruterus; recte, quamvis in prima ed. alteram sit secutus Rivinus. Allectus frustra intelligatur, quia de eo agit tempore Eumenius, quo Carausius, observandis oceani littoribus a Maximiano præfectus, res novas moliri, et mare contra Romanos infestum reddere cœpit, quo quidem in ipsius societatem nondum venerat Allectus, unde et in princ. capitis, singulari tantum numero, *piratam* memorat. Confer a me dicta supra ad Mamert. Paneg. initio. *Arntz.*

Autem nostris] Malim *nostris* ob ea, quæ mox dicenda, cum de Maximiani contra Carausium expeditione, non autem Constantii loquatur; nisi dicas, Panegyristas, quod ad unum pertinebat Imperatorem, ad alterum quoque transtulisse, ut passim ad Mamertinum supra dictum est, sed illud magis in iis factum, quæ in laude erant posita, quod ad hunc locum adcommodari non potest. *Idem.*

Invictis, virtute tamen] Olim scilicet ita distinguebatur, *exercitibus autem nostris, licet invictis, virtute tamen, &c.* plerisque tamen placuit Acidalii interpunctio, quam etiam sequor. *Idem.*

Malam coaluisse] Pro *malam* etiam

multo rectius sit *magnam*, aut quid simile. *Acidal.* Rectius cod. noster, omissa voce *novis*, pro *malam* substituit *novam*. Schwarz. *Malum* et *novum* in Mss. confundi docet Drakenb. ad Sil. x. 422. *Jæger*. Schwarziani cod. scriptura est corrupta, ea enim perit sententia, qua *exercitus virtute invicti* opponuntur *novis in re maritima*. Arntz.

§ 2 *Diuturna sceleris impunitas*] Diuturnum etenim bellum gessit Carausius cum Maximiano Herculio, qui nec ipsum vincere potuit: quare et pacem eidem, et imperium totius insulæ concessit. Auctor Eutrop. lib. IX. *Patarol.* Gud. *diuturni*. Jæger. Placet magis *diuturna;* non scelus Carausii, sed *diuturna impunitas* audaciam inflarat. *Arntz.*

Inclementiam maris] Vereor, ut ad gratiam, non ex vero dixerit; nam auctor mihi Eutropius, frustra adversus virum, rei militaris peritissimum, tentata bella, et ad extremum pacem convenisse, quod alibi notare memini. *Livin.* Totam hic rei gestæ seriem miscet Bannius, quem nimis secure secutus est Cellarius, Constantio tribuens, quæ ad priora Maximiani tempora pertinent, ut jam monui cap. VI. § 1. Erroris in eo quærenda videtur origo, quod Constantium Cæsarem factum putant nonnulli eodem anno CCLXXXIV. quo Augustus est a Diocletiano lectus Maximianus, unde etiam Wagenaerius Hist. Patr. tom. I. p. 224. rem ita narrat, tamquam inde contra Carausium statim missus fuerit Constantius, cum tamen Cæsar demum sit factus anno CCXCII. Vid. ad Mamertin. Paneg. IV. § 1. et supra II. § 2. atque a Cæsarea dignitate hæc Constantii adversus Carausium expeditio primum computanda; contra quem antea classem paraverat Maximianus, sed in qua nullam præstitit operam Constantius, eaque fuit tempestate disjecta, quo factum, ut Britanniæ imperium Carausio cedere debuerint Romani. De eo hic Eumenii locus tantum est intelligendus; id suadet ratio, qua tota cohæret periodus. In capitis enim principio tradit, quomodo Romanorum partes deserens classem abduxerit Carausius, aliis in latrocinii societatem adsumtis; id certe ante Constantium Cæsarem est factum; deinde, quomodo tempestate inpediti fuerint Romani, quo minus eum persequerentur et vincerent, ita ut hoc ipsius audaciam, sumendo imperio, adhuc auxerit, quæ cuncta ante Cæsaream Constantii dignitatem contigerunt; cf. quæ dixi ad Mamert. Paneg. initio. Neque Bannium et Cellarium juvant, ad quos provocant, Eutropius et Aurelius Victor. Ita enim ille, IX. 22. 'Cum Carausio tamen, cum bella frustra tentata essent contra virum rei militaris peritissimum, pax convenit. Eum post septennium Allectus socius ejus occidit, atque ipse post eum Britannias triennio tenuit, qui ductu Asclepiodoti, præfecti prætorio, est occisus.' Vides, pacis mentionem diu ante poni, quam Constantii potuerit contigisse expeditio, unde a Maximiani ducibus bella hæc frustra fuisse tentata, recte illic scribit Glareanus; neque juvat Aurelius Vict. Cæs. XXXIX. 20. qui aperte de Maximiano loquitur. Quid autem? si ipsi hæc Constantio obtigisset calamitas, putabimusne Eumenium huic, coram quo præsente dicebat, objecisse 'imperii contumeliam,' qua, disjecta classe, pax fieri cum Carausio debuerit, supra cap. X. in fin. itane hanc extulisset calamitatem, ut, 'desperatione' Romanorum, bellum cum Carausio omissum haberetur? parum certe hæc Cæsari fuissent honorifica, in cujus felicitate bellica, et prædicandis victoriis totus est. Ceterum de eleganti vocis 'inclementia' usu dixi ad Mamertin. Paneg. XII. § 5. Prudentius contr. Symmach. II. 1012. 'Tempestatis clemen-

tia læta serenæ.' *Arntz.*

Communis pœnæ] *Cois* est in Cuspin. compendio. Exponebam *communis*, quæ omnibus deberetur, ut pari scelere obstrictis. Sed e Bertiniens. *ois* notatur, id est, *omnis*, et *pœne*, non *pœnæ*, quod et Vet. præfert. Unde suspicio Franc. Modio, *omni pœne timore, &c.* legendum. Ego *pœnæ* retineam, in altero prope est, ut assentiar. *Livin.* Præfert itidem Mœrl. *pene.* Jæger. In Guelferb. est, *communi pœnæ terrore.* Vulgatam recte, si quid video, explicuit Baunius. *Arntz.*

Archipiratam] Puto Carausium intelligi, de quo Eutrop. l. IX. *Putean.* Cf. ad c. VI. 1. *Arntz.*

Satelles] Allectus ex eodem Eutrop. *Putean.*

Auctoramentum] Sive commodum et utilitatem, de quo quædam habet adfinis meus, Herm. Cannegieter. ad Fragm. Vet. Jurisconsult. p. 216. adde Not. ad Pacati Paneg. XLIII. § 5. *Arntz.*

Discriminis] Quod hic periculum et *discrimen?* Ego *criminis* probem, scilicet interfecti socii, et Imperatoris, cui sceleri præmium imperium peteretur. *Livineius.* Sic legunt plerique. Plus tamen placet lectio Livineii et aliorum, reponentium *criminis.* Quæcumque tamen præferatur lectio, sensus admodum obscurus mihi videtur, si vocibus stemus, prout sonant. *Patarol.* Videtur tamen cædes illa Carausii non sine periculo, et magno discrimine ab Allecto fuisse perpetrata. *Jæger.* Nec locus emendatione indiget, neque est obscurus. Qui de periculo interpretantur, cui se in cæde Carausii exponebat Allectus, vereor, ut sententiam perspexerint, et ita tamen omnes. *Discrimen* capio de illo periculo, quod, orta tempestate, Maximiani subierat classis, tanto quidem, ut a persequendo desistere Carausio debuerint Romani. Hujus periculi, sive tempestatis commodum esse putabat Allectus imperium; ob illud enim a Romanis tutus imperium sumserat Carausius; ob idem illud, cæde Carausii, imperium furabatur Allectus, cum, sine ullo pœnæ metu, tempestatis illius calamitate adfectos crederet Romanos, quam de Carausio sumere non potuissent vindictam, ne ausuros quidem de se quoque sumere. *Arntz.*

CAP. XIII. § 1 *Fulmen intenderas*] Interfecto Allecti fraude Carausio, Constantius et animum, et spem recuperandæ Britanniæ recepit. *Cell.*

§ 2 *Numine tuo*] In Guelferb. est *limine;* utrum *lumine* ob præcedens *fulmen?* ut hæc confusa docui ad Arator. II. 681. et 773. et 'lumen' sæpe in 'numen' abiit, ut in codd. apud Lucretium I. 9. Apud Martialem I. 69. 'Nævia lux, inquit, Nævia numen:' recte Thuaneus, in excerptis penes me, *lumen* ob præcedentia. Adde Klotz. Miscell. Crit. pag. 79. præstiterit tamen vulgata, cum mox cap. XV. § 6. de Constantio dicat, 'quam præsens majestatis tuæ lumen excipere,' ubi 'majestas' a nostro *numine* nihil distat, unde ibi continuo addit, 'ubique vim vestræ divinitatis esse.' *Arntz.*

Potestatis tuæ majestate] Fœdam maculam sine libris de ingenio correxeram, *invoc. Patris tui majest.*, quo nihil verius. Nunc testificor id exerte in Vet. et Bertiniens. extare. 'Patrem' intelligit Maximianum Herculium A. Vide, quæ primo hoc Panegyrico notamus. Erratum est autem, ut hoc obiter addam, a compendiis. *Livineius.* Maximiani Herculei, qui præsidia in ripa Rheni disposuit, ne, dum Constantius Britannico bello occupatus esset, Germani aliquid novi molirentur. *Cellar.* Maximiani Herculei, patris non per naturam, sed per adoptionem. Adnotavimus hoc dicendi genus pluribus in locis, et hac ipsa etiam oratione cap. I. *Patarol.* *Patris tui* etiam Guelferb. Ante Gruterum fuit editum, *potestatis tuæ majestate,* quod adhuc retinuit Rivinus, contra Eumenii mentem.

Adpellationem *patris* potius cum Baunio ex nuptiis cum Maximiani filia repetierim. *Arntz.*

§ 3 *Novo itineris compendio*] Opinor legendum *noto*, quod malim, quam vel *noxio*, vel *noxii*. Rhenan. Stephanus *noto*, vel *noxio* existimat reponendum: ego autem, *mox itineris compendio*. Meurs. Auctar. Philolog. cap. 32. *Novo* habent cod. Put. Cusp. ceterique omnes, quod sine dubio præferendum conjecturæ Rhenani. *Jæger.* Recte probam Cuspiniani lectionem *novo* recepit Livineius, et reliqui omnes, præter Henr. Stephanum, et utraque ed. Rivinum, qui corruptum illud Rhenani *noxo* retinuerunt. Cum Rhenani conjecturam Stephano tribuerit Meursius, non cogitavit, Henr. Stephanum ed. Rhenani expressisse, hujus quoque conjecturis margini adpositis, nullis autem de suo additis. *Arntz.*

Rheno] Vet. delet. *Putean.* Male, postulat enim sequens *illum limitem* aliquid, quo referatur; et ita Incertus Constantino XXII. § 3. 'institisse Rheno nunciabantur.' De Rheno limite vide ad Mamertin. Genethl. III. § 9. *Idem.*

Potentiæ tuæ] *Potentiæ* ediderunt Livineius et Paullus Stephanus; alterum tuentur codd. Pertinet autem hic locus ad id, quod hostes terrore victi in summa laude habebantur, de quo dictum ad Mamertin. Genethl. V. § 4. *Idem.*

Tutatus es] Disting. *tutatus es. Quantoslibet valebat exercitus Maxim. in ripa. Tu v. &c.* Aut sit etiam melius inducere ista parenthesi. *Acidal.* In quibusdam nempe hæc, *Quantos libet*, posita sunt per interrogationem: rectius Acidalii interpunctionem alii sunt secuti. *Arntz.*

In ripa] Nescio an mutandum *Imper.* id est, *Imperator*. Acidal. Contra codd. nihil mutandum, et *in ripa* videtur oppositum *classibus* in mari. *Arntz.*

§ 4 *Diversis classibus*] Cf. ad cap. VI. 1. *Idem.*

CAP. XIV. § 1 *Proveniebant*] Pacatus Paneg. V. § 4. 'Romani duces, Macedonici, Cretici, Numantini de vocabulis gentium subactarum adoptivum insigne sumebant.' Nescio, an hinc in Ampelio inscriptio cap. 28. ita sit legenda, 'qui in Populo Romano nomen ex gente usurpaverunt,' quo modo 'usurpare nomen' adhibetur apud Sueton. Claud. cap. 24. et 25. Neron. cap. 1. Velleium Paterc. I. 3. 2. *Idem.*

Fronto] Hic est Cornelius Fronto, quo præceptore usus est M. Antoninus Philosophus in Rhetoricis, teste Capitolino in ejus vita, et Dione etiam. Ejus quoque meminit Gellius XIX. 8. et 10. et 13. De eo vetus inscriptio:

M. AVFIDIO. FRONTONI
PRONEPOTI. M. CORNELI
FRONTONIS. ORATORIS
CONSVLIS. MAGISTRI
IMPERATORVM. LVCI
ET. ANTONINI. NEPOTIS
AVFIDI. VICTORINI
PRAEFECTI. VRBIS. BIS. COS
FRONTO. COS
FILIO. DVLCISSIMO.

Putean. Cornelium Frontonem accipio, quo Latino oratore usus M. Antoninus Philosophus. Auctor Capitolinus. Pertinentque ad eum, opinor, hæc Macrobii Saturnal. V. 1. 'Quatuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontoni ascribitur; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc, nullo veterum minor, noster Symmachus luxuriatur.' *Livin.* Vid. Auson. Paneg. cap. 14. *Patarol.* Et ad Ausonii locum notæ, quosque laudavit cl. Saxe Onomast. tom. I. p. 359. *Arntz.*

Alterum decus] Elegans locutio, qua 'alter' unum ex paribus designat,

'secundus' inferiorem. Nepos Pelopid. cap. 4. 'Reip. hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondæ.' *Idem.*

In Britannia] Idem Capitolinus: 'Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, (forte *alio*) alio muro cespititio submotis barbaris ducto.' Pausanias Brigantes vocat Arcadicis, additque magna soli parte multatos, quod Genuniorum, qui P. R. subditi, agrum cum armis inivissent. *Livin.* Et Pius Antoninus, et Marcus in Britannia bellum per legatos gesserunt, ut Capitolinus utriusque vita memoravit, Pii cap. 5. Marci cap. 8. Interpretes ad Marcum referunt, cui Fronto fuit magister eloquentiæ. Sed neque hoc firmat satis, quia Fronto inde a Trajani ævo clarissimus orator fuerat. *Cellar.* Memoriam victoriæ, ibidem ab Antonino relatæ, exhibent ejusdem Antonini numismata, non uno etiam typo. *Patarol.* Bellum, quod confecerat legatus, ipsi Antonino adscripsit Fronto ex eo more, quo victorias, a ducibus suis partas, sibi tribuebant Imperatores; exempla dedit Valesius ad Ammian. Marcell. XVI. 12. Livineii in Capitolino emendationem recte damnavit Cellarius Geogr. Antiq. II. 4. p. m. 257. hic enim Antonini murus fuit alius ab eo, quem ante Hadrianus fecerat. *Arntz.*

Antonio] Inepte *Antonio* legebatur. Est enim sermo de M. Antonino Philosopho. *Livin.* *Antonio* erat in Puteolana, forte a typographo. *Arntz.*

Mandasset auspicium] Ovidius ad Augustum de Tiberio, in Dalmatas legato: 'Auspicium cui das grande, Deosque tuos.' *Livin.*

Longæ navis] 'Præsidere gubernaculis' inde est, quia ad clavum 'sedere' erat gubernatorum, de quo elegantia habet Orvillius ad Chariton. Animadv. VIII. 6. consentanea sunt hæc Æschyli Sept. contr. Theb. 2. Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως Οἴακα νωμῶν. Ubi Scholiast. De longis navibus vide Scheffer. Milit. Naval. II. 2. *Arntz.*

Toties velificationis] Lege *totius*, et tolle ineptam parenthesin. *Acidal.* Scilicet verba, *quamvis illa . . . auspicium*, parenthesi in sua edit. habebat inclusa Acidalius. Præterea *toties* est in ed. Rhenani, Henr. Stephani, et Rivini; meliora jam dederat Puteolanus, Livineius, et reliqui. Mox in Guelferb. corrupte, *meruisti.* Arntz.

§ 2 *Fuisti. Siquidem*] *Prior siquidem*, Bertin. Cuspin. Egregie *prior* additur, scilicet exercitus tui parte, ut mox sequitur, idque illustrat vehementer, quod præcessit, *exemplo.* Livin. *Prior* inseruit primus Gruterus, ceterique omnes, præter Rivinum; est quoque in Guelferb. et Schonhovii excerptis; postulant præterea sequentia; sed rei gestæ contrarium videri, quidquid hic adfirmaverit Eumenius, dixi supr. ad cap. VI. § 1. *Arntz.*

Magis Gesoriacensi] Malim *maris.* Rhenan. Sic Vet. *Siquidem agis Origiacensi.* Forte, *a Gesoriacensi.* Putean. Codicum discors, et non una lectio. In Langii schedis abest *magis.* In Vet. lego omnino, *siquid. magis Origiacensi lit.* in Bertiniens. *Siquidem a Gesorigiacensi lit.* Propius vero: nam germanum reor, *siq. a* (seu *in*, ut in Cuspin. est) *Gesoriacensi lit.* Adi, quæ notata mihi supra ad cap. VI. *Livin.* Malim cum editione Cuspiniani, *fuisti prior siquidem Gesoriacensi littore quamvis fervidum invectus Oceanum, &c.* ita quidem illa editio, nisi quod præferat *in Gesoriacensi*; glossema manifestum. Inde enim factum, ut alius liber exhibeat *a Gesoriacensi*, quod non nemini placuit. *Gruter.* Quid hic illud *magis?* Abjicio: nisi tamen unam ex eo literulam retineo, ut sit præpositio *a.* Reliqua ex inepta repetitione nata, ut

ex postrema τοῦ *siquidem*; *gis* e prima sequentis *Gesoriacensi*. Acidal. Hic loci ipse Constantius classe trajicere in Britanniam paravit atque solvit etiam, sed post victoriam Asclepiodoti præfecti. *Cellar*. Noster Cod. sic exhibet hunc locum: *Siquidem agis origiacensi littore quamvis fervidum Oceanum, etiam illi, &c.* ita etiam Put. habet. Sed in voce *agis* latet corrupta lectio. Constat enim ex præpositione *a*, et syllaba subsequentis vocis *Gesoriacensi*. Ita ergo legerem: *Priora iquidem a*. Stephan. pro *magis* malit *maris*; frustra. *Schwarz*. In Guelferb. etiam est, *siquidem agis Origiacensi*; in Schonhovii excerptis, *in Gesoriacensi*. Gruterus, ejecto *magis*, quod tamen adhuc expressit Rivinus, dedit primus, *siquidem Gesoriacensi*, quod omnes præter Jægerum secuti, cujus exemplo *a* inserui, ex corrupta codd. lectione confirmatum. Male Rhenani conjecturam Stephano tribuit Schwarzius; erroris originem indicavi supr. cap. XIII. § 3. De littore Gesoriacensi vide ad cap. VI. § 1. ubi Wagenaerii opinionem adtigi. *Arntz*.

Quem Sequanam] Expeditum *Sequanæ fluctus*, quod in Langii schedis est, sed quis *fluctum* attribuat flumini? in Vet scriptum explicate, *quem se qua natura nisi invex*. Erui tandem e vestigiis, meo animo, belle, *quem Sequana curvus invexer*. Tu adi tabulas, mi lector, et perpetuos fluvii, certe inde a Parisiis, flexus observa. E Bertin. notatum, *quem Sequanam nisi invexer*. in quo reliquiæ quædam proximæ lectionis. *Livin*. Adhuc inquinatum videtur *flumen Sequana*, quare sustulerim literam postremam, ac reformaverim in *in*, ut fiat, *quem Sequana in fluctus inv.* et sic consilescunt illæ turbæ, quas movit Livineius. *Fluctus* enim heic sunt non fluminis, sed oceani ipsius. *Gruterus*. Dubiæ fidei verba, *quem Sequanam fluctus invexerat*. Nimis obscura. An? *quem Sequana fluvius invex*. Acidal. Asclepiodotum puta, quem ex alio latere adnavigare, et classem adducere Constantius jusserat. *Cellarius*. In scripturam, *quem Sequanam fluctus invexerat*, olim constanter omnes conspiraverunt, donec Gruteri conjecturam, *quem Sequana in fluctus invexerat*, receperit Bannius, et post eum reliqui omnes. Nollem factam; tu enim vide, itane sibi adversatur Eumenius? Quid enim? si exercitum in oceani fluctus invexerit Sequana, altum, littore relicto, jam petiit hæc Asclepiodoti classis; eam enim recte intelligit Cellarius; sed qui tunc sequentia explicueris? *ut, cunctantibus adhuc ducibus*, (exercitus ille) *ultro signum navigationis exposceret*. Navigationis signum illi exposcunt, qui nondum navigant, quorumque nondum in oceanum est deducta classis; deinde, qui tunc convenient sequentia, Asclepiodoti exercitum, accepto de Constantii navigatione nuncio, ita se hortatum fuisse? 'quid dubitamus? quid moramur? .... experiamur omnia, per quoscumque fluctus eamus.' Hæc utique non possunt eorum esse verba, qui e Sequana jam in mare erant deducti. Ex sequentibus itaque hanc Eumenii sententiam colligo; cum navigare vellet Asclepiodotus, cælum et mare fuisse turbidum, diem pluvium, ventum non directum, visa signa minacia; maris itaque impetu, et fluctibus detinebatur in Sequana classis jam jam navigatura, eoque se invicem hortati fuerunt milites, ut, spreto quocumque periculo, vela facerent, seque mari, quamvis iniquo, crederent; interim quam vere ita narraverit, dixi ad cap. VI. 1. Ex variantium in codd. comparatione, locus mihi ita videtur refingendus, *quem in Sequanam vis fluctus invexerat*: τὸ *vis* auctoritatem capit ex Guelferb. sive Gud. et Murl. latetque in *nisi*, quod ex suo Vet. et Ber-

tin. protulit Livineius. Sensus est, tempestate fluctus oceani in Sequanæ ostio ita motos fuisse, ut classem mare petituram in flumen invexerint, sive retro cedere coëgerint, quo minus altum ingrederetur: ille tempestatis effectus ex eo confirmatur, quod ventus, ut addit, ex Sequana in Britanniam ituris fuit obliquus, adeoque vel Zephyrus, vel Caurus, qui igitur fluctus in Sequanæ ostium vehementiori inpetu protruderet, quo exitus fieret difficilior. Non dissimilis est locus Sidonii Apollin. Carm. VII. 394. 'Qui pulsus ab æstu Oceanus refluum spargit per culta Garumnam, In flumen currente mari.' Nihil tamen ex ingenio mutare ausus, Gruteri conjecturam, cum in antiquissima lectione nihil sani sit, retinui, donec adferantur certiora. *Arntz.*

In eis ardorem] *In* superest. *Rhenan.* *Mentis ardorem*] Sic habent libri plures; nam aliquot, *injecisti in eis ardorem*, quod nauci non est. *Gruter.* Aiunt superesse *in*; superest vero etiam *eis*, nisi mutandum utrumque in voculam unam, *mentis.* Acidal. Confirmatur a Guelferb. et hoc primus recte expressit Gruterus, cum sequentibus præter Rivinum. 'Divinæ mentis ardorem' dixit Mamertinus Genethl. III. § 8. 'militarium animorum ardorem,' Eumenius Constantino XVI. 3. 'ardorem animorum,' Idem Gratiar. Action. I. § 5. 'injicere' autem celeritatem indicat, ut 'admiratio injecta' apud Mamertin. Genethl. X. § 4. ubi vide. Mox recte addit *turbidum mare*, in quo *turbidum* majorem incutit terrorem, judice Bentleio ad Horat. Od. I. 3. 19. *Arntz.*

Quæ videbantur] In Guelferb. est, *minacia videbantur signa contemnere*; corrupte, ut indicant sequentia. *Idem.*

§ 5 *Se quamlibet*] Guelferb. habet, *quis enim quanti iniquo*: male; namque *quamlibet* eleganter adjectivo jungitur, pro quamvis admodum. *Cf.* patris notas ad Plinii Paneg. LXI. § 2. *Idem.*

Te navigante] Respexisse videtur ad illa Cæsaris apud Lucan. lib. V. 'Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti Trade sinum. Italiam si, cœlo auctore, recusas, Me pete, &c. medias perrumpe procellas Tutela secure mea.' *Patarol.*

Cæsarem sequimur] Florus IV. 2. 37. 'Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius: Quid times? Cæsarem vehis.' *Jæger.*

CAP. XV. § 1 *Ad tempus ipsum*] Auctor in Constantinum A. 'Cum ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit.' *Livin.*

Dorso maris] Prudentius in Symmach. II. Præf. vs. 43. 'Tergum per tumidum freti.' Ex Græcis et Latinis pluribus vocis utriusque usum confirmavit pater meus ad Plinii Paneg. XII. § 2. et ipse ad Arator. II. 47. Quod *nebulas se miscuisse* addit, est consueta in tempestatibus locutio, ut κῦμα συγχέσαι dicitur ventus, apud Æschylum Prometh. Vinct. vs. 1049. et αἰθὴρ πόντῳ συνταράσσεσθαι, ibid. 1087. *Arntz.*

Apud Vectam] Suetonio est *Vectis*, Vespas. c. 4. *Livin.* Allecti classis, ibi disposita, ut trajectum Constantianorum impediret: sed nebulæ beneficio illam Asclepiodotus prætervectus est, ut minime sentiretur. *Cellar.* Quæ et Vectis et Victesis dicta est antiquis, nunc *Wicht* Gallis, *Gaunydh* Anglis: insula Britannici maris, ad meridiem Angliæ proxima, ab eaque modico freto distans. *Patarol.*

Moraretur ipse tum] *Impetum* Vet. Bertin. Langii schedæ, Cuspin. Perspicue verum est. Estque ab exscriptorum compendio error: nam vetere scriptura *ipe*, et *impe* valet et *ipse.* Livin. Lege *ipsa*, navis scilicet illa

in insidiis collocata. *Acidalius.* Sic Rhenan. Livin. Stephan. Sed perspicue verum est *impetum*, ut habet cod. Livin. Bert. Cusp. Lang. Mœrl. et adnotavit quoque Schonhovius. *Jæger.* *Impetum* etiam Guelferb. in qua lectione exprimenda Gruterum reliqui recte secuti, etiam in sec. Rivinus. *Arntz.*

§ 2 *Statim atque*] Jægeri exemplo hæc junxi, alii *exercitus statim, atque.* Cf. Livineium supr. VII. 3. *Idem.*

Monitus] Recte *divinitati* jungit. Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XIX. § 3. *Idem.*

§ 3 *Dubia bellorum*] Alii 'incerta belli;' de utroque egit Wopkens. in Observ. Miscell. Nov. tom. x. p. 296. *Idem.*

Putare communem] 'Mars communis' scriptoribus antiquis frequens. Virgilius ad Messalam 50. 'Communem belli nec timuisse Deum;' ad quem locum vide Burman. Secundum in Anthol. tom. I. p. 299. adde Virgil. in Cir. vs. 359. ubi Taubman. Senecam de Ira I. 12. Abramum ad Ciceron. pro Sext. cap. 5. qui ad eumd. pro Milon. cap. 21. hoc cum Homerico ξυνὸς Ἄρης jam contulit. *Idem.*

Vestri contemplatione] Potest 'contemplatio' et pro adspectu, et respectu accipi; de utroque usu Buneman. ad Lactant. Instit. IV. 13. § 17. Paullus Sentent. V. 11. § 6. 'quia contemplationem salutis certo modo æstimari non placuit:' scribe 'contemplatione,' ut recte est in L. 34. § 1. D. de Donation. et donatio dicitur fieri 'contemplatione mortis' apud Paullum Sent. II. 23. § 6. deterius Kaldenbach Diatr. Critic. Jurid. p. 11. 'compensationem;' compensatio enim non potest dici 'æstimari.' Neque illud hac occasione prætermitto, in illa L. 34. cum aliis legendum esse, 'nam merces,' potius quam 'merces enim,' ut Gebauerus. *Idem.*

§ 4 *Non illic*] Lege, *non illi tunc, &c. cogitaverunt.* *Propos. q. p.* Acidal. Pro *illic*, quod habent edd. Cuspin. Rhenan. Livin. Steph. Cellar. Patar. est in codd. Livin. Put. Mœrl. *illi*, quod Acidalius etiam substituit, et sine controversia melius est. *Jæger.* Etiam Guelferb. *illi* in quo Jægerum sum secutus. *Arntz.*

Romana] *Humana* Guelferb. hoc restitui, quia convenientius est, oppositum sequenti *Numina*, tum etiam, quia *Romana* videtur esse ex glossa, propter ea, quæ dixi ad Mamertin. Genethl. XIII. § 2. *Idem.*

Numina] Jovem et Herculem. *Patarol.*

§ 5 *Eo littore*] Rutupino, seu ad portum Rutupinum, ubi, firmo præsidio relicto, Asclepiodoto jam insulam ingresso occurrit, et victus est. Hadr. Valesius Rer. Franc. I. p. 14. consulatur. *Cellar.* Recte de littore Rutupino, ejusque portu accipit Cellarius, et Baune supra Vit. Constantii p. 234. Rutupias enim petere solebant Gesoriaco in Britanniam solventes, quod idem Cellarius docet Geogr. Antiq. II. 4. p. m. 262. 'Tenuisse' hoc littus dicitur, ea notione, qua id verbum ducibus, castra quodam loco habentibus, tribuitur. Vide patris notas ad Victor. Inlust. II. 7. *Arntzenius.*

Jam jamque] Vid. supra ad cap. V. § 2. *Idem.*

§ 6 *Quacumque fugerat*] *Fugeret, ubique vim vestræ div.* sic quidam codices, melius quam vulgati nupere, *quacumque fugerat, ubique numina vestræ div. &c.* Gruter. Etiam Guelferb. *fugerat*, sed alterum primus recte recepit Gruterus, et sequentes, etiam in sec. ed. Rivinus. *Quocumque*, quod Acidalio placuit, citavit Lipsius Milit. Rom. IV. Dial. 5. Sed vulgatum defendunt notata a patre meo ad Pacat. Paneg. XLVII. 2. *Arntz.*

Ubique numina] Cusp. et Mœrl. pro *numina* præferunt *vim*, quod et in cod. Livin. et Bertin. legitur, probaturque Grutero, et receptum est a Parisiensibus, Pat. et Cellario. *Jæger.* *Vim*

etiam Guelferb. hoc, a se præcedenti observ. probatum, primus recepit Gruterus, quem reliqui sunt secuti, etiam Rivinus in sec. *Arntz.*

Vultus vestri] Notæ, et obviæ in historiis Principum vexillis imagines. *Livin.* Mœrl. corrupte, *nisi vultus.* Non tam in vexillis, proprie sic dictis, quibus nomen Imperatoris inscribi solitum fuit, vid. Sueton. Vespas. cap. 6. ibique Torrent. quam in clypeis suspensis in hastilibus signorum. Vid. Xiphilin. Vitell. p. 311. l. 40. et Herodian. Julian. p. 499. l. 30. Sylb. *Jæger.* Cf. tamen Nicolai de Siglis Veter. cap. 26. § 6. Lipsium de Milit. Rom. Dial. IV. 5. qui mox citat *coluntur*, quod in nulla ed. inveni. *Arntz.*

CAP. XVI. § 1 *In tuorum manus*] Asclepiodotum sentit, prætorio præfectum, a quo Allectus oppressus. Eutropius. *Livin.* Guelferb. *illa fugiens*, in quo videntur librario obversata, ex ultimo præcedentis, *signa.* Arntz.

§ 2 *Irrerit*] Quid illud *irrerit*, quod Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus habent, sibi velit, nemo facile dixerit. Recte jam Livineius *irruerit*, notatum etiam in Schonhovii excerptis. Brouwer. Annal. Trever. III. p. 200. hoc loco usus, conjicit, *interierit;* sed *irruerit* magis convenit cum præcedentibus, *conjurationis auctoribus*, et *cunsis.* Idem.

§ 4 *Illa barbara*] Non occurrit melius, quod olim ante codices inspectos divinabam, *Illa, inquam, barb. &c.* Sed e Bertin. notatur, *ita illa barbara.* Fortasse an legendum *texerunt, et illa barb. &c.?* Livin.

Imitatione barbariæ] Allecti milites, ut quam plurimos Germanos secum habere crederentur, cultum habitumque Francorum imitati sunt. Valesius d. l. *Cellar.* *Olim* sequenti *tunc vero* opponitur, ne forte quis corruptum putet. *Arntz.*

Prolixo crine] Sic de more in regionibus illis, quarum populi et longam et pulchram excolere comam solent. *Patarol.* Pertinent hæc ad id, quod capillos laxabant Franci, flavamque, ex more veterum in his regionibus incolarum, habebant cæsariem, quo et *rutilantia* referatur: de quibus crinibus vid. Junius de Coma pag. 569. Pontanus Origin. Francic. VI. 10. et 18. pag. 538. Hachenberg. German. Med. Diss. XI. § 2. et pater meus de Color. Comar. II. § 2. *Arntz.*

Vulnere] Rhenan. Livin. Steph. *vulnere:* verum rectius in codd. Livin. Bertin. Put. Mœrl. et ceteris, *pulvere.* Jæger. *Pulvere* etiam Guelferb. primusque scripsit Gruterus, et reliqui, etiam in sec. ed. Rivinus. Cf. ad Eumenium pro Instaur. Schol. II. in fin. Ita Virgilius Æneid. II. 272. ‘Aterque cruento Pulvere.’ XII. 99. ‘Da sternere corpus, Loricamque manu valida lacerare revolsam Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines.’ Horatius Od. IV. 6. 11. ‘Procidit late, posuitque collum in Pulvere Teucro.’ Aut referri quoque posset ad corpora, pulvere in fugiendo inquinata, ut apud Virgilium Æneid. XII. 463. ‘Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.’ Propter sequentia tamen ad cadavera in pulvere prostrata retulerim. *Arntz.*

Situs structa] Nostra lectio, e cod. Bertin. derivata, videtur optime respondere τῷ *secuta*, etsi ceteræ non damnandæ. *Jæger.* *Tracta*, quod præplacet, recepit Gruterus, et reliqui; *structa* retinuit Rivinus. *Arntz.*

Secuta] Idem Pacatus: ‘Illi mutilis excisisque membris reliqua sui parte fugiebant, hi dolorem vulnerum sequebantur.’ *Livin.*

Cultu illo] Antequam moreretur, vel antequam manum consereret. *Patarol.* Id fecit, ne, si interficeretur, a reliquis dignosci posset, et ita a cadavere pœna sumeretur. *Arntz.*

Velaminis] Abest in Bertin. Nescio an non rectius, *vel alterius*, quod olim mihi in mentem venerat. *Livin.* In Guelferb. est, *ut vix.* Præcedens *cultu deposito* tuetur *velaminis*, ut in

dicet eum, regia veste deposita, velamine, sive veste viliori tantum fuisse amictum. *Arntz.*

§ 5 *Verum sibi*] Incertus in Constantinum A. 'Et adeo ipse verum sibi dixerat, et venturo tibi cesserat,' &c. *Livin.*

Cap. xvii. § 1 *Tanta*] Leg. *tanto D. im. t. est ed. c. victoria omnium, q. c. fueras hostium.* Acidalius. Cuspin. Stephan. et Ms. Gud. præferunt *tanta*, sed Livin. et ceteri *tanto*, quod recte probat Acidalius. *Jæger. Tanta* etiam Rivinus, ut pertineat ad *victoria*, quod post *consensu* in editis legitur; sed cum illud spurium arbitrer, suapte *tanto* prævalet. *Arntz.*

Addicta] *Addita* Vet. *Livin.* Frequens illa est permutatio. Cf. patrem meum ad Victor. Inlustr. xxi. 3. Otton. Præfat. ad tom. v. Thes. Jur. p. 16. *Arntz.*

Victoria] Deest in Gud. et Mœrl. ita ut *addicta* jungatur cum *internecio*. Jæger. Codd. auctoritate vocem expunxi, cum in omnibus editum sit, *addicta consensu victoria omnium.* Arntz.

Interjectio Francorum] Aliis *interfectio*, vel, quod malim, *internetio*. Rhenanus. *Internectio* Vet. Bertin. Scribe *internecio* ex Langii schedis, Cuspin. *Livin.* Recte in Lang. et Cusp. *internecio*. Jæger. *Internectio* etiam Guelferb. Recte *internecio* primus dedit Gruterus, et reliqui, præter Rivinum, qui cum antiquioribus *interjectio* male retinuit. Mamertinus Paneg. v. 4. 'tanta internecione cæsi:' ubi vide. *Arntz.*

Et illi] Lege, *ut illi quoque, &c.* ideoque inferius, *passim tota urbe confecerint, et non solum provincialibus vestris in cæde hostium dederint salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem:* ubi vulgo *confecerunt, dederunt*. Periodi et sententiæ ipsius nexus nostrum postulat. *Acidal.* Pro *et*, quod habent Cuspin. Rhenan. Stephan. ex veteri cod. Livin. Bertin. Put. et Lang. legendum *ut*, adeoque inferius pro *confecerunt, dederunt*, ut in Rhenan. Livin. et Stephan. est, postulante sententiæ ipsius nexu, et auctoritate exempl. Lang. Put. Cusp. Mœrl. *confecerint, dederint*. Jæger. *Et* omnes ante Gruterum, et Rivinus in prima. Recte *ut* restitutum, cui cum aliis codd. favet Guelferb. *Arntz.*

Londiniense] Franci ex prœlio reliqui Londinium refugerant, quo pars Constantianorum, errore nebulosi maris, adverso Tamesi delati, incautos oppresserunt. *Cellar.* Omnes editi *Londiniense*, solus Pataroius *Londinense*. Vera scriptura est *Londiniense*, a 'Londinium,' ut dixerunt antiquiores. Vide Antonin. Itiner. p. 470. ubi Not. et p. 478. et 479. Quod in codd. est *Londonense* aut *Londunense*, fluxit ex ætate posteriori, ut ostendit Cellarius Geogr. Antiq. ii. 4. p. m. 266. Pro *abjuncti* in Guelferb. est *objuncti*, male; notat enim milites a commilitonibus aberrantes et divisos, unde cum *separatus* junxit Pacatus Paneg. xxii. § 2. *Arntz.*

Passim] In Guelferb. est *passi*; vulgatum tuentur notata a Burman. ad Lotich. Eleg. iv. 3. 43. et in Addend. p. 691. Buneman. ad Lactant. Instit. iii. 9. 5. hinc aliquando additur *sine delectu*, Idem ad lib. vii. 7. 6. Mort. Persec. xxxvii. 5. Recte in Vet. Glossario pro 'Vagerasin' emendat 'Vage, passim,' Colorus ad Valer. Max. v. 3. ext. 3. *Idem.*

Confecerunt] Vet. *confecerint*. Putean. *Confecerint* Langii schedæ, Cuspin. *Livin.* *Confecerunt* ortum, quia supra scriptum fuit a quibusdam, *ut illi*, ubi vide. *Arntz.*

Non solum] Pro *non solum*, ut legitur in Cusp. Rhen. Liv. Steph. et Ms. Mœrl. præfert cod. Bertin. *non solum*, quod, rejecto altero illo, probat Acidalius, et recepit ed. Paris. an. 1643. Pat. et Cell. in Bauniana ed. est, *non solum*. Jæger. *Solum* etiam Guelferb. quod propter codd. revo-

cavi, quorum uni Bertiniensi prævalet auctoritas, cujus scripturæ locum dederat Gruterus, et in sec. Rivinus. *Arntz.*

In spectaculo] Respicit, opinor, ad illa supra: 'totis porticibus civitatum sedere captiva agmina barbarorum,' &c. *Livin.* Nescio an eis accedere debeam, qui volunt spectaculo fuisse, dum sederent captivi in porticibus civitatum: an cogitare, coactos, gladiatorum more, inter se concurrere, vel adeo depugnare cum bestiis. *Gruter.* Prior Baunii interpretatio tantum vera; loquitur enim de tempore Eumenius, quo diripiebatur civitas, quoque spectaculo nondum erat edendo locus. *Arntz.*

§ 2 *Gentes Francorum*] Sic habent, quos vidi, omnes, exceptis codd. Put. Gud. Mœrl. in quibus legitur *vires*, quod cur prætulerim, obscurum esse poterit nemini. *Jæger.* Recte, non enim hac sunt victoria Francorum gentes excisæ; dederat tamen Jægerus in textu *vires Francorum*, sed verborum ordinem sequi malim ex cod. Put. et Guelferb. De 'excisis viribus' vid. ad Mamertin. Genethl. XVII. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Tu vero*] Potius sit, meo animo, rescribi *vere:* committit enim solidam, veramque Constantii Cæsaris e Britannica victoria laudem cum illa, de qua supra, Divi Julii ostentatione, et jactantia, qui hoc uno gloriari debuerat, quod oceanum navigasset. Meritoque ad Vespasianum eruditus poëta: 'Caledonius, postquam tua carbasa vexit Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos:' et ab hac ipsa mente Pseudo Seneca Octavia, de Divo Claudio: 'En qui Britannis primus imposuit jugum Ignota et ante classibus texit freta,' &c. Sic fidenter a me olim correxi, citra magnum illum criticum, qui nunc quoque quis sit nescio, pro 'ora Tanais,' non, quod vir doctus reposuit, 'ora Tamesis.' *Livin.*

Peperisse, et] Non damno *peperisse*, sed credo melius *reperisse.* Respicit enim ad Julii Cæsaris dictum, qui, ut supra, quum Romanorum primus Britanniam intrasset, alium se orbem terrarum scripsit reperisse. Deinceps indubie lege *addidisse.* Nam quod post sequitur *confecisti*, alia ratio ab alia periodo. *Acidal.* Potiori jure, quam olim Jul. Cæsar. Vide dicta cap. 11. *Patarol.* Livin. et Steph. *peperisse.* Sed in cod. Liv. Bert. Cusp. Lang. Put. *reperisse*, quod melius judicat Acidalius. Idem Acidalius deinceps legi jubet *addidisse;* verum rectius visum est expungere τὸ *et*, quod est in Livin. et Steph. et revocare lectionem Rhenan. Cuspin. codd. Livineii, Bert. Lang. Put. Mœrl. in quibus loco ejus comparet *qui.* Parisienses cum Patar. et Cellario utrumque exhibent; sed, posito *qui*, importunum esse *et*, facile intelligitur. *Jæger.* Recte *reperisse* etiam Guelferb. quod confirmat locus supra XI. § 2. 'Alium se orbem terrarum scripsit reperisse,' ubi vide; præterea Guelferb. transponit, *orbem reperisse terrarum;* vulgato tamen ordini favet alter locus. Præterea hic olim legebatur, *peperisse, et Romanæ potentiæ . . . addidisti;* primus edidit Gruterus, *qui et*, quod, præter Rivinum, secuti sunt reliqui. Rectius propter codd. in quibus etiam est Guelferb. auctoritatem *et* expunxit Jægerus. *Arntz.*

Romanæ potentiæ] An, quod J. Cæsaris classis prima in Britanniam expeditione pene perierit? ut ipse refert de Bello Gall. lib. IV. *Patarol.*

§ 4 *Tamque late*] Guelferb. *jamque;* vulgatum sequenti *quam* melius respondet, quamvis ceteroquin *tam*, sequente *quam*, omitti potuisset. Vid. Modius Novant. Lection. Epist. 51. Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. p. 612. Drakenb. ad Livium II. 56. 12. XXV. 15. 9. Not. patern. ad Plinii Paneg. LXXXVII. § 6. *Arntz.*

Abluunt] *Adluunt* Guelf. et Schonhovii excerpta, quod primus recte recepit Gruterus, et reliqui, etiam in sec. Rivinus. Confer supra VI. § 1. De sinu Mediterraneo vide infr. Acidal. ad Eumen. Constantin. XIX. § 1. *Idem.*

CAP. XVIII. § 1 *Metu vestri*] Scripsi ex Guelferb. *nutu:* ut cap. XX. § 4. 'vestris nutibus obsequantur:' cap. XXI. 1. 'tuo, Maximiane Auguste, nutu.' Incertus Maximian. XII. fin. 'ad tuos nutus diluceseat et sileat,' ut recte ex codd. Jægerus, non 'ante tuos:' ibid. XIV. § 1. dicitur Maximianus 'cælesti nutu fata decernere.' Similiter 'nutus,' et 'metus' permutata in Incerti Paneg. Constantino II. § 2. imo fortius hoc loco est *nutu*, ex Panegyristarum more, Imperatores suos Diis æquantium, quibus 'nutus' tribuitur; ut mittam, rei naturæ aptius esse, ut *nutu* lues tabescat, imperio, jussu numinis, quam *metu*. De genitivo *vestri* vide ad Mamertin. Maximian. IX. § 3. et XIII. § 4. Genethl. II. § 1. *Idem.*

Certe fine] Leg. *certo fine*. Acidal. *Certe* edidit Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et in prima Rivinus. Alterum habent codd. et Schonhovii excerpta. *Arntz.*

Terminabatur] Leg. *terminabamur*. Acidal. Frustra. *Jæger.*

Limitis] Sive *limitibus*. Acidalius. Vulgatum tuentur notata ad Mamertin. Genethl. III. § 9. *Arntz.*

Ubique navis] Sic Vet. *sed ubique vanis licet motibus apud virt. felicitatemque vestram magnis, &c.* Puteanus. Leg. *sed ubique nobis licet, &c.* Acidal. Sic omnes fere legunt, at quid vox illa significet, nemo dixerit. Ms. D. Marci legit *vanis*, non male. Si conjectura valeret sine librorum auctoritate, legerem, addita una vocula, *sed ubique, vanis licet, cum virtutem, &c. magnis tamen, &c.* Patarol. Pro hac lectione, quam in reliquis omnibus reperi, codd. Put. et Mœrl. præ se ferunt, *sed ubique, vanis licet motibus apud virt. felicitatemque vestram:* τὸ *haberemus* etiam deest in Gud. Quo deleto, ex commemorata codd. lectione exsistit satis concinna verborum structura, et sequens *imminebat* referendum erit ad superius *lues illa*. Emend. Pataroli textui debebam inserere, recte monente Biblioth. Philolog. *Jæger.* Quæ est in codd. Put. et Mœrl. lectio, eadem est in Guelf. nisi quod pro *magnis* habet *magis*. Egregiam hanc in contextum lectionem non admisisse Jægerum miror, pro corrupta illa, quæ omnes adhuc editiones fœdavit, *sed ubique navis, licet nobis virtutem felicitatemque vestram haberemus, magnis tamen terroribus imminebat.* Locum, ut decuit, sanavi; propter Constantii virtutem et felicitatem, *vani* erant motus Allecti, iisque plus terroris mari ob piraticam injiciebatur, quam ut imperio inde periculum inmineret. Cum vero in codd. frequenter *ad* et *apud* confunduntur, forte legendum *ad virtutem*, id est, motus erant *vani*, si cum Constantii virtute et felicitate comparentur, ut in comparationibus elegantem habet usum hæc præpositio, et Græcum πρός. Vid. Vechner. Hellenol. II. 3. p. 440. *Arntz.*

Qua venti] *Quaque* Guelferb. non placet. *Idem.*

§ 3 *Ex Francis*] Adi Zosimum extremo lib. I. Vopiscus quidem Probo ad Gepidas Vandalosque transtulisse mihi videtur. Eum lege. *Livin.* Zosimus extremo lib. I. hanc historiam persequitur. Francis enim, postquam prœlio victi fuerant, in deditionem receptis, μοῖρά τις ἀποστᾶσα, *pars quædam defectionem molita*, navibus Græciam omnem, Siciliam, et Africæ litora infestavit. Vide cap. LXVIII. et LXXI. *Cellar.* Adde Paneg. Incerti Constantio Aug. XVII. 1. *Jæger.* I. e. in sedes alias victoris arbitrio translatorum, interprete Ges-

nero in Præl. II. de Navigat. extra Columnas Herc. addita Orphicis p. 481. ubi plura de prædonibus Francis adferuntur. *Idem.* Guelferb. omittit et ante *paucorum;* retinendum puto ob sequens, *et indigna felicitas.* De hac Francorum expeditione vide Pontanum Origin. Franc. IV. 3. *Arntz.*

Impune] Active, sine damno illato. Ita Claudian. de Cons. Stilich. III. 337. sq. de leonibus: 'Quorumque impune fragosa Murmura pastorum numquam venere per aures.' *Jæger.* Locutionem 'litteribus adpulsi' exemplis confirmavit Wopkens in Observ. Miscell. Nov. tom. X. pag. 172. *Arntz.*

Syracusas] Vid. Thucydid. lib. VII. p. 235. sqq. H. Stephan. Justin. IV. 5. *Jæger.*

Terras rupit] Melius sit, *irrumpit.* Eumenii Rhet. Orat. 'Quove ambitu cingit orbem, vel irrumpit Oceanus.' *Acidal.* Fretum inter Hispaniam et Africam innuit, nunc *Stretto di Gibilterra* nobis, per quod oceanus ingreditur, magnumque sinum efformat Mediterraneum. *Paterol. Rupit* legitur in Cusp. Rhen. Liv. Steph. Melius autem, judice Acidalio, *irrupit,* quod exhibent cod. Liv. Bert. Put. Mœrl. *Jæger.* Ante Gruterum omnes *rupit,* deinde etiam in prima Rivinus. Reliqui Gruterum sunt secuti; hoc probasse Acidalium male scribit Jægerus; sed is *irrumpit* præferebat, quod legitur in Guelferb. Parum recte tamen suæ conjecturæ fagere locum Eumenii pro Instaur. Schol. XX. in fin. putavit Acidalius; illic enim de eo agit, quod præsenti tempore faciebat oceanus, hoc de eo, quod antea fuerat factum, cui præteritum convenientius. Cf. supra ad c. VII. § 3. *Arntz.*

§ 4 *Securitas*] Cod. Mœrl. habet *felicitas:* sed nihil mutandum. *Jæger.* Pertinet *securitas* ad mare, quod, devictis piratis, sine periculo et metu navigare poterant. *Arntz.*

§ 5 *Conspicuis litteribus*] Nimis propinquam Britanniæ Hispaniam facit. Sed ita etiam alii. Tacitus Agricol. cap. 10. 'Britannia in orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur.' Plinius IV. 16. 'Britannia Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ adversa.' *Cellarius.* Etiam Isidorus Orig. XIV. 6. 'Adversa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ.' *Arntz.*

Mæotidas] Usitatius singulari numero 'Mæotica palus' dicitur, seu 'Mæotis,' de qua jam dictum ad Mamertin. Genethl. cap. XVI. *Paterol.* Guelferb. *Mætias.* Confer ad Mamertini locum. *Arntz.*

§ 6 *Gaudiis feruntur*] Infra mox: 'Non mirum, si tanto gaudio ferebantur,' &c. Pro Restaur. Scholis: 'Ut quocumque oculos circumtuli ad restitutionem operum singulorum, gaudio ferar.' Pacatus in Theodosium: 'Ambo pari gaudio feruntur exercitus.' *Livineius.* Male *dempti* in Guelferb. *Arntz.*

Quo experiundi] Forte *quod,* vel *quia.* Acidal. Cuspin. Rhen. et Steph. habent *quo,* cujus in locum Acidalius ex conjectura substituit, *quod,* i. e. quia, idque præferunt ceteri recte. *Jægerus.* *Quod* jam Livineius, quem secuti Paull. Stephanus, deinde Gruterus, et reliqui præter Rivinum; recte; gaudii enim caussam exponit, quod periculi experiundi nulla fuerit necessitas. *Arntz.*

Hoc ipsum] Id est, ob hoc ipsum; diximus ad Curtium. *Acidalius.* Pro *hoc ipso,* ut ex Lang. receperunt Parisienses, Pat. et Cellarius, Cusp. Liv. Rhen. Steph. itemque Mœrl. et ambo Gud. *hoc ipsum,* quod revocandum duxi. *Jæger.* *Ipso* etiam Baunius; alterum jam est in Puteolani antiquissima, et utraque Rivini; recte revocavit Jægerus. Cf. ad Eumenium pro Instaur. Schol. III. § 1. *Arntz.*

Administrationis vel providentiæ] Sequor Langii sched., e quibus exscriptum, *providentiam vestram, et in factis*

fortunam impens. gratul. Confer quæ supra scripsimus ad cap. v. *Livineius.* Lectio hæc non videtur immutanda ad eam faciem, quam induxit Livineius; nam nihil, mea quidem opinione, inhæret labis. *Gruter.* Leg. *et in administratione belli providentiæ vestræ.* Acidalius. Inserit *vel* Rhenan. Livin. et Steph. quod tamen non comparet in Bert. Put. Lang. Cusp. &c. et sane abesse debet. *Jæger.* *Vel* abest quoque in Guelferb. primus id recte omisit Paull. Stephanus, quem Gruterus et reliqui præter Rivinum sunt secuti. Schonhovii excerpta pro *vel* exhibent *non.* Vulgatum præfero illi lectioni, quam ex Langii schedis dedit Livineius. *Arntz.*

Infectione fortunæ] Reposueram de conjectura *in confectione.* Quod ne nunc quidem damnare possum. *Livin.* Pro *infectione* forte reponendum *in effectione,* aut *in festinatione,* aut aliud quid. *Gruter.* Leg. *et in confectione fortunæ impens. gratulantur.* Acidal. Codd. Gud. 2. Put. et Mœrl. habent *et infeliciore fortuna:* recte, si scribas *in feliciore fortuna,* h. e. in lætiore rerum suarum conditione, quam vobis debent. 'Confectio,' vel 'effectio fortunæ' nemini, puto, probabitur. *Jæger.* Recte contextum primus secundum codd. sanavit Jægerus, quod enim in omnibus vulgatur *infectione fortunæ* nihil notat, neque melius est *in factis fortunam,* quod ex Langii schedis dedit præcedenti observ. Livineius. *Arntz.*

§ 7 *Tam diuturna*] Ex codd. voculam *tam* abesse jussi. *Arntz.*

Victoriam] *Victoriam vestram sol. s. rest. sens.* Bertiniens. *Vestram,* hoc est tuam, tuorumque ducum et militum. *Livin.* Inserit *vestram* Mœrl. et cum Gud. 2. Puteaneus, omissa ea voce in fine; quæ verborum collocatio melior vulgata, et elegantior videtur. *Jæger.* In omnibus *vestram* legitur post *sensisse,* sed Jægerum sequor. *Arntz.*

Sui restitutione] Emendem *tui,* id est, tuo unius reditu et adventu. *Livin.* Non ex alio, quam ex sui restitutione, hoc est, non ex damnis, quæ passa sit a victoribus, sed ex beneficiis quinimmo vestris, quibus est restituta. *Patarol.* Quod Livineius pro *sui restitutione* legit *tui,* et explicat, tuo unius reditu et adventu, id nihili esse perspicue apparet. Recte exponit Patarol. *Jæger.*

CAP. XIX. § 1 *Exoptatus*] *Adeptatus* Vet. Non placet. *Livin.*

Triumphus] Infra Eumen. Grat. Act. VIII. init. 'Se tibi tanta obviam effunderet multitudo.' Pacat. Paneg. XXXVII. init. 'Effusa portis obviam provolavit:' et 'effusa in publicum turba,' ibid. in fin. *Arntz.*

Cum conjugibus] Male *cum* abest in Guelferb. *Idem.*

Ut cælo] Mœrl. *de cælo.* Gud. 2. *ut* abest. *Jæger.* Eumenius Constantino VIII. 5. 'ad terras cælo missa.' *Arntz.*

Advexerat] Gud. 2. *adduxerat.* Jæger. Vulgata lectio melior. *Arntz.*

Venerantes] Mœrl. *verentes.* *Jæger.* Si alii quoque addicerent codd. *verentes* non contemnerem, cujus *venerantes* posset esse glossa. Apud Sedulium I. 228. 'Et, quæ fecere, verentur:' recte interpretatur Cellarius, 'venerantur:' adde Drakenb. ad Livium V. 28. 4. *Arntz.*

Sensere corporibus] Tale illud est, quod Valer. Max. IX. 1. narrat, Cyprios sustinuisse reginas suas, mulierum corporibus velut gradibus constructis, currus conscendere, quo mollius vestigia pedum ponerent. *Juretus.*

§ 2 *Tot annorum*] Scilicet decem. *Livin.*

Imperii luce] Nam Carausii et Allecti non imperium, sed tyrannis, ac latrocinium fuit. *Livin.* Veri Imperatoris vultu et majestate; nam illi falsi Imperatores fuerunt. *Patarol.* Vocis elegantiam non cepit Patarolus, qua *luce* ad imperii majestatem,

non Imperatoris vultum referatur. Vide supr. ad c. x. § 1. et ad Eumen. pro Instaur. Schol. XVIII. § 2. *Arntzenius.*

Famam] Idem Gud. corrupte *formam.* Jæger. Vulgatum firmant sequentia *voce celebratur*, famæ propria. Alia res est apud Incertum Maximian. III. § 4. loco tamen, huic non dissimili: 'Neque enim forma tantum in te patris (Constantii), Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentant:' et Eumenium Constantin. IV. § 4. *Arntz.*

Celebratur] Pro *celebrabatur*, ut est in codd. Liv. et Bertin. et edd. Paris. Pat. et Cellar. revocavi lectionem, quam ceteri cum Gud. 1. præferunt, *celebratur.* Jæger. *Celebrabatur* primus dedit Gruterus, quem reliqui sunt secuti, præter Rivinum. Præsens videtur oratori aptius. De 'communi voce' vide ad Mamertin. Genethl. XIX. § 4. *Arntz.*

§ 4 *Agnoverant*] *Advenerant* Bertin. inepte. *Livin.* Mœrl. et Gud. uterque exhibet perbene, *adverterant*, a quo non multum discedit vitiosa Bertin. cod. scriptura *advenerant.* Jæger. Illud *adverterant* in contextum admittere debuisset Jægerus, in quo codd. sum obsecutus. *Respectantes* pertinet ad eos, qui præcedebant, Constantii conspiciendi adeo inpatientes, ut frequentissime respicerent. Recte hunc locum contulit pater meus cum his Plinii Paneg. XXIII. § 2. 'quantum respectantium turba pateretur.' *Arntz.*

CAP. XX. § 1 *O perpetui*] Agnomen hoc tunc temporis Imperatoribus usitatum, ut legere est in nummis, sicut et illud 'Domini,' quod mox subdit, ut in iisdem cernitur, in quibus fere omnibus visuntur ante nomen ipsum Imperatoris literæ illæ D. N., quas antiquarii interpretantur 'Dominus Noster.' *Patarol.* Cf. Jæger. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XVIII. § 5. Cellar. ad eumd. Grat. Act. I. princ. Incertus Maximian. II. § 2. et XI. § 5. *Arntz.*

Cum vobis] Vet. *tum.* Livin. Livineii cod. in textu sum secutus, ex ratione, quam dedi ad Mamertin. Maximian. I. § 1. *Idem.*

Etiam his] Mœrl. et Gud. 2. *iis;* melius. *Jæger.* Itaque, hujus exemplo, in contextum admisi. *Arntz.*

§ 2 *Tenet*] In Guelferb. est *teneat;* male; sequentia enim ea complectuntur, quibus jam fruebantur, neque *teneat* proximo *cohæsit* est adcommodatum. *Idem.*

Defluxerant] Legendum, ut puto, *defluxerat magnitudo;* non enim dicimus, *cohæsit illa.* Rhenan. Rhenanus, *defluxerat:* tu etiam scribe *diffluxerat.* Acidal. Dictum antea Lucano lib. I. init. 'Summisque negatum Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus, Nec se Roma ferens:' et mox: 'In se magna ruunt.' *Patarol.* *Defluxerat* etiam Guelferb. dederant Rhenanus, Henr. Stephan. et Rivinus *defluxerant*, sensu non idoneo. Neque opus Acidalii conjectura, cum 'defluere' indicet magnitudinem illam inminutam fuisse, vigorem speciemque amisisse, et ita fere periisse, de quo usu Burman. ad Claudianum in Eutrop. I. 89. utrumque verbum nihil differre, et magis ad antiquitatem adcedere 'defluere' censuit Cortius ad Sallust. Jug. I. 4. sed parum idonee id ab eo probatum esse docuit Drakenb. ad Livium XLI. 15. 2. adde Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 12. 8. *Arntz.*

Ratio desiderent] Cum Eumenio conspirant, quæ habet Mamertinus Maximian. VII. § 1. Mox pro *vero* in Vet. esse *non*, monet Livineius infr. ad Eumen. Constantino XIX. § 4. quod recte damnat. *Arntz.*

§ 4 *A nobis*] In locum τοῦ *nobis*, quod legitur in Livin. Paris. et Cellar. revocavi lectionem Cusp. Stephan. Patar. confirmatam cod. Gud.

2. et Mœrl. et convenientiorem *vobis*. Jæger. *Vobis* etiam Rhenanus, et Rivinus in prima, quod Eumenio jam vindicavi ad Mamertin. Maximian. I. § 1. postulat etiam sequens *vestris*. Arntz.

Nationes] Quæ in Hibernia nempe illinc, hinc vero, quæ in extimis Germaniæ Galliæque oris. *Patarol.*

Insulæ] Non igitur hic Scotiam intelligit, ut adnotat P. De la Baune. Scotia enim non cohæret terminis insulæ Britanniæ, sed in eadem insula est. *Patarol.*

§ 5 *Fines ipsius*] Sic Alexandrini milites apud Curtium queruntur, 'trahi extra sidera et solem, cogique adire, quæ mortalium oculis natura subduxerit,' IX. 4. *Cellar.* Cf. supr. c. XI. § 2. *Arntz.*

Asia, sicut] In qua Diocletianus victorias retulerat de Persis. *Patarol.* Guelferb. *Asia complevit*, utrum etiam hoc ordine fuerit in Mœrl. dubium facit præcedens Jægeri adnotatio. Saltem ex Puteaneo et Guelf. post *Asia* locum dedi, sola codd. auctoritate. *Implevit*, quod est in Bertin. citavit Valesius ad Ammian. Marcell. XVI. 11. quamvis editi constanter *supplevit* habent post *jussu*. Mihi magis placet *complevit* ob *deserta*, id est, loca nondum habitata, cum *supplevit* loca indicet jam habitata, in quæ novi, quique veteres excipiant, incolæ mittantur. *Arntz.*

Nutu] Abest in Bertin. *Livinieus.* Male, vid. ad c. XVIII. § 1. *Arntz.*

Herniorum] *Nerviorum*. Acidalius. *Herviorum* edidit Rhenanus, H. Stephanus, at vero *Nerviorum* jam placuit Pithœo Advers. Subsec. II. 1. Fac. Gruter. tom. II. p. 772. et edidit Livineius; confirmat Guelferb. et Eumenius Grat. Action. VI. § 1. 'Unde enim nobis Remus, aut Nervius, aut ipse ille de proximo Tricassinus ager.' Adde Althamer. Comment. Germ. p. 199. Wagenaer Hist. Patr. tom. I. p. 40. *Arntz.*

Trevirorum] *Treverorum* Pithœus II. 1. *Schonhov.* Schonhovii nota ad id pertinet, quod in quibusdam est *Trevirorum*. De urbe quædam dixi ad Mamertin. p. 3. adde Althamer. Comment. Germ. pag. 198. Hachenberg. German. Med. Diss. XIII. § 18. *Arntz.*

Lætus postliminio] *Velut postliminio* Langii schedæ. *Livineius.* Idem volo, *Ritters.* Verba hunc in modum emendanda sunt, et interpungenda : *sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Nerviorum et Treverorum arva jacentia Lætus, postliminio restitutus, et receptus in leges Francus excoluit.* Scilicet dormitabam, cum in voce *lætus* nomen nationis non agnoscerem, immemor eorum, quæ de iis tradit Tillemon. *Hist. des Empereurs*, in Diocletian. art. 8. *Eumène nous apprend, qu' Hercule avoit peuplé les endroits incultes des pays de Cambray, et de Trèves, en y mettant des François, qui s'étoient soumis aux Romains, et des Lètes, qui étoient, dit-on, une nation Gauloise d'origine, mais qui ayant depuis été transportée en Allemagne parmi les barbares, passoit aussi quelquefois pour barbare. .... On prétend, que le nom se conserve encore par la rivière de la Lis en Flandre, et par l'Abbaie de Liessies en Hainault.* Nomen Lætorum a Germ. *ledig*, i. e. vacuus, propter migrationem illorum in fundos vacuos, sive arva jacentia, deducitur in opere *De l'état civil des personnes, et de la condition des terres dans les Gaules*, Vesont. 1785. 4. auctore Perveciot, cujus tom. I. l. IV. et V. multa de Lætis, sed non satis certa et explorata, adferuntur. *Jæger. Velut* quoque citat Pithœus Advers. Subseciv. II. 1. non tamen est in Guelferb. et ortum a librario videtur, non concoquente *lætus*, *restitutus*, et *receptus* juncta, ideoque inserta magis voce separanda. Nullius sane est efficaciæ illud *lætus*, si, cum omnibus editoribus adjective sumtum, cum *Francus* construatur. Verissime

littera scribatur majuscula *Lætus*, quod placuit Valesio ad Ammian. Marcell. xvi. 11. Gothofredo ad L. 12. C. Theodos. de Veteran. et Crenio Mus. Philol. tom. ii. p. 430. idque in textu secutus sum. Sunt autem Læti gentes barbaræ, quibus, in imperium Romanum sponte transeuntibus, eorumque suboli, terræ desertæ dabantur excolendæ, dictæ inde Læticæ, ea conditione, ut delectui essent obnoxii, et legionibus insererentur, unde Liti postea sunt orti, de quibus dixi in Instit. Jur. Belgici de Condit. Homin. part. i. tit. 8. § 3. Tales Læti memorantur ab Ammiano Marcell. xvi. 11. et in L. 10. C. Theod. de Veteran. iidemque pro 'luctus' sunt restituendi, judice Gothofredo, in L. 12. eod. dicebantur autem vario nomine, Læti, Batavi, Suevi, Franci, quales sunt hoc loco, similesque. Cf. Gothofred. ad L. 9. C. Theod. de Censitor. Reinesium de Deo Endovell. in Museo Philol. Crenii tom. ii. p. 330. Franci igitur Læti sunt Franci, alibi devicti, sed in has terras translati, antea quoque a Francis habitatas, et ita in iis *postliminio restituti*, sed, quia devicti erant, 'in leges recepti,' de qua locutione Wopkens. ad Pacat. Paneg. cap. xxi. Leges illæ, his Francis datæ, egregio sunt argumento, quo juris Romani intelligentiam his gentibus, ea ætate, cognitam demonstremus, et usum, per commercia cum Romanis auctum, aliasque rationes, quas dederunt Matthæus de Nobilit. i. 27. Marckart. Exercit. Acad. p. 6. et 8. Wagenaer. Hist. Patr. tom. i. p. 208. Van de Spiegel Origin. Jur. Patr. p. 49. et 76. hoc meliori jure fiet, quam ut ex Corbulonis facto legum Groninganarum convenientiam repetamus cum Altingio in German. Infer. tom. i. p. 48. Barelsio *over het enkel verband* p. 105. quos explodit Idsinga Staatsrecht tom. i. p. 20. Wichtius Prolegom. ad Jus Oostfrisiæ § 9. adde Act. Societ. Groninganæ tom. ii. pag. 27. Van de Spiegel d. l. pag. 72. Mox *excolere* idem est, quod simplex 'colere;' notionem hanc, Fabro neglectam, adtigit Bunemann. ad Lactant. Instit. ii. 10. 1. occurrit ita hoc verbum apud Mamertin. Julian. xxiii. § 2. Pacatum Paneg. iv. § 2. *Arntz.*

Constantine] Legendum *Constanti*. Rhenan. *Constanti Cæs.* Langii schedæ. Cuspin. *Livin.* *Constanti* quoque Schonhovii excerpta; hoc recte pro *Constantine*, quod etiam est in Guelferb. edidit Gruterus, et jam ante dedit Pithœus Advers. Subsec. ii. 1. ipsa etiam flagitat historia: sæpe tamen utrumque nomen confusum deprehendas. Adde ad Paneg. hujus principium. *Arntz.*

Ambiano] Loca hæc habuerit, credo, in mente, cum supra dixit, barbaros provincialibus ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi ducerentur cultus solitudinum. *Livin.* Cf. Cellarium Geogr. Antiq. ii. 2. p. 244. Not. ad Antonin. Itiner. p. 362. Wagenaer Hist. Patr. tom. i. p. 40. 'Infrequens' indicat locum, quo rari sunt incolæ, adeoque desertum, non cultum; quo sensu 'infrequentia' de concilio, in quo pauci sunt præsentes. Drakenb. ad Livium v. 2. 3. *Arntz.*

Bellovaco] Cf. Cellarium Geogr. Antiq. ii. 2. p. 245. Wagenaer Hist. Patr. tom. i. p. 40. et 41. *Idem.*

Trigastino] *Tricassino* Pithœus, qui nescio quid de *Baro* faciat. *Acidalius.* De Tricassis diximus ad Eumen. Gratiar. Act. c. vi. *Paterol.* *Trigastino* legebatur usque ad Gruterum, et post eum ita Rivinus. In Guelferb. servatur vulgata, cui etiam favet Puteanus. 'Tricassinus ager' est apud Eumenium Grat. Act. vi. 1. Cf. Pithœum Advers. Subsec. ii. 1. Cellarium Geogr. Ant. ii. 2. p. 134. Not. ad Anton. Itiner. p. 361. ab his itaque distinguendi Tricastini ad Rhodanum, de quibus Cellar. p. 153. ut

in libello de Provinc. Roman. p. 769. post Eutropium, in provincia Galliæ Viennensi occurrit 'civitas Tricastinorum.' Adde Wagenaer Hist. Patr. tom. I. p. 226. Patarol. infra ad Eumen. Gratiar. Act. VI. 1. *Arntz.*

Lingonicoque] Cf. Cellarium Geograph. Antiq. II. 3. p. 184. V. D. ad Eutrop. IX. 23. Wagenaer Hist. Patr. T. I. p. 104. *Idem.*

Baro cultore] Quis *Baro*, vel *Barus* sit, plane ignorare me fateor, putoque emendandum, *Vario cultore revirescit*, nisi quis malit *Ambarro* reponere, cum et in Mss. exemplaribus scriptum sit *barro*, et Livius lib. V. 'Senones Ambarros,' et 'Heduos' conjungat, itemque Cæsar Bell. Gall. lib. I. 'Ambarros' Heduorum consanguineos appellet. Videtur tamen auctor, quisquis ille est, significare voluisse, ex Britannica victoria Lingonas et Tricassinos cultores accepisse, quod et sequentia indicant. Itaque assentior potius Stephano Pasquierio, viro disertissimo, qui *Britanno* legit, erroremque putat ex contractione scripturæ natum. *Pithœus*, Advers. Subsec. II. 8. Vet. *barro*. Lego *Britanno*, vel *barbaro*, ut in Palm. Sic supra cap. 9. dixit, 'barbarus cultor.' Sic Vopiscus Probo, 'arantur Gallicana rura barbaris bobus.' *Putean.* *Barbaro* Langii schedæ, Cuspin. Sudatum doctissimo Pithœo in hoc *baro*, Adversar. Subsecivor. II. cap. 8. visumque *Vario*, aut *Ambarro* rescribere; frustra, et irrito successu, nam perspicue probum *barbaro*. Supra, 'et cultor barbarus laxat annonam.' Impedita quoque in Bertin. scriptura, *restabat baro cult.* sed in qua vestigia sanæ lectionis clara et expressa, *restabat barbaro cult.* quod erudite et Franc. Modius vidit. *Livin.* *Barbaro*] Secutus sum fidem duorum codicum, unius scripti, alterius antiquitus cusi; antea erat, decurtata voce, *et baro cultore*. Gruter. Guelferb. etiam *barro*. Primus dedit Gruterus, *barbaro*, etiam Rivinus in sec. et ita Pithœus altero loco in Advers. Subseciv. II. 1. et Schonhovii excerpta. Conjectura Pasquierii apud eumdem Pithœum, *Britanno*, non placet; victi enim illi, qui a Constantio in aliorum fuerunt terras translati, non erant Britanni, sed Franci, in Batavorum insula, aut proxime eam capti, ut manifestum est ex cap. VIII. et IX. hi 'barbari' dicuntur c. VIII. § 4. et cap. IX. § 3. unde vulgatum confirmatur. Facit huc Eumenius Constantino VI. § 2. 'Intimas Franciæ nationes .... a propriis ex origine sui sedibus, atque ab ultimis barbariæ littoribus avulsas, ut, in desertis Galliæ regionibus collocatæ, et pacem Romani imperii cultu juvarent, et arma delectu.' Vide tamen, an lateat *Ambivario*, ex iis quæ dixi ad c. IX. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Civitas Æduorum*] Indubie Augustodunum est, a Constantii beneficiis, quæ hic commemorat, *Flavia* transnominatum. *Livin.*

Redundabant] Hi sunt 'artifices transmarini,' quorum fit mentio Paneg. Eumenii pro Instaur. Schol. IV. § 3. de his ita Bibliotheca Philologica: 'Novum plane nobis accidit, quod narratum legimus, artifices transmarinos a Constantio Chloro ex Britannia, in fidem recepta, arcessitos fuisse in Gallias, ad publica ædificia restauranda, et privatas domos reficiendas, quasi artes fere omnes jam dum ex imperio Romano profugissent. Interpretes hic omnes nimis properant, nec quicquam annotatum reperimus, quod ad originem et causam exsilii istius elegantiorum artium nos perducat. Nimis enim dissita longo temporum intervallo sunt testimonia scriptorum, quæ congessit Hambergerus in Historia vitri et artis vitriariæ, &c. ut artium elegantiorum peritos homines ex Britannia, quasi ex seminario aliquo, in reliquas provincias repetitos fuisse ævo, quod

dicunt, medio doceret.' Interpretes hic nihil potuerunt annotare, cum historici, qui data opera originem et causam istius rerum conversionis inquirere debebant, eam aut silentio prætereant, aut nuda rerum commemoratione defunguntur. Scilicet scriptores illorum temporum, humanitatis incuriosi, res bellicas tantum persequuntur. Vid. Sprengel. Gesch. v. Grosbrit. I. Th. p. 65. *Jæger*. Mamertinus Maximian. XII. 6. 'totis fluminum alveis oceanus redundavit.' Eumenius Gratiar. Act. XIII. § 3. 'si vindemia redundasset.' Symmachus Epist. VI. 71. 'terræ ac maris copiis redundatis.' De ipsa re vide ad Eumenium pro Instaur. Schol. IV. § 3. *Arntz.*

Fraternitatis] Cf. ad Eumenium pro Instaur. Schol. IV. § 1. et Gratiar. Action. 3. § 2. *Idem.*

Propitio munere] *Numine* Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Quod ipsum volo. *Ritters.* *Numine* Guelferb. primusque edidit Gruterus, quem reliqui secuti, etiam in sec. Rivinus. *Arntz.*

PANEGYRICUS VI.

Incerti] Panegyricus hic dictus est Constantino, cum ex Cæsare Augustus factus esset, ipsique Maximianus A. filiam suam nuptum daret. *Putean.* Panegyricus hic ab incerto auctore, in celebritate nuptiarum Constantini, et Faustæ, Maximiani senioris filiæ, dictus est, ut apparet, in Treverorum urbe, nuptiarum loco, quo Maximianus ex Lucaniæ secessu se contulerat. Eodem tempore Constantinus Augusti nomen adsumpsit, antea Cæsaris contentus dignitate. Totus est in laudibus soceri et sponsi: et voto pro sobole suscepto finit. *Cellar.* Non constat de auctoris nomine, at meo quidem judicio ita probata est hæc oratiuncula, ut affirmare ausim, ipsi post Plinianam, reliquas inter, primas fortasse laudes deberi. *Patarol.* In Guelferb. nullus orationis titulus exstat; nec eum in aliis codd. fuisse non levis me ducit suspicio, eamque esse rationem, quare pro suo quisque more et ingenio hunc illumve præfixerit. *Panegyricus Maximiano et Constantino Augustis dictus*, inscribitur a Puteolano, Rhenano, utroque Stephano, et Rivino; at vero Cellarius, *Epithalamius incerti Auctoris Maximiano et Constantino in hujus et Faustæ nuptiis dictus;* et hoc 'Epithalamii' nomine passim citatur. Placuit magis inscriptio simplicior, *Incerti Panegyricus Maximiano et Constantino*, quam dederunt Livineius, Parisienses, Baunius, Patarolus, et Jægerus. Ab ipso auctore Votum fuisse inscriptum, mox suspicatus est Gruterus, et, qui eidem adstipulantur, Baunius, et Patarolus, ob cap. I. § 2. 'Huic voto propria nunc debetur oratio;' et XIII. § 1. 'sicut huic voto congruit.' Sed recte hanc opinionem ad priorem locum explodit Jægerus. Non minor est in ordine varietas. Demto Plinii Panegyrico quintus est in Guelferb. et cod. Puteanei variantibus Mss. penes me: ita etiam Baune, Cellarius, et Jægerus. Apud Parisienses, et Patarolum, Plinio computato, est quintus; in Rhenano, utroque Stephano, et Rivino secundus, et Plinio statim adjunctus. Ex temporis serie hoc loco constituendum puto; dictus enim est,

postquam Eboraci in Britannia mortuus esset Constantius; hunc enim 'Divum' adpellat, et 'ad Deorum concilia translatum,' c. III. § 3. mors autem illa contigit VIII. Kal. Augusti CCCVI. Cf. Baluzium ad Lactant. M. P. 24. Gruner. ad Eutrop. X. 1. cum autem, Constantinum, Faustam ducturum, Augustum fecisset Maximianus sequenti anno, Pridie Kal. Apriles, quod putat Baluzius d. l. cap. 29. videtur brevi post hæc oratio habita, præsente Maximiano, et Constantino, et ipso quidem nuptiarum die, ut sentit Cuperus ibid. cap. 25. quas Baluzius ibid. cap. 27. aliquanto tempore ante mensem Septembrem statuit fuisse celebratas. Ad annum tamen CCCVIII. refert Fabricius Biblioth. Latin. tom. II. p. 770. et Walchius Parerg. Academ. p. 890. Auctoris nomen quamvis sit incertum, Eumenium tamen esse non arbitrer; at vero Patarolo facile adsentior, elegantia, et dicendi acumine maxime esse prædicandum, quæ forte ratio, ut Plinio eumdem statim comitem dederit Rhenanus. Denique Treveris orationem dictam esse cum Cellario suspicatur Brouwerus Annal. Trever. III. pag. 204. et ita Walchius d. l. *Arntz.*

CAP. I. § 1 *Dixerint*] Guelferb. *dixerunt*, et mox *sunt*. Similis constructionis cum indicativo exemplum dedit Jægerus ad Corippum I. 85. neque id novum, si *licet* pro quamquam ponatur. L. 58. D. de U. S. 'licet inter gesta et facta videtur quædam esse,' adde Pierium ad Virgil. Æn. VI. 808. Muncker. ad Fulgent. Mythol. p. 616. Burman. ad Nemes. Cyneg. 232. *Arntz.*

Velis, nolis] Panegyricus hic reputat Maximianum, ut et postea sæpe, adhuc Augustum tempore imperii Constantini, contra fidem historiæ. *Schenkov.* Hoc dicit, quod imperio, monitu Diocletiani, sponte posito, cui ægre obtemperavit, (verba sunt Eutropii lib. IX.) in Lucaniam privatus secesserat. Infra: 'Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octavo consulem, ita ipsa amplexu quodam suo Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam, et timere, quod factum est.' Lege reliqua. *Livineius.* Maximianus Herculeus est, qui jam cum Diocletiano se imperio abdicaverat. Quod licet invitus fecerat, simulavit tamen sponte, aut in Diocletiani gratiam se abdicasse. Quo verba *velis, nolis*, respiciunt, quasi et titulis Imperatoris et Augusti maluisset abstinere, si per populum, cui ante præfuerat, liceret. *Cellarius.* Adulatorie dictum explicat P. de la Baune. At ego dixerim, quia, licet tunc Augustus non esset, nam purpuram deposuerat, necdum resumpserat, tamen Augustus esse, ac dici etiam invitus mereretur. *Patarol.* *Velis, nolis* ad eos pertinet, qui quid facere coguntur inviti. Lactant. Instit. V. 20. 9. 'Deum nostrum, velint, nolint, colat aliquis invitus.' Not. ad Plinium Paneg. XX. § 6. Sententia igitur est, Maximianum Herculeum, contra quam vellet, tamen cogi esse Augustum; id vero quid aliud indicat? quam eumdem, Kal. Maiis anni CCCV. sponte cum Diocletiano imperium deposuisse, et tamen Lactantius M. P. cap. 25. tradit id invitum fecisse, quod etiam verius est. Vid. illic Baluzium. Quæ autem hic commentatus est Cellarius, cave, ita capias, tamquam hoc orationis habitæ tempore Maximianus Herculeus adhuc fuisset privatus; quod contra historiæ fidem adfirmat Patarolus; purpuram enim iterum jam sumserat, ejusdemque consilii, quamvis frustra, Diocletiano quoque fuerat auctor. Cum enim Maxentius, Maximiani Galerii gener, ducta ejus filia, quam Magniam Urbicam fuisse dictam suspicatur Cellarius ad Lactant. M. P. 26. 6. idemque Maximiani Herculei filius, legitimus, an suppositus, de

quo jam non disputo; cum igitur Maxentius a militibus prætorianis Romæ esset salutatus Imperator, sibique ideo a socero, et Severo jam Cæsare metueret, patri suo, Maximiano Herculeo, purpuram misit, ut imperium rursus sumeret, qui rerum novarum cupidus libenter illud arripuisse dicitur a Lactantio M. P. 26. neque vanus fuit ille metus; mox enim contra ipsum cum exercitu profectus est Severus Cæsar, sed is a militibus desertus, et advenienti Herculeo sese inparem sentiens, Ravennam profugit, seque Herculeo, a quo Cæsaream dignitatem acceperat, tradidit, qui ipsum, venis incisis, mori coëgit. Sed timens Herculeus, ne de hac cæde vindictam sumeret Galerius Maximianus, ex Italia in Galliam ad Constantinum proficiscitur, indignatum, sibi eo tempore, quo Diocletianum de imperio abdicando coëgisset Galerius, in Cæsarea dignitate prælatos fuisse Maximinum et Severum: illum itaque Constantinum in suas partes pertrahere est conatus Herculeus, collocata etiam ipsi in matrimonium filia, quas nuptias noster celebrat orator. Cf. Lactantium M. P. 26. et 27. et Nourrium in Dissert. ad Lactant. p. 283. hinc ex sumto iterum imperio explicanda sunt, quæ leguntur infra XI. § 6. ubi querelis de deposito imperio expositis, hæc addit: 'Et, invitus licet, paruisti, et te illis vigiliis, illisque curis, quas viginti annis expertus fueras, reddidisti.' Præterea dicitur omnia 'reditu' suo restituisse Maximianus Herculeus, c. X. § 4. gubernacula 'recepisse,' c. XII. § 7. 'imperium ferre post otium,' id est, postquam illud ante deposuerat, c. XII. § 2. et 'conciliata' ipsi 'divinitas,' cap. III. § 2. ubi vide. Brevem hanc rerum seriem contexui, tum propter Patarolum, tum vero etiam, ut pateat, quo jure nostrum notaverit Schonhovius. *Arntzenius.*

Oriens Imperator] Imperatoris nomine nuper vocatus, anno Christi nempe CCCVI. circiter in Britannia, post obitum Constantii patris, cunctis acclamantibus in exercitu. *Patarol.* De 'oriente Imperatore' dixi ad Mamertin. Paneg. Maxim. VI. § 2. quocum numum Ephesinorum, in quo Antoninus et Caracalla ΝΕΟΙ ΗΛΙΟΙ adpellantur, recte contulit Spanhemius de Usu Numism. tom. II. p. 490. Male Schonhovii excerpta, *Orientis Imperator.* Nollem hoc cum Patarolo ad imperium in Britannia a patre acceptum referre; magis enim pertinet ad Constantinum a Maximiano Herculeo Imperatorem, et Augustum postea demum creatum, cum ipsius filiam esset ducturus; qua de re mox latius exponam. *Arntzenius.*

Tibi Cæsari] Jam enim ante a patre Cæsaris titulo decoratus fuerat. *Patarol.*

Nomen imperii] Forte *Imper.* id est, *Imperatoris*, ut paullo inferius: 'et tibi, Constantine, per socerum nomen Imperatoris accreverit.' Nisi tamen ibi potius etiam *imperii* scribendum, ut 'imperium' dicatur pro Imperatore, quomodo fere ad finem: 'Nunc omnes metus ponet Romana respublica, quæ defenditur conjuncti imperii duabus ætatibus.' Id enim est, conjunctorum Imperatorum; et Latin. Pacat. 'Quam longe lateque (forma) conspicua commendat imperium.' *Acidal.* Hoc est, nomen Imperatoris Augusti, quo et ante Constantinus potuisset uti, suffectus in locum patris Augusti; abstinuit tamen, dum a seniore Augusto, quod his nuptiis factum est, sibi conferretur. Vide infra cap. 5. *Cellar.* *Nomen Imperatoris* possent tueri loca, adhibita a Spanhemio ad Julian. Orat. I. pag. 44. vulgata tamen mihi est potior. De Cæsarea Constantini dignitate dissidet eruditorum senatus. Qui eam datam arbitrantur,

cum, imperium deponente Diocletiano, Cæsares lecti sint Severus et Maximinus, illi veritati historicæ maxime adversantur. Diocletiano, quo die imperium deposuit, quamvis contra omnium, præsertim militum, exspectationem, Cæsares facti sunt Severus et Maximinus; præsentem vero in hac concione Constantinum manu sua repulit Galerius Maximianus, idem Diocletiano de deponendo imperio, tum blandis verbis, tum vero etiam minis, auctor, isque Maximinum post tergum sibi adstantem protraxit, eique purpuram injecit Diocletianus; Severum autem ad Maximianum Herculeum miserat Galerius, ut is quoque eum faceret Cæsarem. Rem exposuit, qui Nicomediam a Diocletiano, illic degente, arcessitus omnium optime singula cognoscere potuit, Lactantius de M. P. cap. 18. et 19. Contra alii Constantinum umquam fuisse Cæsarem negant, eumdemque statim a patre moribundo in Britannia factum Augustum, eique successisse contendunt. Horum sententiæ obstat hic locus, obstant etiam alii in hoc Panegyrico. Denique sunt, qui Cæsarem lectum esse a Galerio putent, ut Baluzius ad Lactantium M. P. cap. 25. aut a patre Constantio, ut Cuperus ibid. Si qui inter tot, tantaque eruditione viros arbitri sedere velint, rem ita componant. Moribundus Constantinum vere fecit Imperatorem, et Augustum Constantius pater. Hoc aperte testatur Eumenius Constantino VII. § 3. ' manifeste enim sententia patris, electus es Imperator.' Zosimi de angelo testimonium explodit Bauniusin Vita Constantii. Missa itaque Romam est ad Galerium Maximianum, tunc in locum Diocletiani Augustum, imago Constantini laureata, purpuræ præsertim petendæ caussa: sed infensus ob id Galerius, et imaginis, et illius, qui eam adtulerat, comburendi cepit consilium; amicorum tamen monitis, ne militum, Constantino faventium, sibi odium contraheret, deterritus Augusteam dignitatem non confirmavit, at vero, ut saltem aliquid fecisse videretur, Constantinum creavit Cæsarem; ob negatam igitur a Galerio dignitatem Augusteam, saltem non confirmatam, videtur Augusti titulum sibi sumere non ausus Constantinus, solo Cæsaris contentus, unde Imperatoris nomen hoc tempore recusasse scribit Brouwer. Annal. Trever. III. p. 204. Ni fallor, hoc confirmat locus infra V. § 3. ' Ut, cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus exspectare malueris, ut idem te, qui illum, declararet Augustum.' Et inde apud Eumenium Constantino IX. § 1. Britannia dicitur Constantinum primum Cæsarem vidisse: adde alia loca apud Cuperum ad Lactant. M. P. cap. 25. Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 65. Pagium Dissert. Hypat. p. 242. Van der Meersch ad Eusebii Hist. Eccles. VIII. 13. Gruner. ad Aurel. Victor. Epit. 40. 1. Vera itaque ratio, quare Cæsaris titulo tantum fuerit usus, non est quærenda in modestia, qua eodem Augusti abstinuerit, ut hic Cellarius, et Nourrius in Dissert. ad Lactant. de M. P. pag. 393. neque in eo, quod infra cap. V. tradit Noster, quia exspectare mallet, donec a Maximiano pronunciaretur Augustus; de eo enim hoc anno CCCVI. quo VIII. Kal. Augusti mortuus erat pater Constantius, nondum cogitare potuit Constantinus; ipse enim de eo demum, sequenti anno, cogitavit Maximianus, ut per hunc titulum, et filiæ nuptias, ad partes suas Constantinum pertraheret. Veram itaque rationem in metu constituo, quo agebatur Constantinus, ne Galerium Maximianum, Cæsaream sibi dignitatem tantum conferentem, per Augusteam adsumtam infestum redderet, quamvis haud dubie consilium quidem ceperit arripiendæ,

quocumque posset tempore, occasionis, qua dignitatem a patre collatam sibi tamquam propriam vindicaret. Et justa erat metuendi ratio. Cum enim ipsum, ante patris mortem, retinuisset obsidem Galerius, ex caussa quam tractat Baluzius ad Lactant. M. P. 24. paterque petiisset, ut sibi filius remitteretur, eique petitioni, dato etiam ad iter diplomate, cessisset Galerius, ea conditione, ut postridie mane mandata ad patrem primum acciperet, ipse insidias metuens, quæ a Galerio quoque structæ erant, citius Nicomedia est profectus, et incredibili celeritate ad patrem in Britanniam pervenit. Rem enarrant Zosimus Hist. II. 8. Anonym. post Ammian. p. 710. Gruner. ad Victor. Cæs. XL. 1. Potuisset itaque clandestino hoc itinere magis Galerio videri imperium furatus, quam legitimum accepisse; ut itaque potius eo honore, quem ipse probasset Galerius, contentum se esse præ se ferret, civilis suadebat prudentia. Ita si rem componamus, evanescet difficultas, quem sibi in hoc Lactantii loco de M. P. 25. 5. movit Cellarius: 'Constantinum vero Imperatorem, sicut erat factus, (nempe a patre in Britannia,) sed Cæsarem cum Maximino adpellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.' 'De secundo loco' est, ne cum Galerio foret Augustus, 'in quartum,' ut cum Maximino foret Cæsar, Augustis Galerio et Severo. Postea autem, et nuptiarum quidem cum Fausta occasione, Constantinum fecit Augustum Herculeus, sive potius Augusteam ipsi dignitatem confirmavit, quod egregie indicant verba cap. XIV. § 4. ubi Maximianus Herculeus dicitur Constantinum 'in imperii paterni possessionem induxisse:' is enim in possessionem inducitur, qui rem suo jure vindicat, ab alio sibi ademtam, ut Augustea dignitas Constantino per Galerium Maximianum. Hoc sensu Herculeus dicitur in Constantino 'auctor imperii,' cap. III. § 2. illud 'tradidisse,' cap. VII. § 2. et Constantinus id ab Herculeo 'meruisse,' id est, accepisse, cap. V. § 3. *Arntz.*

Nuptiarum festa] Vid. infra § 4. *Idem.*

§ 2 *Huic voto*] Auctor hic Panegyricum suum 'votum' appellat, quemadmodum infra cap. 13. 'Restat, ut ipsa illa, quæ separatim de virtutibus vestris locutus sum, sicut huic voto congruit, in sermonis fine conjungam:' et paulo post 'gratulationem' dixit: 'an nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda sunt,' &c. *Putean.* Hæc interpretatio, (vid. Not. Delph.) quam, probante etiam Grutero, protulit Puteanus, et Petrus Daniel, et suam fecit Baunius, quo modo vera esse queat, non video. Si 'votum' est oratio, sequitur, *ut huic orationi propria nunc debeatur oratio*, quod sane quam ineptum est. Deinde *oratio semel facta futura est sempiterna.* Quid hoc sibi velit, nescio. Equidem 'votum' h. l. nuptias, ut sæpe in libris jurisconsultorum, significare puto. Sic infra VII. § 1. 'diu fruereris exspectatione voti, quod hac conjunctione firmasti.' *Jægerus.* Optime Jægerus, et nimis quoque in notione vocis argutatur Baunius; notat enim 'votum' non tantum Principis, sed cujuscumque nuptias; de quo Barthius ad Claudian. p. 54. et 796. *Arntz.*

Propria nunc] Guelferb. *nunc propria.* Cf. supra ad Paneg. Constantio V. § 4. *Idem.*

§ 3 *Ultra naturam*] Videtur vocula una deesse, *Fama ultra naturam velox;* aut etiam una item abundare, *Fama ultra quam fingitur discursus volucres mutuata.* Acidal. Natura Famæ est celeriter ferri; has nuptias vero Augustorum solito celerius per orbem nuntiatas esse significat. *Cellar.* Acidalii conjecturis non opus

esse vera docet Cellarii interpretatio. *Arntz.*

Mutuata] Quid est *mutuata discursus? sortita* sententia requirit. Nec id ego tamen repono, ac plane nec addo, nec demo, nec permuto quidquam, nisi quod ita repono: *quacunque Fama ultra naturam, qua fingitur discursu volucris, incitata, et plus quam mille vocibus sonora, percrebuit.* Innuit Famam solito et celeriorem et velociorem. *Acidal.* Emendatio hæc Acidalii minus necessaria est. Offendisse videtur virum vox *mutuata,* quæ tamen idem fere, quod 'sortita,' interdum significat. Cicero Tusc. Quæst. II. 18. in fin. 'a viris virtus nomen est mutuata.' Ceterum de natura Famæ vide, si lubet, Virgil. Æneid. IV. 174. sqq. et e recentioribus, Virgilio hac parte non inferiorem, Voltærium Henriad. lib. VIII. in fin. *Jæger.* Lectionem hanc, ab Acidalio sollicitatam, defendendam suscepi, non probante Bibliotheca Philologica: 'Quærimus primum,' inquit, 'ex editore, si junxeris voces *ultra naturam cursus volucres mutuata,* quo pertineant verba *qua fingitur?*' Ego vero non hæc verba jungenda putavi, sed *ultra naturam,* i. e. ultra solitum, velox et vocalis, *percrebuit.* Sic Chariton de Chær. et Call. III. 4. ἡ φήμη, φύσει μὲν οὖσα ταχεῖα, τότε δὲ μᾶλλον σπεύσασα. Verum cum bene moneat vir doctus, verbum *mutuari,* etiamsi pro sortiri dici possit, tamen eamdem, quam in laudato a me, loco Ciceronis habet, retinere constructionem debere, concedo in ipsius sententiam, et tenendam judico emendationem Acidalii, in adnotatione propositam. *Jæger.* Mihi scripsisse videtur, *discursus volucres imitata.* De alis Famæ cf. Burman. ad Propert. Eleg. II. 14. 37. hinc eam 'auras præcedere' dixit Ausonius Gratiar. Act. XXXVII. § 3. et 'per aërios tramites præpetem volitare,' Ammianus Marcell. XVIII. 6. Gebhard. ad Propert. II. 18. 38. *Arntz.*

Percrebruit] *Percrebuit* dedit post Cuspinianum Paull. Stephanus, et ex Gruteriana in reliquas transiit. Pristinam lectionem revocavi, judicium secutus Oudendorpii ad Sueton. Cæsar. cap. 79. Burman. ad eumd. August. 11. not. ad Valer. Max. III. 8. 3. adde ad Aratorem II. 1069. *Idem.*

§ 4 *Vestræ concordiæ*] Nam multos annos antea Maximianus Constantium Chlorum sibi in collegam assumpserat, et Theodoram, privignam suam, illi in uxorem dederat. *Pataroł.*

Pignus accessit] *Pignus* dicitur de liberis: infra cap. III. 'cum ab eo pignus ipsi carissimum postulasti.' *Putean.* 'Pignora' pro liberis poni docet Bunemann. ad Lactant. VI. 4. 15. et cap. 12. 23. Pluralem 'pignora' et 'pignera' quidam distinguunt, ut illa sint adfectionum, hæc rerum; an vere, vide apud Oudendorp. ad Sueton. August. 21. Burman. ad Virgil. Ecl. VIII. 92. et Secundum ad Anthol. Lat. tom. I. p. 201. et quæ dixi Miscellan. p. 212. Boltium Silv. Crit. p. 45. *Arntz.*

Nominum] Vet. *numinum.* Vat. ut vulgo. *Putean.* *Nominum* magis placet; 'summa nomina' sunt Imperatores. Conf. ad Mamertin. Paneg. III. § 1. *Artissima,* pro quo Jægerus *arctissima,* prætuli. Vid. ad eumd. XIV. § 4. *Arntz.*

Filiam] Faustam scilicet. Eusebius Chronico; Zonaras lib. II. de Maximiano loquens: Εἶτα εἰς Γαλλίας ἐλθεῖν πρὸς τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον κηδεστὴν αὐτοῦ καὶ αὐτὸν ὄντα ἐπὶ Φαύστῃ τῇ αὐτοῦ θυγατρὶ κἀκείνῳ ἐπιβουλεύοντα, κ. τ. λ. et lib. III. de Constantino, in princ. *Putean.* Flaviam Maximianam Faustam, ejusdem Maximiani filiam, secundæ uxoris loco (nam antea Minervinam habuerat) Constantinus sumpsit, quare, ut adnotat

Zonaras, Constantius, et Constantinus, pater nempe, ac filius, duas ejusdem Maximiani filias in uxores acceperunt. Contigit autem Constantini connubium non multum post imperium a Maximiano depositum, anno nempe circiter CCCVII. ut adnotat Jo. Le Clerc Biblioth. tom. III. cum enim ipse, acclamato a prætorianis ad imperium Maxentio, purpuram resumere vehementer optaret, ad Constantinum confugit, eidemque filiam spopondit, ac suppetias petiit. Auctor Zosimus lib. II. *Patarol.* Cf. Bannium in Vita Fl. Val. Const. Mag. Faustam hanc 'filiam Maximiani minorem' adpellat Lactantius M. P. XXVII. § 1. quod Nourrius Dissert. ad Lactant. p. 284. suspicatur factum propter Theodoram, Maximiani ex Eutropia uxore privignam, eamdemque Constantii conjugem. Potuerunt autem hæ nuptiæ fieri, quia Theodoram inter et Faustam nulla erat adfinitas. Male Maximianum, cum ad Constantinum perfugeret, nondum iterum imperium sumsisse tradit Patarolus; cf. supra ad init. Sponsalia autem hæc Treveris esse celebrata, suspicatur Brouwer. Annal. Trever. III. p. 204. *Arntz.*

§ 5 *Omnes sensus*] *Omnes* abest in Vet. Bertin. *Livin.* Et Mœrl. *Jæger.* Etiam in Guelferb. horumque codd. auctoritate delevi. *Arntz.*

Mentesque vinxisse] Ad marginem quod est, *junxisse* verum est. 'Dextras jungere,' non 'vincire' dixeris. *Acidal.* Pro *junxisse* Rhenan. Stephan. et Livin. perperam *vinxisse*, sollemni permutatione, qualis et infra cap. IV. § 2. ubi, pro *vinxisti*, Rhenan. Stephan. Cuspin. Livin. *junxisti;* cod. Mœrl. utroque loco veram exhibet scripturam. Cf. dicta ad Mamertin. Paneg. VI. § 3. *Jæger.* *Junxisse* etiam Guelferb. quod primus recepit Gruterus, et in sec. Rivinus. Lectionem hanc tuentur eruditi ad Mamertini Paneg. Maximian. XI. § 1. *Arntz.*

Invicem] Deest in Guelferb. male; passim hæc vox de Imperatoribus consentientibus est in Mamertini Paneg. Maximiani. *Idem.*

CAP. II. § 1 *Nomen Imperatoris*] Dictum hoc in Maximiani gratiam; ceterum Constantinus ab universo exercitu salutatus est Imperator; *Patarol.* Non in gratiam; vere enim a Maximiano lectus est Imperator; sed res est constituenda, ut dixi cap. I. § 1. ubi hoc loco *imperii* substituendum suspicabatur Acidalius; non opus est: confer Spanhemium ad Julian. Orat. I. p. 44. et Usu Numism. tom. II. p. 510. *Arntz.*

§ 2 *Prorogando*] Cod. Mœrl. *propagando*, quam lectionem jure probare videtur Bannius. Ernesti Clav. Cicer. v. 'prorogare.' *Jæger.* Cum Jægero restitui *propagando.* Cicero Philipp. I. 6. 'Stirpem in prope quingentesimum annum propagavit.' Simili ratione 'propagare salutem,' Mamertin. Julian. XXVII. § 5. adde supra ad Eumen. Constantio III. § 2. *Arntz.*

Coalescat] Livineius in suo codice, et Bertiniensi testatur legi *convalescat;* idem quoque exhibet Mœrlianus, et Gud. Utrumque, de plantis usurpari solitum, translationi, quæ est in voce *radicibus*, aptum est, et conveniens. *Jæger.* *Convalescat* etiam Guelferb. ut Eumenius Constantino III. § 3. 'Solis virtutis nixa radicibus ad tantum potentiæ robur invaluit.' Vulgatum tamen tueor ex iis quæ dixi ad Eumenium pro Instaur. Schol. VIII. § 3. *Arntz.*

§ 3 *Hæc voluptas*] Lege, *hæc voluntas conservandi.* Acidal. Fortius omnino est *voluptas*, quod codd. etiam tuentur. Permutantur etiam hæc in codd. apud Klotzium Miscell. Crit. p. 79. et 86. qui recte p. 80. 'aurium voluptas' restituit Mallio Theodoro de Metris Præf. p. 8. *Arntzenius.*

§ 4 *Leges hæ*] Cælibatus prohibitus ab Romanis erat, et certam multam cogebantur cælibes pendere. Festus extremo libro: 'Uxorium pependisse dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, æs populo dedit.' Vide etiam Plinii Panegyr. cap. XXVI. *Cellar.* Nimirum inter præcipuas Julia, et Papia Poppæa; illa a C. J. Cæsare lata, qui 'post bellum Africanum,' inquit Dio lib. XLIII. 'vehementer exhausta urbe, præmia proposuit multitudini liberorum;' hæc vero a Papio et Poppæo consulibus, supremis Augusti temporibus, ut refert Tacit. Annal. lib. III. Vide dicta ad Plin. Paneg. cap. XXVI. *Patarol.* Romanis semper magnam conjugiorum fuisse curam satis constat, ideoque iis qui ad senectutem usque cælibes permansissent, mulcta fuit indicta, quæ, Festo teste, 'æs uxorium' vocabatur. Quid, quantumve id fuerit, et an etiam ante leges Julias pendi solitum, non satis constare dicit Torrentius in Comment. ad Leg. Jul. et Pap. sect. 15. Sed vix potest de ea re dubitari. Plutarch. Camill. pag. 235. ed. H. Steph. Μνημονεύεται δὲ αὐτοῦ τιμητοῦ ὄντος καλὸν μὲν ἔργον, τὸ τοὺς ἀγάμους, λόγοις τε πείθοντα καὶ ζημίαις ἀπειλοῦντα, συγκαταζεῦξαι ταῖς χηρευούσαις γυναιξί. Valer. Max. II. 9. 1. 'Camillus et Postumius censores æra, pœnæ nomine, eos qui ad senectutem cælibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt.' Hoc fuisse 'æs uxorium' recte videntur judicasse Heineccius Antiq. Roman. I. 25. 3. et Bachius Histor. Jurispr. Rom. II. 2. 15. n. q. Quin etiam multo prioribus temporibus tale quid lege cautum fuisse, quod negare videtur Lipsius Exc. C. ad lib. III. Annal. Taciti, suspicari licet ex iis quæ tradit Dionys. Halicarnass. lib. IX. p. 580. ed. Sylb. Impugnat scilicet vulgatam de unico puero gentis Fabiæ superstite narrationem, usus hoc argumento, quod omnes Fabios, ad Cremeram profectos fuisse ἀτέκνους τε καὶ ἀγάμους ἀδύνατον ἦν· ὁ γὰρ ἀρχαῖος αὐτῶν νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τοὺς ἐν ἡλικίᾳ, καὶ τὰ γεννώμενα ἅπαντα ἐπάναγκες τρέφειν· ὃν οὐκ ἂν δήπου κατέλυσαν οἱ Φάβιοι μόνοι, πεφυλαγμένον ἄχρι τῆς ἑαυτῶν ἡλικίας ὑπὸ τῶν πατέρων. De præmiis parentum vid. Cellar. ad Plin. Ep. VII. 16. 2. Heinecc. supra cit. loc. Bachium Hist., Jurispr. R. III. 1. 7. et, ab hoc indicatos n. r, jurisconsultos, qui L. Juliam et Papiam Poppæam commentariis illustrarunt. *Jægerus.* Institutum illud censorum, Camilli et Postumii, apud Valerium Maximum frustra huc referas, quorum non erat leges, de quibus Noster loquitur, condere; et quodcumque de nuptiis decreverint, ex munere censorio fuit factum, quo censum agentes in uxores liberosque inquirebant, et utrum quis liberorum quærendorum caussa uxorem haberet. Recte tamen ad hoc censorum institutum refertur 'æs uxorium,' de quo præterea Fornerius Rer. Quotid. VI. 11. Burman. ad Sueton. Calig. cap. 41. Cannegieterus noster Observ. Jur. R. II. 17. quod etiam Quinctiliano Declam. XV. 9. reddere conatus est Schultingius, loco admodum vexato: 'Felix profecto, qui non nisi facultates in lupanaria profudit. Tu perdis animum, ille æs; tu bibis uxoria, tu lacrimis oras, pallore blandiris;' ut legatur, 'non illic æs tantum bibis uxorium,' aut 'animum illic, tu æs bibis uxorium:' aliter edidit Obrechtus, aut emendat Burmannus; mihi scripsisse videtur, 'tu perdis animum vigiliis, tu precibus exoras, tu lacrimis rogas.' Neque hæc a ductu litterarum nimium abire arbitreris, confirmant enim me excerpta ex Quinctiliano pag. 399. ubi hæc redacta in compendium legitur Declamatio, et hæc quidem verba ita leguntur, 'sed vigiliis, precibus, lacrimis prævaluisti.' Apud Nostrum per *leges* intelligo Juliam

et Papiam de maritandis ordinibus, non a Cæsare, quod Patarelo visum, sed Augusto nomen sortitam. Vide Heineccium ad Leg. Jul. et Pap. I. 3. Pichenam ad Tacit. Annal. III. 25. Bernecc. ad Plinii Paneg. XXVI. § 5. hanc plurali numero *leges* adpellat, eodem modo, quo Noodtius Opp. tom. I. pag. 630. tom. II. p. 13. in L. 31. D. de Legib. 'legibus solvere' de una hac lege explicat, inscriptionis ope adjutus. Similia sunt exempla apud Suetonium Cæsar. c. 11. et 18. Schulting. ad D. de Constit. Princip. § 8. et ipse dedi in Miscell. cap. 1. ad fin. Putavit Grævius ad Ciceron. Philipp. II. 13. Latinæ locutionis vim non intellexisse Dionem Cassium, cum lib. LIII. p. 713. de Imperatoribus Romanis scripserit, λέλυνται τῶν νόμων, quod mihi non videtur, cum magis de sui temporis Imperatoribus loquatur, de quibus dici potest, eos talem sibi potestatem, non lege quadam delatam, sed sua auctoritate sumsisse, ut 'legibus quibusvis' dici queant 'soluti,' quamvis aliter Dionem excuset Reimarus. Miror interim Brummerum ad Leg. Cinc. 2. § 6. scribentem, ideo *leges* pro una lege accipi, vel per enallagen numeri, vel quia lex semel iterumque est repetita, vel denique, ut major, digniorve lex significetur; vera enim, et simplicior ratio est, quod varia lex capita complectebatur, quæ singula erant leges. Jægero largior, etiam ante ad uxores ducendas, augendamque sobole remp. cives fuisse obligatos, eaque lex, quam memorat Dionysius, forte fuit Romuli, quem ejus auctorem fuisse statuit Bachius Hist. Jurisprud. pag. 8. quamvis liberæ reip. tribuat Heineccius ad Leg. Jul. I. 2. § 9. sed vereor, ut Dionysii ille locus sit sanus, si conferatur cum altero ejusdem lib. II. p. 88. Εἰς ἀνάγκην κατέστησε τοὺς οἰκήτορας αὐτῆς ἅπασαν ἄῤῥενα γενεὰν ἐκτρέφειν, καὶ θυγατέρων τὰς πρωτογόνους. Hoc si verum sit, qui potuit, in verbis apud Jægerum, adfirmare Dionysius, omnes fuisse fœtus educandos? neque evanescet difficultas, quamvis antiquam illam legem Romulo non tribuas, cum altera de maribus educandis diu obtinuerit, cui itaque adversaria non potuit esse illa antiqua, cujuscumque etiam sit latoris; puto itaque scripsisse Dionysium loco priori, καὶ τὰ γεννώμενα ἄῤῥενα· suadet hoc etiam Dionysii, de veritate fabulæ de Fabiis omnibus cæsis dubitantis, argumentatio, qua parum ducit verisimile, omnes esse cæsos, aut cælibes, aut sine liberis, quia liberi omnes erant educandi. Ni fallor, hoc de maribus tantum intellexit, quibus Fabium erat nomen. *Arntz.*

Multa] Deterius est in quibusdam edd. *mulcta;* alterum præferunt codices et lapides, quamvis ex his contrarium quoque exemplum habeat Cellarius Orthogr. p. 95. et ex derivationis analogia dissentiat Schellerus Præcept. Stil. bene Lat. pag. 37. De pœnis illis copiose egit Heineccius ad Leg. Jul. II. 21. *Idem.*

Præmiis] Hæc exposuit idem d. l. II. cap. 7–12. *Idem.*

Humani corporis] Exsculpebam olim *humani roboris,* neque dum pœnitet. *Gruter.* Sincerum hoc non negem. Leviter suspicor tamen, *quia seminarium juventutis, quasi fundum hujus magni corporis semper R.* Videtur enim appellationem *fundamenti* originatione vocis explicare velle. *Acidal.* Non erat, cur *fundum* mallet Acidalius; utramque enim vocem ita etiam junxit Cicero in Pison. cap. 40. 'ex illo fonte, et seminario triumphorum.' Maxime autem blanditur Gruteri conjectura, quæ *exercitibus Romanis* convenientior, ut *vires Romanæ* passim occurrunt, de quibus not. ad Valer. Maxim. I. 1. 15. *Arntz.*

§ 5 *Plebeia germina*] Lege *plebeia germina.* Acidal. *Plebeia germina, sed*

Imperatoria stirpe est antiquissima lectio Puteolani, Rhenani, utriusque Stephani et Rivini: at *plebeio germine, sed Imperatoria stirpe rempublicam* jam Livineius et reliqui. Expressi potius scripturam codd. *plebeia germina, sed Imperatoriam stirpem reip.* ut 'secula reip. propagare,' Cicero Catilin. II. 6. et Eumenius Constantio III. § 2. ubi plura. *Arntz.*

Imperatoria stirpe] Pithœan. cod. *sed Imperatoriam stirpem reip. propagatis.* Sic supr. cap. eod. 'Seriem vestri generis propagando omnibus in futurum sæculis.' *Putean.* Vid. præced. observ. *Arntz.*

Millesimo anno] Sub duobus Philippis, patre et filio Augustis. Vide Eusebium in Chronic. *Putean.* At enim vero in consulatum incidit M. Julii Philippi tertium, et Philippi filii secundum, eoque ex SC. facti ludi sæculares noni. Et Incertus in Constantinum A. de Maxentio, Herculii filio, 'Mille,' ait, 'et sexaginta annis contractas ex toto orbe divitias monstrum illud redemptis ad civile latrocinium manibus ingesserat.' Non est ergo hic liquidus, et circumscriptus numerus, sed leviter ac rotunde, ut ita loquar, initus. *Livin.* Ultima editio perperam incluserat parenthesi: *quod millesimo anno post urbem conditam evenisse tandem gratulabamur;* quippe si uncis hujusmodi opus erat, accommodandi magis erant illis, *ne mutatoria per novas familias communis salutis gubernacula traderentur.* Gruter. Rotundum annorum numerum ponit, non plane exactum. Videntur enim aliquanto plures jam fuisse anni, quam mille. *Acidal.* Numerus rotundus, et certior major pro incerto. Hoc vult dicere; ante millesimum urbis annum, et paullo ultra, ex variis gentibus Romam Principes habuisse, Hispanos, Afros, Thraces, Gallos, Arabes, Illyrios: nunc Constantini nuptiis futurum, in una ut domo coalescente successio principalis maneat. *Cellar.* Non vere millesimo: tunc enim mille et quinquaginta septem circiter ab U. C. anni elapsi. *Paterol.*

Gratulabamur] Minus necessarium puto, cum Acidalio legere *gratulamur* et *tradantur.* Potest orator, cum relatione ad futuras ætates, imperfecto, ut vocant, tempore h. l. pro præsenti uti. Verum enim esse virorum doctorum sententiam de numero milliario crassius capiendo dubium non est; nec audiendus Bannius, qui stricte interpretatur de tempore Philipporum, quo filium patri successisse dicit. Nam id non millesimo demum post urbem conditam anno, sed antea sæpius, evenit, ut filius patri succederet in imperio; ut taceam Philippum juniorem perbrevi tempore patri fuisse superstitem. Vid. Aurel. Vict. de Cæsar. XXVIII. § 10. Nec expeditior erit ratio, si, non tam de successione, quam consortio imperii, in quod Philippus filius a patre, ipso illo millesimo urbis anno, adsumtus fuit, hic auctorem loqui ponas. Nam talis consortii exempla ante istud Philipporum tempus itidem suppetunt, ut nemo ignorat. *Jæger.* Recte; *gratulabamur* interpretor, gratulari consuescimus, de quo inperfecti usu egit Grævius Lection. Hesiod. cap. 5. *Arntz.*

Id est, omnibus] In Vet. Bertin. reperio, *id ex omnibus;* in Cuspin. *id est hoc omnibus.* Quis verum neget, quod exsculpsimus? *id est, ex hoc omnibus.* Livin. *Id est, omnibus duret ætatibus Imperatores semper Herculei*] Sic priores editiones omnes; nam ultima *durent,* meo animo minus recte: ejusque adornator frustra divertit ad conjecturas; omnia enim belle cohærebunt, si legatur, *idem omnibus duret ætatibus, Imperatores semper Herculei.* Nihil vulgatius in libris, quam *idem* degenerare in *id est,* et contra. *Gruter.* Janus Gruterus, *idem omnibus.* Recte *est* delet,

quisquis hoc ad marginem, ut puto Rhenanus, annotavit. *Acidal.* In omnibus edd. legitur *id est;* primus Puteani et Gruteri conjecturam *idem omnibus* in contextum admisit Patarolus, quem secutus est Jægerus. Solus vero edidit Livineius, *id est, omnibus durent ætatibus Imperatores.* Potius obsecutus codd. Puteaneo, Vaticano, Vet. Livineii, Gudianis, et Mœrl. reposui *id ex omnibus,* sententia perspicua; *ex omnibus ætatibus,* id est, semper, et in seram durent posteritatem Imperatores Herculei, continua successione ex Maximiani et Constantini domo oriundi, ne crebra iterum mutatione, ut antea, in alias transeat familias imperium. *Arntz.*

Imperatores semper] Fit hoc hodie in Romano Imperio apud Germanos. Nam Ducalis Austriæ domus id fastigii nunc tenet. Olim illustres Saxoniæ, Sueviæ, Bavariæque Ducum familiæ. *Rhenan.* Vet. *Imperatores dicti semper Herculii;* Vatican. ut vulgo; forte melius. *Putean.* Non necesse, ut *dicti* inseratur, quod ceteri omnes ignorant codd. Putat quidem in præcedenti observatione Jægerus, hæc cum antecedentibus verbis non satis belle cohærere; sed convenit auctoris stilo, in periodi fine ita scribere amantis; sic cap. IV. § 1. 'Novum jam tum miraculum, juvenis uxorius.' v. § 3. 'Sentias necesse est tantæ auspicia fortunæ, Imperator adolescens.' *Herculeos* autem *Imperatores* dixit, quia post adoptionem a Maximiano factam Constantius quoque *Herculei* nomine est usus: hinc illud 'nomen dedisse' dicitur Maximianus, infr. VIII. § 1. adde Norisium de Num. Dioclet. Dissert. II. cap. 1. Schwarzium Proleg. ad Mamertin. Genethl. § 4. *Arntz.*

CAP. III. § 1 *Quemnam igitur*] *Quænam* est in edit. Henr. Stephani, quam etiam secutus est Rivinus, cum tamen *quemnam*, ut conjecerit Acidalius, jam lectum in ed. Rhenani fuerit. Corrupta lectio ex codd. orta videtur, in quibus *quenam*, lineola supra *e* posita, quam alii non adtenderunt, inde *quænam* formantes, ut saltem ex Guelferb. habeo enotatum, quod nihil hic habet, quo referatur. *Arntz.*

De ambobus] Cum restet in edd. primis, item Mss. quos excussit Livineius, omnibus, *de amborum*, id omnino amplecter. *Gruter.* Scilicet ante Gruterum legebatur, quod etiam habet Rivinus, *de ambobus in hanc necessitudinem congruentibus vobis:* τὸ *vobis* quoque Guelferb. Sed ita non suo hoc est loco positum, et remotum nimis ab *ambobus.* Præstat sane vulgata, codd. auctoritate certa. *Arntz.*

Vobis communiter] Puto rectius legi *votis* pro *vobis.* Juret. Revocem, quod erat in Langiano autographo, *congruentibus votis,* abdicato illo *vobis.* Videantur, quæ signavimus cap. 1. *Grut.* Cf. præced. observ. *Communiter* est in genere, in universum, ut recte explicat Buneman. ad Lactant. Instit. v. 12. 3. *Arntz.*

§ 2 *Majestati*] *Majestati*, Rhenanus, uterque Stephanus et Rivinus; alterum, quod flagitat sententia, dedit jam Livineius. *Idem.*

Junior Imperator] Cf. ad Mamertin. Geneth. VII. § 6. et Banninm supr. Vit. Constantini. *Arntz.*

Sicut tuo] An legendum, *sicut cum tuo?* an *sicut in tuo?* an denique, *sicut tui, Constantine, soceri?* Omnia quidem hæc apta sententiæ sunt. *Acidal.* Quæ conjecturarum Acidalio fuerit caussa, non video. *Arntz.*

Ante est conciliata] Hoc est, ante imperium receperat, ac privatus esse desierat, ut pares invicem essetis, tu Cæsar, ille Augustus. Sed e Bertin. notatur, *ante te conciliata civitas,* quod non video, qui excusem. *Livin.* Lege *consiliata*, quo verbo et Horatius, et Tacitus utuntur. *Acidal.* Ostendit itaque hic locus, orationis habitæ tempore, non amplius privatum fuis-

ae Maximianum, de quo dixi cap. I. § 1. Acidalii conjectura nihil opus. *Arntz.*

Cum ab eo] Forte legendum, *quem ab eo pignus:* infr. cap. VI. sic loquitur: 'Neque enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret, qui te jam olim sibi generum, etiam ante quam petere posses, sponte delegerat.' *Puteanus.* Habet Langii exemplar, *divinitas, quem ab*, quomodo et sibi legendum videri annotarat optimus Daniel, item studiosissimus Bongarsius, et proximum est vero, ita scriptum auctori. *Gruter.* Ex quo *quam ab eo* placuisset Grutero, id in contextum, excepto Rivino, sequentes admiserunt editores. Est tamen forte hæc conjectura, nullo cod. adjuta; ex Langii quidem schedis protulit Livineius, mihi tamen dubium est, sitne in iis ex cod. an ingenio. Codd. igitur, et edd. antiquiorum auctoritate *cum* revocavi, æque sententiæ conveniens. *Arntz.*

Postulares] Mœri. pro *postulares*, quod ceteri exhibent, *postulasti* præfert. *Jæger.* Etiam Guelferb. lectionem, tot codd. suffragio probatam, rejicere non sum ausus. Sunt qui auctoris nostri a Zosimo et Lactantio, scribentibus Herculeum filiam Constantino promisisse, dissensum notent; vid. Baluzium ad Lactant. M. P. 27. Sed filia, quamvis promissa, *postulari* debuit, si legitima nuptias præcesserint sponsalia. *Arntz.*

Sic et nunc quoque] *Ita nunc* Guelf. idque restitui propter ingratam, in præcedenti *sicut*, repetitionem. Eumenius Constantio XXI. § 1. 'sicuti pridem ... ita nunc:' et sæpe alibi. *Id.*

Tui auctor] Nam Constantius, Constantini pater, Theodoram, Maximiani privignam, duxit uxorem. Vide Eusebium in Chronic. Eutropium, et alios. Alii scribunt filiam fuisse Maximiani Herculii. Vide Zonaram. *Putean.* Credo legendum, *et paterni, et aviti autor imperii. Paterni*, quia Constantius Maximiano majestatis ordine filius; *aviti*, quia idem eidem adoptionis jure nepos, ut statim subjungitur. Tamen vulgatum *tui* etiam potest defendi. Ego autem hoc meum multo et elegantius et acutius malo. *Acidal.* Non quæritur, quid Acidalio, vel cuilibet alii elegantius et acutius videatur, sed quid auctor scripserit. Itaque redonamus illi voces, quas præter necessitatem, et invitis omnibus libris conatur obtrudere. *Jæger.* Hæc Jægeri nota binas Acidalii conjecturas priores etiam perstringit. Rem ipsam explicui ad cap. I. § 1. ex quibus adparet, male in Guelferb. legi, *amor imperii.* Arntz.

Lætatus est] Non de nihilo suspicatur rursus corculum illud nostrum, Bongarsius, legi posse, *largitus est.* Gruterus. Legi sic posse, non nego, sed non sic debere legi, melioremque multo vulgatam esse scripturam cuivis, puto, manifestum est. *Jæger.*

§ 2 *Nepotem*] Constantius, Constantini pater, a Maximiano Cæsar factus, eo ipso etiam, ut solemne erat, adoptatus ab eodem fuit, quia Cæsares Augustis instar filiorum erant. Quo jure Constantinus, Constantii filius, nepos simul factus est Maximiani. *Cellar.* Illud ex adoptione vinculum egregie explicuit Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 48. adde Cellar. infr. XIV. § 4. *Arntz.*

Filium] Quia Constantius in locum Maximiani, abdicantis se, Augustus factus erat, et Constantinus Augusti filius. *Cellar.* Vide Spanhemium d. l. *Arntz.*

Generum] Cui vinculo non obstabat adoptio, de quo exponit Brissonius de Jur. Connub. p. 273. ed. Trekell. *Idem.*

Prima] Eumenius in Constantinum: 'Te enim tantum ille et Imperator in terris, et in cœlo Deus in primo ætatis suæ flore generavit, toto adhuc corpore vigens,' &c. Adi lo-

cum. *Livineius*. Guelferb. male *prim.* Cf. ad Eumen. Constantino III. § 2. *Arntz.*

Naturæ signavit] Locus Eumenii c. IV. § 3. omnino est comparandus, ex quo adpareat, ipsa quoque facie patri suo Constantinum fuisse simillimum. 'Habitum' in eo 'corporis insignem et decorum' laudat Lactantius M. P. 18. 10. adde omnino Eumenium Constantin. XVII. ideoque Apollini comparare videtur ibid. XX. 4. ubi Patarol. Cf. Spanhem. ad Julian. Orat. I. pag. 80. et 98. De 'cœlesti vultu' confer ad Mamertin. Genethl. XI. § 3. *Idem.*

Concilia] Inter Divos relati, de more. Fidem faciunt de Constantio historiæ, ac nummi, quorum unum pulcherrimæ observationis apud me existentem habeo, epigraphe non obvia: IMP. MAXENTIVS. DIVO. CONSTANTIO COGN. hoc est, 'Cognato,' ut explicat inter cæteros Adolphus Occo, qui ejusdem numismatis ex auro mentionem facit. Vix credas, a Maxentio nummos cusos fuisse in honorem Constantii. *Patarol.* Quod hic *concilia*, dixit Eumenius in eadem hac re Constantin. VII. § 3. 'consessum cælitum,' et accipitur hic pro Deorum conventu; cf. Cortium ad Declam. in Ciceron. § 5. quod quomodo a 'consilio' differat, adcurate distinxit Gron. ad Liv. XLIV. 2. 5. cui adstipulatur idem Cortius ad Sall. Jug. XXIX. 5. *Arntz.*

§ 4 *Continentia*] Id est, temperantia; infr. 'abstinentissimus Imperator.' Panegyr. Nazarii: 'Nullam,' inquit, 'matronarum, cui forma emendatior fuerit, boni sui piguit, cum sub abstinentissimo Imperatore species luculenta non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris ornatrix.' *Putean.* Harum virtutum professione claruisse Constantinum, optimis tum pacis tum belli muneribus nulli fere secundum, testantur Sext. Aur. Victor, Eutropius lib. X. aliique plures. *Patarol.*

Præsentant] Id est, exhibent, ostendunt, de cujus vocis, apud hos præsertim scriptores, usu vide Cellarium Cur. Poster. I. p. 226. egregie verbum hoc restituit Ruhnkenius Julio Rufiniano de Fig. Sentent. p. 213. Ceterum nondum satis capio, quid sit 'votis gentium præsentare;' emendavi 'oculis' supra ad Mamertin. Genethl. X. § 5. neque adhuc pœnitet. *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Matrimonii legibus*] Sic Claudianus lib. II. de Laudib. Stiliconis: 'Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes, Ordirique virum non luxuriante juventa, Sed cum lege tori, casto cum fœdere vellet.' *Putean.* Minervinæ conjugium, Crispi matris, haud dubie intelligit, quam Zosimus II. 20. παλλακὴν, *concubinam* vocat, cujus vere fides in Constantini rebus, cui iniquior est sacrorum caussa, dudum suspecta cordatioribus fuit; nam Panegyrico sequente incerti auctoris cap. IV. ad Constantinum: 'te pudicitia soli dicata conjugio.' *Cellar.* Encomiastice: cæterum jam ex Minervina, quæ a Zosimo et Victore 'concubina' dicitur, Crispum susceperat. *Patarol.* Locum recte de Minervina capi ostendit Spanhemius ad Juliani Orat. I. p. 64. quam pro justa uxore Noster habuit, unde mox 'juvenem uxorium' adpellat Constantinum; adde Bannium supra in Vit. Constantii. *Arntz.*

Vagis cupiditatibus] At Crispum e Minervina quadam concubina sustulit, ac, ni fallor, ante hoc Faustæ matrimonium. Zosimus II. Confer quæ infra notamus ad Incert. Constantino c. IV. *Livin.* Recte ita scripserit auctor, si Minervinam habuerit legitimam uxorem. Ex hac autem Constantini castitate derivat Gothofredus ipsius legem, qua tutori, si quis pupillam ducere vellet, prius erat probandum, hanc esse intemeratam, ipsumve tutorem, bonis etiam publicatis, in exsilium esse mittendum, si ab ipso esset violata, L. 1. Cod. Theodos.

'Si quis eam, cujus tuit.' Necessitatem denique matrimonii ineundi, quo quis a libidine avocetur, elegantibus exemplis ostendit Pricæus ad Apul. Metam. VI. p. 220. *Arntz.*

Ætati voluptatibus] De amore meretricio explicat Savaro ad Sidon. Epist. VII. 2. admodum male; qui enim has potuit 'concessas' dicere, quas 'vagas' adpellavit? Tu potius de concubinatu, legibus permisso, interpreteris cum socero meo Rescript. Boxhornio c. 20. *Idem.*

Juvenis uxorius] Non hæc a capite scribenda, sed superioribus apta distinctione jungenda, usque eo, *talem postea ducturus uxorem;* ibi periodus finienda, et alia ordiunda: *Fortitudinem autem illius, &c.* Acidal. Recta est interpunctio vulgata; cf. ad cap. 2. in fin. *Arntz.*

§ 2 *Qui Bataviam*] Infr. in Panegyr. Constantino dicto: 'Purgavit ille Bataviam, advena hoste depulso:' et in alio: 'Terram Bataviam, sub ipso quondam alumno suo adversis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgavit.' *Putean.* Confer ad Eumenium Constantio cap. VIII. § 1. *Arntz.*

Cis Rhenum] Quas interfluebat Scaldis. Cf. ad Eumenium Constantio VI. § 1. et hoc etiam sensisse videtur Wagenaer Hist. Patr. tom. I. p. 224. *Arntz.*

Depulit, abduxit] *Cepit* omisit Rivinus, quod tamen inde a Grutero omnes, adsentiente pariter Guelferb. recte inseruerunt, præsertim ut elegantius fiat asyndeton, quale in vulgato Ciceronis, 'abiit, excessit, evasit, erupit,' quod imitatus Lactantius de Ira c. I. § 7. 'contemsit, derisit, abjecit.' Incertus Maxim. VIII. § 6. 'expugnasti, recepisti, transtulisti.' *Id.*

Abduxit] Infra dixit, 'transtulit:' 'Mauritaniæ populos expugnasti, recepisti, transtulisti:' et in Panegyr. Constantini cap. V. 'Nec contentus vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes.' Livius lib. I. de Albanis 'traducere' dixit; Seneca de Clement. cap. 1. 'transportare.' *Putean.* Eumenius Constantio I. § 4. 'Tot translati sint rura in Romana cultores:' ubi de hoc more latius. *Arntz.*

Eorum regibus] Sic infr. Nazarius cap. XVI. 'Tu ferocissimis regibus, Ascarico et comite suo, captis, tanta laude res bellicas auspicatus es:' et in Panegyr. Constantino Incerti c. XI. 'Hæc est tua, Constantine, de Ascarici Ragaisique supplicio quotidiana, atque æterna victoria,' &c. Addit Eutropius, cæsis Francis eorum reges, cum magnificum spectaculum muneris parasset, bestiis objecisse. Vide Paul. Diacon. *Putean.* Ascarico Regaisoque. Nominat Eumenius in Constantinum. *Livin.* *Reges* intellige gentis principes. Vid. ad Mamertin. Genethl. V. § 4. *Arntz.*

Lubricam fidem] Dixi ad Mamertin. Maximian. c. XI. *Livin.*

§ 3 *Servitute*] A tyrannide Carausii et Allecti. Dictum de his ad Mamertin. Maximian. cap. XII. *Patarol.* Vide inprimis notata ad Eumenium Constantio VI. § 1. *Arntz.*

Illic oriendo] Nam in Britannia Constantinus natus fuit. *Rhenanus.* Locus lubricus, et qui Pomponium Lætum, eumque secutum Cæsarem Baronium, egregie de historia omni Ecclesiastica meritum, induxit in errorem, ut Constantinum, si Dis placet, Britannum facerent. At enim patriam ei fuisse Tarsum Julius Firmicus fidejubebit, cujus auctoritatem non tu, Cæsar Baroni, non sanus quisquam defugiat. Verba ejus e Matheseos II. cap. 4. adscribam, sed aliquantum recisa: 'Dominus, et Augustus noster, ac totius orbis Imperator, pius, felix, ac providus Princeps, Constantinus Maximus, Divi Constantini (*Constantii* lego) filius, augustæ ac venerandæ memoriæ Principis, apud Tarsum genitus, a primo ætatis gradu imperii guberna-

cula retinens, quæ prosperis nactus fuerat auspiciis, Romanum orbem ad perennis felicitatis augmentum salubri gubernationis moderatione sustentat.' En aperte 'apud Tarsum genitus,' quæ in Britannia nusquam gentium. Cilissam geographi passim, Bithynam Stephanus commemorat, quam Firmicus, opinor, senserit. Accedit, quod Nicephoro Callisto Drepani natus, oppido ad Nicomediæ sinum posito. Eum lege Eccles. Histor. VII. 18. et 49. At Panegyristici ortus in Britannis. Mane, et interpretamentum cape ex his Incerti in Constantinum, quem Eumenium putamus: 'O fortunata, et nunc omnibus beatior terris, Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti!' Et nota, sis, mihi additamentum, 'Cæsarem.' Scilicet alter natalis, et quasi quædam recreatio est, Cæsarem asciscì. In Constantium Cæsarem: 'O felix, beatumque ver novo partu, jam non amœnitate florum, nec viriditate segetum, nec ipsis tantum Favoniis, et luce serenata lætum atque venerabile, quantum ortu Cæsarum maximorum!' Intelligit Constantium et Galerium Maximianum. In Constantinum κατὰ εἰρωνείαν 'Ignobilem credo aliquam barbarorum manum repentino impetu, et improviso latrocinio ortus tui auspicia tentasse.' Plinius in Trajanum: 'Nam quod eos potissimum mensi attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulchrum nobis!' Cicero vero ad Epist. IV. 1. et pro P. Sextio, Nonas Sextiles 'Salutis natalem' appellavit, quod eo die in Quirinali ædes ei consecrata, et eleganter Martialis, 'Maiæ,' inquit, 'Mercurium creastis Idus;' ob templum ei tum dedicatum, ut Livius II. et Festus scripserunt. *Livin.* Constantinus non natus est in Britannia, sed ibi Cæsar factus, aut patris successor. Natalem imperii, non vitæ designat Eumenius Paneg. Constantino c. IX. 'O fortunata Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti!' hoc est, tamquam Cæsarem. *Cellar.* Insultat acriter Livineius illis, qui Constantinum in Britannia natum dicunt. Ejusdem opinionis fuisse Lipsium, videre est in ipsius opere de Magnit. Roman. IV. 11. et fusius in notis ad eundem locum. Uni autem fere nituntur isti Julii Firmici testimonio, ipsum apud Tarsum genitum affirmantis. Alii non apud Tarsum, sed apud Naissum, Daciæ oppidum, inter quos vide Ruperti Observat. in Besoldum. Quidquid sit, tamen a communissima scriptorum opinione non recedendum mihi videtur, ut uni tantum, aut alteri adhæreatur. *Paterol.* Ut Cellarius, ita hunc locum explanandum esse jam vidit Petavius not. ad Juliani Orat. I. p. 467. ed. Flex. Nobilis est de patria Constantini M. controversia. Pomponius Lætus, Baronius, Bannius, aliique in Britannia natum fuisse ex h. l., et allegato jam a Cellario Eumenii cap. IX. colligunt. Sed meliora docet Lipsius de Magnit. Rom. IV. 11. in tom. III. Opp. p. m. 470. et 475. cui adde Jo. Vogt Schediasma Historicum de Patria Constant. M. Vitemb. 1716. 4to. *Jæger.* Constantinum, matre Helena, natum fuisse in oppido Naiso, in Illyrico late sumto, vel Dacia mediterranea, non Julii Firmici tantum testimonio, sed vero etiam Constantini Porphyrogenetæ, et Auctoris Excerptorum de Constantio Chloro ita idonee probavit Cuperus Præfat. Notar. ad Lactantium de M. P. ut, qui adhuc natales illos Britanniæ sit adserturus, fore arbitrer neminem; unde hanc prævaluisse sententiam scribit Nourry Dissert. ad Lactantium pag. 385. Pluribus confer Schœpflin. in Illustr. ex Britan. Hist. Controv. cap. 2. in Museo Hagan. tom. II. p. 189. Argumenta Baunii supr. Vit. Constantini princ. contrariam nihil opinionem adjuvant; or-

tum enim de Cæsarea aut Imperatoria dignitate, in eum collata, intelligendum esse, tum Livineius, tum vero etiam Cuperus evincunt, et ipse de hoc loquendi usu latius dixi ad Mamertin. Maximian. VI. § 3. adde ad Eumen. Constantio II. § 2. obstat etiam Baunio locus hoc Paneg. I. § 1. 'Constantine oriens Imperator,' quod de vero natali nemo intellexerit. Alterum Baunii argumentum ex Eumenii Paneg. Constantino IX. recte refutat Cellarius, et plura ibid. dixi. Addit tertium ex eod. cap. ubi cum ortu Constantini in Britannia comparat Eumenius Mercurium a Nilo, Liberum ab Indis ortum, quæ de utriusque Dei vero natali intelligenda monet Baunius. Verba sunt: 'sic Mercurius a Nilo, ... sic Liber ab Indis ... se gentibus ostendere præsentes.' Sed in his nihil video, quod ipsi faveat; non enim fit in natali comparatio, sed in præstito auxilio; ut Mercurius, et Liber sese præsentes, et faventes gentibus a Nilo et Indis ostenderunt, sic quoque Constantinus, in Britannia Imperator, aut Cæsar factus, ex eadem sese præsentem rei Romanæ ostendit. Addam aliud, nescio, an aliis observatum. Natus est Constantinus A. C. CCLXXII. quo in Britannia non fuit Constantius, nondum enim tunc fidem ruperat Carausius, propter quem debellandum in Gallia primum, et deinde in Britannia versatus est Constantius, et contra quem arma præcipue sunt sumta ab anno CCLXXXVI. ut ostendi ad Mamertin. pag. 2. neque ullum potest proferri testimonium, Constantium ante expeditionem contra Allectum in Britannia fuisse, quod anno CCXCV. factum ostendi ad Eumenium Constantio VI. 1. qui itaque in Britannia nasci potuit, in qua demum adpulit pater, nato annos XXIII. Constantino? *Arntz.*

Victoria domuit] Ms. Mœrl. et Gud. *victor edomuit*, quod tamen, ob sequens 'venia mitigavit,' recepta scriptura deterius h. l. esse judico. *Jæger.* Huic lectioni locum dedi; supr. Constantio X. § 4. 'Orbe terrarum, ... qua hostilis, edomito:' neque video, quod putabat Jægerus, quare licet *victor* præcesserit, *venia* non possit sequi. *Arntz.*

Terrore] Fabr. Pulman. *tenore compressis*, Vatican. ut vulgo. Nihil muto. Plinius in Epist. ait 'pulcherrimum victoriæ genus, gentem terrore domare.' *Puteanus.* Eumenius Constantio XIII. § 3. 'Præsentiæ tuæ terrore tutatus es.' Constantino cap. XI. init. 'Nominis tui terrore munimur.' Pacatus Paneg. cap. XXII. 'Nominis terrore perculsi.' *Arntz.*

CAP. V. § 1 *Videaris exsolvere*] Rem a patre moriente demandatam expedire. *Cellar.*

Coram gaudeas] Forte, *coram sic gaudeas prædicari: Quidquid tu juste, ac liber:* ut μιμήσις sit eorum, qui beneficium, aut jus a Constantino impetrant. Nec nego tamen, posse Auctorem ex sua persona loqui. Quorum utrum est, *filius* certe, non *filium* deinceps scribendum. Quia filius, ideo necessario legata patris exsolvit. *Acidal.* Cf. mox dicenda. *Arntz.*

Quidquid juste] *Tu*, a Livineio omissum, sed sententiam intendens recte inseritur. Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 1. *Idem.*

Necessario præstitisti] Acidalius conjicit legendum esse, *idque ipsum coram sic gaudeas prædicari: Quidquid tu juste ac liber.* Quod vero addit, *filius* deinceps certo scribendum esse, non *filium*, (scil. quia filius, ideo necessario legata patris exsolvit) id non adeo certum mihi videtur. Nam istud *præstitisti* potest etiam significare ostendisti, vel exhibuisti te, tamquam filium Constantii. Alia ratio est, si legamus *præstitisse*, quod mihi certe h. l. præ altero illo arridet. *Jæger.* Quod in codd. apud Jægerum est *præstitisti*, etiam suspi-

cor in Puteaneo fuisse, quia, cum hoc in antiquissimis edd. sit editum, nihil pro varia lectione ex eo fuit enotatum; *præstitisse* enim receptum est a Grutero et ceteris, præter Rivinum; hoc autem cum sola Langianarum schedarum auctoritate nitatur, mihi codd. auctoritate non est potius; alterum itaque revocavi, ut designet, te Constantii (male Guelferb. Constantini) filium exhibuisti, ut 'præstare Achillem' apud Virgilium Æneid. XI. 438. 'propugnatorem,' Sueton. Cæsar. cap. 16. 'principem,' ibid. Tiber. cap. 33. *Quidquid* vero scripsi littera majuscula, ut directa sit eorum oratio, qui hoc prædicabant. *Necessario* addi videtur, quia menti oratoris obversabantur 'heredes necessarii,' quales, antiquissimo tempore, jure civili erant liberi; juris enim vocabulis hic utitur, ut modo 'legata exsolvere,' et in fine, 'hereditarium cernere;' justitiam itaque patris, et pietatem adeo fuisse imitatum Constantinum significat, ut, sive vellet, sive nollet, in eam successerit, tamquam heres patris necessarius, legatis ideo exsolvendis etiam obligatus. *Arntz.*

§ 2 *Cursum virtute provectos*] Hoc est, qui virtutibus ante ætatem emicuerunt. *Rhenan.* Lege, *prævectos*, id est, ante vectos, prægressos. Nazarius Panegr. 'Tu, Imp. Opt. inito principatu adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio ostendisti cursum ætatis non exspectandum in festinatione virtutis.' *Acidal.* In Guelferb. est, *ætatis cursu virtute provectos*. Magis tamen placet vulgata, primum a Grutero recepta, cum antiquiores habeant, *cursum virtute provectos;* est enim in eo, ut indicet Scipionem, et Pompeium, adhuc juvenes, talia edidisse virtutis specimina, quibus etiam ætatem suam superaverint; in id autem *prævectos* est adcommodatius, id est prætervectos, quo modo frequenter occurrit de eo, qui præit et prævenit. Vid. Burman. ad Claudian. Rapt. Pros. II. 122. Drakenb. ad Livium XXIV. 44. 10. XXIX. 32. 8. in eo *provectus* admitti nequit, quod verbum utrum pro anteire dicatur, jure dubitat Burman. ad Virgil. Æneid. VII. 166. qui ad Lucan. IX. 1003. simile permutationis habet exemplum. *Arntz.*

§ 3 *Stipendia prima*] *Prima* abest in Cuspin. vitio. In Rhen. editum, *stipendia patria*, errore a compendio nato. Nam *pria* utrumque est, et *patria*, et *prima*. Livin. Guelferb. *stipendia publica*. Ediderunt *patria* etiam uterque Stephanus et Rivinus, sed recte jam Livineius. *Arntz.*

Exspectare malueris] Eumenius in Constantinum: 'Et quanquam tu ad seniores Principes, de summa republica quid fieri placeret, retulisses, prævenerunt studio, quod illi mox judicio probaverunt.' *Livin.* Latius dixi ad cap. I. § 1. *Arntz.*

Declaret] *Declararet* Vet. *Putean.* *Declaret* ediderunt Rhenanus et uterque Stephanus: alterum jam Livineius, et postulat sententia; quam vere autem hoc adfirmaverit, dixi ad cap. I. § 1. et Cuperus ad Lactant. de M. P. cap. 25. *Arntz.*

Successione cepisses] Cuspin. vitiose *cœpisses*. Rhenan. Stephan. Livin. Patar. et Ms. Mœrl. cum Gud. *cepisses*. Cod. vetus Livin. et Bert. quos sequuntur Paris. et Cellarius, *crevisses:* recte, nam 'cernere' est huic rei proprium verbum. *Jæger.* Cf. not. ad Valer. Max. V. 3. ext. 3. apud Isidor. Orig. V. 24. edidit Gothofredus, 'Institutus heres aut accipit hereditatem:' melius Groning. codex *adit*, et ita jam edit. Petiti antiquissima. *Arntz.*

Meruisses] Id est, accepisses, consecutus fuisses, de quo usu vide infr. ad Eumen. Constantino c. III. § 1. *Idem.*

CAP. VI. § 1 *Adstrueret*] Id est, te imperii collegam adsumeret, Augustum faceret, ut recte interpretatur Schulting. ad Senecæ Controv. I.

p. 70. Wopkens. Observ. Miscell. Nov. tom. x. p. 214. Nostri sententiæ conveniunt loca notata a V. D. ad Aimon. Cæsar. p. 222. et 798. *Arntzenius.*

§ 2 *Aquileiensi palatio*] De palatiis in civitatibus vide ad Mamertin. Genethl. x. § 1. *Idem.*

Convivii] Jampridem admonui emendandum esse, *ad ipsum connubii*, idque satis ostendit sensus. Error natus ex vetere scriptura *convivii* pro *connubii*, b pro u. Idem error in Paneg. Mamert. Genethl. c. xii. ubi vulgo est, 'obtutu mutuo transacta convivia,' in vet. cod. Pithœi erat *connubia.* Juret. Scilicet in triclinio, ubi convivium celebratur. Infra enim: 'Jucundissimam lætitiæ sedem vocat ad aspectum convivii,' id est, eo loco, unde aspici a convivantibus possit. *Acidal.* Sunt, qui legere maline *connubii*, ut putavit etiam Franc. Juretus. Quam perperam, judicet, qui sanus est. Nam loquitur Noster sane de imagine posita in triclinio, ubi convivium celebratur, ut adnotavit Acidalius. *Patarol.* Cf. J. F. Gronov. ad Taciti Annal. xii. 57. *Jager.* Recte illic Gronovius interpretatur 'convivium' cœnationem, locum ad convivas excipiendos, in quo imago sic erat posita, ut a convivantibus conspici posset, ut 'spectacula' pro loco spectaculorum apud Sueton. Calig. cap. 21. ubi Torrent. *Connubii* admitti nequit, quia tunc in Aquileiensi debuissent palatio nuptiæ esse celebratæ, quas Treveris celebratas esse fit verisimile. Vid. ad c. i. § 4. *Arntz.*

Puella] Flavia Maximiana Fausta. *Patarol.*

Sustinet] *Substinet* Rhenanus, pro quo vulgatum jam in excerptis substituit Schonhovius. *Arntz.*

Gemmisque radiantem] Lipsius de Milit. Rom. iii. Dial. 5. citat *distinctam*, quod satis elegans. Cf. Bunemann. ad Lactant. Instit. ii. 6. 6. sed in nullo cod. scripto aut edito, illud repertum. *Arntz.*

Pennis] Frequens est ista permutatio; cf. not. ad Claudian. Rapt. Pros. iii. 139. Burman. ad Quinctil. Declam. xiii. 5. Veteribus vocabulum 'pinna' fuisse ignotum, scribit Servius ad Virgil. Æneid. ii. 479. quem locum descripsisse Isidorum Orig. xix. 19. jam notavit Burmannus Secundus ad Anthol. tom. i. p. 625. saltem deinde et 'penna,' et 'pinna' fuit adhibitum, quæ nonnulli ita sunt arbitrati distinguende, ut hoc sit alarum, illud plumæ in pectore vel tergo. Vid. Muncker. ad Lactant. Narrat. Fabul. p. 808. Drakenb. ad Livium xxi. 30. 8. potius tamen nihil differre censet Cannegiet. ad Avian. Fab. ii. § 1. vocabulum hoc jam egregie restitutum est Eumenio Constantino viii. § 5. Ceterum de hoc galearum ornatu cf. Casaubon. ad Sueton. Cæs. cap. 24. *Arntz.*

Pulcræ alitis] Id est, pavonis. Hinc apparet, apud veteres galeæ conum ex pennis, aut aliis rebus addi solitum. *Rhenan.* Pavonis. Claudianus in vi. Honorii Consulatum: 'Gaudet metuens, et pollice monstrat, Quod picturatas galeæ Junonia cristas Ornet avis.' Alii alia conis et cristis imponebant. Poëtæ, et inprimis Silius Italicus, passim. *Livin.* Pavonis puta, aut struthionis. *Patarol.*

Eminentem] Melius *enitentem*, vel *emicantem*, sed illud magis. *Acidal.* Mutatione non opus; eminebat enim galea, per pennas altior. *Arntz.*

§ 3 *Ipsumque Parrhasium*] Forte scribendum, *Apellem ipsum, atque Par.* vel, *Apellem ipsum, ipsumque Parrhasium.* Acidal. Non sine ratione Acidalius de veritate lectionis vulgatæ dubitat; nam, si dicas, *Apellem, ipsumque Parrhasium*, sequitur, ut Parrhasius major Apelle, et excellentior habeatur. Verum Plinius, quam-

quam non parcus in laude Parrhasio tribuenda, Hist. N. xxxv. 10. sect. 36. tom. II. p. 695. ed. Hard. 'Omnes,' inquit, 'prius genitos, futurosque postea superavit Apelles:' cum quo cf. Quinct. Instit. Or. XII. 10. 4. seqq. Meliorem nobis lectionem exhibet Ms. Mœrl. in quo est, *Apellem ipsum Parrhasiumque*, tametsi ne sic quidem positus verborum, si velis argutari, satis accuratus videtur. Sed talia ab optimis scriptoribus non semper ad amussim exiguntur. *Jæger.* Etiam Guelferb. *Apellem ipsum, Parrhasiumque*, in quo exprimendo Jægerum sum secutus. *Arntz.*

Materia tamen imaginis] Nuperus poëta sacer, cui pauci, quod sine invidia dixerim, æquales: 'Ac bene materiam postquam suspexerit hospes, Materiam vinci clamitet arte manus.' *Livin.* Glossam censeo vocem *imaginis*. Acidalius. Admodum placet cod. Guelferb. scriptura, *materia tamen magis, quam arte*. Elegantiam hujus particulæ ante comparativum non ceperunt librarii, de qua dixi ad Arator. I. 856. et videtur vox *imaginis* librarii menti ex præcedentibus obversata. Unius tamen cod. fide hic vulgatam inmutare non sum ausus. *Arntz.*

§ 4 *Præcipue cujusque formæ*] Eleganter Bongarsius, *præcipuæ*. 'Forma' enim 'præcipua' eadem cum 'eximia.' *Gruter.* Lege, *præcipuæ cujusque*: forte etiam, *præcipuæ, et non cujusque*: prius verum. *Acidalius.* Loco τοῦ *præcipue*, quod in plerisque edd. nec non in Ms. Mœrl. reperitur, Acidalius et Bongarsius, probantibus Grutero et Baunio, ponunt *præcipuæ*, i. e. præstantis, et eximiæ, quod Cellarii Patarolique exemplum secutus, recipere eo minus dubitavi, quo certius constat, in libris scriptis nullo sæpe discrimine diphthongos, et simplices vocales haberi. *Jægerus.* Vera lectio est *præcipuæ*; pro altera frustra codd. adhibetur auctoritas, propter rationem a Jægero prolatam, de qua etiam dixi supr. cap. III. § 1. *Arntz.*

Sui notis] Ms. Gud. et Mœrl. habet, *quia certis suis notis cito deformitas exprimitur*; quod minus h. l. convenit. *Jæger.* *Sui* tuentur notata ad Mamertin. Maximian. IX. § 3. et XIII. § 4. Genethl. II. § 1. ad Eumen. Constantio VIII. § 1. *Arntz.*

Similitudo tamen] Livineius et Acidalius legi jubent *autem*, quod in textum recepit Patarol: et sane postulat vocem hujus significatus series orationis. Sed propterea non est ejiciendum illud *tamen*, quod interdum idem est, ac 'autem.' Vopisc. Aurel. c. 30. pr. 'Ingens tamen strepitus fuit militum,' &c. ubi manifesto *tamen* positum esse pro 'autem,' cuivis locum inspicienti patet. *Jæger.* Recte. *Arntz.*

Inspiciendo, intuendo] Lectionem Cod. Puteani *intuendo, inspiciendo*, protuli ex variantibus Mss. quæ in ed. Parisiensi vitiose est exhibita. 'Cominus intueri' similiter dixit Mamertinus Genethl. XII. § 1. *Arntz.*

Promendo] Vitiose Guelferb. *promerendo*, et mox *præsidia* pro *præsagia*: hoc enim indicat, ita pictos fuisse vultus, ut in iis conspici posset amor utriusque futurus. *Idem.*

CAP. VII. § 1 *Hoc jam, Maximiane*] Utrobique vel *hæc*, vel *hoc* scribendum. *Acidal.* *Tum* primus inseruit Gruterus, et præter Rivinum sequentes; hoc magis, quam *tunc*, quod est in Puteaneo, probat Guelferb. in quo ordine inverso, *sed hoc profecto*, et vitiose *Maximiane*. Arntz.

Hæc, cum ferret] Decebat enim senem a juniore rogari. *Patarol.* *Hoc*, præter Rivinum, inde a Grutero fuit editum, et confirmat Guelferb. postulat id præcedentis repetitio, unde Acidalius proxima nota utrobique *hoc*, vel *hæc* recte emendandum censuit. *Arntz.*

Prædestinabas] *Præstinabas* Guel-

ferb. Hoc verbum, emendi notionem habens, huic loco parum congruit, de qua Gronov. Lection. Plautin. p. 150. 'Prædestinare,' quamvis apud Christianos sit scriptores frequentius, non tamen a Nostri ætate videtur esse alienum, præsertim cum participium 'prædestinantes' ex Livio protulerit Borrichius, et Cellarius Cur. Poster. I. p. 74. *Idem.*

Diu frueremini] Ut nimirum reipublicæ gubernacula mutatoria per novas familias non abeant, sed Imperatoribus tandem Herculeis demandentur. *Patarol. Frueremini* edidit Livineius; reliqui et codd. vulgatum servant. *Arntz.*

Conjunctione firmasti enim] Videtur sic legendum, *firmasti. Quid enim competentius? quid.* Rhenan. Sic Vet. *conjunctione firmasti, quid enim competentius providentia tua?* Putean. *Quid enim competentius* Vet. Bertin. Langii schedæ, Cuspin. *Livin.* Nimirum Rhenanus, Stephani, Rivinus ediderunt, *quod hac conjunctione: firmasti enim competentius? quid providentia tua, &c.* at vero Livineius, *conjunctione firmasti. Competentius, quid providentia tua dignius.* Recte secundum codd. locum constituit Gruterus, et sequentes, neque aliter Guelferb. et Schonhovii excerpta. Illo *competentius* ex hoc loco Fabri Lexicon auxit Falsterus Supplem. p. 64. Puteanei cod. scripturam dedi secundum variantes penes me Mss. aliter est in editis: male tamen in iis *quid* omissum est ante *providentia.* Arntz.

Ejus filio] Constantii Chlori. *Patarol.*

Adfinitate adsciveras] Constantinus enim duxerat Maximiani privignam, vel, ut alii, filiam, Theodoram nomine. De hoc supr. ad Panegyr. Maximiano dictum. *Putean.*

Intimis adfectibus] Forte legendum; *nunc et intimos affectus traderes, et summi pignus imperii. Affectus* ut vocet filiam, quo nomine sæpe necessitudines designantur. Et Paneg. Constantino, Constantii F. 'Sed cur tantummodo privatis tuis affectibus blandiamur, quum omnium Deorum fuerit illa sententia?' Hoc prædicat autor, quod sicut patrem, ita et filium affinitate pariter, et imperii consortio sibi junxerit, ac dederit utrique eodem modo idem, quod et pietas ejus charissimum, et fortuna præcipuum haberet. Quæ sententia non ita plena in vulgato: quod tamen retineri forte potest; ac si retines, nihilo magis aliter vocem *affectibus,* quam dixi, accipies. Ex intimis necessitudinibus filiam ei pignus imperii dedit. *Acidal.* Certa hæc sunt de vocis *adfectus* notione. Vid. Not. ad Juvenc. Hist. Euang. III. 547. Similiter 'adfectio' de quacumque necessitudine. L. unic. C. Theod. de Parricid. 'parentis, aut filii, aut omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur:' ex qua translatus est locus § 6. I. de Public. Judic. ubi tamen pro 'adfectionis' male legitur 'adfinitatis;' Justinianum 'adfectionis' dedisse ostendit διαθέσεως apud Theophilum, ut in Glossis Nomicis, Ἀφεκτοῦμ, διάθεσις. Cf. Reitzium Observ. Miscell. Nov. tom. VII. p. 766. Herm. Cannegieterum meum Observ. Jur. III. 15. quamvis autem 'intimos adfectus' de summo amore capere liceret, pari fere modo, quo 'intimos mentis adfectus' dixit Pacatus Paneg. XXXVII. init. tamen Acidalio in vocis interpretatione adsentiri malim, ut ex proximis consanguineis filiam, imperii pignus, dedisse dicatur Maximianus, quod est 'pignus carissimum,' c. III. § 2. *Arntz.*

§ 3 *Inter omnes*] Forte *præter,* ut ad finem: 'Hæc est tua præter omnes Divos propria immortalitas.' *Acidal.* Guelferb. vitiose *Maximiniane.* Arntz.

§ 4 *Quod pietas*] Qualis est filia. *Patarol.*

Quod fortuna] Quale est imperium. *Idem.*

§ 5 *Sint omnia*] Ex Puteolani lectione foret distinguendum, *ut, quamvis maxima, largiaris. Ita penes te sunt omnia, &c.* Magis tamen placet vulgata, hac sententia, ut quamvis maxima, id est imperium, Constantino largitus esset Maximianus, id tamen ipsi adeo esset proprium, ut nihilominus solus habere videretur, sive, ut mox dicit, 'potes imperium donare, non potes non habere.' Simili modo Valentinianus dicitur 'solus omnia habere' apud Ausonium vs. Paschal. 28. *Arntz.*

§ 6 *Cœlo*] Quas aquas cœlo ministrat oceanus? An vapores, a quibus nubes, et mox pluviæ? An illæ, quibus ali sidera Stoicis dicebantur? adnotavimus ad Paneg. Eumenii Constantino cap. VII. *Patarol.*

Terris præbet] Similis locus apud Pacatum cap. XXVII. 'Ut,' inquit, 'ille, qui cuncta ambit oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit e terris, ita quidquid in cives manat a Principe, redundat in Principem.' *Putean.* Optimorum enim opinio philosophorum est, flumina nil aliud esse, quam aquas e mari per terræ occultos meatus ascendentes, inde ex his aliisque fontibus exeuntes, tandem refluentes rursum in mare. Explicat egregie inter cæteros recentiores P. Maignan Curs. Philos. cap. 17. prop. 17. *Patarol.* In Guelferb. est *terra*, sed vulgatum tuetur Pacati apud Puteanum locus. *Arntz.*

Super tamen] Anacreon: Πίνει θάλασσ' ἀναύρους, Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν. *Putean.* *Super tamen* nullo sensu dederat Livineius; alii cum codd. recte *semper*. Sententia est, quamvis vaporibus nubes in cælo, aquas terris præbeat oceanus, totum tamen manere, nihilque ideo inminui. *Arntz.*

Non tamen potes] Alludit ad imperii depositionem a Maximiano factam, una cum Diocletiano, post annos viginti. *Patarol.* *Tamen*, quod edit. Livineii habet, ignorant codd. et, quas vidi, edd. *Arntz.*

§ 7 *Audacior*] Forte *adulator*. *Veritas* pro sinceritate, ut Plinius. Cæterum adhuc dubito, an et *venerim* scribendum, ut *de quo* capias de ipso Maximiano, quia hactenus de Constantino. Non enim peculiare postea membrum sequitur de imperii donatione simul et retentione. *Acidalius.* Nihil mutandum. Nazarius Paneg. IV. § 5. qui hunc locum videtur imitatus: 'Dabit enim veniam clementia tua, si audaciorem veritas facit.' *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Quam te*] Ante Gruterum constanter fuit editum, *quam te Principis*, quod etiam est in Guelferb. et ad marginem probat Cortius, retinuitque Rivinus; id vero 'tum' est pro 'quantum,' de quo Burman. ad Quinctil. tom. I. p. 7. Cortius ad Cic. ad Divers. II. 10. init. videtur tamen *quanti* sequentibus, quibus Maximiani virtutem extollit, convenientius. *Arntz.*

§ 2 *Qui nomen*] Herculei. *Patarol.* Confer supra ad cap. 2. in fin. *Arntz.*

Quod accepit a Deo] Hercule. *Livin.* Constanter fuit editum, *quod accepit*: ex Guelferb. rescripsi *nomen acceptum*, ut jam supra hunc locum castigavi ad Mamertin. cap. II. ubi de ipsa re latius. Recte autem Herculem intellexit Livineius, quem ideo Maximiani auctorem adpellat Mamertinus Genethl. III. § 6. quod ibi pluribus adtigi. *Arntz.*

Æqualibus virtutibus] Præter Livineium omnes, quos vidi, editi habent *æquatis*, etiam Guelferb. Similis est locus Mamertini Genethl. II. § 4. 'Vos Diis esse genitos et nominibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus adprobatis.' Hinc in Maximiani numis sunt Herculis symbola, aper Erymanthius, leo Nemeæus, et similia; cf. Spanhem. de Usu Numism. tom. II. p. 495. Schwarzium Proleg. ad Genethl. Mamertin. § 5. 'Adulationes fabulosæ' sunt virtutis præconia in poëtarum fabulis fre-

quentia. Cf. Bentleium ad Horat. Od. I. 22. 7. qualem Jovem 'opinione traditum' dixit Mamertinus Geneth. X. in fin. ubi vide. *Idem.*

§ 3 *Ornatu numinis*] Lege *ortu*. Acidal. Vide Eutrop. lib. IX. *Patarol.* *Ornatu* vitiose dederunt Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus: alterum tuentur codd. et Schonhovii excerpta, a Livineio, et Paullo Stephano jam receptum. Recte ortum illum *numinis* de Cæsarea Maximiani dignitate accepit Baunius, male de primo Augusteæ dignitatis anno Norisius Numism. Diocleт. Diss. I. cap. 4. latius dixi ad Mamertin. Paneg. VI. § 3. ubi quoque pluribus hanc locutionem explicui, et supra ad cap. I. § 1. *Arntz.*

Priorum temporum] Carini Cæsaris. *Livin.* Cf. ad Mamertin. Genethl. V. § 3. Præsertim Bagaudarum intelligo seditionem, de qua ad Mamertin. Paneg. IV. ubi etiam vide VI. § 3. Genethl. V. § 3. inprimis ad Eumenium pro Instaur. Schol. IV. § 1. *Arntz.*

Sibi ipsas] Jægerus dedit *sibi ipsis*, sine ulla codd. aut edd. auctoritate: vulgatum quoque melius propter duo opposita. Cf. ad Arator. I. 253. Drakenb. ad Livium II. 19. 5. *Idem.*

§ 4 *Putabatur*] Adulatorie dictum. *Patarol.* Cum Patarolo, quia idem fecerint Cæsar, Drusus, Germanicus, Trajanus, recte sentit Wagenaer. Hist. Patr. tom. I. p. 221. Davies. ad Cæsar. B. C. I. 7. 6. ita tamen Mamertinus quoque Maximian. VII. § 2. 'Illa tua in Germaniam transgressione? qua tu primus omnium Imperatorum probasti Romani imperii nullum esse terminum.' *Arntz.*

§ 5 *Cum frater*] Cum Diocletiano, fratre Maximiani. Plures enim Augusti, simul imperantes, se invicem 'fratres' dixere, quia æquali potestate, et veluti collegæ erant. Cæsares autem filiorum loco habebant. Sic in legibus 'Divi fratres' pariter Augusti, M. et L. Antonini. *Cellar.* Diocletiano collega. *Patarol.* Rhenanus, Stephani, Rivinus ediderunt, *cum frater*. Alterum rectius Livineius, et reliqui, cum codd. *Fratris* adpellationem explicui ad Mamertini Paneg. cap. I. *Arntz.*

Aut quiescit] Vet. et Vatican. *ut quiescat*. Sic in Panegyr. Pacati cap. XXII. *Puteanus.* *Ut quiescat* Vet. Bertin. Sincerum est, *consulit, ut quiescat.* Pacatus in Theodosium: 'Quæcunque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam nobis fuit, aut boni consulit, ut quiescat, aut lætatur quasi amica, si serviat.' Latinius Columella Præfat. de Cult. Hort. 'Ut boni consulat, si non sit dedecori prius editis a me scriptorum monumentis.' In Langii schedis est, *consulat, quod quiescat.* Livin. Lege, *ut quiescat.* Eadem sententia, eademque omnino verba in Latini Pacati Panegyrico: 'Quæcumque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam nobis fuit, aut boni consulit, ut quiescat, aut lætatur quasi amica, si serviat.' Imitatus alter ex altero locus. Sed uter ex utro? Mihi videtur hic levius ignoti autoris ex illo Pacati; si tamen temporum ratio permittit, et Theodosius prior Maximiano et Constantino. *Acidal.* Ex h. l. Pacati colligitur primum, veram esse hanc, quam exhibemus, scripturam, codd. Livin. Bertin. Put. et Mœrl. auctoritate munitam, receptamque a Paris. Pat. et Cellario; reliqui habent, *boni consulit aut quiescit.* Quodsi ita legas, τὸ 'quiescere' h. l. a 'boni consulere' parum differt, adeoque non bene particula *aut* disjungi ab eo potest, sed potius τῷ *et* copulandum esset cum *boni consulit.* Deinde non satis accuratam esse Baunii interpretationem videor mihi videre. Nam τὸ *id* sine dubio retulit ad *domita*, ut sensus sit: Germania fert æquo animo, se esse domitam, nec cogitat de

bello redintegrando: et τὸ *ut* τελικῶς capit, *ut pacem habeat*, i. e. ne denuo armis Romanorum vastetur. Hæc interpretandi ratio non quadrat ad locum Pacati. In eo enim τὸ *boni consulit*, i. e. ut Baunius vult, 'æquo fert animo,' non habet, quo referatur; nam ad *ut quiescat* non posse referri, me etiam non monente, quilibet facile perspicit. Itaque et apud Pacatum, et apud hunc Nostrum paullo aliter explicem. Quinctil. Instit. Or. I. 6. 32. docet 'boni consulere' esse proprie 'bonum judicare.' Sensus igitur hic erit: Germania aut bonum et salutare sibi judicat, ut quiescat, aut lætatur, &c. Nec offendi quisquam debet hoc usu conjunctionis *ut*, nam ea Paneg. Eumenii Constantino XIII. § 2. similiter fere adhibetur: 'Pulchrum tibi videtur, . . . ut Rhenus . . . novo ponte calcetur.' Cf. Paneg. Incerti Constantino XVI. § 1. Possit tamen, ne quid dissimulem, τὸ 'boni consulere,' et τὸ 'lætari' ad *si pareat*, vel *si serviat* referri. Et tunc *ut quiescat*, τελικῶς acceptum, et per parenthesin positum, significabit, ut ne rursum a Romanis ferro vastetur. Sed et hæc interpretatio, si attente rem consideraveris, non eadem Bauniana: et prior illa probabilior videbitur. *Jæger.* Locutionem 'boni consulere,' re denuo considerata, idem puto significare, ac ἀσμένως ἡσυχάζειν in loco non dissimili Zosimi II. 8. s. 2. τῶν πανταχοῦ βαρβάρων ἐν τῷ προλαβόντων κατορθωμάτων ἀσμένως ἡσυχαζόντων· *Se sibi bene consulere barbari credebant, si commoda quietis rebellandi periculis præferrent.* Idem. Nulla est dubitandi caussa, quin veritati sola sit consentanea prior interpretatio; duo enim intelligit, et quæ Germania faciat invita, et quæ ex voluntate; illud erat, ut salutare sibi judicaret, a rebus novis abstinere, hoc, ut lætaretur, si Romano pareret imperio. 'Boni' itaque 'consulere' est, facere, quæ quis sibi judicat bona, ut similes hujus verbi constructiones explicat Cortius ad Sallust. Catil. LI. 7. Recte igitur post Gruterum, excepto Rivino, editum est, *ut quiescat*, quod etiam habet Guelferb. Cf. Not. infra ad Incert. Constantin. XVI. § 1. Mira autem est Acidalii dubitatio, locusne hic ex Pacato sit translatus, an contra. Qui enim Noster, Maximiani tempore, Pacati Panegyricum, imperante Theodosio dictum, viderit? *Arntz.*

Maurelaniæ populos] Quinquegentianos. *Livin.* Quinquegentianos ab Herculeo domitos Eutropius tradit IX. 15. sed incertum, an hi ad Mauretaniam pertinuerint, quos alii Cyrenaicæ Pentapolitanos credunt esse. Vide, quæ ad Eutropii cap. XIV. notavimus. *Cellar.* Pro *ferocissimos* Ms. Mœrl. habet *fortissimos*; male. *Jæger.* Barbaros trans limitem habitantes, et in varias nationes divisos intelligit Valesius ad Ammian. Marcell. XXX. 7. Pertinet ad hos Mamertinus Genethl. XVII. § 1. Eumenius pro Instaur. Schol. XXI. § 2. Constantio V. § 2. ubi Quinquegentianos intelligunt interpretes, quod certum non adeo esse, patet ex iis, quæ notant Cellarius et Valesius; mihi nondum liquet. Recte *ferocissimos* tuetur Jægerus, vocem barbaris gentibus propriam, ut apud Plinium Ep. II. 7. et 'ferocia barbarorum' idem Paneg. XXIV. § 1. Ceterum in quibusdam edd. est *Mauritaniæ*, alterum tamen habetur antiquius. Vid. Cortium ad Sallust. Catil. XXI. 3. Dausq. Orthogr. Part. II. p. 195. Cellar. Orthogr. p. 94. *Arntz.*

Transtulisti] Rei gestæ progressum nota, ut in illo, 'veni, vidi, vici.' Supra IV. § 2. 'depuiit, cepit, abduxit:' ubi vide. *Arntz.*

§ 7 *Respublica excepit*] Lege *R. P.* vel *P. R.* id est, *Populus Romanus*: quæ notæ sæpe sic peccarunt, et ubique scriptorum. *Acidal.* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. habent *res*

publica, Gud. *ppli. Roi.* Put. et Mœrl. *populus Romanus;* quod verum puto. Nam etsi *populus*, ut Grut. Paris. Pat. et Cellar. ediderunt, non alius quam Romanus hic potest intelligi, quoniam tamen, si non addas *Romanus*, vix ratio invenietur, qua voces *res publica* et *populus* inter se permutentur, Acidalium rem acu tetigisse existimo, adeoque conjecturæ ejus, auctoritate codicum confirmatæ, locum dare non dubitavi. *Jæger. Res publica* etiam Puteolanus et Rivinus. Jægerum secutus sum; corruptelæ autem origo ex notis, ex quibus ubique scriptorum fuisse peccatum recte monet Acidalius. Apud Ampelium Memorial. cap. XVIII. 'dubitari non potest, paria eis præstaturum non fuisse,' recte Perizonius et Freinshemius, 'parem eis P. R.' cum vero pro 'præstaturum' iidem scribant 'futurum,' ipse ductui litterarum propius malim, 'P. R. exstiturum non fuisse.' Idem remedium egregie adhibuit Dukerus ibid. cap. 20. et Suetonio Aug. 58. Struchtmeyerus Epist. Crit. p. 71. pro 'læta huic precari existimamus,' ingeniose emendans, 'læta huic P. R. precari,' nisi forte propter 'huic' simpliciter placeat, 'huic P. precari,' id est, populo. *Arntz.*

Capitolini Jovis] In quo laureas triumphales deponebant. Plinius in Panegyr. 'Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus Diis, ut invicti Imperatoris victoriæ insigne decoraret, hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat.' Plinius Major cap. ult. lib. XV. 'Fasces Imperatorum decorat; ex his in gremio Jovis Optimi Maximi deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit.' Vide Tranquill. in Domitiano. Pacatus in Panegyric. Theodosio cap. IX. 'Et ne,' inquit, 'virtus quiete languesceret, depositis in gremio Jovis Capitolini laureis, triumphales viri rusticabantur.' Adde Senecam Consolat. ad Helv. 'Scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, quæ tam sæpe hostem percusserat, lauream que in gremio Capitolini Jovis reposuerat.' Sic ibi legendum, non, ut vulgo male, 'lancem.' *Putean.* Ritum illum pluribus confirmant V. D. ad Plinium Paneg. VIII. § 3. pater meus ad Pacat. Paneg. IX. § 5. *Arntz.*

§ 8 *Vicesimo anno*] Quo se imperio abdicavit. Zosimus II. Sed Aurelius Victor unum recidit. Verba ejus sunt: 'Namque imminentium scrutator, (sermo est de Diocletiano,) ubi fato intestinas clades, et quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani, celebrato regni vicesimo anno valentior curam reip. abjecit, cum in sententiam Herculium ægerrime traduxisset, cui anno minus potentia fuerat.' *Livin.* Cf. Pagii Dissert. Hypat. p. 157. *Jæger.* Vexavit eruditos hic locus, in anno hoc *vicesimo* recte computando, eodemque, quo Augustus sit factus Maximianus. Hoc ad Kal. April. anni CCLXXXVI. retuli ad Mamertini Paneg. IV. § 2. *vicesimus* itaque annus demum in a. CCCVI. incideret, at ille *octavo consulatui* non congruit. Dicamusne igitur, quod quidam censent, Nostrum numero potius rotundo esse usum, an, quod alii, Maximianum vicennalia biennio anticipasse, quo ea simul cum Diocletiano ageret? Cf. Norisium de Num. Dioclet. Dissert. I. cap. 2. Neutrum placet. Quid igitur? Facillime te expediveris, si Pagium sequaris, Dissert. Hypat. p. 157. et annum hunc vicesimum a Cæsarea Maximiani dignitate, qua anno CCLXXXIV. fuit ornatus, numeres, quodque jam probavi ad Mamertin. Paneg. IV. § 2. adde hac de re disserentes Baluzium ad Lactant. M. P. 8. et quæ de octavo consulatu monet Relandus Fast.

Consul. p. 279. Sed aliud superest dubium. Ex hoc enim loco Cuperus ad Lactant. M. P. 19. aliique demonstrant, anno hoc *vicesimo*, sive CCCIV. Maximianum cum Diocletiano sese imperio abdicasse, quod adfirmat etiam Bannius; et tamen id demum videtur factum Kal. Maiis, anno CCCV. ut ostendit Baluzius ad Lactant. M. P. 17. et 19. et quos citat Grunerus ad Aurel. Vict. Cæsar. XXXIX. 48. neque, si historiam sequamur ducem, anno præcedenti fieri potuit. Tum enim, Kal. Januariis, Ravennæ Cos. processit Diocletianus, deinde Roma profectus, ex itinere, hiberno tempore, et imbre morbum contraxit gravissimum, et exeunte Novembri venit Nicomediam adhuc Imperator, quod contra Valesium recte ostendit Baluzius d. l. cap. 17. ex eo autem morbo tantus eum invasit languor, ut, Idibus Decembribus, mortuum esse fama ferret. Sese tamen recepit, quamvis, sequentibus Kal. Mart. in publicum prodiens, vix agnosci potuerit, certisque horis inseniret, teste Lactantio M. P. 17. id caussæ fuit, ut ipsi de deponendo imperio persuaserit Galerius Maximianus, cui Nicomediæ tandem cessit Kal. Maiis, anni CCCV. eodemque die ipsius exemplum Mediolani secutus est Maximianus Herculeus. His non est contrarius Nostri locus, quem de deposito quidem imperio accipiunt eruditi, sed me invito. Tantum enim adfirmat, Romam Herculeum ita fuisse amplexam, ut videretur 'augurari,' et 'timere,' quod factum est. Eo itaque anno, qui currebat ad Kal. Apriles anni CCCV. nondum erat imperium depositum, sed 'augurari' jam antea, et 'timere videbantur,' ne id fieret, ut recte accepit Basnage Annal. tom. II. p. 596. Januar. ad Sigon. Opp. tom. I. Part. II. p. 54. hoc, oratorum more, fingit Noster factum a. CCCIV. sive *vicesimo*, propter iter Nicomediam, quo pertinet *videretur*, quamvis vera timoris ratio initio anni sequentis demum orta. *Arntz.*

Timere] Vitiose Guelferb. *retinere*; cogitabat haud dubie librarius proximum *retinere*. Idem.

Factum est. Est enim] Cod. Mœrl. cum Gud. ita habet, *quod factum est. Factum est enim, &c.* Quæ repetitio verborum h. l. satis bene convenit, et vehementiam quamdam orationi conciliat. *Jæger.* Mirifice placet, unde in textum duxi recipiendam. *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Audi*] His vocibus Panegyristæ, et similibus, credo, incitatum Maximianum ad repetendum imperium, quod invitus posuerat, quam 'ægerrime,' ut Victor ait, Diocletianus illum 'in sententiam traduxisset.' *Cellar.*

Siquidem Dii] Cod. Puteaneo adstipulatur Guelferb. vocemque ideo inserui, absorptam ab ultima præcedentis, et in codd. per *em* sæpe scriptam. *Arntz.*

Aliud fortasse] Impie dictum etiam ab Ethnico. *Patarol.*

Hauriuntur volentibus] Vocabulum *hauriuntur* irrepsit a glossa: nam periodus ista non solum accommodanda ad illud *hauriuntur*, sed ad *grandines ruunt, terræ dehiscunt*. Gruter. Dele posterius *hauriuntur*, importune repetitum. *Acidal.* Dedit lectionem ita, ut Acidalius et Gruterus voluere, Patarol, quem sequimur. *Jægerus.* *Hauriuntur* contra omnes codd. ejicere non sum ausus, et videntur hæc verba tantum ad *urbes* referenda, sequentia vero ad *grandines* et *terras* pertinent. Clarior erit auctoris sententia, si ita distinguas: *urbes hauriuntur, quæ non illis hauriuntur volentibus: sed aut, &c.* Arntz.

Aut aliorsum adspicientibus] Quemadmodum τὸ *respicere*, ut innumeris exemplis liquet, favorem et auxilium indicat, ita, quando Dii dicuntur oculos avertere, et aliorsum adspicere,

neglectus, et incuria quædam significatur. Sic Jupiter Homericus Iliad. N. vs. 2. sqq. cum Troas et Hectorem navibus admovisset: Τοὺς μὲν ἔα παρὰ νῆσι πόνον τ' ἐχέμεν καὶ ὀϊζὺν Νωλεμέως· αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινὼ, Νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρῃκῶν καθορώμενος αἶαν, . . . Ἐς Τροίην δ' οὐ πάμπαν ἔτι τρέπεν ὄσσε φαεινώ. Cf. Virgil. Æneid. x. 473. *Jæger.* Locis Homeri et Virgilii a me laudatis adde, sis, Plin. Paneg. LXVII. § 5. et 8. itemque LXXX. § 5. ibique Schwarz. *Idem.* Male Acidalius; per *aut* enim aptius *fato* opponuntur *Dii*, de quo dixi ad Mamertin. Paneg. v. § 1. De illa Deorum neglectione vide Cortium ad Sallust. Jugurth. XIV. § 21. *Arntz.*

§ 2 *Facere voluisti*] Diocletianus et Maximianus A. A. sponte se abdicarunt imperio, et in privatam vitam concedunt XX. imperii anno. Vide Aurel. Victor. Euseb. Chronic. Orosium, Zonaram, et alios. *Puteanus.* Sponte, an coactus imperium deposuerit Diocletianus, dubium est; posterius mihi placet, ob ea, quæ de Galerii Maximiani persuasionibus narrat Lactantius M. P. c. 18. cui eo major est habenda fides, Nicomediæ apud Diocletianum præsenti, eoque occasionem nacto commodiorem, qua arcana magis scrutaretur; ad quas persuasiones, ut a Lactantio narrantur, adcommodatum est illud Joti dictum, persuadere plus esse, quam compellere, L. 1. § 3. D. de Serv. corrupt. sive ut de lege est apud Lysiam pro cæd. Eratosth. p. 18. τοὺς βιαζομένους ἐλάττονος ζημίας ἀξίους ἡγήσατο εἶναι, ἢ τοὺς πείθοντας. Hoc quoque adcedit, quod Noster mox § 5. Diocletianum dicit annis, et valetudine coactum; quo argumento recte usus est Buneman. ad Lactant. M. P. XVIII. 1. adde quæ habet Nourrius Dissert. ad Lactant. p. 257. Gruner. ad Aurel. Vict. Cæs. XXXIX. 48. Contra vero Maximianum sponte deposuisse Noster, reliqui autem id invitum fecisse tradunt; dissensum notavit jam Baluzius ad Lactant. M. P. 26. sed gratiæ ab Imperatore captandæ Noster indulsisse videtur; cum enim Severum misisset ad Herculium Galerius Maximianus, quem Cæsarem legeret, et ipse intellexisset Herculius, quid rei a Diocletiano Nicomediæ ageretur, eum magis coactum, sibique a Galerio metuentem, imperium quoque deposuisse censuerim. *Arntz.*

Ut res est] Non tantum hujus ætatis scriptoribus, sed vero etiam elegantioribus usitatam esse, ad Mamertini locum docuit Schwarzius, quosque ipse illic excitavi. *Idem.*

Pietate fraterna] Hoc ad id pertinet, quod in imperio collegæ fratres dicebantur, de quo ad Mamertin. p. 11. Cellarius supra VIII. § 5. *Idem.*

Desereres] Quia Maximianus ægre deposuit imperium; Diocletianus autem rogatus ab Herculio, et Galerio, ut reciperet, id aversatus est. Vid. Eutrop. lib. IX. Paul. Diacon. Zonaram. *Putean.* Imperium scilicet deponendi. *Patarol.* Non video, qua possint ratione a Puteano notata ad hunc locum referri, in quo nihil est de recepto imperio, sed ratio tantum redditur, quare in deponendo Diocletiani sit exemplum secutus Maximianus, quod recte Patarolus. *Arntz.*

Ne vel illius] Legi jubet Acidalius, *neve illius*, et sic nobiscum exhibet Patarol. *Jægerus.* Hos in mutando contra codd. contextu sequi non sum ausus, et vulgata habet, quo se tueatur. *Arntz.*

§ 3 *In vos*] Legendum est vel *inter vos*, ut jubet Acidalius, et dedit Patarol; vel *vobis*, ut est in Langianis. *Jæger.* Nihil mutandum, si *in* pro inter posuisse suspiceris. *Arntz.*

Adferres] Certum mutanda, *afferret*, *sic quoque ipsi*, vel *illi*, non *afferres*, et *tibi*. Non enim de Maximiano ipse hæc, sed de fratre ejus majore natu, ac seniore, capi debent. *Acidal.* Con-

jecturis hujus modi et emendationibus supersedere potuisset vir doctus. Cur enim non de Maximiano hæc capi debeant, velim docuisset. Diocletianus annum sextum et quinquagesimum agebat ætatis, cum reipublicæ curis abnueret, et biennio modo (at quantillum hoc est!) Maximiano erat major, nullaque adeo invenitur caussa, cur in illum magis, quam hunc, ea conveniant. *Jæger.* Male Acidalius; sententia enim est, quamvis in deponendo propter ætatem imperio excusandus esset Diocletianus, tu tamen non ideo propter ætatem deponere debuisses, atque in eo diversa inter vos erat declinandi imperii caussa, quamvis in numis quoque Maximiano tribuatur senectus, ad amovendam imperii depositi invidiam, de quo Spanhem. de Us. Numism. tom. II. p. 514. forte tamen hoc factum, quia biennio tantum a Diocletiano distabat. 'Excusationem ætatis' recte dici, ostendit pater meus ad Plinii Paneg. XLVII. § 4. Sed quæ est 'tota excusatio?' an legendum *tutam*, id est, qua quis se certe excusare posset, ut hæc confusa docui ad Arator. II. 334. 683. 1022. sed nil definio. *Arntz.*

Erat abnuendum] Qui *abutendum* aut *addendum* dederunt, locum ita ceperunt, quod, deposito imperio, curas auxerat Maximianus in rep. suo duce destituta. Quamvis autem in *abnuendum* conspirent codd. de lectionis tamen veritate dubito. Itane enim dicendum esset *curas?* saltem 'custodiæ curam abnuere' dixit Incertus Constantino XI. § 4. quod tamen mutare in 'cura' conabatur Livineius; 'abnuere imperium,' Pacatus Paneg. XII. § 3. præterea 'abnuere' mihi magis ad negotium pertinere videtur nondum susceptum, et quod suscipere recusamus, hic autem de imperio dudum suscepto, sed deinde deposito agitur. Mihi certum est, scripsisse Nostrum, *abdicandum:* ita Nazarius Paneg. VII. § 8. 'terrarum se curis abdicaverunt.' Incertus Constantino XVI. in fin. 'se abdicasset imperio,' et hinc, eodem iterum sumto, se 'curis reddidisse' dicitur, infra XI. § 6. *Arntz.*

§ 4 *Gubernator est certissimus*] Excidit verbum, cui quidem alludunt membranacei codices, sed alludunt tantum, exprimentes nunc *victoris*, nunc *vector*. Reponendum enim fide libri, quo usus Cuspinianus, *gubernator vectoribus est.* Gruterus. Recte 'vectores' sunt, qui in navi. Cf. ad Mamertin. Paneg. XI. § 7. *Arntz.*

Is est] Guelferb. ignorat *est.* *Non* est nonne, de quo dixi Specim. Observ. cap. III. et ad Arator. I. 421. *Idem.*

Constantini liberi] Effertur cum interrogatione, sed non etiam satisfacit. Præposuerim Danielis conjectaneum, *haud te unquam, &c.* Gruter.

Impleveris] Cf. ad Mamertin. Paneg. IV. § 2. *Arntz.*

§ 5 *Valetudo deficeret*] Recte, *aut valetudo deficere, et receptui canere.* Putean. Nihil muto: valetudo Diocletianum defecerat, in gravissimo illo morbo, quem ex itinere contraxerat, quique etiam in caussa fuit deponendi imperii, descriptus pluribus a Lactantio M. P. 17. *Arntz.*

Receptui canere] Hoc explicat Savaro ad Sidon. Apoll. Ep. III. 8. *Id.*

Solidæque vires] Virgilianum ex Æneid. II. 638. 'Vos o, quibus integer ævi Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires:' ubi Cerda. Sequentibus par est locus Boëthii Consol. Philos. I. Pros. 1. 'Oculis ardentibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris.' *Idem.*

§ 6 *Participi majestatis*] Id est, imperii scil. Diocletiani. *Putean.* Diocletiano collegæ, qui, utique multo senior Maximiano, imperium deposuit, annum agens LXXI. Obiit enim septimo post anno, ætatis suæ LXXVIII. juxta scriptorum consensum, unum si

excipias Zosimum lib. II. qui tertio anno post ipsum dicit obiisse. At Maximianus obiit sexagenarius, multoque post imperium depositum. *Patarol.*

Quam ut tu] Ex arte dixisset, *quam quod tu, &c.* Sed ita locutus et Mamertinus Genethliaco: 'Hoc ipsum mihi maximum dicendi præmium videbatur, ut dicerem.' *Livin.* Contra Livineium recte disseruit Schwarzius ad Mamertin. Genethl. I. § 2. *Arntz.*

Cap. x. § 1 *XX. annorum*] Quibus imperio præfuere Diocletianus et Maximianus. *Patarol.* Proprie Diocletianus, Maximianus autem, si unà Cæsaream ipsius dignitatem computes. De illo Baluzius ad Lactant. M. P. 17. de hoc supra VIII. 8. *Arntz.*

Voluerint] *Voluerint* Puteolanus et Livineius; rectius reliqui vulgatum, duplex enim est argumentum; in principio a fortunæ varietate, hic a Diis, unde *voluerunt* ad *exegit* est referendum. *Arntz.*

Tibi innixam] Forte inserendum *uni*. Videtur enim hoc velle dicere: Cum duo reipublicæ præessent, uni tamen Maximiano saltem innixam, quum illo cedente stare nequierit. Non est tamen id valde necesse. *Acidal.*

§ 2 *Quinque in*] Præter Livineii ed. in omnibus est *quamquam*, cum altera sit lectio aperte vitiosa. *Arntz.*

Funditus corruit] Hujus temporibus in Occidente periculum distincte non proditum historiis, quod vel ab incursione barbarorum fuit, vel a motibus intestinis, si non conjunctim ab utrisque. *Cellar.*

Adeo illic] Pro *illic* Ms. Mœrl. habet *hic*, quod minus aptum esse h. l. facile patet. *Jæger.*

§ 3 *Sui soliditate*] Vid. ad Mamertim. Genethl. II. § 1. *Arntz.*

Consedit] 'Considere' hic significat χασμᾶν, *dehiscere*, ut et apud Livium. Cicero, 'desidere.' *Puteanus.* 'Considere' est h. l. corruere, vel dehiscere. Sic Virgil. Æneid. II. 624. 'Tum vero omne mihi visum considere in ignes Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja.' Metaphorice Cicero Orat. pro Muræn. cap. 8. in fin. 'Consedit utriusque nomen in quæstura. Nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset.' Eadem significatione usurpatur etiam 'desidere.' Livius XXXII. 9. 'Terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat.' Ad quem locum vid. Drakenb. *Jæger.* Cf. ad Eumenium pro Instaur. Schol. XVIII. § 3. Patri meo legendum videbatur *concidit*. Arntz.

§ 5 *Imperatoribus imperare*] Cf. Lactant. M. P. 26. *Idem.*

Tibi reddidit] Caute legenda hæc cum sequentibus, adulatorie concinnata. Maximianus enim, prava percitus denuo imperandi libidine, audito, filium suum Maxentium purpuram assumpsisse, nova moliri cœpit, conatusque est etiam ab eodem militum animos avertere. Profectus inde ad Constantinum, ipsum in Maxentium excitavit, specie quidem eundem debellandi, at revera, ut Constantinus idem opprimeretur insidiis, quas ipse illi paraverat. Hisce autem ab uxore Fausta Constantino patefactis, ipse Maximianum strangulari jussit. Vide Eutrop. lib. x. Zosim. lib. II. *Patarol.* Pertinent hæc ad ea quæ narrat Lactantius M. P. 28. *Arntz.*

Privati Principis] Est oxymoron, quo duo sibi opposita junguntur, ut ἀπόλεμος πόλεμος apud Æschyl. Prometh. Vinct. 903. Similia habet exempla Rittershus. ad Oppian. Cyneg. I. 260. et quæ dixi ad Arator. I. 149. ad Mamertin. Genethl. XIII. § 5. *Idem.*

Vel potius] Suspectum *vel potius.* Acidal. Ego vero ab Acidalio dissentio; utraque enim differt periodus; 'supplices manus tendere' est inferioris, et rogantis; 'queribunda' est majoris, et de eo, qui officio suo minus fungitur, conquerentis; hoc

buimus c. x. 'Cuncta Italia, atque ipsa Roma, subducta repente, qua sustentata fuerat, dextera tua, contremuit, ac pene consedit:' ibi enim ultima illa vox notat χαίρειν. Hactenus Daniel. *Gruter.* Lege *subsidentia;* nisi novam vocem 'subsidium' a 'subsidere' formavit, quod non puto. Sunt enim et ipsa participia, non nomina, quæ subdit, *exanimata, dilapsa.* Acidal. Si vox *jacentia,* quæ etiam in Ms. Mœrl. et ed. Cellar. et Pataroli comparet, non est exturbanda, ut certe non videtur, nec locum habere emendatio Acidalii, nec vera esse potest interpretatio, quam Gruterus probat, Danielis. *Subsidia reip.* sine dubio hic sunt opes, quibus sustentatur: nec attinet novam hujus vocis significationem comminisci. Patarol recte vertit, *le forze abbattute.* Jæger.

Reip. erigeres] *Jacentia erigeres* schedæ Langii, Cuspin. *Livin.* Ita fuit in Langianis membranis, et libro Cuspiniani: ceteri destituuntur illo *jacentia:* et vero sic quoque locus esse potest integer. *Gruter.* *Jacentia,* post Gruterum omnes, cum priores omittant, et deinde Rivinus; in Mœrl. quoque legi modo monuit Jægerus. Postulant illud sequentia *exanimata,* et *dilapsa.* In Guelferb. est, *subsidia reipublicæ exigeres.* Arntz.

Deus ille] Apollo, qui calore suo, seu melius dixeris, igne omnia vivificat. Quare de eodem Proculus Lycius cecinit: 'Qui aurea equorum Lora tenes lucis quæstor, vitæque orientum Claves fontis habes.' *Patarol.* *Ille* per excellentiam, præsertim de Deo. Buneman. ad Lactant. de Opific. II. § 1. et quæ dixi ad Sedul. II. 255. *Arntz.*

Vivimus, ut] Vox *videmus* deest in textu Livineii, et exempl. Bert. et Lang. Sed non videtur omittenda. 'Vivere' enim, et 'videre' jungi sollemne est. Terent. Eunuch. I. 1. 28. 'Vivus vidensque pereo.' Cicero pro P. Sextio cap. 27. 'Vivus (ut aiunt) est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus.' Hoc pari modo in Græcis observatur. Sic Achilles apud Homerum Iliad. A. vs. 88. Οὔτις, ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, Σοὶ κοίλῃς παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει. Cf. etiam interprett. ad Demosth. pro Cor. p. 183. ed. Harlesii. Præterea quoque, cum de Phœbo hic sermo sit, (fabulam enim Phaëtontis tangi in confesso est,) eo magis necessaria videtur hæc vox, quo certius est illius Dei donum esse, quod videmus. *Jæger.*

Male creditas] Scilicet Phaëtonti. *Livin.* Quadrigæ, de qua lucem mundo diffundit. Vide ejusdem descriptionem apud Ovidium Metam. II. *Patarol.* 'Male credere,' et 'committere' explicuit Gronov. ad Senec. de Brev. Vit. cap. 18. *Arntz.*

Cursum devio vectore] Videtur appositum magis, quod libri sui oræ adleverat Bongarsius, *rectore.* Gruter. *Turbatum,* omissa voce *tranquillitatis,* ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Stephani, et Rivinus, et tuentur codd. apud Jægerum. Sed *turbatæ tranquillitatis* Livineius; hunc secutus est Gruterus, eumque, si a Rivino discedas, sequentes. Tuetur locutionem Jægerus, et de loquendi forma nihil impedio; sed non video, quis in sole sit 'cursus turbatæ tranquillitatis.' Codicum igitur lectionem revocavi. Mirifice tamen mihi placet Jægeri conjectura *currum,* quæ et Eldikio nostro in mentem venerat. 'Currus' egregie ad 'habenas' est adcommodatus. Bongarsii *rectore* non opus est. Ovidius Art. III. 555. 'Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas, Comparibus frenis, artificemque regat.' Cf. Drakenb. ad Silium XVII. 138. quamvis Bongarsio faveat Lactantius Instit. VI. 17. 13. 'Juncto currui similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est:' ubi Buneman. *Arntz.*

Turbatæ tranquillitatis reciperet] Lucret. lib. v. 'Solique cadenti Obvius æternam suscepit lampada mundi, Disjectosque redegit equos, junxitque trementes,' &c. *Patarol.* Vide notam præced. *Arntz.*

Etiam facile] *Etiam* tueor, quod difficultati videtur oppositum, qua currum in ordinem redegerit Phœbus. *Idem.*

§ 4 *Cum enim*] Legendum forte, *Numquam enim a te.* Nisi defectus aliquot verborum est in hanc sententiam: *Quum enim recederes ab imperio, non a te recessit imperium:* quod sane elegans, et omitti facile verba potuerunt, quia eadem pæne essent repetenda. Tamen simplicius alterum est. *Acidal.* Lectionem adeo expeditam quare mutem, non video. Phœbo erat difficilius currum in ordinem redigere, quia totum illius imperium, omnemque suam majestatem in filium transtulerat; in reip. autem gubernaculis hoc erat Maximiano facile, quia, deposito quamvis imperio, inhæserat tamen ingenita majestas. *Arntz.*

Privatus licet] Livineius suspicatur pro *licet* legendum esse *scilicet;* sed tunc in antecedentibus melius etiam legeretur *recessisset.* Standum est lectione vulgata, quæ in omnibus Mss. et edd. reperitur, nec adeo inepta est, ut conjecturis, ingeniosis licet, sed minus necessariis, cedere debeat. Cogitandum est semper, non ubique ad normam optimorum orationem conformasse horum Panegyricorum auctores. *Jæger.*

§ 6 *Non sed servo*] Hic aliquid deest. Forsan legendum, *non domino, sed servo.* Rhenan. *Non recipio, sed servo* Vet. et Vatican. *Putean.* *Non recipio* Vet. Bertin. schedæ Langii, Cuspin. Egregie *non recipio, sed.* Quamquam ne sic quidem, meo animo, integer locus. Emendo ergo, *non recipio, serva.* Livin. Nihil opus medicina; 'servat' enim 'imperium,' qui ejus veluti custos. 'Servare' idem cum 'observare,' id est, custodire, ac tueri ab injuriis. Velleius lib. I. cap. ult. 'Jupiter Capitoline, Gradive Mars, custodite, servate, protegite hunc statum, hanc pacem.' *Gruter.* Manca oratio. Ad marginem volunt inseri, *non domino, sed servo.* Ineptissime. Aptius ego, *non redde, sed serva:* quod tamen ipsum languidum fateor: etsi vix aliter scriptum ab auctore pæne mihi persuasum. *Acidal.* Gruterus satis probabiliter. *Jæger.* *Recipio* etiam Guelferb. et in textum admisit Gruterus, quem omnes secuti præter Rivinum. Recte; quamvis Nostri mentem a nemine perspectam mirer, veritati tamen propius Baunio adcedente. Est nimirum ex juris Romani principiis locus inlustrandus, in quo, veterum scriptorum more, 'mutuum,' et 'commodatum' miscet. Negat Jupiter, sese imperium Maximiano 'commodasse;' tum enim reddidisset Maximianus, quod non sibi, sed Jovi esset proprium, atque ita, finito usu, suum recipere debuisset Jupiter: contra sese illud æternum tradidisse adfirmat, donantis instar, rei donatæ dominium in accipientem pleno jure transferentis. Cum itaque imperium, hoc modo donatum, deponeret Maximianus, id tamquam ex donatione recipere nolebat Jupiter, sed tantum ut illud, Maximiano proprium, velut ex deposito acciperet, depositum servaturus, et domino restituturus, quocumque illud tempore repeteret. *Arntz.*

§ 7 *Gubernacula fluitantia*] Ergo sub ipsum nuptiarum tempus Maximianus præ se tulerat, se recepturum imperium, ut generum adjuvaret: saltem hæc hominum de his nuptiis opinio fuit. *Cellar.*

Spes salutis] Quis damnet? sed et quis non melius fateatur, *dies?* quod sequentia valde probant. *Acidal.* Ut

'spes adfulgere,' ita etiam dici potest 'illucescere.' Si hujusmodi emendationibus indulgere velis, quotusquisque in veterum scriptis locus relinquetur intactus? *Jæger.*

§ 8 *Posuere venti*] Belle. Virgilius Æneid. VIII. 'Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.' Statius Silvar. II. Surrentino Pollii: 'Tum rabidi ponunt fluctus.' Iterum Thebaid. V. 'Cum fera ponit hiems.' Martialis IX. 73. 'Massyli leo fama jugi, pecorisque maritus Lanigeri mirum qua posuere fide.' *Livin.* *Quievere*] Poëtis usitatum hoc verbum. *Patarol.* In textu Livineii est *quievere;* in marg. ed. Rhenan. ubi æque ac in cod. Livin. et ed. Cusp. ceterisque legitur *posuere*, notatum est, 'al. composuere se.' Utrumque *quievere*, et *compos. se* debetur ingenio glossatoris. Recte probat τὸ *posuere* Livineius. Vid. Vechner. Hellenolex. p. 61. Heus. *Jæger.*

Fluctus resederunt] Pro *residerunt*, ut habet Livin. Paris. Patar. et Cellar. legitur in Ms. Mœrl. Gud. et ed. Rhenan. Stephan. Cuspin. *resederunt*. Verum, cum judice Heinsio ad Ovid. Met. VII. 76. Burmanno ad Petron. c. 96. Brouckhusio ad Propert. III. 7. 37. et Drakenb. ad Sil. V. 3. præteritum verbi 'sido' rectius 'sidi' formetur, quam 'sedi,' merito illud censui retinendum. *Jæger.* Probo *residerunt.* Vid. Heinsius, et Burman. ad Virgil. Æneid. III. 365. Pater meus ad Plinii Paneg. XVI. § 4. adde ad Eumen. pro Instaur. Schol. XVIII. § 3. est tamen apud eumd. Constantin. XXI. § 3. 'omnes fluctus resedisse:' etiam apud Virgil. Æneid. VII. 27. unde hic locus est desumtus: 'Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.' Forte illic etiam 'fluctus' scribendum, quia ceteroquin 'venti posuere,' et 'resedit flatus' nihil differt. Adde Buneman. ad Lactant. de Ira XVIII. § 7. hoc sensu 'æquora' dicuntur 'jacere' apud Lucan. Pharsal. V. 434. 'Æquora lenta jacent, alto torpore ligata.' Qui locus eorum confirmat conjecturam, qui apud Rutilium Itin. I. 539. emendant, 'interligat undas.' Similiter idem Lucanus I. 260. 'Mediusque jacet sine murmure pontus.' Forte 'Tumidusque jacet,' id est antea tumidus, ut 'pinus,' id est, antea pinus, apud Virgilium Æneid. X. 230. 'Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus, Nunc pelagi Nymphæ:' nisi 'Medius' tueri velis ex Ovidio Trist. IV. 8. 18. et Iscano III. 297. *Arntz.*

Et sicubi] Loco τοῦ *Etiam sicubi*, quod ex Vet. Livin. et Bert. arripuere Grut. Paris. Pat. et Cellar. revocavi *Et sicubi*, quod in reliquis legitur, et videtur aptius. *Jæger.* *Etiam* quoque Baunius. Jægerum sequor. *Arntz.*

Obversatur obscuritas] *Obversabatur* male Guelferb. sed *observatur* Paull. Stephanus; codd. tamen alterum habent: quod placuisse videtur etiam patri meo ad Plinii Paneg. XLVIII. § 4. *obversationes* pro *observationes* malebat Gothofred. in L. 6. C. Theod. de Curios. invito Rittero; vid. tom. II. pag. 199. adde de hac confusione Drakenb. ad Livium VI. 17. 4. Male Guelferb. pro *obscuritas*, habet *securitas;* quod contrarium foret *residuo undarum pulsui*, et sequenti *dilucescat;* hoc aperte ad *obscuritas* referendum, ut *sileat* ad *undarum pulsum*, eo loquendi more, de quo dixi ad Mamertin. Genethl. VIII. § 1. *Idem.*

Ante tuos nutus] Pro *ante tuos nutus*, ut vulgo habetur, reposui, probante Livineio, scripturam Lang., confirmatam cod. Put. Gud. et Mœrl. *ad tuos nutus.* Sic infra Nazar. XXXV. § 3. 'ad nutum ejus.' Mamertin. Julian. XXX. § 2. 'pæne ad lictoris nutum.' Non opus est pluribus in re manifesta. *Jæger.* Hanc quoque lectionem probandam duxi. Cf. ad Eumen. Constantio XVIII. § 1. Cicero Verr. I. 5. 'Nisi ad nutum istius.' *Arntz.*

Cap. xiii. § 1 *Separatim*] Hoc est oppositum illi, quod c. iii. § 1. dixit *communiter*. Cf. Buneman. ad Lactant. Instit. v. 12. 3. *Idem.*

Huic voto] Huic orationi, quæ velati votum. Supra c. 1. 'Huic voto propria nunc debetur oratio.' Sic Mamert. Genethl. cap. 1. 'Dicendi munus, quod tunc voti promissione susceperam,' &c. *Patarol.* Mamertini locus nihil hic quadrat; neque *votum* orationem notat, sed nuptias. Cf. ad c. i. § 2. *Arntz.*

§ 3 *Favor ille crescentis adest*] *Favet ille crescenti; adest iste senior. Perpetuis profecto pietatibus, adfinitas ista coalescat stirpibus.* Sic fere Mss. nam prius editi: *Favor ille crescentis adest, iste senior. perp.* Locus male habitus: nec mearum est virium sarcire. Petrus Daniel tentabat, *iste senioris: perpetuis profecto pietatis adfinitas.* Et sane illud *pietatibus* minime heic locum habet: neque visitur in codice Langiano: tolerabilis videretur lectio jam vulgata, si cum Livineio legamus, *adest iste seniori.* Gruter. Corruptissimus locus. Priora cum præcedentibus nectenda clare, ut nova comprehensio incipiat, *Perpetuis profecto.* Sed necti commode nequeunt: *Maximiano, Imperatori æterno, Constantinus, Imperator novus, plus cœpit esse, quam filius: favore illi crescenti adhæsit iste senior;* vel, *favore ille crescenti adhæsit, iste seniori;* vel potius, *favor ille crescentis est, iste senioris;* vel, *favor ille crescens est isti seniori.* Si altero e prioribus modo legis, *favorem* accipe affinitatem. Nove, sed vere. Ecce Latinus etiam Pacatus sic utitur: 'Qui dum carnifici purpurato, tua se affinitate et favore jactanti, infeliciter credunt, gravissimum omnium nefas fecerunt affectu innocentium.' Nam, ne vulgariter hic positum putes, quia vox ipsa *affinitatis* adjuncta, alio idem loco solam hanc ponit, nullo alio præter hunc affinitatis significatum. Inferius: 'Nec cunctari saltem, aut mussitare potuit, quin consilium omne nudaret, se videlicet favoris tui obtendisse prætextum, quod aliter non potuisset allicere militum societates,' &c. Si e posterioribus, altero paullo diversius *favorem* cape affinem, sic nempe, ut 'amorem' pro amante, et amato, quod crebrum in poëtis, nec rarum in aliis, numero tamen potius plurativo, cum 'amores' suos dicunt, qui inter se amant. Lipsius, Elect. ii. 10. nove *favorem* observat pro acclamatione. Sic pulchre Macrobius pro plausu et acclamatione, vii. 15. 'His dictis, favor ab omnibus exortus est, admirantibus cunctis dictorum soliditatem, adeo ut attestari vel ipsum Euangelium non pigeret. Disarius deinde subjecit; isti plausus sunt, qui provocant philosophiam ad vindicandos sibi de aliena arte tractatus.' Seneca 'favere,' ac 'plaudere' jungit, Natur. Quæst. iv. 8. 'Unam rem adhuc adjiciam, et favere, ac plaudere te juvabit.' *Acidal.*

Pietatibus adfinitas] Vet. *pietatis stirpibus*, et mox *stirpibus* delet. *Putean.* Lege, *perpetuis profecto, perpetuis affinitas ista coalescet stirpibus.* Nisi verius, et vero id verius, *perpetuis profecto pietas et affinitas ista coalescet stirpibus*, ut utrumque jungat, *pietatemque* dicat, quæ inter patrem et filium est, caritatem, cui opinioni favet, quod statim subjicitur: 'quid sperandum est, quum sempiternam patris ac filii caritatem etiam nuptiarum fœdus astrinxerit?' *Acidal.*

Coalescat] Nullam mutandi video necessitatem, præsertim cum vulgatæ adhærescant codd. De verbo 'coalescere' cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. viii. § 3. *Arntz.*

§ 4 *Dissidentes familias*] Scipionum et Ti. Gracchi. Vide Tit. Livium lib. xxxviii. in fin. et Valer. Maxim. iv. 2. Gellium xii. 8. *Putean.* Dissidium de re publica inter Scipionem Africanum majorem, et Ti. Gracchum, Tiberii et Caii patrem, finitum

fuit adfinitate, quum Scipio filiam Gracchi filio Tiberio in matrimonium locaret. Gellius XII. 8. *Cellar.*

Et Corneliæ] P. Scipionis filiæ minoris natu: natu enim major desponsata fuit P. Cornelio Nasicæ. Contigit connubium illud anno ab U. C. DLXVI. Vide Livium. *Patarol.*

Victoriam tantummodo] Inclinat Daniel reponere, *victoriam tantum non*, id est, μονονουχὶ, ut primum scriptum fuerit *tantum non*, idque librariorum inscitia mutarit in *tantum mon;* et vero victoriam Actiacam attribuit Agrippæ M. Antonius apud Suetonium c. 16. respicitque eodem Panegyricus Constantino Augusto dictus: 'Spectavit ex edito monte Xerxes navale certamen; Augustus aliud agens vicit apud Actium.' Sed tamen nihil temere mutaverim; neque enim inibi est Panegyristes, ut ostendat, adscribendam illam victoriam Agrippæ potius, quam Augusto: sed argumentatur a minori ad majus: et si, inquit, gener vicit pro socero, quidni vincat filius pro patre? *Grut.* Siculam fortassis dicere voluit, qua Agrippa vicit, dormiente Octaviano, Sueton. c. 16. Actiacæ autem pugnæ ubique aderat, in quam partem a fortuna vocaretur. Vell. Paterculus II. 85. *Cellar.* Nam, ut inquit Paterculus II. 85. 'commissum Agrippæ omne classici certaminis arbitrium.' In victoriæ illius memoriam creditur cusus nummus, in cujus antica parte capita cernuntur jugata Augusti et Agrippæ, cujus etiam corona rostrata apparet, in postica vero crocodilus et palma, quibus indicatur Ægyptus subacta per eandem victoriam, cum epigraphe COL. NEM. hoc est, 'Colonia Nemausus,' ut credatur nummus ille Nemausi in Gallia Narbonensi cusus, quæ urbs colonia Romanorum fuit. *Patarol.* Tempore Actiacæ victoriæ nondum fuisse generum Augusti Agrippam, discimus ex Velleio II. 93. 3. De cetero, Gruterus testatur, P. Danielem pro *tantum modo* reponere voluisse *tantum non*, i. e. μονονουχὶ, ut primum scriptum fuerit, *tantumne*, idque librariorum inscitia mutarit in *tantummon.* Sed non recte, ut videtur, expendit h. l. vir doctus. Sensus est: Agrippa, qui pro Augusto victoriam confecit, fuit tantum gener illius, non filius: Constantinus est et filius, et gener Maximiani; ideoque ab eo, duplici hoc vinculo adstricto, plura, et majora possunt sperari. *Jæger.*

Gener Agrippa] Cf. Jæger. infr. ad Incert. Constantin. X. § 1. *Arntz.*

Etiam nuptiarum] Male Guelf. *esse nuptiarum.* Arntz.

§ 5 *Suscepti adolescens*] Erat enim adhuc *admodum prætextatus*, ut inquit Florus II. 6. cum initio secundi belli Punici, clade ab Hannibale Romanis illata, protectum patrem ab ipsa morte rapuit. *Patarol.*

Superaturus] Crescebat enim, ut habet citatus Auctor, 'in exitium Africæ,' quam etiam cepit, fuso fugatoque Hannibale. *Idem.*

Marius] Vide Florum III. 21. *Id.*

Intervallo temporis] Annorum nempe 180. circiter; nam bellum Punicum cœpit anno ab U. C. DXXXIV. bellum vero Marianum a. DCLXV. *Idem.*

Pariterque utitur] Explicui *duas* illas *ætates* ad Mamertin. Genethl. XV. § 4. *Imperium* recte per Imperatorem interpretatur Acidalius supr. ad c. I. § 1. ex abstractorum usu, de quo dixi ad Eumenium Constantio VIII. § 4. quomodo etiam Eumenius Constant. XVI. § 3. 'imperio vincente Romano.' Eodem modo 'uti' adhibet Nepos Miltiad. I. § 2. 'quo potissimum duce uterentur:' et Justinus VIII. 2. 11. XIII. 2. 6. Velleius II.. 115. 1. inde emendandum puto Ampelium Memor. 14. 'Lycurgus legumlator, cui Lacedæmonii principes Græciæ per annos septem invisi fuerunt:' scribe, 'quo ... usi fue-

runt,' et intellige spatium, quo ex peregrinatione redux Lycurgus remp. et Charilai tutelam, antea jam gestam, sed depositam, iterum suscepit, legibus latis civitati utilissimus, quamvis paullo plures septem annis intercessisse videantur. *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *Prospicere communem*] Scilicet utrique vestrum. *Livin.* *Prospicere* ex alto videre. Mamertin. Genethl. XII. § 1. 'E speculis suorum montium prospicere.' Cf. ad eumd. Paneg. III. § 3. Schwarz. ad Plin. Paneg. LXXX. 5. *Arntz.*

Bellis gerendis] Pro *bellis* cod. Mœrl. habet *rebus*. Quod non contemnendum: siquidem *rem*, vel *res gerere* dicuntur ii, qui bellum administrant. Vid. Heusinger. ad Corn. Nep. Hannibal. VIII. § 4. *Jæger.* Quem etiam vide ad Incert. Constantin. XV. § 3. Similes in his oratoribus adulationis formulas tangit Schwarzius ad Plinii Paneg. LXXX. § 6. *Arntz.*

Componendis pacibus] Virgilius: 'Pacisque imponere morem.' *Putean.* Non desunt tamen, etiam in Lexicis obvia, exempla optimorum, qui hanc vocem in plurali numero usurparunt. Sic Plaut. Pers. V. 1. 1. ubi vid. Taubman. Lucret. V. 1231. sq. Horat. Epp. I. 3. 8. et II. 1. 102. *Jæger.* Et larga manu Wasseus ad Sallust. Jugurth. c. 36. et in Indic. v. 'Pace.' *Arntz.*

Quo Romanum] *Qua* Guelferb. quod, recte a Grutero receptum, sequentes dederunt præter Rivinum; est qua parte. *Idem.*

Ad socerum laureas] *Victoriam*, quod in Bertin. infarctum, meis auribus glossema est. Franc. Modius *victoriarum* reponebat. *Livin.* Cod. Put. et Mœrl. cum Gud. habet, *ad soc. victoriarum laureas mittere*. Bertin. corrupte *victoriam*. Verum ea vox inserta ex glossemate esse videtur, licet Tacitus quoque Hist. III. 77. 6. dixerit, 'Ipse lauream prospere gestæ rei ad fratrem misit.' 'Laurea' pro litteris laureatis, quibus victoriæ insignes nuntiari solebant. Plin. Hist. Nat. XV. 30. § 40. 'Laurus ... Romanis præcipue lætitiæ, victoriarumque nuntia additur litteris:' ubi vid. Harduin. in Not. et Emendat. n. 18. itemque Buchner. ad Taciti Agric. c. 18. et, qui instar omnium est, doctissimus J. G. Bergerus, in Disp. de Literis Laureatis, Vitemb. 1711. *Jæger.* Puteanei cod. scripturam dedi, ut legitur in ed. Parisiensi, sed in ejusdem variantibus penes me Mss. ex eo notatum est, *soceri victoriam laureas*, quod proxime Bertiniensi adcedit. Ob codd. consensum vocem inserui. *Arntz.*

§ 3 *Dive Constantine*] *Constantine* unde expresserit Livineius, nescio, cum in antiquissimis jam *Constanti* lectum fuerit, neque aliud ipsa postulat historia. *Idem.*

Curru et pæne] Non dissimilis admodum locus apud Claudian. Pan. de VI. Cons. Honor. 'Felix ille parens, qui te securus Olympum Succedente petit: quam lætus ab æthere cernit Se factis crevisse tuis!' *Putean.* Et ignorat quoque Guelferb. quod recte ejecit Baunius, quem omnes, præter Patarolum, secuti. Numum Constantini, illi, quem memorat Baunius, similem, exprimendum dedit, optimeque explicuit Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 67. eique simillimus est Eumenii locus Constantin. VII. § 3. 'Vere enim profecto illi (Constantio) Superum templa patuerunt, receptusque est consessu cælitum, Jove ipso dexteram porrigente.' Dextram porrectam ad consecrationem ideo refert Scaliger ad Propert. IV. p. 277. *Arntz.*

Vicinos ortus] In excerptis Schonhovius habet, *vicino ortus*, quod nihili est. Sol occidens vicinum Occidenti Orientem repetit, cumque in Britannia moreretur Constantius, ubi Sol occidere credebatur, in Occasu dici-

tur eum curru suo excepisse, ut recte mox Patarolus. Pertinet huc locus Eumenii Constantin. VII. 2. *Idem.*

Occasu] Obiit enim in Britannia, quæ occidentalis Europæ pars. *Patarol.*

§ 4 *Patrem in imperii tui*] Eumenius in Constantinum: 'Neque enim erat dubium, quin ei competeret hereditas, quem primum Imperatori fata tribuissent.' Lege reliqua. *Livineius.*

Idem pater] Maximianus Herculeus et pater, et socer fuit Constantii; *pater,* quia illum Cæsarem fecerat, atque ita adoptaverat filium; *socer,* quia privignam Theodoram in matrimonium ei dederat. Eutrop. IX. 14. *Cellar.*

Imperii potestate] Cod. Mœrl. et Gud. habent *majestate,* quod non spernendum. *Jægerus.* Ideoque in textum recepi. *Arntz.*

§ 6 *Inviderint licet nobis*] Forte interponendum *te: licet te nobis.* Rittersh. Sive etiam *vobis.* Nam sane utrumque hic tolerabile: sed hoc credo magis verum. Rittershusius deesse voculam censet, *invideant licet te nobis.* Acidal. Rittershusii notam, in Parisiensi ed. omissam, revocavi ex ipsius Reliquiis conjecturarum in Panegyricos, tom. I. Paræneticorum veterum Goldasti additis. Vera est de pronomine male omisso illius suspicio; nihil enim addit, quid fata inviderint; sed illud mihi magis latuisse videtur in ultima τοῦ *majestate* syllaba, ut legatur, *imperii majestate. Te inviderint licet nobis.* Acidalii *vobis* plane est sententiæ contrarium; ea enim est, civibus Constantium morte ereptum fata inviderant, nihil tamen per id ipsius domui eripere potuerant, ob filium Constantinum superstitem, et patri in omnibus simillimum, in quo itaque velut vivere Constantius videbatur. *Arntz.*

§ 7 *Hic socer*] Hic Maximianus bis socer fuit, et Constantii per Theodoram privignam, et Constantini per filiam Faustam. *Cellar.* Sicuti Maximianus tibi olim socer per filiam Theodoram, ita nunc per Faustam Constantino est. Et sicuti tu illi prius gener, ita nunc eidem Constantinus, filius tuus, gener factus, ac si tu iterum esses. *Patarol. Necessitudo* sanguinis conjunctionem indicat, de quo eleganter Cortius ad Sallust. Catil. XVII. 5. *Arntz.*

Hic gener] Constantinus fit gener Maximiani, sicut pater Constantius ejusdem gener, ducta privigna, fuerat. *Cellar.*

PANEGYRICUS VII.

Eumenii] Cum Imp. Cæsar Constantinus Aug. apud Treveros ageret, et edixisset, ut natalis ejus urbis, per ipsum restitutæ, celebraretur, Belga quidam, publicus artis oratoriæ professor, jussus est dicere coram Augusto, cujus hic est Panegyricus. Hæc ex conjecturis tantum colligimus, quæ cum docto lectori facile suppetant, non sunt a nobis indicatæ, brevitati studentibus. Videtur autem et Panegyrico Flaviensium nomine nonnihil antiquior. Quod si Mosam intelligere malis, cum inquit, 'quos hic noster ingens fluvius,' relinquo tibi divinandum de loco. *Rhenan.* Panegyricus iste res gestas a Constantio, patre Constantini, et ab ipso Constantino breviter perstringit, bellum etiam ab eodem cum Maximiano Herculeo, qui purpuram resumpserat, gestum accurate describit. *Putean.* Et hic Eumenii est. Clarum ex eo, quod qualemcunque suam vocem 'otii,' id est, professionis litterarum, et 'Palatii officiis exercitam' ait, multorumque 'sectatorum,' hoc est, discipulorum suorum meminit, qui provincias administrarent, qui tutelam fori, qui officia Palatii curarent. Commemorat et patriam suam, cujus antiqua nobilitas, et fraterno quondam populi R. nomine gloriosa et illustris. Quæ non alia mihi, quam Augustodunum, seu Flavia in Æduis, qui fratres populi R. ut ante vidimus. *Livin.* Hunc Panegyricum ἀνωνύμως ediderunt Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus, et *Incerto* adscribitur in variantibus ex Puteano penes me Mss. et apud Puteanum supra Constantio VI. § 2. neque de auctore certus satis fuisse videtur Cuperus ad Lactant. M. P. cap. 24. Rhenanum vero, Belgæ artis oratoriæ professori, tribuentem sequitur Pighius Hercul. Prodic. p. 50. Nomen Eumenii præfixerunt Livineius, Paullus Stephanus, et Gruterus, quem præter Rivinum omnes sunt secuti. Eamdem quoque opinionem professus est Livineius supra ad Incertum Maximian. IV. § 4. Balduinus ad Eumen. pro Instaur. Schol. init. Barthius Advers. XIV. 11. Baunius in Vit. Eumenii supra p. 170. Neque leve est argumentum, quod profert Livineius ex cap. XXIII. § 1. ubi 'diversis otii, et Palatii officiis vocem exercitam' memorat, quo nihil magis est Eumenio convenientius ex iis, quæ scripsi ad Paneg. pro Instaur. Schol. init. Alterum, quod ex 'sectatoribus' petiit Livineius, quos memorat c. XXIII. § 2. minoris est ponderis, cum alii in Gallia quoque potuerint esse rhetores, qui suos habuerint sectatores et discipulos. Forte meliori hanc opinionem jure adjuvaret obsidio Gesoriaci, iisdem fere descripta coloribus, quibus usus est Eumenius Constantio VI. quamvis neque hoc rem plane conficiat, cum, si alius fuerit hujus Panegyrici auctor, eam ex illo Eumenii loco facile obumbrare, et transferre potuerit, præsertim in re historica, cujus una eademque est apud omnes veritas. Quidquid sit, præcedentium editorum auctoritatem secutus Eumenio quoque inscripsi, quamvis non desint, quæ forte aliquem ab hac sententia retineant, de quibus ingenue exponam. Huc pertinent, quæ in Maximiani vituperium, eumdem fere detestatus, refert cap. XIV. et XV. si comparentur cum iis quæ prædicavit Paneg. Constantio IV. et XX. quid enim? utrumne unius

ejusdemque hominis ore tam diversa proferri potuisse censueris? Sed quem antea pium habuerat, eumdemne ob scelestam in Constantinum perfidiam postea detestari potuit? Viri illud boni est; amplius dicam, est quoque, mutato reip. statu, civilis prudentiæ in homine, civilium in Imperatoris aula artium non ignaro, in qua Sacræ fuerat Memoriæ magister. At, inquies, mutatæ de Maximiano opinionis nihil meminit. Audio; idue vero prudenter omisit, ne Constantini forte aures offenderet, si laudes, antea in eum, velut numen, congestas, repetere velle videretur, quem jam cap. XIV. init. per contemtum 'hominem' adpellat? Denique cap. XXII. § 2. addit, patriam suam, fraterno populi R. nomine gloriatam, opem a Constantino exspectare, ut illic quoque loca publica, et templa, quod Treveris factum fuerat, instaurentur. Hoc de Augustoduno, Eumenii patria, capiunt. Itane vero obstat, hanc patriam ea non opus habuisse liberalitate, a Constantio diu antea jam egregie instauratam, ut in Paneg. pro Instaur. Schol. copiose explicat? potestne itaque hæc patria esse Augustodunum, aut hujus Panegyrici auctor Eumenius? Verane igitur Pighii Hercul. Prodic. pag. 50. opinio de Aquisgrano, oratoris hujus patria? Non puto; fateor Augustodunum instaurasse Constantium, sed potuerunt alia quædam opera mansisse imperfecta, quorum instaurationem Noster rogat. Habita est autem hæc oratio anno CCCX. Maximiano Herculeo jam mortuo, consentientibus in id Pagio Dissert. Hypat. p. 244. Norisio de Num. Dioclet. Diss. I. c. 6. brevi post Constantini natales, in III. Kal. Martias incidentes, judice Baunio supra Vit. Eumen. pag. 170. Hæc veriora sunt, quam ut annum CCCIX. statuamus cum Fabricio Biblioth. Latin. tom. II. p. 770. et Walchio Parerg. Acad. p. 891. aut cum Pighio Hercul. Prodic. p. 50. credamus, aliquot annis post sequentem fuisse dictum. Ceterum non video, qui potuerit Pagius Agrippinensem pontem, apud Nostrum infr. c. XIII. memoratum, ad annum CCCXI. referre, vid. d. l. p. 143. Utrumne igitur hunc anno priori prædicare potuit, qui posteriori esset inchoatus? Hunc in patria sua ad dicendum Nostro diem destinaverat Constantinus, c. I. init. et quidem Treveris, urbe per Imperatoris liberalitatem instaurata et ornata; illic enim eum dixisse quibusdam locis notant interpretes, et Pighius Herc. Prodic. pag. 50. Walchius Parerg. Academ. p. 891. et confirmat me Noster infr. XIII. § 2. ubi Rhenum plurimos haurire amnes dicit, 'quos hic noster ingens fluvius, et barbarus Nicer, et Mœnus invexit.' Est autem 'noster' ille 'ingens fluvius' Mosella; ideo 'noster,' quia Treveros, ubi dicebat, adluebat, et ubi haud procul Rheno miscetur Mœnus. In ordine Baunium, Cellarium, Jægerum sequor, quem quoque servat Guelferb. in quo septimus est, si Plinium una computes, sed octavus in variantibus penes me ex Puteaneo Mss. et in edd. Rhenani, Stephanorum, et Rivini; at vero nonus apud Livineium, Gruterum, et Patarolum. *Arntz.*

CAP. I. § 1 *Persuaserunt*] Simplex melius *suaserunt:* tamen et illud potest. *Acidal.* Si enim *persuasissent*, eorum fuisset monitis obsecutus; 'persuadere' enim plus est, quam compellere, ut dixi ad præced. Paneg. IX. § 2. at vero mox sese id facturum negat; eorum itaque suasioni obtemperare noluit. *Arntz.*

Diem dicto in ista] E quibus sensum non eruo. Sed prætulit mihi lucem, quod in Vet. repperi *medioer. meæ diem ædium in ista civit. &c.* Insunt nimirum in illo *ædium* aperta indicia, et extrema vocis *meæ*, quæ præcessit, et proxime *diem*. Itaque et hoc, et *dicto* de conjectura ex-

punxeram, quod abesse et Bertiniens. exerte post inveni. 'Civitas' vero, quam significat, ut hoc obiter addam, meo animo, Treverorum est, cujus tum natalis forte dies celebrabatur. Infra hoc ipso Panegyrico. *Livin.* Omnes, qui tractarunt istos scriptores, hic hæsere; quid enim est *diem dicto?* Codex vetus Livineio collatus, *mediocritati meæ diem ædium in ista civitate, &c.* unde ille ait sibi tamdem liquidum factum, vocem ex confinibus supervacuam subortam, et delendam. Minime vero tam crudeliter. Vetus scriptura in illo *ædium* latebat. Hæc autem esse visa est; *diem dierum in ista civitate celeberrimum.* Parcam de cætero verbis in re clara. *Barthius,* Adversar. xiv. 11. In libris est *dicto,* in non nullis, ejus loco, *ædium:* quod neutrum congruit, quidam utrumque expunxerunt. Barthius, Advers. xiv. 11. ex altero *ædium* exsculpsit *dierum,* quam probabiliter, ipsi apices ostendunt. Uncis ergo *dicto,* quod plurium est, inclusum volumus, donec certior clariorque scriptura offeratur. 'Civitas' est Treverensis: 'celeberrimus dies' natalis urbis; quod infra c. xxii. est declaratum. *Cellar.* Importunum illud *dicto,* quod etiam cod. Gud. et Mœrl. delet, non cum Cellario uncis inclusum, sed cum Livineio, Bannio, et Patar. prorsus expunctum volui. *Jæger.* *Dicto* abest quoque a Guelferb. et Vossii excerptis, et recte ejecit Bannius, quem in exprimendo textu cum Patarolo et Jægero sum secutus, quamvis non ideo locum arbitrer sanatum, cum in *ædium,* quod est in Vet. Livineii, aliud quid latere videatur. Barthii *diem dierum* Hebraismum fere sapit, saltem ab horum est scriptorum stilo maxime alienum. Dicam, quid mihi fit verisimile. 'Civitatem' interpretantur Livineius, Bannius, et Cellarius Treveros, ubi oratio habita. De loco orationis nil dissentio, sed eum hic intelligi vix puto; tunc enim dixisset *in hac civitate;* ni fallor, *ista* magis diversam ab ea, qua dicebat, indicare civitatem videtur. Puto itaque Constantinum Eumenio, Augustoduni in patria sua degenti, hunc dixisse diem, quo Treveris natalem urbis celebraret, atque adeo, cod. Livineii vestigiis insistens, nullus dubito, quin scripserit, *Æduorum in ista civitate.* Ita Constantio xxi. § 2. 'Devotissima vobis civitas Æduorum.' Gratiar. Action. iv. § 4. 'Civitatem Æduorum voluit jacentem erigere.' cap. ult. fin.: 'Flavia est civitas Æduorum.' *Arntz.*

Civitate] Potius Augustodunum intellige, Nostri patriam, quam a civitate, cujus natalem celebrabat, ipse distinguit c. xxii. Cf. præced. observ. *Idem.*

Mediæ ætatis hominem] Ideo maturæ et gravis. *Patarol.* Celsus ii. 1. 'Ætas media tutissima est, quæ neque juventæ calore, neque senectutis frigore infestatur.' *Jæger.* Ammian. Marcell. xviii. 6. 'ætate quidem media.' 'Medium annum' dixit Plinius Paneg. lix. 4. ubi Schwarz. *Arntz.*

Sæpe tractum] *Tractum* ediderunt Rhenanus et Livineius; metaphora a nentibus ducta hoc tueri posset. Codd. tamen, etiam Guelferb. et Vossii excerpta vulgatum præferunt, quod Ciceronianum 'elaboratum industria' exprimere videtur. *Arntz.*

§ 2 *Imperatorem Populi Romani*] *Imperatorem P. R.* Alienas hic notulas *P. R.* puto. *Acidal.* Guelferb. et Vossii excerpta, *Imperatores;* sed cum, solo præsente Constantino, dixerit, vulgata præstet. Nescio, quare *Populi Romani* alienum magis sit, quam 'Romani Principes' apud Mamertin. Genethl. xviii. § 2. *Arntz.*

Imperium] Hic quoque pro Imperatore, ut alicubi supra notavimus. *Acidal.* Cf. ad Eumen. Constantio viii. § 4. *Arntz.*

§ 3 *Idque, ut arbitror*] *Ut* ante *ar-*

bitror omissum est a Baunio, forte typographi vitio, quod tamen secutus est Cellarius. Restituerunt recte Patarolus et Jægerus secundum codd. *Id quod* ex Livineii conjectura non caret elegantia; mutandi tamen nulla necessitas. Sequens *quod mediocre est* sumtum videtur ex Cicerone pro Archia cap. 1. 'Si quid est in me ingenii, quod sentio, quam sit exiguum.' *Idem.*

Laudum vestrarum] Cum mox demum § 4. Eumenius ostendat, se hanc orationem soli Constantino dicere, non visum est audire cod. Put. et Mœrl. qui pro *laudum vestrarum* habent *laud. tuarum.* Potest scilicet illud *vestrarum* referri ad Imperatores hos universos. *Jæger.* *Tuarum* etiam Guelferb. et Vossii excerpta: Jægeri tamen judicium sequi malim. Significat enim longioris fuisse orationis exspectationem, quia de singulorum Imperatorum laudibus eum dicturum suspicabantur, quas tamen sese omissurum, et in iisdem solius Constantini, utpote præsentis, prædicandis occupatum fore, quo brevior fiat oratio, mox tradit. *Arntz.*

Fallam] Locutionem pro frustrari, destituere exposuit Cortius ad Plin. Epist. VIII. 3. 3. *Idem.*

Orationem meam respui] *Respui* est in omnibus, in Bertin. hoc amplius, *orat. meam quam respui,* procul dubio curte, sed quem hiatum sine libris non expleam. Franc. Modius addebat, *desiderari,* aut *brevem videri.* Sed ne sic quidem perspicua mihi sententia. *Livin.* Ita Mss. nam editi *respuere.* Bert. membranæ amplius habent, *meam quam respui;* ex quo fieret facile, syllaba inserta, *sed malo orationem meam, quam me respui;* quomodo scripsisse videri queat orationis hujus scriptor. *Gruter.* Non puto hoc sanum. Forte *requiri,* id est, desiderari. Malo pauciora dicere, ut desiderium relinquam mei, quam plura, ut tædium. *Acidal.* Nemo non tentavit hunc locum. Alii inserunt; reponunt alii; cum res possit resolutione unius litteræ in duas vicinas clare componi. Lege, *orationem meam respici,* hoc est, desiderium excitare sui in iis, qui semel vel audiverunt, vel legerunt, ut denuo velint. 'Respicimus' enim res, quas magni facimus, quod verbum seculi deinceps abusu commune æstimationi factum. Horatius Od. I. 2. 'Sive neglectum genus, et nepotes Respicis auctor.' Virgilius Æn. XI. 'Respice res bello varias, miserere parentis.' Quod dixi, nos respicere res æstimabiles, apud Tibullum est libro I. 'Tamen est deterrita numquam, Quin fleret nostras, respiceretque vias.' Virgilius: 'Libertas quæ sera tamen respexit inertem.' Quod de ævo dixi, habes in Glossario Latino-Græco, quod videtur interpretari optime Eumenium. De cujus ista correctione nolim dubitare. *Barth.* Advers. XIV. 11. Locus hic sane corruptus: nec sibi sententia constat. Placet conjectura Acidalii, legentis *requiri,* id est desiderari. At lectionem non muto, cum in omnibus sit *respui.* Patarol. Ex omnibus hisce nihil videtur certius conjectura Modii, quam firmat cod. Put. Gud. et Mœrl. in quibus est, *orationem meam brevem esse, quam respui.* Sententia satis est perspicua, et plane eadem illi, quam, licet alia emendandi ratione usus, extudit Acidalius. Ausus itaque sum lectionem hanc in textum recipere, qui sine ea, quo quo te vertas, plurimum difficultatis et obscuritatis habebit. *Jæger.* Pro *respui,* quod sane minus placere potest, malim *restringi,* i. e. coërceri, adeoque nimia verborum copia molestam videri; aut *oratione mea* legendum censeo, et alius verbi infinitivum, quod mihi tamen nunc non succurrit, circumspiciendum. *Schenkius,* Præfat. tom. I. ed. Jægerianæ. Quod ex codd. protulit Jægerus, quem in textu exprimendo sum se-

cutus, est quoque in Vossii excerptis. *Arntz.*

§ 4 *Invictissimi Principes*] Infra: 'Quamquam tu ad seniores Principes de summa republ. quid fieri placeret, retulisses,' &c. Intelligit Galerium Maximianum A. Severum, ac Maximinum, qui Galerio A. nepos ex sorore, Cæsares. *Livin.* Lege *invictissimos.* Acidal. Tum temporis una cum Constantino Imperatores erant Maximianus Galerius et Maxentius. *Cellar.* Maximianum Armentarium, Maximinum Dazam cognomento, intelligit, et Severum. *Paterol.* Inserto jam ex codd. *vos*, Acidalii minus est conjectura opus. *Arntz.*

Suscipiam] Pro *suspiciam*, quod est in Lang. et margine ed. Rhenan. et Steph. habent Ms. Mœrl. et Gud. et edd. *suscipiam.* Quod minus convenit h. l. Constat, voces 'suscipere,' et 'suspicere' in codd. non numquam permutari. Itaque receptum jam a Paris. Patar. et Cellar. *suspiciam* retinui, licet Livineio, nescio qua de caussa, displiceat. *Jæger. Suscipiam* quoque Vossii excerpta. Vulgatum præstat, non enim huc pertinent, quæ de usu τοῦ *suscipere* notata sunt supra ad Mamertin. Paneg. init. de utriusque vocis confusione dixi ad Sedul. II. 132. adde Drakenb. ad Liv. IV. 59. 14. XXIV. 40. 1. *Arntz.*

§ 5 *Interdum in suo*] *Tamen* non est in Rhenani, Henr. Stephani, et Rivini edd. hoc post *quamquam* recte omitti notavit Cortius ad Sallust. Jugurth. XXXV. 9. et pater meus ad Plinii Paneg. XC. § 6. ut retinuerim, fecit codd. et Schonhovii excerptorum auctoritas. *Idem.*

Pietatem meminisse] Lege, *pietate meminisse*, quod satis probant sequentia, *laudibus celebrare:* neque enim de Principum, sed de sua pietate hic verba facit rhetor, qua Principum meminisse debeat. *Ritters.* Nihil certius, nihilque magis necessarium hac Rittershusii emendatione; nihil porro facilius, et magis obvium est in Mss. quam litteram vocis alicujus primam præcedentis ultimæ adhærere, et sic geminari. Poterat h. l. vitium quoque a dictantis pronuntiatione, vel a librario perperam audiente oriri. *Jæger.* Cellarium, in recipienda primum Rittershusii conjectura, sunt secuti Patarolus et Jægerus. Ipse quoque retinui, præsertim in suspicionem ductus ita quoque legi in Guelferb. saltem ad oram Cellarianæ nihil pro varianti erat lectione enotatum. Ipsa hanc confirmat auctoris sententia, *pietate* enim *meminisse* est idem, quod modo dixerat, 'animo colamus.' *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Fortasse nesciunt*] Quamvis hoc aliis satis esset cognitum, Galli, ad quos dicebat, hoc nescire potuerunt. De Constantio non in Britannia nato vide ad Incertum Maximian. IV. § 3. *Idem.*

§ 2 *Manat in te*] Sic Panegyristes Gratiar. Action. Constantino cap. II. vocat Claudium 'parentem Constantini:' 'Et nuper,' inquit, 'ut media prætercam, Divum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias vocaverunt.' Idem cap. IV. Zonaras tom. II. loquens de Claudio Imperatore: τούτου τοῦ βασιλέως Κλαυδίου θυγατριδοῦς ἦν Κώνστας ὁ Χλωρὸς, ὁ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου πατήρ. Sic Eusebius in Chronic. in fine. Legendum autem est *manat*, non *manet*, ut inveni in cod. Pulm. *Putean. Manat*, Bertin. *Livin.* Lege *manat.* Sic fere infra: 'Jam tamen ab illo generis autore in te imperii fortuna descendit.' *Acidal.* Claudii Gothici frater Crispus per filiam Claudiam avus fuit Constantii Chlori, proavus Constantini Magni, ut Trebellius Pollio Vita Claudii ad Constantinum cap. 13. scripsit: ipse vero Claudius Augustus liberos nullos habuit. De auctoribus, qui Claudii nepotem dixerunt Constantium, disseruimus in Programmatum fasciculo, pag. 472.

Cellar. Vide annotata ad Eumen. Gratiar. Act. cap. II. *Paturol.* De origine Constantini, ipsius jam ætate, ut hic videmus, multis ignota, in superioribus dictum est. *Jæger.* Cf. Spanhem. ad Juliani Orat. I. p. 49. præsertim not. ad Eutrop. IX. 22. et infr. ad Grat. Action. II. § 5. *Manet* est quoque in Guelferb. et Vossii excerptis: forte de subjunctivo a 'manare' cogitavit librarius; vulgata tantum recta est. *Arntz.*

Reformavit] Gallieno a gubernaculis submoto. Trebellius Claudio: 'Neque enim fas erat, eum tacere Principem, qui tantam generis prolem * (deest quippiam) qui bellum Gotthicum sua virtute confecit, qui manum publicis cladibus victor imposuit, qui Gallienum, prodigiosum Imperatorem, etiamsi non auctor consilii fuit, tamen ipse imperaturus bono generis humani, a gubernaculis publicis depulit.' Auctor Gratiar. Action. pro Flaviensibus: 'Quod si vobis, et conatibus Æduorum Fortuna favisset, atque ille reip. restitutor implorantibus subvenire potuisset,' &c. ibi vide. *Livin.* Fuit enim bellica disciplina severus. *Paturol.* De voce 'reformare' vid. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XIV. § 4. *Arntz.*

Gothorum copias] Euseb. in Chron. 'Claudius Gothos, et Macedoniam vastantes superat, ob quæ in curia clypeus et aureus, et in Capitolio statua aurea collocata est.' *Putean.* Vid. Zosim. lib. I. pag. 652. Sylb. *Jæger.* De Gothici titulo, ex hac victoria accepto, agit Spanhem. Usu Numism. tom. II. p. 636. *Arntz.*

Potestati faucibus] Lege apud Suidam in Σκύθαι, quæ e Zosimo Historiar. I. contracta sunt, ex eoque aliquot locis emendanda. *Livin.* *Ponti faucibus* Vet. Cuspin. Rhenan. Non improbo. *Rittersh.* *Ponti* etiam Guelf. et Vossii excerpta; *potestati* sine ullo sensu idoneo dederat Livineius, qui tamen ipse hoc ineptum judicat supr. ad Nostr. Constantio II. 1. *Arntz.*

Maturior Deorum comes] In imperii annis errare Baunium, non est, quod moneam; dudum enim a. CCCIV. jam mortuus erat Claudius, Imperator ab anno CCLXVIII. et per breve tempus. *Deorum comes* est Divus, qui honor præclaras propter virtutes ipsi est habitus, in Claudio non ex adulatione, sed vero celebratas, de quibus Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 51. Convenit illud Horatii Od. I. 2. 45. 'Serus in cælum redeas.' *Idem.*

§ 3 *Proxima religione*] Quæ *proxima* illa *religio?* Nemo docet; nec poterit sane ullus, cum omissa vocula in similibus alterius litteris obhæreat. Scribendum enim: *ille felicissimus dies Diis proxima religione celebratus.* Notum ingenium erroris iis, qui vel semel has literas tractarint. Par illud Claudiani: 'Diis proximus ille est, Quem ratio, non ira movet.' *Barthius,* Advers. XIV. 11. Barthii conjectura *dies Diis proxima rel. cel.* non satis probatur Bibliothecæ Philologicæ, quia *religio Diis proxima* dure diei videtur pro eo, quod esse debebat *religioni Deorum proxima.* Hinc *proxima* de tempore præcedenti intelligit, sicuti accepit Jac. De la Baune, cum in Vita Eumenii poneret 'Panegyricum VII. Treveris, die urbis ejus natali, anno Christi CCCX. coram Constantino dixit, paulo post ejus natales, qui, sicut est in Kalendario vetere apud Bucherium, in tertium Kalend. Mart. incidebant.' Equidem hanc explicandi rationem non aperno: sed istud loquendi genus durum videri non debebat. Est enim comparatio obliqua, de qua vid. Gronov. Observ. IV. 8. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 7. p. 700. quemadmodum Homer. Odyss. N. 89. Ἄνδρα θεοῖς ἐναλίγκια μήδε' ἔχοντα, pro μήδεα ἐναλίγκια μήδεσι θεῶν. Tibullus III. 4. 70. 'reddere voce sonos similes chordis,' pro 'son. similes sonis

chordarum' dixit: ita hic *religio proxima Diis* pro *rel. proxima religioni Deorum* dici potest. Video quidem non nihil in his differentiæ. Μήδεα enim ἐναλίγκια Θεοῖς sunt paria μήδεσιν, ἃ ἔχουσι Θεοί: 'soni similes chordis' sunt similes sonis, quos edunt; vel efficiunt chordæ: *religio* vero *proxima Diis* non est proxima religioni, qua Dii colunt, sed qua coluntur. Verum et passivo significatui in his comparationibus locus est. Seneca Ep. 83. 'M. Antonium quæ alia res perdidit quam ebrietas, nec minor vino Cleopatræ amor?' Hic amor Cleopatræ æquiparatur vino, seu amori vini, h. e. quo vinum amabatur. Hoc, ad exemplum nostri oratoris, ita licet enuntiare: Cleopatra vino pari amore dilecta. J. F. Heusinger ad Cic. Off. I. 22. 4. pluribus exemplis illustrat usitatissimum hoc comparandi genus, ut viris doctis offensioni esse desinat. Sed fieri potest, ut subinde existant, quibus corrigendum videatur; adeo illud remotum est a recentiorum linguarum consuetudine. *Jæger. Proxima religione celebratus* est nuper, sive biennio, ante hanc orationem habitam, quo a. CCCVII. Constantinus factus erat Augustus. Cf. ad Incertum Maximian. I. § 1. nulla igitur Barthii emendatione opus est, ipsi etiam auctoris menti contraria, cum dies ille non a Diis, sed civibus fuerit celebratus. *Arntz.*

Natalis] Dies, quo Princeps imperium susceperat, *natalis* quoque dictus fuit, probe distinguendus a natali vitæ. Spartianus de Hadriano, quem IX. Kal. Febr. natum dixit, refert cap. IV. non solum 'quinto Iduum Augusti die natalem adoptionis,' verum etiam 'tertio Iduum earumdem natalem imperii institutisse celebrandum.' *Cellarius.* Cf. Schwarzium Proleg. ad Mamertin. Genethl. ad Plin. Paneg. cap. XCII. § 4. Heuman. ad Lactant. M. P. XLIV. 7. *Arntz.*

Imperii fortuna] Vox *imperii* abest cod. Mœrl. *Jæger.* Etiam in Guelferb. et Vossii excerptis; male. Cf. Wasse ad Sallust. Catilin. cap. 42. *Arntz.*

Familiæ tuæ tertius] Id est, e familia tua, et majoribus Augustos, et Imperatores, ne quis erret. Constantius quidem, Diocletiano ac Maximiano sponte imperio defunctis, e Cæsare cum Galerio Maximiano factus est Augustus, *Livin.* Claudium atavum, et Constantium patrem. *Patarol.*

Tertius Imperator] Vet. *Princeps Imperator.* Putean. Ita in edit. Parisiensi varians ex Puteaneo lectio est notata, sed in meis, quas ex eo cod. habeo, legitur, *tuæ principes tertius Imperatoris.* Arntz.

§ 5 *Quod Imperator es*] Trunca illa, quæ non expleo sine libris. Voculam de sententia immittam, *quod natus Imperator es.* Infra illico: 'imperium nascendo meruisti.' *Livin.* An non et reliqui Imperatores? quomodo igitur participes majestatis? Sententia vult addi, *quod Imperator natus es.* Paulo post: 'imperium nascendo meruisti.' *Acidal.* Scitum omnibus de ea nobilitate loqui Eumenium, quæ simul cum nativitate dederit imperium; itaque inserunt Livineius et Acidalius, homines ingeniosi, τὸ *natus.* Sed cogitandum erat, voculam *es* tantumdem inferre, et quidem acute, cum non prius *esset* Constantinus, quam simul Imperator quoque; in lucem enim statim felix venit, et ea, quæ alii vix totius vitæ laboribus consequuntur, jam domi parta suscepit, ut mox loquitur Noster. Atque de nulla ego minus dubito, quam hac lectione, quæ acumen affectet in concisa statione majus, quam facile videas, vel explices. Ut enim alii diceretur *homo es*, sic huic *Imperator es.* Barthius Advers. XIV. 11. Hæc si mens rhetoris, errore ab-

solvi nequaquam potest. Nam Constantius Magnus natus est patre nondum Cæsare, nedum Augusto, ut vel inde patet, quod cum Diocletianus et Maximianus eum, nec non Galerium adoptassent, et Cæsares fecissent, simul voluerint, ut nuntium uxoribus remitterent, Galeriusque duceret Galeriam Valeriam Diocletiani, Constantius repudiata, sive uxore sive concubina, Helena, ex qua susceperat Constantinum Magnum, Maximianam Theodoram, Maximiani filiam, vel, ut Aurelius Victor scribit, privignam. Crediderim quapropter eum ita loqui, quia pater postea Imperator factus est, et natu maximum succedere debere existimaverit, licet ante regnum genitus sit, quo spectant illa, 'nascendo' eum 'imperium meruisse.' Hodie rex, vel princeps, a patre eadem dignitate prædito susceptus, vulgo 'rex,' vel 'princeps natus' vocatur, id est, qui honores illos ipsa nativitate consequitur, quomodo Ovidius ex Ponto II. 3. eleganter 'natum amicum' dixit, qui genitus est patre, cum quo amicitiæ jura colebat: 'Movit amicitiæ tum te constantia longæ, Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit. Et quod erat aliis factus, mihi natus amicus: Quodque tibi in cunis oscula prima dedi.' Hujusmodi autem titulo superbit Aurelianus, in rarissimo et unico nummo, quem edidit Amplissimus et Doctissimus Spanhemius Dissert. v. de Usu et Præst. Num. In una area nobis conspiciendus datur ipse Imperator cum inscriptione, DEO. ET. DOMINO. NATO. AVRELIANO AVG. in altera binæ figuræ coronam tenentes, et RESTITVT. ORBIS. Neque tamen eo sensu accipi ullo modo potest, quia obscura familia Sirmii Pannoniæ, matre tamen sacerdote templi Solis fuit procreatus, uti testatur Callicrates Tyrius apud Flavium Vopiscum. Quid igitur? Videtur indicare Aurelianus, se fatis datum Dominum Romanis, se a Diis destinatum esse Imperatorem, quod firmant varia auspicia, quæ puero ipsi, et matri, divinationis non imperitæ, oblata fuerunt, atque ab eodem auctore peti possunt. *Cuperus*, Observ. IV. 1. Hoc *natus* abest a libris; necessarium vero, ut vel ipsum, vel simile inseratur, quia Imperatorem esse non erat *præcipuum* Constantino, sed cum aliis commune. Id autem tum temporis *præcipuum*, quod pater ipsius etiam Imperator fuerat. Quamvis enim natus fuerat *ante*, quam pater ad imperium eveheretur, tamen et cap. III. mox auctor dicit, 'imperium nascendo meruisti.' *Cellar.* Hanc vocem *natus*, quæ etiam a Ms. Mœrl. abest, Cellarii exemplum secutus, textui, uncis inclusam, inserui. *Jæger.* Livineii, *natus* inserentis, conjecturam tacite in textum admisit Patarolus, uncis autem inclusam Cellarius et Jægerus. Est tamen fidei historicæ adversaria, quia, cum nasceretur Constantinus, pater ipsius nondum erat Cæsar, nedum Imperator, idemque Barthii arguit interpretationem. Cuperi explicatio vera est in loco ex cap. III. hic vero, ut mihi quidem videtur, ab Eumenii mente aliena. Itaque ex codd. textum dedi, scripsisse vero auctorem arbitror, *quod Imperator ortus es:* posterior syllaba in *Imperator*, et sequens *es* illud *ortus* absorpsit. 'Oriri' scilicet is dicebatur, qui Cæsar, aut Augustus erat factus. Vid. ad Mamertin. Paneg. VI. § 2. in Constantino autem hoc fuerat singulare, quod non antea, ut alii, Cæsar, sed statim a patre in Britannia factus fuerat Imperator; erat itaque 'ortus Imperator,' id est, statim factus Augustus, ita ut, quod mox addit, 'nihil' ipsi 'addiderit honoris imperium.' Non alia ratione Incertus Maximian. I. § 1. 'Constantine, oriens Imperator.' Ibid. IV. § 3. 'Tu (Constantine) etiam nobiles illic ori-

endo fecisti.' Ad quæ loca pluribus vide, etiam de ratione, quare postea demum Augustea fuerit collata dignitas. *Arntz.*

Numini tuo] *Suo* probasse videtur Barthius, ad Claudian. Laud. Stilicon. I. 368. ita locum excitans. Vulgatum est in codd. et recte. 'Inputare' enim his scriptoribus est beneficii loco habere; sententiam igitur recte constituit Baunius: ita apud Pacatum Paneg. XL. 2. 'Ut non possint se tibi inputare successus,' id est, ut tibi tamquam beneficium a se præstitum adscribere nequeat Fortuna, quod res bellicas ita feliciter administraveris, sive, quæ Baunii quoque illic est interpretatio, casibus nihil debeas. *Idem.*

Quod tuum est] Hoc est, quod uni tibi, et natalibus debes, citra ambitum, aut tuorum suffragia. Et tamen, Constantio mortuo, cunctis, qui aderant, annitentibus, sed præcipue Eroco, Alamanorum rege, auxilii gratia Constantium comitato, imperium recepit. Epitome Sext. Victoris. Addit Zosimus Historiar. II. Prætorianos Constantii, qui e justis liberis (intelligit, qui e Theodora, Herculii privigna) parem regno haberet neminem, apto et idoneo viso Constantino, simul spe erectos largitionum, Cæsaris ei dignitatem contulisse. *Livin.* Lege *imputare, quod tuum est omiss.* Acidal. Videtur voluisse Acidalius, comma post *est* delendum. *Arntz.*

Omisso habitu] Quibus ad imperium perveniebant, qui non nati erant Imperatores. *Patarol.* Pro *omissis*, quod in Lang. et Bert. cod. esse testatur Livineius, et exhibent edd. nonnulli, reposui *omisso*, ut est in Rhenan. Stephan. ac Gud. et Mœrl. a quibus non multum abludit Cusp. præferens *omissio*; et erravit Livineius, cum scriberet illud *omissis* etiam in Cusp. inveniri. Ineptam vocem *habitu*, quæ in non nullis pro *ambitu* legitur, consentientibus Bert. Lang. Cusp. Schonhov. Put. et Mœrl. jam damnavere Parisienses, Pat. et Cellarius. *Jæger.* *Omissis ambitu* primum recepit Gruterus; recte in *ambitu*, quod etiam est in Vossii excerptis, sunt adstipulati sequentes, in *omisso* tamen Jægerum sequor, propter codd. et Vossii excerptorum auctoritatem, idemque post Gruterum exhibuit Rivinus. *Arntz.*

CAP. III. § 1 *Hominum consensio*]. Guelferb. *confesio*, quod videtur esse *confessio.* Vulgatum melius: infr. VIII. § 2. 'Universus in te consensit exercitus.' *Arntz.*

Favoris eventus] Delicata est conjectura Bongarsii, substituentis *favoris ventus.* Sic 'ventum popularem,' 'ventos concionum' legimus apud Ciceronem. *Gruter.* Inanis, mea sententia, est divinatio illorum, qui legere malunt *ventus.* Patarol. Bongarsii conjecturam solus, et tacite in textum admisit Cellarius; id contra codd. qui *eventus* etiam habent, omnesque reliquas edd. non sum ausus, unde pristinam quoque lectionem secutus est Jægerus. *Eventus favoris* est, ut 'eventus temeritatis' apud Nostr. Constantio XVIII. § 3. *Arntz.*

Nascendo meruisti] I. e. consecutus es. Sic Plinius Ep. I. 8. 14. ubi vid. Casaubon. Claudian. in Eutrop. I. 175. sq. 'Qui nihil optasset plus libertate mereri, Jam jam dissimulat dominos.' Vid. Gesner. ad h. l. et Kœnig. ac Schœttgen. ad Juvenci Hist. Euang. III. 496. Nec tantum modo a scriptoribus sequioris ætatis, sed Augusti jam ævo hac significatione usurpatum videtur verbum illud. Propertius III. 22. 9. sq. de tabellis amissis: 'Qualescumque mihi semper mansere fideles, Semper et effectus promeruere bonos.' *Jæger.* Cf. de illo usu Burman. ad Virgil. Æneid. IV. 348. Bunneman. ad Lactant. Instit. V. 23. 5. Van Dorp Ob-

serv. p. 29. et me ad Sedul. I. 281. ad Arator. Epist. ad Florian. 16. est quoque supra in Paneg. Incerti Maxim. v. in fin. Veram autem hujus loci interpretationem pete ex notatis supr. ad cap. II. § 5. *Arntz.*

§ 3 *Etiam magna*] Hoc propter Diocletianum et Maximianum Imperatores, quibus non alia ad imperium aditus, quam virtute, usuque bellorum. *Livin.* *Enim* quoque Guelferb. et Vossii excerpta, idque post Gruterum recte omnes retinuerunt præter Rivinum. *Arntz.*

In ordinem meritis] Forte, *stipendiis ordine emeritis.* Acidal. Magis Stewechii ad Arnob. advers. Gent. I. p. 62. conjecturam probo, *in ordinem emeritis;* saltem *emeritis* vulgatæ præstare ostendit sequens *emensis.* Arntz.

Virtutis] Guelferb. et Vossii excerpta, *virtutibus:* male; oportune vulgatum comparavit Gothofredus cum Constantini verbis in L. 1. C. Theod. de Famil. ercisc. 'Solis nixæ radicibus voluntatis.' Locutionem 'radicibus niti' confirmavit Burman. ad Quinctil. tom. I. p. 84. *Idem.*

Invaluit] An *coaluit?* Vid. ad Eumenium pro Instaur. Schol. VIII. § 2. et Paneg. Incerti Maximian. II. § 2. *Idem.*

Per ætatem] Quo tempore dicta est hæc oratio, non multum ætatis egisse Constantinum credibile est; nam paulo post patris ipsius obitum dictam puto. Tunc autem agebat ipse ætatis annum trigesimum secundum circiter. *Paterol.* Non puto *ætatem* ad tempus orationis dictæ referendam, tum enim scripsisset *licet,* aut *liceat,* sed ad id, quo res illas gessit, quas innuit. *Per ætatem* est propter ætatem, ut in similibus exemplis apud Burman. ad Sueton. Tiber. cap. 52. *Arntz.*

Fortuna posuisset] In Guelferb. est, *fortunæ posuisses, crescere;* in Vossii excerptis, *fortunæ potuisses credere:* in illa lectione obstant præcedentia, *adquirendæ gloriæ,* nisi velis esse casum tertium. *Idem.*

Singulari certamine] A Galerio Maximiano A. cui pater obsidem eum dederat, Sarmatico prœlio ducem, armatura insignem, jussus invadere. Quem aggressus, sublatum vivum ad Augustum detulit. Auctor Zonaras Annal. II. Tu adi locum, mi lector. *Livin.* Cum Sarmatarum duce, quum adhuc obses esset patris apud Galerium. Anonymus de Constantio, et Constantino, quem Valesius cum Ammiano edidit: 'Hunc (Constantinum) Galerius objecit ante pluribus periculis. Nam et in Sarmatas juvenis equestris militaris ferocem barbarum, capillis tentis raptum, ante pedes supplicem Galerii Imperatoris adduxerat.' Adde Zonaram tom. II. pag. 246. itidem narrantem, quod et Galerius sic προσέταξε, *mandaverit,* et Constantinum Sarmatarum ἀρχηγὸν ἁρπάσας ζῶντα τῷ Γαλλερίῳ προσεκόμισε, *ducem, vivum comprehensum, ad Galerium adduxerit.* Cellar. *Et singulari* est in Guelferb. et Vossii excerptis, præterea *conserendo* in Guelf. vitiose. Mox *notiorem,* et *nobilior* ita distinguit Abramus ad Ciceron. pro Cœl. cap. 13. ut illud ad facta pertineat, hoc ad familiæ splendorem. *Arntz.*

§ 4 *Ab se profectum*] Vet. *provectum:* recte. *Putean.* Excutiant acutiores, unde istud membrum huc pervenerit: nam mihi quidem glossam resipere videtur; sane non respondet ei *quamvis,* supra posito, a quo isthæc sequentia pendere debebant, *longe tamen.* Gruter. Non *provectum.* Vide, quæ ad Velleium notavi. *Acidal.* Bene vir doctissimus hæc habet de glossa suspecta. Melius vero coibunt superioribus, si leges, *magnum, inquam, sit ab se, &c.* Nam supra dixit, 'quamvis enim magna sit, et admiranda felicitas,' &c. Sed et illa *ab se* suspecta sunt. Malim autem *abs spe,*

quod humilitatem notat originis. Sic post pauca de contraria felicitate: 'verticem tenere fortunæ, et, quæ summa sunt, non sperare, sed habere.' Humilis autem origo nec spem imperii habet. Si qui aliter judicabit, acumen sententiæ aptum explicet; nos non inviti dabimus manum. *Barthius*, Advers. XIV. 11. Ἀνακολουθία est satis manifesta, cujus tamen exempla, præsertim cum post interjectionem longiorem, (qualis hic est a verbis, *quod quidem etiam tu, &c.* usque ad *posses esse nobilior,*) ad priora redeunt, optimi etiam scriptores præbent. Vid. Ciceron. de Orator. II. 64. Orat. pro Domo sua ad Pontif. 57. et Tuscul. Quæst. II. 1. adde Quinctilian. VIII. 2. 15. et Gataker. ad Antonin. 3. § 4. p. m. 92. Est vero, præter medelam Barthii, et alia ratio hujus loci explicandi, mutata scilicet interpunctione, et lectione hunc in modum: *Quod quidem mihi Deorum immortalium munus et primum videtur, et maximum, in lucem statim felicem venire, et ea, quæ alii vix totius vitæ laboribus consequuntur, jam domi parta suscipere; quamvis etiam* (sic pro *enim*, quod est in codd. Livin. Bert. Put. Mœrl. et edd. habent alii) *magna sit et admiranda felicitas, quæ stipendiis in ordinem meritis, et militiæ gradibus emensis, ad fastigium istud majestatis adscendit, et solis virtutis nixa radicibus ad tant. pot. robur invaluit. Quod quidem etiam tu . . . esse nobilior. Magnum inquam* (vel *quidem*, ut illius loco est in Bert.) *est, ab se profectum ad maxima pervenire, &c.* Qua sit eundem ipse tibi monstret ductor Atlantiades. *Jæger.* In Guelferb. et Vossii excerptis est *abs te*, quod non probo, quia non ad solum Constantinum, sed generatim quoscumque pertinet elocutio. Mihi quidem ita cohærere videtur sententia; duo in præcedentibus monuerat, primum, maximum esse, in lucem venire felicem, deinde, per stipendia emerita, et virtutem ad majestatis fastigium adscendere: utrumque jam repetit, et velut conjungit, posita una regula, magnum esse a se profectum ad maxima pervenire; *a se profectus* est, qui vel in lucem statim felix venit, vel sua sibi virtute aditum ad maxima parat; uterque enim non fortuita hominum consensione, aut repentino favore, ut in principio dixit, ad tantum honorem adscendit, sed sua ipsius felicitate, et virtute. At vero eamdem regulam in duas mox partes dividit, et utriusque hominis discrimen tangit, ut aliud sit niti per ardua, id est, virtute ad maxima pervenire, aliud, ipsis natalibus et origine verticem fortunæ tenere. Ita non anacolutho opus erit, cujus exemplis apud Jægerum adde, quæ dedit Theologus admodum eruditus, Abreschius meus Paraphr. ad Epist. ad Hebræos cap. 2. p. 165. De confusione vocum 'provectus' et 'profectus' vid. Gronov. ad Liv. XXII. 20. patrem meum ad Plinii Paneg. XCV. § 4. et ibid. Schwarzium in sua edit. et ad cap. LXV. § 3. *Arntz.*

Patere plano] Alii *petere plano*. Rhenan. Forte *petere e plano*. Livineius. Alii *petere*. Lege *petere e plano*. Acidal. *Petere e plano*] Hæc est Livineii emendatio; vulgo *patere plano;* nullo sensu. Pro *patere* jam in ora ed. Rhen. a Schonhovio, itemque in margine Stephan. adscriptum est *petere*, quod etiam exhibet cod. Mœrl. et recte, meo quidem judicio, recepit Baunius, Patar. et Cellarius. *Jæger.* Etiam *petere* Guelferb. unde facile præpositio *e* in posteriori latere syllaba potuit. *Arntz.*

Ortus sui] Vocem hanc puto restituendam hoc sensu Ovidio Trist. II. 109. 'Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut ævo Clara, nec ullius nobilitate minor.' 'Patrio ævo' nemo facile explicuerit; Burmanno in mentem venerat 'arvo,' mihi 'ortu,' ut ibid. vs. 115. suam domum di-

cit poëta, 'vel censu parvam, vel ortu.' *Arntz.*

Tenore fortunæ] *Tenere.* Apage *tenore.* Acidalius. Put. habet *verticem cernere*, quod minus placet. *Jægerus.* Pro vitioso *tenore*, recte *tenere* recepit Livineius, quem Gruterus, et reliqui præter Rivinum sunt secuti, comprobantibus hanc lectionem Guelferb. et Schonhovii, et Vossii excerptis. Recte *cernere* ex Puteaneo rejecit Jægerus, quod vel sequens *habere* ostendit. Mamertin. Genethl. XIV. § 2. 'verticem teneat.' *Arntz.*

Sperare] Recte. Forte tamen *superare.* Acidal. Quid vero illud *superare?* si quid video, plane a sententia alienum, qua recte *sperare* et *habere* opponuntur. *Arntz.*

CAP. IV. § 2 *Primum Imperatori filium*] Incertus in Maximianum et Constantinum: 'Cum talem hunc filium tuum (sermo est ad Constantium) qui te primus patrem fecit, in imperii tui possessione idem pater, idem socer, idem Imperator induxerit.' Addo et unicum quoque, ut mox dicet, ex Helena quidem, nam cæteri ejus, qua fratres, qua sorores e Theodora, Herculii A. privigna. *Livin.* Cf. Excerpta post Ammian. Marcell. p. 710. *Arntz.*

Tantum, ille et] In plerisque edd. post *tantum* erat distinguendi signum. Jægeri illud exemplo omisi; quid si interpungas? *tantum ille, et.* Idem.

Ætatis suæ flore] Incertus Maxim. et Constantino: 'Divi, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit.' *Putean.* Anno scilicet ætatis suæ circiter vigesimo quarto. *Patarol.* Cf. Baunium in Vit. Constantii Chlori supra p. 231. *Arntz.*

Quamquam bella] Hic locus male habet; forsan legendum, *quam bella.* Rhen. Hic locus male habet: forsan legendum, *qua cum bella gessit.* Rivin. *Qua cum* etiam Schonhovii excerpta, atque in his *cum* est præpositio; alii, qui mox *tum* inseruerunt, pro adverbio habuerunt. Dedi *quam* ex Puteaneo, Guelf. et Vossii excerptis, Rhenani conjecturam egregie confirmantibus; sed de vera hujus loci lectione mox latius vide. Ante Gruterum editum est *quamquam*, quod retinuit etiam Rivinus. *Arntz.*

Plurima præcipue] *Tum* abest a Guelferb. et Vossii excerptis, primusque inseruit Gruterus, ni fallor, quia *qua cum* receperat, cui hoc recte respondet. Secuti sunt eum, præter Rivinum, reliqui. Iterum ejeci; consilii ratio ex seq. observatione patebit. *Idem.*

Campi Vindonis idonei] Hic locus male habet: forsan legendum, *campi Vindonis idonei testes declararunt*, aut simile quippiam. *Rhenan.* Sic Vet. *quam bella pl. pr. ca. videre Sydonii.* Pulm. *qua cum bella plurima pr. campis Vindonis gessit.* Sequor tamen potius Pith. et Fabr. *quam bella plurima, præcipue campi videre Sydonii;* haud dubie vox *idonei* corrupta ex voce *Sydonii*, vel *Vindonis; Vindonis* meminit hoc Panegyrico cap. VI. *Puteanus.* *Campi Vindonis gessit* Langii schedæ, Cuspin. Forte *campis. Videris* pro *Vindonis* corrupte est in Bertin. Infra *Vindonissæ* Vet. Bertin. exhibent in hac ipsa historia, ut existimo. Atque hic equidem lubens sic rescribam, nisi si *Vindoniis* aut *Vindoneis* ex editæ lectionis vestigiis probamus. Sed in Taciti quoque Hist. IV. cohortium, alarum, legionum hiberna lego, quæ Mogontiaci ac Vindonissæ sita. *Livin.* *Tum præcipue campi Vindonis gessit*] Sic libri meliores: nam deinde impressi, *fortitudine quamquam bella plurima præcipue campi Vindonis idonei. Inde, &c.* Posset tamen adhuc, litera adjecta, scribi, *campis Vindonis*, ut etiam placebat Livineio. *Gruter.* *Vindonissa* oppidum Helvetiorum, Tacito laudatum Hist. IV. 61. et 70. cujus reliquiæ in Bernatium vico *Windisch* visuntur. Circa Vindonissam *campi* fuere *Vindoni*, sive,

ut mox cap. vi. vocantur, *Vindonis campi*, in quibus Constantius Germanos clade maxima adfecit. *Cellarius.* Hic scripturæ mendum esse communiter creditur. Nescio, an Noster Vindonissam intelligat, quæ fuit olim, ubi nunc fere pagus *Vindisch* in Helvetiis. Non longe sane ab eo loco Constantius victoriam retulit de Germanis. *Patarol.* Œdipo indiget antiqua lectio, *campi Vindonis idonei*, quamvis a Rivino retenta. Quod dedit Gruterus, *tum præcipue campis Vindonis gessit*, expresserunt reliqui, etiam Jægerus; hoc mihi non satis habet auctoritatis, nisi ex solo Pulmanniano, et Livineii conjectura. Ad veram lectionem ducit Putean. Guelferb. et Vossii excerpta, *campi videre Sydonii*, aut *Sidonis*, quod ex Mœrl. dedit Jægerus, unde pater meus conjecit *campi videre Vindonii ; ut campi Philippii*, quod forte ex edd. vetustissimis, in quibus est *Philippis*, reddendum Valerio Maxim. I. 7. 1. Cum vero in Langii schedis, et Cuspin. sit *Vindonis gessit*, amplius emendandum puto, *campi videre Vindonissæ*, quod ex codd. restitui infra vi. 3. cujus loci comparatione idem hic in textum recipere sum ausus. De Vindonissa vid. Cellar. Geogr. Antiq. II. 3. p. 179. adde Antonin. Itiner. p. 238. et ibi not. Eleganter alacritatem, et fortitudinem *vidisse* dicuntur *bella*, et *campi*, ob sensuum vocabula inanimis sæpe tributa. *Arntz.*

§ 3 *Formæ similitudo*] Guelf. et Vossii excerpta, *formæ similitudo* : male. Incert. Maximian. III. in fin. 'Neque enim forma tantum in te patris, Constantine.' *Idem.*

Signante] Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Rivinus in prima, et Schonhovii excerpta, *signate :* male. Incertus Maximian. III. in fin. ex quo hic locus desumtus, de Constantino : 'In cujus ore cælestes illius (Constantii) vultus natura signavit.' *Idem.*

§ 4 *In fronte gravitas*] Gemina hæc laudatione in Constantium Cæsarem : 'Siquidem in ipso, Cæsar, tuo vultu videbant omnium signa virtutum, in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in sermone justitiæ.' *Livineius.* Cf. ad Eumen. Constantio XIX. § 3. *Arntz.*

§ 5 *Accipe nostrorum*] Loco posterioris *accipe*, cod. Mœrl. et Gud. *ancipitem.* Jæger. Etiam *ancipitem* excerpta Vossii, quod recepi. Est autem 'anceps confessio,' quæ in utramque capi partem possit; Constantium esse mortuum ægre ferebant, et tamen mortuum credere vix poterant, in Constantino velut viventem. *Arntz.*

Dolemus] *Dolemus* Guelferb. et Vossii excerpta, et edd. ante Gruterum, etiam postea Rivinus. Hoc revocavi ob *cernimus*, et *credimus*. Nazarius Constant. XXXIV. in fin. 'Ut non tam omnes dolerent, quod illum tyrannum ita diu tulerant.' *Idem.*

§ 6 *Versantur*] Tullianum pro Rosc. Amer. cap. VI. adde ad Mamertin. Genethl. XIX. § 4. *Idem.*

Cap. v. § 2 *Adscitus imperio*] Hoc est, Cæsar creatus. Sunt enim Cæsares quasi quidam designati Imperatores, et Augusti. Quæ addit de hostium exercitu, eadem in laudatione, quam proxime dixi. *Livin.* Qui Cæsar factus. Constantium, Constantini patrem, puta. *Cellar.* Cf. ad Eumen. Constantio II. 2. et VI. 1. Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus ediderunt *adscitus Imp.* id est, *Imperator*, contra fidem historiæ; quæ enim sequuntur, a Constantio adhuc Cæsare sunt gesta. *Arntz.*

Hostium classe] Duce eorum Carausio tyranno, de quo jam dixi ad Mamertin. Maximian. cap. II. seu, quod fortasse verius, duce Allecto, qui, sublato Carausio, tyrannidem arripuit; victumque hunc scimus ex

Eutrop. lib. IX. armis Constantii Chlori. *Patarol.* Errorem Pataroli in Allecto jam notavi ad Nostr. Constantio VI. § 1. *Arntz.*

Exclusit Oceanum] Vide Eumen. Constantio VI. ubi recte jam legi, 'ademit Oceanum,' hic locus ostendit. *Arntz.*

Exercitum, qui] Corruptum. *Acidal.* *Exercitum, qui* ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus; sed *exercitum illum, qui,* Livineius, Paull. Stephanus, et ita est in Guelferb. post *exercitum* primus inseruit *que* Gruterus, et sequentes, quæ cum lectio sola nitatur Cuspiniani auctoritate, nescio, an contra codd. Puteani et Guelf. sese tueri queat; retinui tamen, quia, omisso *que*, nescio quid duri periodo insit, et forte est in Mœrl. cum nihil monuerit Jægerus. *Arntz.*

Bononiensis oppidi] Eumenius Constantio cap. VI. 'Itaque Gallias tuas, Cæsar, veniendo vicisti, siquidem illa celeritas, qua omnis ortus atque adventus tui nuncios prævertisti, cepit oppressam Gessoriacensibus muris pertinacem,' &c. ex quibus duobus locis colligitur, Bononiam et Gessoriacum unum idemque oppidum esse. *Putean.* Bononia hæc est Belgica illa, in Morinis sita, urbs maritima, ante Gesoriacum dicta, ut Peutingeriana tabula explicatur: hodie *Bologne.* Cellar. Cf. ad Eumen. Constantio VI. § 1. De verbo 'insidere,' Buneman. ad Lactant. de Opif. Dei I. 8. *Arntz.*

Reciprocos cursus] Si mox *fluctus* non rediret, mallem *reciprocos fluctus*, ut apud Mamertin. Paneg. Maxim. II. in fin. ubi vide; jam vulgatum servo. 'Mare reciprocum' in eadem hac re dixit Constantio VI. § 2. *Idem.*

Portas fluctus adlueret] *Portas fluctu allueret mare.* Sic hunc locum rescripsi ex Pulm. nam antea legebatur, *quorum portus fluctu allueret;* corrupte. Similis locutio cap. VII. Panegyrico Flaviens. nomine: 'Navigera flumina ipsas oppidorum portas alluentia.' Constantio cap. VI. 'Atque illis olim mari fretis alluentem portas ademit Oceanum.' *Puteanus.* Probe *portas fluctus allueret.* Sed nondum integer et constitutus locus. Succedam ego, et in parte juvem; *et* (non *ut*) *quor. port. fluct. all. mare etiam, quod tangerent, perdidissent.* *Quod tangerent*, id est, quo allui solerent. Deinde *etiam* pro *et* reposui, a compendiis, quæ jam toties incuso, nam *et* veteribus libris *etiam* valet. *Livin.* Corruptum, *ut quorum portus fluctu allueret mare, et, quod tangerent, perdidissent.* Res quidem eadem Panegyrico Constantio uberius multo narratur, sed multo etiam aliter. *Acidal.* Scribe, *ut quorum portas fluctus allueret, et mare, quo tangerent, perdidissent.* Secundo flumine per mare barbari eum locum venerant. Objectis molibus Constantius fluvium a mari seclusit: ita mare impellere fluvium, fluvius e mari jam illo procedere non poterat, demtus igitur etiam usus navigiorum fuit barbaris, quod per τὸ *quo* indicat. Cui sententia perspicietur, non abhorrebit hinc fortassis. *Barthius*, Advers. XIV. 11. Ipse quoque retinui, quamvis veram Eumenii manum exhibere non videatur. Quid enim est *perdidissent?* constructio postularet, *ut perdiderint;* porro nullius est efficaciæ *et* post *mare;* denique quid est? *mare tangerent.* Comparabo, qui huic geminus est, Eumenii locum Constantio VI. § 1. de eadem hac obsidione, periculum facturus, utrum hac ope ad verum pervenire queam: 'Illis,' inquit, 'olim mari fretis adluentem portas ademit Oceanum, omnem sinum illum portus, quem statis vicibus æstus alternat, defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis, invium navibus reddidisti.' Ex verbis 'adluentem portas,' de qua locutione ibid. dixi, patet hic recte legi, *portas fluctus adlueret,* quod

etiam est in Guelferb. et Vossii excerptis. Posteriorem vero hujus loci periodum ita constituo: *diremisset, et, quorum portas fluctus adlueret, mare, quod frangerent, perdidissent.* Scripsi *et quorum* ex Livineii conjectura, *et* post *mare* ejeci auctoritate Mœrl. apud Jægerum, præterea Guelferb. et Vossii excerptorum. Comparetur uterque locus, et, nisi omnia me fallant, egregie conspirat. In illo est 'mare adimebatur,' hic *mare perdidissent;* in illo mare 'navibus fiebat invium,' hic dicitur *mare perditum, quod frangerent,* id est navibus peterent; '*frangere*' enim '*mare*' est navigantium, ob remorum præsertim pulsum. Plinius Paneg. LXXXI. § 4. 'certat frangere fluctus:' adde Burman. ad Valer. Flacc. I. 363. VIII. 355. itaque *mare, quod frangerent, perdere* nihil aliud est, quam invium navibus mare non posse ingredi. Vide tamen, nam neque hoc premam, utrum *frangerent* ad *portas* referri queat, ut portæ, quas mare adluit, illud eodem modo 'frangere' dicantur, quo littus tam *mare,* quam *fluctus.* Ovidius Fast. IV. 282. 'Quaque Caristeis frangitur unda vadis.' Horatius Od. II. 14. 14. 'Fractisque rauci fluctibus Hadriæ.' Dionysius Perieg. vs. 132. Ἔνθα δὲ κῦμα Ῥησσόμενον νήσοισι περιβρέμεται Σποραδέσσιν. Ex quo emendetur Priscianus Perieg. vs. 129. 'Dispersas vaste qui gurgite Cycladas ambit:' lege 'fracto qui gurgite:' ut 'frangit littore pontum,' ibid. vs. 330. et 'frangitur æquor Ebuso,' quod pro 'æquore Buscs' ex Carrionis Ms. reposuit Papius vs. 464. *Arntz.*

Et quod] *Et* abest a Mœrl. Guelferb. et Vossii excerptis. Cf. præced. observ. *Idem.*

§ 2 *Eodem exercitu*] Quod de 'clementia' memorat, id Paneg. Constantio VII. § 3. ita expressit: 'Statim atque obsidionem necessitas, et clementiæ vestræ fides solverat.' Adde ibid. VI. § 1. De locutione 'ædificare classes' vide ad Mamertin. Maximian. XII. § 2. Eumenium Constantio VII. § 6. *Idem.*

Terram Bataviam] Sic dixit, ut Catullus, 'Celtiberia in terra;' et Tibullus, 'Non tibi si pretium Campania terra daretur.' *Livin.* Schonhov. in margin. Rhenan. adscripsit *Batavicam,* sed nihil mutandum. *Terram Bataviam,* ut Livineius jam vidit, sic, ut Catullus p. 92. ed. Voss. 'Celtiberiam terram,' et Tibull. I. 10. 33. 'Campaniam terram' dixit. Adde his Gellium I. 1. 2. II. 22. 28. XVI. 10. 20. et multis præterea aliis locis; nam frequentandæ hujus rationis est studiosissimus. *Jager.* Adde Barth. ad Claudian. IV. Cf. Honor. 310. *Vataviam* consueta litterarum permutatione Guelf. et Vossii excerpta. *Batavicam* caret veterum auctoritate. Rem latius enarravit Paneg. Constantio VIII. sqq. Matthæus de Nobil. I. p. 85. *Arntz.*

Alumno suo] Carausium sentit, quem hinc ordines sub Constantio duxisse suspicor. Victor gnarum habitum gubernandi, hoc est, *rei nauticæ,* τῆς κυβερνητικῆς, eoque officio mercede adolescentiam exercuisse, memoriæ prodidit. *Livin.* Lego, *sub ipso quidem molimine suo,* id est, ut ipse dicebat, *dum ædificandis classibus Britanniæ recuperatio comparabatur.* Acidal. Carausium notat Batavum, in Britannis rebellantem, antea præfectum litori Bononiensi et Armorico, de quo Eutropius IX. 13. et 14. *Cellar.* An quod Carausius sub Constantio meruerit? Non negaverim; constat enim ex Eutrop. lib. IX. eundem rei militaris peritissimum fuisse. *Patarol.* Acidalii mutatio minus necessaria, et ex solo ingenio viri, ad conjecturas nimis proni, profecta, nemini, arbitror, probabitur. *Jæger.* Nulla fuit Patarolo quærendi caussa, cur hic Carausius significetur. Patet illud ex iis quæ dixi ad Mamertin. Paneg. Maxim. pag. 2. et ad cap. II. § 6. ad

Eumenium Constantio VI. § 1. Eum 'Bataviæ alumnum' dicit, quia ortu erat Menapius, teste Aurel. Victor. Cæs. XXXIX. 20. *suo* enim ad *Bataviam* esse referendum, ipsa ostendit sententia, et humani quid passus fuit summus Wagenaarius, cum Histor. Patr. tom. I. p. 222. hoc loco usus, de Carausio scriberet: *een' Menapischen burger, van geringe afkomst, doch die Voedsterheer geweest was van Konstantius Chlorus.* Hoc ad trecentos certe errores retulisset Schraderus, quos eum in Wagenaarii tom. I. notasse refert Wassenberghius meus, Laudat. Funebr. Schraderi pag. 17. quamvis enim 'alumnum' non negaverim eum posse designare, qui alterum alit, cf. Isidor. Orig. X. init. et Reitzium Ambig. p. 58. tamen qui id de Carausio, ratione Constantii, credas? Erat enim genere infimus, ut scribit Orosius VII. 25. et vilissime natus apud Eutrop. IX. 21. in cujus ideo hominis fidem, et tutelam non facile commissus fuit Constantius. Ipsa itaque postulat sententia, ut *alumnus* de eo capiatur, qui altus est; *θρεπτὸν* explicant Glossæ Nomicæ in v. corruptæ etiam in alia Glossa, in qua est, *Ἀλοῦμνος, ὁμογάλακτος·* posterius illud non est vera *alumni* interpretatio, cum *collactaneum* notet: mendi culpam librario tribuit Schultingius; mihi magis esse deceptus videtur Glossographus loco Theophili corrupto, ad § 5. I. Qui et quib. ex causs. *ἀλοῦμνος, ἡ ἀλοῦμνα, τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενον ἀναθρεπτὸς, ἡ ἀναθρεπτὴ, τουτέστιν ὁμογάλακτος·* ubi quamvis, mutato vocabulorum ordine, succurrere conetur Reitzius, post *ἀναθρεπτὴ* excidisse videtur *ἡ κολλακτάνεος.* Vocem *ὁμογάλακτος* legi Solonis in L. 4. D. de Colleg. et Corpor. reddere conatus est Arnaldus Var. Conject. II. 4. pro vulgato *ὁμόταφοι*, sed verisimilius *ὁμότροφοι* substituit Suringar. Observ. ad Leg. Solon. p. 27. *Arntz.*

Francorum regibus, gentibus] Vocem *regibus* hic delendam putem, ex hæsitatione librarii natam, qui dubius *regibus* scriberet, an *gentibus*, scripsit utrumque. *Acidal.* Vocem *regibus*, quæ in Rhenan. Steph. et Livin. legitur, delent, unanimi consensu, reliqui scripti et edd. omnes. *Jæger.*

Transtulit nationes] Confer dicta ad Eumen. pro Instaur. Schol. cap. IV. et quæ sequuntur cap. VI. *Patarol.* Late ad Eumen. Constantio I. § 4. *Arntz.*

Sed et feritatem] *Etiam*, tamquam elegantius, recte dedit Gruterus, et reliqui. 'Feritas' Francis præsertim tribuitur. Cf. ad Eumenium Constantio IX. § 1. *Idem.*

Britanniæ] Supra Incertus Maximian. IV. 'Liberavit,' inquit, 'ille Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti,' &c. Sic Incertus Constantino XXV. 'Recuperavit ille Britanniam, tu nobilissimas Africi maris insulas, quæ P. R. fuere provinciæ.' *Putean.* *Britanniarum* Vet. *Livin.* Recepta Britannia a Constantio per Asclepiodotum, præfectum prætorio, post novem annos. Aur. Victor. et Eutrop. Adde plura ex Eumenii Panegyrico. *Cellar.* Itemque Paneg. Incerti Max. et Const. IV. § 3. et Incerti Paneg. Const. Aug. XXV. 2. *Jæger.* Præsertim, quæ dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. XXI. § 2. Constantio VI. § 1. *Britanniarum*, quod ex suo cod. eruit Livineius, defendi posset ex Incerti loco apud Puteanum, sed hic obstat sequens *ad quam.* Arntz.

Quieto mari] Subducta verba, *quieto mari*, a glossa putem. Melius enim certe nihil hic addi, quia postea nihil additur alteri membro, *ita pervectus.* Acidal. Alii 'tranquillum' dicunt, de quo Bunem. ad Lactant. Instit. III. 23. 2. 'tranquillum mare,' Incert. Maximian. XI. § 4. 'tranquillitas,' ibid. XII. § 3. Pricæus ad Matth. VIII. 26. Rem ipsam explicui ad Eu-

men. Constantio VI. § 1. *Arntz.*

Tanto vectore] Dubium, 'vector' hic sit, quem vehebat oceanus, an qui ipse classem, ut apud Lucan. V. 580. 'Sola tibi caussa est hæc justa timoris Vectorem non nosse tuum.' Cf. ad Mamertin. Paneg. Maxim. XI. 7. Hunc locum cum Juvenco Hist. Euang. II. 40. contulit Omeisius. *Idem.*

Ita pervectus] Forte *pervectus est.* Livin. Recte *pervectus*, postquam adpulisset, finito cursu: ita 'pervecti oceanum,' supra Constantio XVIII. § 3. aliud est *provectus* de navi adhuc in portum navigante. Cicero de Invent. II. 51. 'tempestate jam commutata, navis in portum provehitur.' Apud Justinum XLIII. 3. 4. 'Inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta.' In D'Orvilliano, cujus penes me variantes, melius est 'provecta,' probante etiam Wopkensio in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 336. adde Schwarz. ad Plinii Paneg. LXV. § 3. patrem meum ad Victor. Illustr. XXII. 3. hoc discrimine admisso, facile constituemus de locis a Bunemanno tentatis ad Lactant. Instit. VII. 27. 1. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *Qua victis*] Lege, *qua e victis.* Barthius, Advers. XIV. 11. Non necesse est interponere præpositionem. Nam et tertio casui hoc verbum jungitur, cum 'parcendi' notio ei subjecta est. Cicero in Verr. II. 6. in m. 'Si cuiquam denique ulla in re umquam temperaverit, ut vos quoque ei temperetis.' *Jæger.*

Ejusmodi judicio dedit] Potest hic quoque *judicio* glossema esse, quod aliquis addiderit, quia de Providentia videbat dici. At *ejusmodi se dedit* est, talem se præbuit, et præstitit. *Acidal.* *Judicio* est in impressis omnibus. At melius codd. Gud. Put. et Mœrl. ejus loco habent *judicem*, pro quo Puteanus suspicatur legendum esse *vindicem*. Has voces, ob cognationem scripturæ et significationis, sæpe confundi docet Drakenb. ad Sil. II. 456. *Jæger.* *Judicem* etiam Vossii excerpta, quod restitui. *Vindicem* non congruit sequentibus de data *servitutem passis libertate*, et *culpæ consciis inpunitate*, quæ judici magis sunt propria. *Arntz.*

Servitutem passos] Britannos sub Carausio et Allecto. *Cellar.*

Culpæ conscium] *Conscios* Vet. Bertin. Britannos provinciales intellexerit, credo, qui Carausio, per Belgicæ et Aremoricæ tractum pacando mari præfecto, connivente, a Francis et Saxonibus fœde vexati deptique. Quamobrem a Maximiano A. interfici jussus, re comperta, 'Britanniam justo imperio (sic repono in Victore pro 'hausto imp.') capessivit.' Ad extremum frustra bellis tentatis contra virum rei militaris peritissimum, pax convenit, 'solique remissum insulæ imperium, postquam jussis, ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus.' Verba sunt ejusdem Victoris, quæ in transitu lucem a me accipient. Igitur quod sit 'soli,' Constantium Cæsarem excludit, cui cuncta, quæ trans Alpes, Galliæ commissa; 'jussis,' id est, ad jussa dandum, et imperitandum. Denique quod 'opportunior' addit, ad rei navalis peritiam traho, de qua ante jam dixi. *Conscium* ergo hic, an *conscios* legas, pili non interest; nam Carausium et socios significat. *Livin.* Qui Carausio studuerant. *Cellar.*

Suis sedibus] Pulm. legit, *ex origine sui sedibus.* Infra sic loquitur: 'Insulam, quam divortio sui idem amnis amplectitur:' et cap. XIII. 'Certe quidem jam tibi in exordio sui hostium movit obsequia.' Nazarius Paneg. cap. XXXVIII. 'Securæ facultates ambitione sui gaudent.' *Putean.* Schonhov. in marg. Frob. *ex origine sui sedibus.* Cf. Paneg. Mamertin. XIII. § 4. et Genethl. II. § 1. et quæ ibi disputantur. Quodsi his addas,

quæ in fin. cap. I. hujus Paneg. adnotavi, non facile dubitabis de veritate lectionis a me receptæ. Ceterum de Francis eorumque sedibus vid. Daniel. Hist. Franc. tom. II. p. 57. sqq. ed. Germanicæ. *Jæger.* Integram hic Germaniam Francorum nomine intelligi, contendit Barthius Advers. XLVI. 1. Cf. ad Eumen. Constantio XXI. § 1. *Sui* exemplo Jægeri recipiendum duxi, propter notata ad Mamertin. Maximian. IX. § 3. et XIII. § 4. Genethl. II. § 1. Eumen. Constantio VIII. § 1. *Arntz.*

Barbariæ littoribus] Guelf. et Vossii excerpta, *barbaricæ nationibus littoribus:* forte, *barbaricæ nationis littoribus;* ut 'barbarica clades,' Incert. Constantino XXIII. § 3. 'deprædatio barbarica,' Mamertin. Julian. I. § 4. 'vastitas barbarica,' ibid. IV. 1. 'barbarico astu,' Gellius XVII. 9. 'Ultima littora' quæ sint, dixi ad Mamertin. Maxim. v. § 1. adde Bentlei. ad Horat. Od. I. 34. 29. 'Evulsas' explicuit pater meus ad Pacati Paneg. XLV. 2. *Idem.*

Dilectu] Cf. ad Eumenium pro Instaur. Schol. v. 3. *Idem.*

§ 3 *Lingonicam victoriam*] Narrat Eutropius IX. 15. quem non exscribo. *Livin.* Lege Eutropium IX. 15. Cum Alamanis pugnatum in Lingonibus, quorum urbs primaria tum etiam Lingones dicta, nunc *Langres* in Campania Gallica. *Cellarius.* Vitiose *Bugonicam* Guelferb. et Vossii excerpta. Recte Brouwer. Annal. Trever. III. pag. 200. ex hoc loco eos refellit, qui LX. Almanorum millia ad Vindonissam esse cæsa scribunt; utramque enim pugnam distinguit Eumenius; adde Baunium supra Vit. Constantii p. 234. Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 225. *Arntz.*

Et imperatoris] Nam primo conflictu Constantius victus est. *Paterol.*

Vindonis campos] De his narrat Guillimann. de Reb. Helvet. lib. I. p. 11. a Thes. Hist. Helvet. 'Mœniorum nullæ omnino solo super reliquiæ. Si vero ruas, adhuc mœniorum rudera, et fundamenta longe lateque reperies; sola concamerata, fornices; ossium vero humanorum compages per campos et tota vicinia passim; credo ex illo, quod Constantius Cæsar prope eam urbem contra Alemannos prælium habuit.' Parum veri simile est, ossa cæsorum in hoc prælio tantum temporis superfuisse. *Jæger.*

Sed adhuc] *Et* dedit Cellarius. Recte, meo quidem judicio. *Jæger.* Nihil verius; codd. quidem *sed*, at vero adhæsit prioris vocis ultima. Probavit hoc quoque Brouwer. Annal. Trever. III. p. 200. cum ita locum excitet. *Arntz.*

§ 4 *Diversis Germanorum*] Puteanus existimat, hos populos eosdem esse, qui Paneg. Eumenii Const. IX. § 3. Chamavi, et Frisii vocantur. *Jæger.* Puteani sententia proxime sequitur. *Arntz.*

Rhenus illuxerat] Primum *illexerat* recepit Gruterus, quem reliqui omnes, etiam Baunius et Jægerus, sunt secuti; Rivinus tamen veterem retinuit scripturam. Illud cum sit ex sola conjectura, non multum apud me auctoritatis habet; in Langii enim schedis esse ex codice non videtur. Placuit illud quibusdam propter sequens *transmittere*, ut, concreto flumine, ad transitum in insulam fuerint excitati, quod frigoris aut æstatis tempore solebant barbari, unde sacra faciebant incolæ, ut aut flumen solveretur, aut pluvia aquæ crescerent. Cf. Pontan. Orig. Francic. I. 2. et 3. Attamen non dubitavi ex Mœrl. rescribere *illuserat*, cui proxima est codd. scriptura, idque refero ad sequens *clauderetur*. Multitudinem in eo illudebat Rhenus, quod cum tuta per duratum flumen transiisset, illud mox solutum eam ita includeret, ut capi posset. Eleganter Rhenum 'duratum gelu' dixit. Cf. Burman. ad

Valer. Flacc. II. 168. ita 'lacus durus,' id est concretus frigore, apud Ovid. Trist. III. 12. 28. 'pontus frigore duratus,' ibid. ex Pont. IV. 9. 85. 'hiems mare durare,' ibid. Eleg. 10. 38. 'aquas gelu,' Gellius Noct. Attic. XVII. 8. 'Oceanus frigore durus,' Priscian. Perieg. 278. apud quem vs. 20. legendum conjicio: 'Sed terras Aquilo qua frigore durat iniquo.' Non 'damnat,' nisi id malueris exponere per damno adficit, ut interpretatur Nonius Propriet. Serm. 4. n. 111. et forte ita 'damnati rigore' est apud Priscian. vs. 658. apud Horatium Od. III. 24. 39. 'duratæque gelu nives,' substituit Bentleius, pro 'duratæque solo,' quod acutius, quam verius otiosum putat, quia nives non nisi solo durantur, sed utrumne tum 'gelu' etiam non est otiosum? et sæpe ita poëtæ, ut linter 'aqua navigare' dicitur apud Ovid. Fast. II. 864. et 'humi depressus' apud Sallust. Catil. c. 58. ubi 'humi' non est pro glossa habendum cum Groslotio in Centuria Goldasti pag. 869. in Horatio quoque vulgatum confirmat antiquissimus Cod. Franequeranus, et tuetur Coningham. Animadv. in Horatium p. 224. κρυσταλλοπῆγα πόρον simili ratione dixit Æschylus Pers. 501. *Arntz.*

Divortio sui] Eumenius Constantio c. VIII. 'quamque divortio sui Rhenus amplectitur.' Sic Cicero Epist. II. 10. 'Cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, divisus aquarum divortio:' et lib. de Oratore. Intelligit autem Panegyristes per *insulam* Bataviam, puto tamen aliam esse hanc Bataviсam victoriam ab illa, de qua supra loquitur. Nam hic 'diversorum populorum Germaniæ' meminit, quos vocari puto cap. IX. Panegyr. ad Constantium Cæsar. Chamavos, sive Cauuos, et Frisios. *Putean.* Insulam Batavorum, Bataviam. *Cellar.* De *divortio sui* vide ad Eumen. Constantio VIII. 1. *Arntz.*

Complectitur] Eumenius Constantio VIII. 1. 'divortio sui Rhenus amplectitur.' Mamertinus Maximian. VII. 5. 'Syriam velut amplexu suo tegebat Euphrates.' *Idem.*

Et demissis] Lege *dimissis*, i. e. circum undique missis: alias simplex *missis* erat melius. *Acidal.* Obsecutus sum Acidalio, jubenti nos legere *dimissis*, i. e. circum undique missis. Alias, inquit, simplex *missis* erat melius. 'Demittere' et 'dimittere' in Mss. facile, et sæpe confundi satis constat. Fortasse tamen, ne quid dissimulem, *demissis* h. l. idem est ac 'deductis,' sc. ex navalibus, in quibus hiberno tempore naves subductæ servantur; sed exemplum desidero, qua probetur, τὸ 'demittere' hac in re adhiberi. Cogitabam quoque, an 'demissa navigia' fortasse dicantur, quæ amne secundo devecta sunt. Verum et hæc ratio auctoritate destituitur. *Jæger.* *Dimissis* suspicabatur quoque pater meus, et ex Guelferb. ad oram Cellarianæ est adnotatum; dubito, an satis adcurate, nihil monente Jægero, quem in contextu exprimendo sequi non sum ausus, ob codd. in *demissis* consensum. Neque video, quare 'demittere' non possit naves indicare, ex ripa, tamquam altiori loco, inferius subductas, eo modo, quo ex mari altiori in terram dicuntur 'demitti,' apud Virgilium Æneid. V. 29. ubi Burman. Potius tamen accipio de navibus ex superiori Rheni parte, secundo flumine, in inferiorem regionem missis, ut 'pecora secunda aqua demittere' apud Frontin. Strateg. III. 14. 4. De utriusque verbi permutatione dixi ad Sedul. III. 94. v. 393. *Arntz.*

Sorte communi] Id est, morte in pugna. In Constantium Cæsarem: 'Nec vereri dubia bellorum, nec Martem, ut dicitur, putare communem.' *Livin.* Sed totum locum bene consideranti patebit, sortem com-

munem captivitatis hic intelligendam esse; præsertim si admittatur lectio Cellariana, de qua nunc videbimus. *Jæger.* Neque Livineii nec Jægeri placet interpretatio; dicam seq. observ. *Arntz.*

Eligeret et ex æquo] Forte, *æquo se captivitati. Ex æquo*, hoc est, integris copiis, et incerto utrimque prœlii eventu. Infra: 'Ut sibi non murum scandere, sed ex æquo congredi viderentur.' Hoc vult aperte, æquo Marte, et paribus ad victoriam momentis, quæ iniquiora in altum subeuntibus. *Livin.* Lege *eligeret ex se, quos capt., &c.* Acidal. Non possum, quin Acidalii correctionem amplectar, quæ perspicuum sensum parit, quum vulgaris lectio *et ex æquo*, quod *æquo Marte* interpretantur, sequentibus male concilietur. *Cellar.* Sic retinui, ut est in editione Parisiensi aliisque, item et in Ms. S. D. Marci. Alii legunt *et quos*, alii *æquos*. Patarol. Hæc est scriptura edd. Rhenan. Stephan. Livin. Paris. et Pataroli. Cuspin. habet vitiose, *et ex equo:* cod. Livin. et Bert. *equos captivit.* absurde quidem, sed tamen ita, ut veræ scripturæ vestigia transluceant. Cod. Put. pro *ex æquo* præfert *quos*, et sic præter Gud. etiam Mœrl. in quo legitur, *sorte communi, eligeretur, quos captivitati traderet.* Hæc lectio firmat conjecturam Acidalii, ita corrigentis, *eligeret ex se, quos capt.* Secutus vestigia codicum, et Cellarii exemplum a vulgata lectione discessi. *Jæger.* Vossii etiam excerpta *eligeret, quos captivitati.* Scripturam Rhenani secuti sunt quoque Rivinus et Bannius. Quod dederunt Cellarius et Jægerus, *eligeret ex se, quos captivitati*, sola est Acidalii conjectura, quam nulla codd. adjuvat auctoritas, ut mittam *ex se* supervacaneum videri; etenim satisne fuisset *eligeret*, cum ex aliis legere non possent? Prava loci tum interpretatio, tum vero etiam interpunctio effecit, ut in devia abierint interpretes. Scilicet *communi sorte* cum *difficilius* junxerunt, idque de morte in pugna interpretati sunt Livineius et Cellarius, de captivitatis sorte Jægerus. Quid, quæso, simplicius, quam ut *sortem* proprio sensu capiamus? omnes illi inter se Germani sunt sortiti, qui futuri essent captivi; hoc erat difficilius, propter communem cunctis sine discrimine, honoratiores essent an viliores, hoc pacto conditionem præscriptam; facilior utique futura esset captivitas, quæ fortiter pugnanti obveniat, quam quæ sorte, sine ullo conditionis discrimine, inponatur. Itaque secundum codd. sed mutata interpunctione, locum constitui, *ut, quod difficilius est, sorte communi eligeret, quos captivitati.* Ejeci *ex æquo*, quod est in nullo codice, nisi Veneto apud Patarolum: si necesse foret, posset admitti hoc modo, *eligeret, et ex æquo, quos*, id est, sine ullo conditionis, et honoris discrimine, ut apud Plinium Paneg. II. § 8. 'quam commune, quam ex æquo,' id est, quam illud sine discrimine inter omnes obtinet. Sed nostra lectio potior est, quia codd. Puteani, Guelferb. Mœrl. et Vossii excerptorum auctoritate nititur, illud *ex æquo* ignorantium. Recte autem *eligeret* cum *sorte* jungitur; 'delectus sorte' est apud Justinum I. 5. 2. 'sorte lecti,' Ovid. Metam. XIV. 251. neque alio sensu capiendum συγκατεψηφίσθη in Actib. Apost. I. 26. ut simpliciter *sorte lectum* designet, aut *adnumeratum*, non *communi suffragio electum*, ut habent Belgæ interpretes, aut *comprobatum*, ut alii; suffragio enim, et comprobatione non opus erat in re, sorti commissa, indicaturæ, quem Deus, non suo suffragio Apostoli, probaret. *Arntz.*

Cum reliquiis] Guelferb. *reliquis;* ita ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Rivinus, et Patarolus: ceteri *reliquiis*, ut 'reliquiæ

gentis adflictæ,' infr. XIII. § 1. et 'reliquiæ barbaricæ cladis,' Incert. Constantin. XXIII. § 3. magis tamen placet *reliquis*, id est, iis quibus sors captivitatis non obtigerat. *Arntz.*

Suorum] Quos elegisset in captivitatem tradendos. *Patarol.*

CAP. VII. § 1 *Quam sic omnia*] *Quam sic omnia* Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Rivinus in prima; *quam si omnia* Livineius: utraque lectio nihil habet, quod sententiæ obstet. Melior tamen altera ex codd., etiam Guelferb. et Schonhovii excerptis; eadem enim Vossii hic desinunt, recte a Paullo Stephano jam recepta, et sequentibus. *Deficientem diem* arbitror ex Daventriensi cod. restituendum Sallustio Jug. c. 52. ut legatur, 'jam deficiente die vesper erat,' quamvis, omisso 'deficiente,' 'die,' pro 'diei' tueatur Cortius. *Arntz.*

Suprema illa expeditio] Infra mox: 'Cum ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit.' *Livin.* Vid. ad Sedul. v. 321. *Arntz.*

Certum est] *Creditum*, cum in Put. Gud. et Mœrl. inveniatur, quo minus reciperem, nihil visum est obstare. *Jæger.* *Creditum* præplacet. *Arntz.*

§ 2 *Caledonum*] Populorum in Britannia Septemtrionali. *Cellar.* *Caledones*, seu *Caledonii*, populi Borealis Britanniæ, in Scotia, ubi nunc fere regio incolis *Allibaum*, et urbs *Dun Kedd*. Melius autem locum hunc legit Valesius ad Ammian. XXVII. 8. nimirum *non Dicaledonum*, pro *non dico Caledonum*. Et quidem 'Dicaledonas,' tanquam partem Pictorum, una cum Vecturionibus altera parte, nominat citatus Ammianus ibid. *Patarol.* Sed emendationi suæ ipse non multum tribuit Valesius. Adde Cellar. Geogr. Antiq. II. 4. p. 278. Vulgatum tuetur Mamertinus Maximian. v. § 3. 'Non dico stipatione atque comitatu, sed saltem:' et ipse Noster supr. v. init. *Arntz.*

Pictonum] Lege *Pictorum*. Picti in eo tractu. *Acidal.* Picti in eadem Scotia fuere, Caledoniis ad Meridiem proximi. Solebant corpora sua pingere, in iisdemque varia animalia describere, teste Solino. *Patarol.* *Pictonum* Guelferb. et ita ediderunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Rivinus: male. Pictos etiam dixit supr. Constantio XI. § 4. idque plurimorum Britannorum ad Boream esse nomen docet Cellarius Geogr. Antiq. II. 4. p. 279. *Arntz.*

Silvas] Celebris olim Caledonia silva, quæ et *Deucaledonia* dicta, cujus adhuc hodie vestigia visuntur. *Patarol.*

Hiberniam] Hibernia, seu Iernia, insula Britanniæ finitima in Occasum, viginti circiter milliaribus ab eadem distans; nobis nunc *Irlandia.* Patarol.

Thulen ultimam] Virgilius Georg. I. ad Augustum: 'Et tua nautæ Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule.' *Livineius.* Ultima insularum Oceani Thule, sive Thyle, fuit credita. Vide quæ de Thule in Notit. Orbis Antiqui commentati sumus. *Cellar.* Quæ fuerit priscorum Thule, nondum convenit inter auctores. Communior tamen sententia eam putat, quæ nunc *Islanda*, insula Septentrionalis Oceani, sub Arctico Circulo, inter Norvegiam ad ortum Europam versus, et Terram Viridem Americæ ad Occasum. Hanc insulam dixere olim 'ultimam,' quod navigationibus tunc temporis non ultra in Boream progressi essent. Virgilius Georg. lib. I. 'Tibi serviat ultima Thule.' Sic Seneca in Medea: 'Nec sit terris ultima Thule.' *Patarol.* *Thilen*, Guelferb. *Tylen*, Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, Rivinus: eadem est varietas apud Virgil. Georg. I. 30. prævalet tamen *Thule*, quia Græcis Θούλη. Vide illic Heinsium, et V. D. ad Pompon. Mel. III. 6. 85.

'Ultima' quoque dicitur a Martiano Capell. VI. pag. 215. rationem vide apud Barthium ad Claudian. III. Cf. Honor. 53. Cellarium Geogr. Antiq. II. 4. Burman. Secundum ad Anthol. Latin. tom. I. p. 235. *Arntz.*

Fortunatorum insulas] Infra Mamertinus Juliano c. 23. 'Habitatas a justis viris terras in Oceano ferunt, quas Fortunatorum insulas vocant.' *Putean.* De 'Fortunatis insulis,' quas plerique jam credunt Canarias esse, earumque situ, variæ opiniones erant veterum; ut nec defuerint, qui in Britannico mari eas quærerent. Vide Mureti Var. Lect. v. 1. *Cellar.* Mentionem harum faciunt Plinius et Ptolomæus, ac sex fuisse tradunt, quibus etiam varia eorum quilibet nomina affigit. Nunc septem feruntur esse in mari Atlantico, contra Africam. Plura de ipsis fabulati poëtæ, quæ leges apud Natal. Comit. Mythol. III. 19. *Paterol.* Cf. etiam de his Isidor. Orig. XIV. 6. Jan. ad Sigon. Opp. tom. I. part. II. p. 58. *Arntz.*

Nemo voluit] *Nemo* etiam Paull. Stephanus; alterum codd. et reliquæ edd. *Eloqui* videtur adhibitum pro simplici loqui, de quo Buneman. ad Lactant. de Opif. Dei 10. 12. et quidem ea quæ ad Deos pertinent. Vid. ad Mamertin. Genethl. XI. § 4. *Idem.*

Genitorem illum] Allusit ad Homeri versum Iliad. Ξ. Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν· *Et Divum Tethyn matrem, Oceanumque parentem.* Livin. Poëtico heic more Panegyrista, quod fati erat, 'mori illo itinere,' ad consilium refert, et voluntatem, ut consecrationi simul inserviat. *Cellar.* Oceanum *genitorem Deorum* dicit ex prisca opinione, ut dixit et Juno apud Homerum Iliad. 'Oceanum visura peto namque ultima terræ, Unde genus Superis.' Orpheus Hymn. 'Oceanumque voco patrem, Tethynque parentem, Unde ortus Superis.' *Paterol.* Ex sententia Thaletis, Orpheique, etiam Oceanum 'rerum principem' vocat Claudianus de IV. Cons. Honor. vs. 28. ad quem locum vid. Gesner. *Jæger.* De Homeri Oceano erudita scripsit collega noster Royaards Diatrib. Acad. c. 5. *Arntz.*

Ignea cæli astra] De Cleanthis, ac Stoicorum sententia dictum, qui et astra tota ignea esse, et Oceani humoribus ali putaverunt, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere. Cicero de Natur. Deor. II. Achoreus sacerdos apud Lucanum X. 'Nec non Oceano pasci Phœbumque polumque Credimus.' *Livin.* Ex Stoicorum sententia, dicentium, astra ignea Oceani aquas haurire. Plura sunt in Cicerone, Seneca, Plinio, aliisque testimonia. Qui singula cupit, petat e Lipsio Physiol. Stoic. lib. II. Dissert. 14. *Paterol.* Cuspin. his præponit verba *fluctibus suis*, quæ quidem sententiæ adcommodata sunt, sed ex glossemate irrepsisse videntur. *Jæger.* Hinc 'Oceani unda renovatus' dicitur Lucifer, apud Silium Italic. VII. 639. ubi Drakenborch. 'Prospicere Oceanum' quid sit, vide ad Mamertin. Maximian. III. § 2. *Arntz.*

Pæne continuum] Juvenalis: 'Et minima contentos nocte Britannos.' Cæsar lib. Comment. de Bello Gallic. et infra c. IX. 'Certe quidem, propter quod vita diligitur, longissimæ dies, et nullæ sine aliqua luce noctes.' *Putean.* Infra in Britanniæ laudibus: 'In qua longissimæ dies, et nullæ sine aliqua luce noctes, dum illorum litterum extrema planities non attollit umbras, noctisque et metam cæli, et siderum transit aspectus. Ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.' Tacitus Julii Agricolæ Vita: 'Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, et nox clara, et extrema Britanniæ parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem

solis fulgorem, nec occidere, et exurgere, sed transire affirmant. Scilicet extrema, et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque cælum et sidera nox cadit.' Plura inibi lege, quæ huc faciant. *Livin.* Non omnino continuum, quia talem non habent, nisi qui sub ipso polo sunt, quibus sol per sex menses fulget, per totidem conditur. Quo quis igitur ab æquatore polum versus progreditur, eo longioribus diebus fruitur, noctibusque contra brevioribus. *Patarol.* Add. Cæsar. de B. G. v. 13. Plin. H. N. II. 75. et ibi Hard. et Scalig. ad Manil. Astron. III. 301. p. m. 212. et hujus Paneg. cap. IX. § 3. *Jager.* Cf. præterea Pompon. Mel. l. III. cap. 6. Solinum Polybist. 25. Isidor. Orig. XIV. 6. Martian. Capell. VI. p. 215. ad Eumen. Constantio IV. § 3. *Arntz.*

§ 3 *Illum Superum*] Africanus de se apud Ennium: 'Mi soli cæli maxima porta patet.' *Livin.* Cf. seq. observat. *Arntz.*

Templa petierunt] *Illi patuerunt* recte secundum codd. dedit Paullus Stephanus, et reliqui præter Rivinum in prima; 'templa' passim 'patere' dicuntur, ut apud Ovid. Fast. I. 181. ex Pont. III. 1. 132. *Idem.*

Concessu cæli] Gud. scriptura præ reliquis placet in tanta edd. varietate. De utriusque vocis permutatione vide ad Eumen. Grat. Act. III. § 2. *Idem.*

Dexteram porrigente] Confer ad Incerti Paneg. Maximian. XIV. § 3. *Idem.*

Sententiam rogatus] Livineio antiquiores, et postea Rivinus in prima, *sententia*, idque videntur retulisse ad *decerneret*, cui sententia sua imperium decerneret. Monitu vix opus, meliorem esse vulgatam, suffragio codd. et Schonhovii excerptorum probatam. *Idem.*

Ut decebat, dixit] Qui *Constantinum* scripsere, *dixit* interpretati sunt, pronunciavit, nominavit; *falso*: est enim sensus, rogatum sub decessum patrem, cui imperium relinqueret, ea locutum, quæ Pium decerent. Repone ergo auctoribus libris, *dixit, ut decebat Constantium, &c.* et post *decebat* sectionem tolle. *Livin.*

Constantinum Pium] *Constantium* Vet. Bertin. Indubie verum *Constantium*. Non longe infra: 'Dii boni, quanta Constantium Pium, etiam in excessu suo, felicitate donastis!' Rursum: 'Gratulare, Constantine, naturæ, ac moribus tuis, quod te talem Constantius Pius genuerit.' Incertus in Constantinum A. 'Erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii Pii filius.' Iterum mox: 'Te, Constantine, paterna pietas sequebatur,' &c. *Livin.* *Constantinum*, Guelferb. et ita editum est usque ad Gruterum, postea etiam a Rivino: retulerunt illud ad *dixit*, sed si ita legatur, bis idem monuit Eumenius, nihil enim *dixit Constantinum* a sequentibus *sententia patris electus* distat. Recte igitur, mutato verborum ordine, *Constantium* reposuerunt, et ad *decebat* retulerunt, ea sententia, quam in præced. observ. explicuit Livineius. *Arntzenius.*

Electus est Imperator] Forte *es.* Livin. Recte ita recepit Baunius. Rem ipsam explicui ad Incert. Maxim. I. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Præscripta*] Vet. *perscripta*. Quid sit 'senatus auctoritas,' vel 'auctoritas perscripta,' notum est. *Puteanus.* Codicum non una lectio. In Langii schedis, Cuspin. est, *præscripta, quamvis pleno, &c.* in Vet. Bertin. *prascr. quamvis tum pleno sit firm. cons.* Quod equidem sequar, et *pleno consilio* exponam, frequente tanquam senatu eorum, qui Constantio primi ad consilia. Confer, quæ notamus supra c. 5. *Livin.* Non miror, Baunium parum feliciter versatum esse in explicando loco, qui levi medicina indiget. Eam vero adferunt codd. Gud. Pat. et

Mœrl. in quibus legitur, *auctoritate perscripta.* In consilio Deorum, tanquam senatu, ante adventum Constantii, non aderat legitimus quasi et plenus senatorum numerus, ideoque sententia eorum auctoritate tantum perscripta, sive senatus auctoritas *perscripta* fuit; accedente autem Constantio, consilioque tum pleno, sententia illa veluti senatus consulto firmata est. Vocem 'perscribere' in hac re proprie usurpari, multis probat Manutius ad Cicer. Epist. ad Div. I. 2. 11. p. 27. ed. Græv. et facile fieri posse, ut 'perscribere' et 'præscribere' confundantur, nemo ignorat. Non dubitavi itaque in contextum recipere hanc lectionem, probatam etiam Puteano. *Jægerus.* Nihil eadem certius; dubium tamen, ita dederit ex codice Puteanus, an conjectura; saltem in variantibus, quas Mss. habeo, adscriptum legitur *forte.* Arntz.

§ 5 *Transfretabat*] 'Transfretare fretum' dixit Plinius Paneg. LXXXI. § 4. Vid. illic in sua edit. Schwarzius. 'Ad tempus ipsum' occurrit quoque supra Constantio I. § 1. ubi hunc locum contulit Livineius. *Idem.*

Illuxit] De eodem adventu Constantini Eutropius lib. X. 'Exoptatissimus moderator accessit.' *Paterol.* Hoc usus est verbo ad indicandam celeritatem, ut adparuerit tamquam flamma aut fulmen, de quo Barthius Advers. VI. 5. et ad Claudian. Laud. Stil. III. 64. Sed inest huic loco scrupulus, quem Panegyricorum tacite prætereunt interpretes, senserunt tamen Cuperus ad Lactant. M. P. 24. et Grunerus ad Victor. Cæs. XL. § 3. nec tamen exemerunt. Scilicet ad patrem pene moribundum venisse in Britanniam Constantinum, testantur historici, et Noster cap. seq. hic vero significare videtur, eum una cum patre, sano adhuc et viribus valido, trajecisse: quod anno, mortem patris præcedente, fieri tum debuisset. Ne hæc unanimi historicorum suffragio adversentur, duplex mihi Constantini ad patrem videtur constituendus adventus; alter ad Bononiam, cum in Britanniam trajecturus esset pater, sed quem in eam insulam non est comitatus Constantinus; alter vero in Britannia, cum morti pater esset vicinus. Duplex enim Deorum memorat suffragium Eumenius, quo, propter pietatem in patrem, hoc dignus habebatur honore; primum, cum *auctoritas* tantum esset *perscripta;* secundum, cum *pleno consilio* illa *sit firmata.* Auctoritas perscripta erat *jam pridem,* id est anno præcedenti, cum trajecturus esset pater, qui cum haud dubie Bononia solverit, ideo in excerptis Anonymi post Ammian. Marcell. p. 711. dicitur Constantinus 'ad Constantium venisse apud Bononiam,' et forte hinc a Galerio obses est retentus, de quo dixi ad Incert. Maxim. I. § 1. confirmata autem erat eadem auctoritas, cum imperium ipsi reliquisset pater moribundus. Ita non opus est, Anonymum, aut Nostrum erroris adcusare, aut denique Nourrium sequi, Dissert. ad Lactant. p. 384. *Arntz.*

Cursu publico] An *curru?* De vehiculo publico notum. *Acidal.* Male: Lactant. M. P. 24. 'Nudatus ei cursus publicus nunciatur:' intelliguntur autem equi dispositi, et publici, de quibus late dixi in Miscell. p. 318. ubi suspicatus quoque sum, in L. 2. D. De In jus vocand. legendum esse, 'in cursu publico transvehatur,' et nondum pœnitet. 'Publica jumenta' dixit Victor, Epit. XLI. 2. ἵππους, οὓς τὸ δημόσιον ἔτρεφεν, Zosimus Hist. II. 8. Cf. Casaub. ad Spartian. p. 15. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. p. 197. et 522. *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Cydonumve*] Cretæ populus Κύδωνες, *Cydones,* ut Strabo lib. X. refert, quorum oppidum Cydonia, Cydonea, et Cydon vocabatur. Arundinem illa regio fert telis

aptissimam, unde Virgilio sunt Ecl. x. vs. 59. 'Cydonia spicula;' Silio x. 261. 'Cydonea violatus arundine.' *Cellar.* Populi fuere Cretæ insulæ, ubi nunc *Canea*, jaculandi peritissimi, sicuti et Persæ seu Parthi. Ovid. Metam. VIII. 'Cydoneasque pharetras Noverat.' *Patarol.* Cf. Januar. ad Sigon. de Imp. Occid. II. Opp. tom. I. part. II. p. 58. *Arntz.*

Jactibus destinata] Ms. Mœrl. exhibet, *certis ictibus*. Jægerus. *Ictibus* etiam conjecit pater meus. Propter *destinata* magis placet *jactibus;* sunt enim *destinata* tum, cum conjiciuntur, vid. Observ. Amstelæd. Nov. tom. II. p. 60. Not. ad Victor. Epit. XLVII. 4. ad conjecta, inlato vulnere, magis 'ictus' pertinet; hinc 'intra jactum teli stare,' Nazarius Paneg. XVIII. § 4. 'telorum irriti jactus,' ibid. XXIX. § 5. Ausonius Grat. Act. XXVII. § 3. 'Nemo spicula crebrius jecit, aut certius destinata percussit.' Sequens præterea *fixerunt* magis *jactibus* favere videtur. In L. 5. § 10. D. de Oper. Nov. Nunc. Florentiæ est, 'lapilli ictum;' sed recte, ob basilicorum βολὴ, *jactum* præfert Schulting. ad Quinctil. Declam. p. 29. et latius explicat Otto in Jurispr. Symb. Exercit. II. cap. 9. confirmat illud L. 6. § 1. D. 'Si servit. vind.' L. 1. § 6. 'Quod vi aut clam,' et 'lapillum jactare' in L. 20. § 1. eod. neque opus auxilio Hotomanni Obs. II. 4. apud Isidor. Orig. XIV. 8. 'Acroceraunia, montes propter altitudinem, et fulminum jactus vocati:' ex optimo Groningano scribe 'ictus.' *Arntz.*

Fixerunt] Malim *fixerint*. Ritters. Præter necessitatem; significat enim, umquam fixerunt, aut figere solent, quæ significatio temporis præteriti, ut apud Græcos indefiniti, in Latinis scriptoribus haud raro observatur, et frequentissima est in scriptis Senecæ Philosophi. Sic v. g. de Constant. Sapient. c. 11. 'Pueri os parentum feriunt, et crines matris turbavit, laceravitque infans, et sputo adspersit, aut nudavit in conspectu suorum tegenda, et verbis obscenis non pepercit, et nihil horum contumeliam dicimus.' *Jæger.*

Comes adfuisti] De Constantino Aurel. Victor: 'Ad patrem in Britanniam pervenit. Et forte eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata ultima perurgebant.' Sic et Euseb. Vit. Const. I. 21. 'At Constantio sub idem tempus ultima vitæ dies imminebat.' Constantii sepulchrum in Britannia repertum fuisse testantur Florilegus, et Camdenus, relati a Ruperto Observ. ad Besoldum. *Patarol.* Cf. Baluzium ad Lactant. M. P. 24. et Nourrium Dissert. ad Lactant. p. 383. qui tamen male ad patrem ægrotum Bononiæ venisse censet, cum duplex Constantini iter, quod supra monui, sit distinguendum. *Arntz.*

§ 2 *Constantinum Pium*] Lege *Constantium*. De patre enim Constantini capienda hæc omnino. *Acidalius.* *Constantinum* etiam Guelferb. editumque fuit usque Gruterum, postea etiam a Rivino. *Constantium*, quod etiam in Schonhovii excerptis est, postulant sequentia, et notata ad cap. VII. § 3. denique *excessu suo*, quod non nisi de Constantii morte potest intelligi; ut cap. IV. § 5. 'excessit a nobis:' qua eadem notione adhibetur 'exitus.' Cf. Cortium ad Sallust. Catil. LV. 6. Segaarium ad Lucæ Euang. pag. 259. et me ad Sedul. v. 131. *Arntz.*

Illico enim atque] Cf. Livin. ad Eumen. Constantio VII. § 3. *Idem.*

Consedit exercitus] Vix mihi dubium, quin verum sit *consensit exercitus;* non potui tamen, quin scripturam, quæ in Vet. Bertin. cum fide repræsentarem, etsi ex ea nihil hactenus exsculpo. *Livin.* *Consedit* etiam Puteolanus et Rivinus; sed 'consensionem' dixit supra III. init. Cf. Baluz. ad Lactant. M. P. 24. *Arntz.*

Ad seniores Principes] Dixi ad cap. I. Incertus in Maximianum et Constantium Herculii quoque, qui, Diocletiano auctore, imperium posuerat, partes aliquas firmando Principatu Constantini facit, si hæc capio: 'Quanquam quid ego in te ætatis tuæ potius, quam gravitatis nomen usurpo? cujus tanta maturitas est, ut, cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris, ut idem te, qui illum, declararet Augustum.' Locum perlege. *Livin.* Vid. hujus Paneg. I. § 4. et antecedentis c. V. § 3. *Jæger.* Rem explicui supra ad Incert. Maximian. I. § 1. ex quibus lucem capient, quæ hic Livineius, neque adeo opus est, ut solum hic Galerium Maximianum A. et Severum et Maximinum Cæsares intelligamus cum Baluzio ad Lactant. M. P. 25. *Arntz.*

Summa republica] Cf. supra ad Mamert. Genethl. XIII. 2. *Idem.*

Tamen studio] *Tamen* abest Vet. Bertin. *Livineius.* Abest quoque in Guelferb. horumque codd. auctoritate delevi, cum a librario, frequentem ellipsin post *quamquam*, *etsi*, et similia ignorante, videatur insertum. Exempla dederunt Drakenb. ad Livium XXII. 19. 1. XXXVI. 38. 7. ipse ad Arator. II. 733. similemque medelam adhibui Mamertino Maxim. XI. § 2. *Arntz.*

§ 3 *Primus copiam*] De purpura illa cf. Baluz. ad Lactant. M. P. 25. *Idem.*

Consecratum] Inter Deos relatum, Ethnico more. Extant ejus nummi cum capite velato, quod signum olim consecrationis erat. *Patarol.*

§ 4 *Calcaribus incitasse*] Aliis est 'admittere equum,' de quo Torren. ad Valer. Max. III. 8. 1. et quæ dicta sunt supra ad Mamert. Genethl. VIII. 3. Quæ ex Victore habet Baunius, reliqui quoque testantur historici, sed de eo, quod hic Eumenius tradit, nihil simile deprehendi, et forte verbum *diceris* indicat, magis se oratorum more loqui. *Idem.*

§ 5 *Cyllarus*] Vide Auson. in fine Panegyr. ad Gratianum. *Puteanus.* Pernicium equorum exempla. *Cyllarus* quidem Castoris, aut Pollucis; *Arion*, Ἀρείων, Herculis, et postea Adrasti. Virgil. Georg. III. 89. 'Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.' Valerius Flaccus I. 425. 'Vectorem pavidæ Castor dum quæreret Helles, Passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba.' Propertius II. 34. 37. 'Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion.' Tzetzes ad Hesiodi Scut. Hercul. vs. 120. Ἀρείων ἵππος, ᾧ ἐποχούμενος Ἄδραστος ἐν ταῖς Θήβαις ἐξέφυγεν. Ἀρείων ἵππος Ἡρακλέους. *Arion equus, quo Thebano bello Adrastus effugit. Arion equus Herculis.* Adde Pausaniam Arcad. c. 25. Apollodorum III. 6. extr. *Cellar.* Barth. ad Claudian. Cons. Honor. IV. 557. *Arntzenius.*

Arion] Auson. Epitaph. XXXV. 9. *Idem.*

Sequebatur imperium] Seneca de Benef. V. 1. 'Nam fere sequuntur beneficia non reposcentem, et ut gloria fugientes magis magisque sequitur, ita fructus beneficiorum gratius respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet.' *Livin.*

Subjecta nutu] Ms. Gud. vitiose, *boni subrata nutu.* Acidalius legi jubet, *subvecta*, idque recepit Cellarius. Sed illud, quod omnes scripti et edd. habent, non sollicitandum videtur, nec scio cur 'subvehere alicui majestatem' facilius ferri queat, quam 'subjicere,' quod h. l. idem est, quod adferre, dare, adponere. Ovid. Met. VII. 304. 'Spes est virginibus Peliæ subjecta creatis.' Idem Met. XIII. 717. sq. 'Nati rege Molosso Irrita subjectis fugere incendia pennis.' Jovis itaque, cuncta supercilio moventis, nutu, in quo ipso inest majestas, data est, et adjuncta Constanti-

no majestas, et dignitas Imperatoria. De 'majestate' vid. Salmas. ad Trebell. Gallien. cap. 14. p. m. 228. *Jæger.*

Sed prius commissa] *Prius commissa* edd. omnes, præter Cellar. in qua legitur, *sed ipsi comm. Vict.* quod nescio, unde sit petitum. Bertin. et Put. exhibent *pinis;* Mœrl. et Gud. adcurate *pinnis,* quod verum esse facile liquet. Victoriam *pinnatam* fingi quis nescit? Vid. Paneg. Nazar. cap. XXXII. § 4. et Pacat. c. XXXIX. § 1. *Jæger.* Optime locum integritati restituit Jægerus; quem miror non vidisse, Acidalii conjecturam a Cellario, nihil etiam monente, esse in textum intrusam. Propter codd. prævalet *pinnis,* quamvis Livineii *pennis* posset admitti. Cf. ad Incert. Maximian. VI. § 2. Victoriam alatam vide apud Begerum Thes. Brandenb. tom. III. p. 284. sq. et in ruderibus arcis Britannicæ in Scriverii Batavia p. 184. et 187. passim quoque in numis. *Arntz.*

Comitata est] Quod in Bertiniano cod. reperit Modius olim noster, *continuata est,* non dixerim ineptum. 'Continuari' enim est sequi, comitari. *Rittersh.* Lege *continuata est.* Verbum 'continuari' ad Latinum Pacatum etiam emendavimus, et Symmachum. *Acidalius.* 'Continari,' vel 'continuari' pro comitari, sequi, apud Symmachum Epist. I. 58. legitur. *Jæger.* Nihil muto. Rittershusii notam, in Parisiensi neglectam, ex Observ. ejus in Panegyricos, post Paræneticos veteres Goldasti, revocavi. *Arntz.*

Cælo missa] Cf. Paneg. VII. Eumenii Flaviens. nomine, cap. X. § 2. *Jæger.* Ubi vid. Livineius; Eumenius Constantio XIX. § 1. 'ut cælo delapsam:' et huic locutioni velocitatis inesse indicium ostendit Barthius ad Statium Theb. III. 318. *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Cæsarem prima vidisti*] Adi, quæ notamus ad cap. 6. supra. *Livin.* Vid. Paneg. Incerti ad Max. et Const. IV. § 3. *Jæger.* Quæ hic dubitanter Baunius, late explicui ad Incert. Maximian. I. 1. et IV. 3. *Arntz.*

§ 2 *Cæli ac soli*] Florus III. 3. 13. 'soli cælique clementia.' *Arntz.*

Nimis hiemis] *Nimius,* aut *nimiæ.* Rhenan. Minucius Felix Octavio: 'Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur.' Tacitus libro, quem supra dixi: 'Cælum crebris imbribus ac nebulis fœdum, asperitas frigorum abest.' *Livin.* Videtur hoc incredibile, cum Britannia sit multum Septemtrionalis. Attamen confirmatur a Guilielmo Camdeno, in Britanniæ descriptione, et omnino consonat iis, quæ apud Tacit. in Agric. leguntur. *Patarol.*

Muneribus utriusque] Vet. *utrisque.* Putean. Pluralem illum tuentur Cortius ad Sallust. Catil. XXX. § 4. Torren. ad Val. Max. VI. 5. ext. 3. Apud Ruffinum III. 20. 'utrisque' lege ex Saresberiensi VIII. 19. *Arntzenius.*

Pecorum mitium] Guelferb. *pecorum nemora mitium:* vocabulum illud ex præcedentibus librario videtur fuisse obversatum. Fere eadem Britanniæ laus est in Paneg. Constantio XI. init. *Idem.*

§ 3 *Certe quod propter vitam*] Pulm. *Certe quidem quod vita diligitur.* Puto legendum, *certe propter quod vita diligitur.* Tamen magis probo lectionem Pulm. nam et ita infra cap. XIII. in fine, 'certe quidem jam tibi in exordio,' &c. *Putean.* Obscura sententia, et libri variant, in queis optimi Vet. Bertin. referunt, *certe quidem propter vita diligitur,* nullo omnino sensu. Egregie est in Cuspin. *certe quidem, quod propter vita diligitur, &c.* Ait caram et jucundam esse vitam, diei ac luminis caussa, φωτικώτατα. Quæ est enim sine luce, et

tanquam in Cimmeriis tenebris gratia voluptasque vivendi? id adeo de se æstimet quisque. *Livin.* *Propter quod vita diligitur*] Nam jucundior vita æstivis diebus ob lucis diuturnitatem, quam quum protractiores sunt hibernæ noctes, et lucem diurnam coartant. *Cellar.* Emendavi textum secundum codd. in quibus *quod* propter præcedens *quidem*, compendiose scriptum, videtur omissum. Sententia ex Livineii interpretatione patet. *Arntz.*

Longissimæ dies] Vide Lipsium ad Tacit. in curis secundis. *Putean.* Ob sphæræ obliquitatem. *Patarol.* *Longissimæ dies*, sine ulla scripturæ varietate, invenitur in omnibus, contra grammaticorum præcepta, et Latinitatis exempla. Vossius quidem de Analog. I. 28. in fin. adfert locum Tullii ex Orat. pro Cn. Plancio cap. 41. 'O reliquas omnes dies!' &c. Sed ibi in melioribus libris legitur, 'O reliquos omnes dies!' Ceterum de Britannia vid. not. supra ad cap. VII. § 2. *Jæger.* 'Dies' ut femininum in plurali est etiam in Petron. LXXII. 4. 'de una die duas facere.' In Horat. IV. 2. 41. 'lætus dies' codex unus alterque exhibet: et sic edidit Cunninghamus: add. Heyn. ad Tibull. III. 6. 32. in Observat. p. 172. *Idem.*

Noctes] Juvenalis Sat. XII. 'Minima contentos nocte Britannos.' Ibi lege, quæ interpres Pithœanus notavit, et Plinium II. 75. Tacitum quidem jam adduxi, quem omnino conferre operæ pretium est. *Livin.* Gratis dictum; nam hoc stricte loquendo polo tantum fere subjectis contingit. Iis quoque, qui in sphæra maxime obliqua sunt, aliquas ejusmodi noctes dari non negandum: istis enim non adeo globus terraqueus obstat, quin quandam subobscuram lucem a sole, ad tropicum oppositum digrediente, recipiant, sicut obstat iis qui in sphæra recta, et minus obliqua sunt. Britannia vero non adeo obliqua est, profenditur enim a quinquagesimo ad sexagesimum circiter gradum latitudinis, ejusque longior dies horarum XVIII. esse dicitur. *Patarol.*

Illa littorum] Tacitus Agric. XII. de Britannia, quem hic imitatur Eumenius: 'Extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque cælum et sidera nox cadit.' *Arntz.*

Sol ipse] Hæc, et alia satis sibi ipsi explicabit, quisquis vel leviter sphæræ armillaris usum novit. Confer locum hunc cum illo Taciti init. Vitæ Agricolæ, a quo Noster mutuatus esse verba ipsa pene videtur. *Patarol.* Cf. ad Eumen. Constantio IV. § 3. *Arntz.*

§ 4 *Mercurius*] Plures fuisse Mercurios auctor est Cicero de Nat. Deor. lib. III. Inter hosce unum ipse refert Nilo genitum. Nili autem fonte nihil obscurius olim fuisse omnes jam sciunt. *Patarol.* Quinque Mercurios enumerat Muncker. ad Fulgent. I. p. 652. *Arntz.*

Origo nescitur] Ob fontem ignotum *secretus* dicitur Nilus a Claudiano Epigr. XI. 11. et 'secreta Nili nascentis littora' apud eumd. in Rufin. II. 245. adde Freinshem. ad Curtium IV. 7. 2. *Idem.*

Ab Indis] In Græcia quidem Bacchus, qui et Liber dictus, natus est, Nostro tamen dicitur ab Indis venisse, quod iis in locis multo tempore floruerit, ubi etiam Nysam urbem fertur condidisse. *Patarol.*

Consciis solis] Πομπικῶς, ut Darii gloriosa vox apud Curtium IV. 14. 'per Solem' precantis, 'intra fines regni sui exorientem.' *Cellar.* Respectu Europæ, cui India ad Orientem est. *Patarol.* Cf. supr. ad Mamertin. Panegyr. Maxim. II. p. 14. *Arntz.*

Dii terraneis loca] Opinor sic legendum, *mediterraneis l. v. c.* Rhenan. Vet. *Diis.* Putean. *Mediter-*

raneis schedæ Langii. *Livin.* Viciniora cælo dicit litora oceani, tamquam ultima terrarum, quibus cælum innitatur: ex vulgi opinione, qua terrarum orbem ut discum concipit, in extremitate cælo undique cohærentem, quod Appendix nostræ Geographiæ Antiquæ exemplis pluribus illustravit. *Cellar.* Videtur noster ejus fuisse opinionis, cujus plurimi etiam ex S. S. P. P. fuere, terram scilicet planam esse, non sphæricam, nec dari Antipodes, aut ullam sphæræ obliquitatem. In eorum quidem sententia ultimi terræ limites viciniores cælo erant; at in recentiorum sententia, quæ jam communis est, et dubio omni major, nullus terræ locus vicinior cœlo dicendus, sed omnes æqualiter a cœlo distare. *Patarol.* In Guelferb. etiam *Diis terraneis.* Codd. scriptura adeo est vitiosa, ut nihil inde in contextu conficère potuerim: itaque retinui *mediterraneis,* quamvis sit ex sola Rhenani conjectura, exemplo Gruteri, qui primus id recepit, cum in antiquioribus, et Rivini edd. sine sensu legatur, *sunt profecto Dii terraneis.* Si *Diis* videretur retinendum, et *terraneus* Latine diceretur, codd. apud me prævaleret scriptura hoc sensu; loca vicina cælo sunt profecto Diis sacratiora locis terraneis. Mihi vox rarior librarium adegisse videtur, ut *Diis terraneis* substitueret, cum scripsisset Eumenius, *profecto meridianis loca.* Gellius Noct. Attic. II. 30. 'Venti a Septemtrionibus ex altiori cæli parte in mare incidentes.... Austri vero, et Africi ad meridianum orbis circulum, atque ad partem axis infimam depressi.' 'Loca cælo vicina' dixit, quæ Septemtrioni subjacent, quæque veteribus habebantur altiora. Cf. Gellium Noct. Attic. II. 30. inde 'Boream adscendere' dicitur Carambis apud Priscian. Perieg. 149. Auster vero 'vergere' credebatur. Vid. Sellium Observ. 2. et 'ad medium vergere' apud Manilium Astron. I. 653. Avienus O. D. 371. 'Notiam pars vergit ad oram:' ex egregia Schraderi emendatione, Observ. I. 4. Virgilius Georg. I. 240. 'Mundus ut ad Scythiam, Riphæasque arduus arces Consurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.' Itaque apud Priscian. Perieg. 260. male de Europa legitur, 'Similis Libyæ est, sed vergit ad Arctos:' verissime enim cod. Suecic. in Act. Societ. Jenens. part. V. 'vertit;' apud Dionysium enim vs. 272. est μετ' ἄρκτους ἐστραπται. Apud eumdem vs. 199. 'Marmaridæ post hos Ægypti ad flumina vertunt:' recte 'vergunt' Burmannus Addend. ad Claudian. p. 1017. conspirante cod. Langiano apud Papium, et Dionysiano προνενευκότες Perieg. vs. 215. cf. Observ. Miscell. vol. I. p. 385. forte hoc modo 'supra' de loco ad boream sito capi posset apud eumd. Priscianum vs. 333. 'Calpen qua summam sustinet unam Herculis e statuis, quam supra dives et alta Tartessus:' Sed apud Dionysium vs. 335. est, τῆς δ' ὑπενέρθε Τάρτησσος· est autem ὑπενέρθε non *supra;* Hesychius in V. interpretatur per ὑποκατόθεν, et Scholia parva ad Homerum Iliad. B. 150. mallem itaque, 'quam subter dives.' Ejusdem opinionis vestigia superesse nonnumquam arbitror in κατελθεῖν, et ἀναβῆναι, ut apud Lucam Act. Apost. XVIII. 5. et 22. ut illo iter Austrum versus, hoc ad Boream indicetur: ita apud eumdem cap. XIX. 1. interpretor τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, regiones ad Boream, non Orienti propiores, ut volebat Krebsius Observ. p. 235. locaque Josephi, quæ adhibet, magis de locis ad Boream sitis sunt capienda, quam, quod contendit, ad Orientem, aut mediterraneis. Ad hæc non semper adtendisse illi videntur, qui in similibus locutionibus de locis in monte sitis cogitaverunt, cum hoc sensu de planis 'adscendere,' aut 'descen-

dere' recte adhibeantur. *Arntz.*

CAP. X. § 1. *Aliquem barbarorum, manumque*] *Aliquam barbarorum manum, quæ* Gueif. et Schon. excerpta: deterius ante Livineium legebatur, *aliquem barbarorum, manumque repentino, &c.* ipse autem, ejecto *que*, dedit *aliquam barbarorum manum repentino impetu . . . tentasse*, quod secuti sunt sequentes, præter Rivinum, qui antiquissimam scripturam retinuit, usque dum, emendata interpunctione, et mutata ad codices lectione, locum integritati restituit Jægerus. Antea enim ita interpungebatur: *Ignobilem credo aliquam barbarorum manum . . . . ortus tui auspicia tentasse. Adfecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, qui . . . . pacem violaverant: non dubitasti ultimis, &c.* De notione *ortus* vide ad Mamertin. Paneg. VI. § 2. ad Eumen. Constantio II. § 2. et VI. § 1. Reddita autem sua huic loco interpunctio me admonet Epistolæ Jacobi IV. § 5. ubi difficultas, quo Sacri Codicis loco legantur illa πρὸς φθόνον, κ. τ. λ. tolli potest, si interpungas, ἐχθρὸς τοῦ Θεοῦ καθίσταται· ἢ δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει· tum sequatur nova periodus, πρὸς φθόνον per γραφὴν, quod ad adulteros, significare videtur, quæ scripta sunt a Paullo Epist. ad Galat. V. 19. et 21. præsertim cum suam scripserit Epistolam Jacobus ad redarguenda, quæ ex prava illius ad Galatas interpretatione colligerent, judice Van der Meersch Anim. Chronol. ad Euseb. p. 71. ceterum apud Jacobum post λέγει, et ἐν ἡμῖν, subaudiendum esse μηδαμῶς jam vidit eruditus Anglus in Paraphr. hujus Epist. p. 86. quod Actorum Lipsiensium indicio didici a. 1742. p. 12. *Arntz.*

Tentasse] Omnibus examinatis, distinguendum, rescribendumque visum, *auspicia tentantem affecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ.* At minutos quosdam perduelles persecutus es primis tuis auspiciis minime, inquit, sed in Francorum regem statim invectus es. *Gruterus.* Hanc emendationem Gruteri egregie confirmant codd. Put. et Mœrl. quorum interpunctionem, et lectionem, a Gruteri conjectura non multum diversam, re ipsa suadente, ceteris prætuli, adeoque in contextum recepi. *Jægerus.* Codd. scilicet, ut etiam Guelferb. habent *tentasset*, sed meliorem interpunctionem quoque Schonhovii excerpta, deleto post *tentasse* puncto. Gruteri interpretatio ostendit, recte Baunium accepisse *ignobilem* de victoria a Maximiano, in primo dignitatis ortu, a Bagaudis reportata, de qua supra dixi. *Arntz.*

§ 2 *Reges ipsos*] Qui cap. sequenti XI. § 6. nominatim notati sunt. *Cellar.*

§ 3 *Tua clementia est*] Sic forte legendus hic locus: *Stulta clementia est, quæ parcit inimicis, et sibi magis prospicit, qui ignoscit.* Priorem vocis *stulta* syllabam præcedentis dictionis posterior syllaba absorpsit. *Puteam.* Indubie rectum est *tuta*, id est, cauta et provida. Infra mox: "' Cautior licet sit, qui devinctos habet venia perduelles,' &c. Iterum: ' Hoc est, Imperator, non pacem emere parcendo, sed victoriam quærere provocando.' *Livin.* Non possum eis accedere, quibus libet reponere, *stulta clementia est, quæ parcit inimicis, nec sibi, &c.* est enim directe contra mentem Panegyristæ. Sed neque divinationi illi sua est ratio. Placet mihi adhuc, quod dudum posui in Suspicionum nugis, *tuta clementia est, &c.* confirmavique idem pluribus argumentis ad illa Taciti: ' Apud Galbam T. Vinii potentia defensus Tigellinus, prætexentis servatam ab eo filiam, et haud dubie servaverat, non clementia, sed effugio in futurum,' Hist. I. 72. hinc et Alexander apud Justinum XI. 21. ' Gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse respondit, nec a se quidquam factum in hostis adulationem, neque quod in dubios belli ex-

itus, aut in leges pacis sibi lenocinia quæreret; sed animi magnitudine, quam didicerit adversus vires hostium, non adversus calamitates contendere.' *Gruter.* *Tuta*] Sic lego cum Livineio et Grutero. In plerisque est *tua*, in aliis *stulta*, quam lectionem tuetur Acidalius. Omnino autem improbo lectionem Puteani, *stulta clementia, &c. et sibi magis prospicit, qui ignoscit.* Patarol. Secutus exemplum Cellarii et Pataroli *tuta* in contextum admisi. *Jæger.* Nec intercedo, quamvis sit ex conjectura; respicit enim præcedens *tueri.* Ex Guelferb. pro varia lectione nihil notaverat Cortius; in eo igitur an sit *tuta*, non adfirmo. *Arntz.*

Et sibi] Lege *nec sibi.* Acidalius. Non opus hac conjectura. Constantini factum, quo reges cruciatibus adfecerat, a severitate ideo excusat, quod non sit dicenda severitas, si quis id agat, quod tueri, et defendere queat, sed magis clementia tuta, ex qua nihil victori sit metuendum, si hostibus quidem parcat, quamdiu illis parcere sit consultum, si vero inde majus metuat malum, sibi potius prospiciat, quam iisdem ignoscat. Duplicem itaque tutæ clementiæ notam tradit, quod parcat, aut pœnas sumat, si vitæ suæ, et imperio hoc consultius victor arbitretur. *Arntz.*

§ 4 *Quantumlibet oderint*] Manifesta imitatio illius, ex veteri tragœdia a Cicerone relati, 'Oderint, dum metuant.' Tyrannica vox, si de subditis ita loquatur qui præest; tolerabilis, si de hostibus dicatur. *Ritters.* Tragicum, 'Oderint, dum metuant,' quo C. Cæsar Caligula adversus cives usus erat, Sueton. c. 30. Noster in Constantino rectius ad hostes adplicavit. *Cellar.*

Per veniam] Sic plerique: at rectius Casp. Schonhov. Gud. Mœrl. *venia*, cujus illud interpretamentum esse videtur. *Jæger.* *Venia* quoque citat Brouwer. Annal. Trever. III. p. 203. forte ex Cuspin. Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XX. § 2. *Arntz.*

§ 6 *Necabantur*] Sic plerumque de more, et Imperator exire de Capitolio non solebat, nisi postquam captivos occisos nunciatum esset. Vide Bulenger. de Triumph. cap. 28. *Patarol.* Cicero in Verr. v. 30. 'At etiam qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces servant, ut, his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum, fructumque victoriæ P. Rom. percipere possit: tamen cum de foro in Capitolium flectere currum incipiunt, illos duci in carcerem jubent: idemque dies et victoribus imperii et victis vitæ finem facit.' *Jæger.* Not. ad Ciceron. de Prov. Consul. c. 8. ad Plinii Paneg. XVII. § 1. *Arntz.*

§ 7 *Unus pro se*] Pulcherrimam historiam, fœde a verbis acceptam, constitui; nunc illustrandæ Plutarchum adjungam ex Æmilio: Τῷ δὲ Περσεῖ, καίπερ (forte οἰκτείρας) οἰκτεῖραι τὴν μεταβολὴν, καὶ μάλα βοηθῆσαι προθυμηθεὶς, οὐδὲν εὕρετο, πλὴν μεταστάσεως ἐκ τοῦ καλουμένου κάρκερε παρ' αὐτοῖς, εἰς τόπον καθαρὸν, καὶ φιλανθρωποτέραν δίαιταν. *Persæ tametsi vicem miseratus, et opitulari impense cupiens, aliud non obtinuit, quam ut e carcere, quem vocant, in purum domicilium, et humaniorem diætam transferretur.* Livio. In verbis esse mendum arbitror, ita restituendum ex veteri historia: *Unus Perseus, ipso Paulo, qui sede adeuntem se acceperat, deprecante.* Nam summittentem se ad pedes Persea Paulus, Livio teste, in consilium considere jussit, et, ut a Valerio v. 1. etiam Plinio in lib. de Viris Illustribus traditur, conatum ad genua procumbere dextra manu allevavit, sermoneque grato ad spem exhortatus est, introductum etiam in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere fecit, nec honore mensæ indignum judicavit. *Faber.* Hic locus, fœde corruptus in Ms. Gudian. et

ed. Cuspin. Rhenan. Stephan. in quibus legitur, *unus pro se ipso Paulo, qui sedentem se acceperat*, optime emendatus est a Livineio, qui *pro se*, auctoritate Lang. mutat in *Perses*. Jægerus. Verissimum est, quod Eumenius notavit, captivos reges, simul atque in Capitolium currum flectere cœperat Imp. abreptos in carcerem fuisse, et necatos. Non item, quod subjungit, 'Unus pro se ipso,' &c. Neque enim de uno Perseo id veteres prodidere. Ergone oblitus est Eumenius Aristobuli Judæi? oblitus Gentii, Illyriorum regis, qui, postquam ante L. Anicii currum ductus fuerat, cum liberis, et conjuge, et fratre Spoletium in custodiam ex senatus consulto missus est? Livius lib. xlv. 43. oblitus etiam Bitis, regis Thracum filii, qui in custodiam Carseolos fuit ductus? Fallit ergo Eumenii observatio, estque oratoria magis, quam vera. *Wesseling*. Egregie emendatum est *Perses*, et a Grutero primum receptum, quamvis adhuc depravatam sit lectionem secutus Rivinus. *Perses* et *Persa* huic regi vindicatum est ab eruditis ad Livium xlii. 25. 2. Valerium Max. i. 5. 3. v. 1. 21. Cortio ad Sallust. Catil. li. 5. patre meo ad Victor. Inlustr. lvi. 3. Verheykio ad Eutrop. iv. 6. Burmanno Secundo ad Antholog. tom. i. p. 191. *Perses* magis depravatæ codd. scripturæ est proximum, quam Fabri *Perseus*, a quo genitivus 'Persi' est apud Boëthium Consol. Philos. ii. Pros. 2. de quo videantur citati a Drakenborchio ad Livium d. l. et Burmannus l. cit. *Arntz*.

Sedentem se acceperat] Lege, non, ut puto, invita Minerva, *qui se dedentem sede*, vel, *sede dedentem se, acceperat, &c.* Eutropius lib. iv. 4. p. m. 41. 'Ipse rex . . . venit in Paulli potestatem. Sed honorem ei Æmilius non quasi victo habuit. Nam et volentem ad pedes sibi cadere non permisit, sed juxta se in sella collocavit.' Aurel. Victor. de Vir. Illustr. c. 57. 'Persen . . . . victum flevit, et assidere jussit.' Eum enim honorem habuerunt regibus legitimis, etiam victis, cum primis eis, quos amicos P. R. antea dixerat. *Van Hoven*, Otiis Litter. vol. i. pag. 52. Hic locus optime emendatus est a Livineio, qui pro *sedentem* ex vet. cod. suo, Bert. et Lang. rescribit *dedentem*, a quo non valde abludit Put. præferens *decentem*; idem tamen, una cum Mœrl. et Gud. omissa voce *se*, pro *acceperat* habet *susceperat*: minus bene. *Jæger*. Antea legebatur *sedentem se acceperat*, unde in præcedenti nota Faber conjiciebat, *sede adeuntem se*. Recte ex codd. *dedentem* recepit Gruterus, non autem Livineius, quod Jægero placuisse videtur; is enim, varia ad marginem lectione posita, corruptam in textu expressit. Neque illud *susceperat*, quod est in codd., rejecerim. Cum enim Valerius Max. i. 1. 8. Paullum nec honore mensæ Persen judicasse indignum testetur, *susceperat* erit honorifice habuerat, ut 'suscipere convivio' apud Hegesipp. Excid. Hieros. i. 38. in fin. 'honorifice susceptus' apud Justinum xxviii. 4. ubi tamen 'exceptus' est in Franequerano, et uno D'Orvillii, quem a Wopkensio collatum habeo. Aut forte per 'suscipere' indicavit Eumenius, Paullum Persen, ad pedes se submittentem, e terra 'sustulisse,' ut scribit Livius xlv. 8. aut 'adlevasse,' ut Valer. M. v. 1. 8. saltem 'suscepti' sunt infantes, a patre e terra elevati, apud Claudian. in Rufin. i. 92. idemque erit, quod 'jacentes ad pedes adtollere' dixit Eumenius Gratiar. Act. Constantin. ix. § 4. et 'stratum ante pedes sublevare' ibid. i. § 3. Omissum vero in codd. *se* nihil nocet, ex frequenti ellipsi, de qua ad Mamertin. Maximian. iv. § 2. et x. § 6. *Arntz*.

Illius severitatis] Non enim post triumpham interfectus est, sed Albam

cum filio in custodiam missus. Livius XLV. 42. et quidem εἰς τόπον καθαρὸν, καὶ φιλανθρωποτέραν δίαιταν, *in liberalem custodiam*, in qua brevi post inedia se confecit, et filius quoque mortuus est. Plutarchus in Paullo pag. 274. *Cellar.* Rittershus. ad Nostr. Grat. Act. x. emendat, *legis illius severitatem*. Non necesse: illic vide. *Arntz.*

§ 8 *Revereantur*] *Te vereantur*, Cuspin. Non placet. *Livin.* *Vereantur* possent tueri notata ad Nostr. Constantio XIX. § 1. sed vulgatum habent codd. Apud Puteolanum typographi error dedit *revertantur*. Arntz.

CAP. XI. § 1 *Est igitur*] *Igitur est* Vet. *Livin.* Etiam Guelferb. eumque ordinem expressi; alterum omnes editi. *Arntz.*

Neque enim in Rheni jam] *In* recte omisit Livineius, quem præter Rivinum reliqui sunt secuti. Mamertinus Maxim. VII. § 4. 'Gallias eo amne muniri.' Eumen. Constantio XIII. in fin. 'munitus Oceano.' Adde ad Incert. Maxim. IV. § 4. *Idem.*

Arescat æstu] Supr. Mamertin. Maxim. VII. in fin. 'Exinde igitur soluto animo ac libero sumus, licet Rhenus arescat, tenuique lapsu,' &c. *Putean.* Ubi vide, et ad Genethl. XIV. § 1. supr. VI. § 4. adde not. ad Ciceron. in Pison. c. 33. *Arntz.*

Residat gelu] *Resistat*, quod est in Guelferb. recepit Gruterus, et sequentes, præter Rivinum in pr. edit. Probasse quoque videtur in margine Brouwerus Annal. Trever. III. p. 203. antiquiores *residat*. Adhibuit 'resistere' eo modo, quo hominibus, et animalibus, a cursu quiescentibus, tribuitur, et rex 'restitisse' dicitur apud Curtium VII. 11. 20. Adde Burman. ad Valer. Flacc. Argon. VI. 756. ad Quinctil. I. O. XI. 2. Schwarz. ad Plinii Paneg. x. § 4. et XLVIII. § 3. *Idem.*

§ 2 *Præclusit*] *Præcludit* codd. auctoritate reddidi, cum ederetur *præclusit*. Imitatio est Tulliana pro Rosc. Amer. c. 26. 'Nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia:' quamvis Nostrum potius expressisse Curtium putet Loccenius, VII. 11. 10. 'Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non posset eniti:' ex quo loco forte hic scribendum *quo non*, quamvis *quod* ad proximum *vallo* etiam referri queat. Quare mox *ejus audacia* maluerit Brouwer. Annal. Trever. III. p. 203. non video. *Idem.*

Fama virtuti] *Virtuti* codd. sed frequenti errore *s* absorpsit sequentis vocis prima littera. Verum certe *virtutis*, quod post Baunium negligere non debuissent Cellarius et Patarolus. *Idem.*

§ 3 *Sciunt posse*] Schonhov. *sciunt posse Franci transiri Rhenum.* Non male quidem; sed sine dubio a correctoris manu. Verior est scriptura edd. et codd. reliquorum, quam hic exhibemus. Nam penes modum infinitum *me, te, se, illum, nos, vos* omitti solent. Terent. Heant. IV. 1. 48. 'Quid renuntiavit olim fecisse?' scil. 'se.' Sallust. Catil. XXXI. 7. 'ea (scil. 'se') familia ortum:' ad quem locum vid. Cortium. Cf. Curt. IX. 1. 7. et 2. 15. et 4. 17. Quamvis itaque τὸ 'se' sensus requirat, non tamen in contextum fuit recipiendum; ideoque receptum a Baunio delendum judicavi. *Jæger.* Recte etiam Baunianam lectionem neglexerunt Cellarius et Patarolus. Cf. cap. præced. § 7. *Arntz.*

Transiet Rhenum] Illud *transiet* in ed. Rhenani erat errore typographi. Schonhovii excerpta *transiri*, sed vide proxima observ. de eo Jægeri judicium. *Idem.*

Cruciatibus] Hos enim Constantinum, cum magnificum muneris spectaculum parasset, bestiis objecisse tradit Eutropius X. 3. quod in aliis quoque captivis moris fuit. Vid. Cellarium infr. XII. § 3. Incertum

Constantino XXIII. § 8. Valesium ad Ammian. XIV. § 2. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. III. p. 175. ex quo facto Julianum Cæsar. p. 336. Constantinum μιαιφόνον dixisse tradit Wagenaarius Hist. Patr. tom. I. pag. 230. qui tamen locus magis ad cædem filii pertinere videtur, quem illic loquentem pingit Julianus, quamvis de Constantini crudelitate facile iis adsentiar, quæ illic tradit Wagenaarius. Spectaculum illud, ab Eutropio memoratum, fuisse Treveris editum, cum illic in hibernis victoriæ Francicæ ludos ingenti pompa haberet Constantinus, scribit Pontanus Orig. Francic. IV. § 4. ubi quoque Sigonio obloquitur, arbitranti, eum hoc tempore Ticini templum D. Michaëli dedicasse, cum Constantinum postea demum Christianum esse factum doceat. *Idem.*

Coëmta potestate desperent] Lego, *cœpto ponte*. Error natus ex compendio notarum; et ita in Palm. inveni scriptum. Infr. de hoc ponte cap. XIII. 'Insuper etiam Agrippinensi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis insultas:' et in fin. *Putean.* Ingens hic, qua in scriptis, qua in editis, varietas, sed quæ ab uno fonte et origine, ut jam dicam, manarit. In Vet. Bertin. lego, *coëmpta ponte*, iratis Orbilio et grammaticis.) In Cuspin. *cœpto ponte*. In Rhenan. *coëmpta potestate*, et in margine, 'al. *pace*.' Suspicor in exemplari principe fuisse, *compta ponte*, qua in scriptura oblitus sit librarius per imum *p* lineolam traducere, hoc nimirum modo ꝑ. id veteribus libris *per*, aut *par* valet. Dixi supra. Hoc compendium qui non assecuti, *e* interjecere, ut esset *coëmpta*, de quo postea. Quod proximum est, de illo *pōte* adi, quæ notamus supr. Igitur, quod hoc opere rarum, litem secundum hanc nostram lectionem do, addico, et *comperta potestate* expono, comperto transiri posse. Ostendi, quam præferam; nunc reliquas confutabo. Qui *coëmpta* rescripserunt, quæ meo animo labes haud sane nupera, vellem, quid ad transeundi desperationem faceret *coëmpta* facultas, expediissent. Deinde quis stupor redimere, quod desperes? Accessit, si Dis placet, Rhenanus, qui 'al. *pace*' annotaret. Audio; sed, ex antiqua formula, res suas sibi habere eum sine invidia jubeo, postquam ne id quidem ad desperationem quidquam. Superest extrema, *cœpto ponte*, quam a correctoribus esse pæne est, ut asseverem. Nam primum, non mihi potest eripi, quin *ponte* ex illo *pōte*, hoc est, *potestate* sit corruptum, et pons ille Agrippinensis, opus Constantini; de quo infra, (eum enim intelligunt) non a barbaris, sed in barbaros comparatus, neque, hercule! nudus, ac sine præsidio relictus. Prolixior sui, quam statueram, sed illustrem locum indictum præterire non debui. *Livin.* *Comperta potestate;* legitur alias, *coëmpta potestate*, alias, *cœpto ponte desperent*. Utrumque mire sugillat Livineius, sed non ita tamen, quin magis mihi placeat illud *cœpto ponte*, quam vulgatum. At pons, inquit, a Constantino non barbaris, sed in barbaros comparatus fuit. Adsentior: et hoc est, quod vult auctor, eos, audito injici pontem Rheno, animis statim dejectos; ac tantum abest, ut molirentur transitum Rheni, desperarent salutem propriam. Certe pontem nondum perfectum, liquet ex sequentibus cap. XIII. tam initio, quam fine, ubi est, *ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.* Gruter. *Cœpto ponte;* ponte Agrippinensi, cap. XIII. § 1. quem Constantinus exstruere cœpit, ut Germanos terreret, quasi bello illos petiturus esset. Variant libri, ex diversa notarum interpretatione; sed nostra lectio et simplicior est ceteris, et Grutero, magni judicii viro, probata maxime. *Cellar.* *Com-*

perta potestate] Hanc certus lectionem tueor; nec assentior legentibus *capto ponte*, aut aliter: et sic locum interpretor, ut sensus sit, Francos tunc immo magis desperare fluminis transitum, cum comperiant sibi alioquin potestatem fieri transeundi. *Paterol.* In antiquioribus edd. et prima Rivini est *coëmta potestate*; sed *comperta potestate* Parisienses, in secunda Rivinus, Bannius, et Patarolus; ita *ponte* et *potestate* permutata quoque sunt apud Nostr. Constantio II. § 1. ubi Livineius. Collata codd. scriptura suspicatus sum aliquando, utrum scripserit, *comperto ponte*, id est, postquam pontem fieri audivissent, sed magis est, ut retineam *capto ponte*, cod. Palm. apud Puteanum auctoritate munitum, quod confirmatur, tum quia pons dicitur 'faciundus,' infra XIII. § 1. tum quia ibid. § 5. hæc leguntur: 'Jam tibi in exordio sui (id est, interprete Cellario, cum pons cœpit fieri) hostium movit obsequia, . . . ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.' Est quoque *capto* secutus Wagenaarius Hist. Patr. tom. I. pag. 232. Intelligitur autem pons, quem ad Agrippinensem coloniam Rheno inponere inceperat Constantinus, de quo vide Teschenmak. Annal. Cliv. I. p. 80. Freher. ad Ausonii Mosell. 11. Brouwer. Annal. Trever. III. p. 205. *Arntz.*

§ 4 *Infida nobilitas*] Alias *mobilitas*. Rhenan. *Mobilitas* etiam Guelf. et Schonhovii excerpta. Alteram lectionem soli habent Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus, et ad marginem posuit Brouwer. Annal. Trever. III. p. 203. Vulgata præstat: sed frequenter ita peccatum. Vid. Brouckhus. ad Tibull. IV. 1. 60. Bentlei. ad Horat. Od. I. 1. 7. Burman. ad Lucan. VI. 855. Drakenb. ad Liv. X. 20. 8. Burman. Secund. ad Anthol. Lat. tom. I. pag. 195. et 605. et 649. *Arntz.*

Rhenum audetis attollere] Ms. Mœrl. et Gud. *oculos audetis attollere*; vox *oculos* sine dubio a correctore, nesciente, quid sibi vellet τὸ *attollere*, adjecta fuit. Schonhov. et Acidal. conjicit, *accolere*, et sic, teste Livineio, habent schedæ Langianæ, quarum auctoritatem posteriores editores merito sunt secuti. *Jæger.* *Attollere* est in edd. Gruterianam præcedentibus, et in prima Rivini; fuit etiam in cod. Puteano, quia ex eo nulla est notata varietas. Postquam vero *accolere* in textum recepisset Gruterus, pari illud suffragio probarunt sequentes. Sed tantum huic conjecturæ tribuere non ausim, præsertim cum quadam laborare difficultate videatur. Ecce enim; qui *procul* a flumine habitat, isne id *adcolere* dici potest? estne *procul adcolere* sibi invicem contrarium? pertinet enim *adcolere*, et *adcola* ad vicinos, non qui procul habitant. Vid. Burman. ad Claudian. Epist. V. 1. Verum Eumenii manum dedisse censuerim codd. apud Jægerum, in quibus tamen præpositio ab ultima in *quidem* absorpta videtur. Lego itaque, *ne procul quidem in Rhenum oculos audetis attollere*; tantus erat metus, ut ne oculos quidem in Rhenum, quem antea intrepidi transierant, convertere auderent, gnari, quam facile per inchoatum pontem, si eum perficeret, adgredi posset Constantinus. De emendationis veritate certus præpositionem textui inserui, quia in codd. latere videbatur. *Arntz.*

Interiora petitis] Virgilius: 'Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.' In oraculo Pythio, Megarensibus dato: Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον, Ἵπποι Θρηΐκιαι, Λακεδαιμόνιαι τε γυναῖκες, Ἄνδρες δ', οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης. *Omnibus e terris Argo laus prima Pelasgo, At Thrax præstat equus, Lacedæmoniaque puellæ, Et juvenes, Arethusa, tui, quis pocula*

fontes. Citat Theocriti Scholiastes in Idyll. XIV. *Livin.* Postquam ab Rheno, metu Romanorum, longius recesserant. 'Potare flumen' est accolere. Virgilius VII. 715. 'Qui Tiberim Fabarimque bibunt.' *Cellar.* Horat. Od. II. 20. 20. 'Rhodani potor,' et Claudian. in Eutrop. II. 251. 'Pro Rheno poturus Halyn.' *Jæger.* Sidon. Apollin. Carm. v. 485. 'Et Scythicæ potor Tanaiticus undæ.' 'Bibere flumen' adseruerunt Heinsius ad Ovid. Heroid. VII. 145. Burman. ad Gratium Cyneg. 314. et Nemesian. Cyneg. 68. *Arntz.*

§ 5 *Castella*] De castellis hisce plenius Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 65. et 226. Freher. ad Ausonii Mosell. vs. 456. Burgos a Germanis esse vocata notat Conring. Rep. Imp. German. Exercit. III. § 22. unde illa adpellatio postea ad civitates est translata, de quo dixi Instit. Jur. Belg. de Condit. Homin. part. I. tit. 11. § 1. *Arntz.*

Toto nostri] *Et toto* Vet. *toto*, non *tuto*, quod in Langii schedis offendi, probo. Infra: 'Cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, et ripis omnibus usque ad oceanum dispositus miles immineat.' *Livin.*

Flumine bicorni] Rheno. *Livineius.* Rheno mersantur. Virgilius lib. VIII. extremo: 'Rhenusque bicornis.' Scilicet propter duplex ostium, antequam tertium, Drusiana fossa, adderetur. *Cellar.* Unde *versantur* ediderint Livineius et Paull. Stephanus, ignoro. Alterum recte codd. etiam Guelferb. in quo tamen est, *greges bicorne mersantur:* utrum scripsit *greges bicorni*, ut per excellentiam illud pro Rheno posuerit. De 'Rheno bicorni' vide ad Eumen. pro Instaur. Schol. XXI. § 1. *Arntz.*

§ 6 *Constantine*] Forte *Constantine Pie*, vel relicto *de*. Acidal.

Asacari cinere Gaisique] Vet. *Asacari cumero Geasi.* De his vide quæ ad Paneg. Nazarii cap. XVI. in fin. *Putean.* *Ascarici Regaisique* schedæ Langii. Palmaris correctio. 'Ascaricus' quidem nominatus Nazario Constantin. cum *comite suo*, qui, ut puto, hic ipse est Regaisus. *Livin.* Ex Nazarii Panegyrico videntur emendanda, si modo illic regum horum nomina satis recte perscripta. Ibi ita est: 'Tu ferocissimis regibus, Ascarico et Comite, captis, tanta laude res bellicas auspicatus es.' Nec refert tantum, quod ait 'captis;' nam post de his ipsis: 'Quasi geminos dracones necares, per sævissimorum regum famosa supplicia ludebas.' Ergo hic videatur reponendum, *Ascarici nece Comitisque supplicio.* Acidal. Satis probabiliter Livineius putat, comiti illi Ascarici nomen fuisse *Regaisi*, adeoque palmarem correctionem vocat hanc lectionem nostram, quam ed. Grater. Bann. Patar. et Cellar. jam exhibuerunt. *Jæger.* *Asacari cinere Gaisique* est ex principe Puteolani ed. quod uterque etiam Stephanus habet, et post Gruterum Rivinus. Nullius momenti est *cinere;* bestiis enim hos esse reges objectos tradit Eutropius x. 3. eoque pertinent 'regum cruciatus,' hoc cap. § 3. 'bestiis objici' apud Incert. Constantino XXIII. adde not. ad Incert. Maxim. IV. § 2. Secutus Jægerum dedi schedarum Langianarum scripturam, quam in 'Ascarico' confirmat Nazarii locus Paneg. XVI. § 5. eamdemque secuti sunt Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. III. p. 175. Teschenmak. Annal. Cliv. part. I. pag. 80. Brouwer. Annal. Trever. III. p. 202. Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 229. et Pontanus Orig. Francic. III. 7. qui nomen ex *asch*, sive *eschrich* compositum putat, tamquam fraxinorum divitem designaverit. In cod. tamen Veneto legi 'Asacrari' testatur Gronovius Epist ad Salmasium, in Syllog. Burman. tom. II. p. 601. 'Asaricum' habet Sigon. de Occid. Imp. Opp. tom. I. part. 2. p. 63. In *Regaisi*

autem nomine majus mihi superest dubium; sequuntur id Gothofredus, Brouwerus, Wagenaarius d. l. ' Ragaysum' adpellat Teschenmakerus, Pontanus vero ' Regaisum,' ' Radagisum,' et ' Radegisum,' putatque celerem caprum denotare, ex ' rad ' et ' geys.' Vid. Orig. Franc. III. 6. et 7. IV. 4. ' Gaisonem ' dixit Sigonius d. l. videtur adhuc aliud quid latere in ' Cymero,' quod constanter est in codd. etiam Veneto apud Gronovium d. l. nomen inde proprium eruere, ob historiarum silentium, est difficile; neque ductus litterarum facit pro ' Comitis,' quod ex Nazarii loco placebat Acidalio. Ampliandum censeo, neque enim satisfacit, quod aliquando conjeci, *Ascarici cum Erogaiso*, tuentur enim codd. *que*, quod secundum casum junxisse videtur. Reges hos accipe, ut explicui ad Mamertin. Genethl. V. § 4. Incertum Maxim. IV. § 2. *Arntz.*

§ 7 *Duces sustulisse*] Patrum distat ab hoc Justini XIII. 9. 6. ' Si possint, in uno capite orbis bella finire.' *Idem.*

CAP. XII. § 1 *Immensam Bructeris vastationem*] Bructeri, Germaniæ populus, ut Tacitus descripsit, inter Flevum et Amisiam, indeque longe super Luppiam habitantes, ut ultimi ad saltum ferme Teutoburgicum excurrant. Vide Annal. I. 60. *Cellar.* Vide adnotata Paneg. Nazarii cap. XVIII. *Patarol.* Antiquiores edd. *Bruteris*, frequentius tamen dicuntur *Bructeri*, haud dubie a soli uliginosi natura, et perpetuis paludibus, quas *Broeck* adpellant Belgæ. Ita Pontanus Orig. Francic. I. 9. Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 66. quamvis ab ejusdem nominis oppido derivet Conring. Dedicat. ad Antiq. Academ. a pontibus, Van Haitum Hist. Zwollana tom. I. p. 47. ubi de his copiose; qui pag. 61. recte observat, quamvis a Chamavis penitus dicantur excisi apud Tacitum M. G. cap. 33. tantam non fuisse cladem, qua prorsus sint deleti, sed, qui superfuerint, alias deinde terras insedisse, ad quos hic locus pertinet, et Nazarius Paneg. 18. init. adde Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 231. *Arntz.*

Imperator invicte] Sic aliquoties. Paneg. seq. ' Cæsar invicte.' Usitatior superlativus, ' invictissime Imperator.' Glossar. Vet. *Invictissimus*, καλλίνικος. Ortum epitheton ab acclamationibus faustis τηνελλὰ καλλίνικε, κ. τ. λ. *Ritters.* Cf. supr. ad Eumen. Constantio I. 1. *Arntz.*

§ 2 *Non quo*] Arnobius I. ' Huic omnes ex more prosternimur, ab hoc justa et honesta, et auditu ejus condigna deposcimus, non quo ipse desideret supplices nos esse, aut amet prosterni tot millium venerationem videre. Utilitas hæc nostra est, et commodi nostri rationem spectans.' Idem II. ' Non quo illos negemus aut morum (' esse ' Ms.) integritate laudabiles, aut non omni genere studiorum peritos; (' paratos ' Ms. ut infra ' nec sæculum esset ullum, quod artis esset ignarum alicujus, aut rerum experientia non paratum ') sed quid istud ad causam ?' Vopiscus Aureliano: ' Ipse autem, si vita suppetet, breviter saltem tanti viri facta in litteras mittam, non quo illius gesta munere mei sermonis indigeant, sed ut ea, quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur.' Ipse Cicero frequenter. Pro P. Sextio : ' Dux, auctor, actor rerum illarum fuit, non quo periculum suum non videret, sed in tanta reipub. tempestate nihil sibi, nisi de patriæ periculis, cogitandum putabat.' Iterum : ' De cujus laude plura dicam, non quo ipse hæc dici, quam æstimari malit, sed quod existimo, si Milonis causam accusatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sextii causam existimaturos.' Philippica I. ' Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, ne-

que venti satisfacerent, non quo me ad tempus occursurum putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipub. gratularer.' Rursum: 'Atque utinam, P. C. Calendis Sextilibus adesse potuissem, non quo profici potuerit aliquid, sed ne unus modo consularis dignus illo honore inveniretur.' Non longe post: 'Primum igitur acta Cæsaris servanda censeo, non quo probem; quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis atque otii.' *Livin.* Etiamsi lectionem istam cohortibus quasi exemplorum firmarit Livineius, maluerim tamen, vel euphoniæ caussa, *non quod aperto.* Gruter. Jure Gruterus. *Patarol.* Gruterus, sine ulla auctoritate, præfert *non quod a. M.* eumque sequitur Cellarius. Verum nimis superbum videtur hoc aurium judicium. *Jægerus.* Solus fuit Cellarius, qui Gruteri conjecturam contra codd. in textum admisit, a quo tamen abstinuit ejus laudator Patarolus; in excitando loco eamdem quoque probasse videtur Brouwer. Annal. Trever. III. p. 203. Exemplis Livineii adde, quæ habet Perizon. ad Sanctium Minerv. IV. 12. 2. Burman. ad Ovid. Heroid. XVII. 87. V. D. ad Livium XXXIX. 18. 2. ex quibus patebit, quo jure in hac locutione *quod* prætulerit Stephan. Schediasm. II. 7. Apud Terentium Adelph. V. 3. 39. edidit Bentleius, 'Non quo dissimilis res sit, sed quo is, qui facit:' quæ lectio si vera esset, tamen in altero membro *sed quod* fuisset servandum; in priori etiam *non quod* præfero, idque in codd. Leidensi, Trajectino, et meo inveni. *Arntz.*

Perfugiis silvarum] Mœrl. habet *profugiis*, quæ vox quamquam in vetustioribus operum Ciceronis exemplis aliquot locus occurrat, in accuratioribus tamen cessit τῷ *perfugiis*, adeoque nec hic admittenda est. *Jæger.* Eumenius Constantio VIII. § 4. 'perfugia silvarum barbaros tegere potuerunt:' ubi vide. Par est Livii locus XXXIV. 48. 'Quoad progredi silvæ, paludesque passæ sunt.' *Arntzenius.*

Paludium] Guelferb. *paludum*, et ita Baunius; utraque hujus casus in quibusdam nominibus terminatio satis est explorata. 'Civitatium' inveni in Daventriensi apud Sallust. Catil. c. 41. 'cohortum' in eodem, Jugurth. c. 51. et plura dedi in Miscellan. c. 18. p. 207. *Arntz.*

§ 3 *Captum*] Unde *interceptum* habeat Brouwer. Annal. Trever. III. p. 205. ignoro: et potuisset ita scribere Noster, ne offenderet proximum *capti*, et ut indicaret pecora vindicata, quæ passus non fuerat Constantinus in hostium potestate manere, de qua notione Duker. ad Florum II. 4. 4. *Idem.*

Vici omnes] De vicis illis cf. Conring. Republ. Imp. Germ. III. § 20. adde ad Eumen. Constantio II. § 1. *Idem.*

Spectaculo dati] Inhumanus mos, captivos bestiis objicere, adversus quem Prudentius in Symmach. II. 1125. *Idem.* 'Nullus in urbe cadat, cujus sit pœna voluptas.' *Cellarius.* Edit. Paris. *vati.* Mallem vero *servati*, pro *dati*, aut *vati*, nisi hic forte typographi sit error. Illud vero *ad pœnas*, ut glossema, valde nobis suspectum est. *Van Hoven*, Otiis Litter. vol. I. p. 58. De errore typographico nulla est dubitatio; emendatione autem non opus. *Dati spectaculo* est in spectaculum, quod propter hos reges dedisse Constantinum tradit Eutropius X. 3. et quidem *ad pœnas*, ut bestiis objecti punirentur. *Arntz.*

§ 4 *Pacem emere*] Hoc sensu Cæsar apud Lucanum: 'Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.' *Patarol.*

CAP. XIII. § 1 *Agrippinensi ponte faciendo*] Ad Agrippinensem coloniam pontem cœperat Rheno imponere, ut

hostes terreret. *Faciundo*, id est, *cœpto*, ut supra dixit, et *inchoato*, ut sub finem hujus capitis, quo a perfecto, qui non fuit, distinguit. *Cellarius*. *Faciundo* Guelf. alterum habent ante Graterum omnes. De hoc ponte confer, quos excitavi supr. XI. § 3. Habito autem a. CCCX. hoc Panegyrico, ut ad princip. exposui, infirmum est, quod ex hoc ponte deducit argumentum Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 56. ut ostendat, a. CCCXII. in inferiore Gallia hæsisse Constantinum, quod certe ex ponte, ante hanc orationem jam inchoato, non liquet. In similem tamen errorem ductus est, in Gothofredo redarguendo occupatus, Pagius Dissert. Hypat. p. 143. pontem hunc ad annum CCCXI. referens. *Reliquis* est in Guelferb. et ita Puteolanus; ortum hoc forte ex cod., in quo i majusculum. *Arntz*.

Metus ponat] Guelferb. *metum:* sed pluralem adhibuit quoque Incertus Constantin. II. § 2. et 6. Indicant autem hæc verba, pontis faciundi consilium fuisse, ut in hostes flumen trajiceret, sed ex adulatione hoc dictum censet Pontanus Orig. Francic. IV. 4. veramque rationem in sola gloria imperio, et reverentia limiti addenda, quod mox addit Noster, esse quærendam. *Idem*.

Manus tendat] Guelf. *tendant*, quod quamvis cum *gens* construi posset, tamen propter *horreat* est rejiciendum. *Idem*.

In hostem transeundi] *In hosticum* Livin. Bert. Cusp. Schonhov. cum melioribus: ceteri *in hostem*. Jæger. *Hosticum* etiam Guelferb. editumque inde a Gratero, præter Rivinum. Nazarius Paneg. XXXI. § 2. 'nihil ex hostico recepit.' Adde Drakenb. ad Livium lib. XXXVI. cap. 43. § 6. pro 'hosticolo' reponunt id etiam nonnulli in L. unic. D. de Bonor. Possess. Cf. ibi Gebauerum. *Arntzenius*.

Totus armatis navibus] In Mœrl. legitur, *tot arm. nav.* Jæger. *Totis* est in Guelferb. sed *totus Rhenus* est, quod mox 'ripis omnibus.' In Danubio et Rheno classes Romanos habuisse duplices, naves armatas, et lusorias ad prohibendas hostium vicinorum incursiones, docet Pontanus Orig. Francic. I. 2. posteriores hic intelligunt Pithœus Subsec. I. 14. Salmasius ad Vopisc. p. 475. et Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. p. 407. utitur quoque hoc loco Matthæus de Nobilit. I. 22. ut ostendat, Romanos milite præsidiario aliquando Gallias coërcuisse, quod pluribus horum Panegyristarum testimoniis confirmare potuisset. Ostendit autem ex eodem hoc loco Pontanus, imperii jus Romanis patuisse ab utraque Rheni extima ora, ut Helius circa occasum, ad boream Flevus fuerit. *Arntz*.

§ 2 *Ut Rhenus*] Usum particulæ *ut* adtigi ad Eumenium Constantio IX. § 1. Jægerus ad Incert. Maxim. VIII. § 5. *Idem*.

Sed et ibi] Ad Coloniam scilicet, cum enim tunc pervenerit, jam recepit fluvios Hellelum, Nicrum, Mænum, Lanum, aliosque. *Patarol*.

Novo ponte] Pontis hujus, et munimenti etiam, ad pontem illum a Constantino constructi, cui loco nomen hodie *Duitsch*, mentionem facit Petrus Bertius. *Idem*.

Noster ingens fluvius] Hic *noster* significat Mosellam, ut puto, nam conjicimus hanc orationem Treveris coram Constantino habitam, quam urbem id flumen alluit. *Rhenan*. Assentior Rhenano, cui *ingens* hic *fluvius* Mosella est, qui et alluit Treveros, ubi dicta hæc laudatio, et ad confluentes Rheno miscetur. *Noster* autem, id est, Romanus, ne quis erret, cui contrarium *barbarus*. Nemesianus Cynegetico: 'Mox vestros meliore lyra memorare triumphos Accingar, Divi fortissima pignora Cari,

Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis Litus, et edomitas fraterno numine gentes, Quæ Rhenum Tigrimque colunt.' *Livin.* Intelligit quoque Mosellam Freherus ad Auson. Mosell. 82. et 352. adde supra ad princip. p. 347. eadem adpellatione usus Mamertin. Maxim. XII. § 6. *Arntz.*

Barbarus Nicer] Sueviæ fluvius esse videtur, quem hodie quoque Germanice *Neccer* vocamus, quidam *Neccarum.* Labitur in Rhenum infra Spiram. *Rhenan.* Adde Freher. ad Auson. Mosell. 423. *Arntz.*

Et Mœnus] Nunc *Mayn*, Germaniæ pariter fluvius; e Franconia, in qua oritur, in Rhenum labitur ad Moguntiam, auctus præcipuis fluminibus Rednitz, Tauber, et P otz. *Patarol.*

Cornua] Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XXI. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Constantine maxime*] Cod. Mœrl. τὸ *maxime* omittit. *Jægerus.* Etiam Guelferb. in quo præterea est *ipsarum rerum natura.* Vulgatum servo. Cf. me ad Arator. I. 49. supra ad Mamertin. Maxim. 12. 8. *Arntz.*

§ 4 *Persarum rex*] Cf. Lysiam advers. Corinth. Soc. p. 45. opem fero Arnobio adv. Gent. I. p. 5. 'Ut ille immanis Xerxes mare terris inmitteret, et gressibus maria transiret, nostri nominis effectum est cura;' lege 'effectum est caussa;' respice antecedentia, 'nos fuimus caussa.' Xerxem intellexerunt nonnulli apud Manilium Astron. v. 275. 'Persidis et victor strarat qui classibus æquor:' unde et Faber conjiciebat 'rector;' sed ad Græcos locum pertinere meliori successu docuit vir eruditus in Observ. Miscell. Amstel. tom. I. p. 103. *Arntz.*

Tertius Cæsar] Caligula. Vide Sueton. Dion. *Puteanus.* *Tertius Cæsar* Vet. Cuspin. Rhenan. Bene: nam Caligulam sentit, qui ab Augusto tertius. Adi Sueton. Calig. c. 19. *Livin.* Suetonii loco quoque Baune, Cellarius, et Patarol. sunt usi. Solus edidit Livineius, *tertio Cæsare;* unde, me latet. *Arntz.*

§ 5 *In exordio suo*] Quum pons cœpit fieri. De ponte enim dicit, initiis suis *obsequia* barbarorum movisse, id est, ad obsequendum terrore illos perduxisse. *Cellar.* *Imperii* apud Baunium quid sibi velit, equidem nescire me fateor. Recte exponit Cellarius. Ceterum pro *tibi in exordio sui,* Rhenan. Stephan. Livin. in contextu, *ter in exordio suo;* nostra vero lectio reliquorum omnium nititur auctoritate, nec potest cuiquam dubia videri. *Jæger.* Recte *sui,* quod etiam habent Schonhovii excerpta. Vid. ad Mamertin. Genethl. II. § 1. et alibi supra. Ridicule Baunius supplet *imperii;* 'exordium' enim pontis nihil aliud est, quam pons 'faciundus,' hoc cap. princ. et mox 'inchoatus.' *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *Ejus hominis*] Scilicet Maximiani, qui resumere imperium voluit. Vide Zonaram, Eusebium Eccles. Histor. et de Vita Constantini, Eutrop. principio lib. X. *Puteam.* Maximiani Herculei, genero suo Constantino insidiantis, et sollicitantis exercitum. Eutrop. x. 2. Lactant. Mort. Persec. c. 29. *Cellar.* Maximiani Herculei, soceri sui. Hic, tyrannidem occupante filio suo Maxentio, regnandi cupidine percitus, novaque molitus ad Constantinum generum confugit; sed et ipsi mox struxit insidias, quibus Constantino ab uxore Fausta detectis, ejusdem jussu Herculius Massiliæ strangulatus est. Eutrop. lib. IX. et X. Zosim. lib. II. *Patarol.* Adde etiam Valesii Anonymum post Ammianum Marcell. p. 712. strangulatione fuisse a Constantino punitum, tradunt historici; ipsum vero sibi mortem intulisse, neque Constantini beneficio de servanda vita uti voluisse, scribit Noster infr. XX. § 3. aliter tamen Lactantius M. P. 30. qui non, ut reliqui historici, tradit, ita a Constantino fuisse

punitum, at vero hunc liberæ mortis ipsi dedisse arbitrium, atque tunc eliso et fracto gutture perire maluisse. Cf. Baluzium, et Scaliger. ad Euseb. pag. 247. Not. ad Eutrop. x. 3. infr. Livineium xiv. § 5. Puteanum xviii. § 6. Van der Meersch ad Eusebii Hist. Eccles. viii. in fin. 'Homo' est per contemtum, ut apud Ciceron. Catil. ii. 12. adde patrem meum ad Pacati Paneg. xxiii. 3. hinc illud Pilati, ἴδε ὁ ἄνθρωπος, Euang. Joann. xix. 5. ex contumelia interpretatur Petitus Miscell. Observ. iii. 15. *Arntz.*

Maxime favere] Deest *maxime* in Guelferb. male; videtur enim ea voce usus Eumenius ex Constantini verbis apud Lactant. Mort. Pers. 29. quibus Maximianum in hac perfidia fecisse dixit, 'quod ipsum præcipue non deceret.' *Idem.*

§ 2 *Qui tibi*] Vox *tibi* deest in Mœrl. recte quidem, ut arbitror. Nam *ingratus*, cum beneficii immemorem significat, non tertium casum, sed præpositiones *in*, *erga*, *adversus* cum quarto sibi solet adsciscere. *Jægerus.* Apud Pacatum tamen Paneg. xxiv. § 2. est 'ingratum virtuti,' id est inmemorem. *Arntz.*

Beneficiis tuis] Infra: 'Quem tu ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti.' *Livin.*

Et tanto necessitudinum fore] Hic locus mendosus est, forte in hunc modum restituendus, *jure ingratus exstiterit, adhuc contemplari vi cogatur, quamvis iratum revereatur.* Rhenan. *Necessitudinum*] Hoc est, ductæ in matrimonium Faustæ, ejus filiæ. In quo ipso cum *favorem*, et *beneficium* ponit, blanditur scilicet Constantino. *Livin.* *Favore*] Ita quidem libri, sed est in aliis, *necessitudinum fore*, ut suspicari liceat fuisse, *necessitudinum jure.* Gruter. Bene pluralis usurpatus, nam duplex Maximiano cum Constantino necessitudo: ille enim e duabus filiabus suis alteram Constantio patri, alteram filio Constantino uxorem dedit. *Patarol.* Gud. et Mœrl. habent *fonte;* Schonhov. *favore*, quod Cellarius ac Patarol probavere. *Jæger.* *Favore* edidit primus Paull. Stephanus, idque reliqui præter Rivinum sunt secuti. Mihi tantum videtur esse ex conjectura. Sola placet codd. apud Puteanum et Jægerum scriptura *fonte*, quam restitui. 'Fons necessitudinum' sunt Constantini cum Fausta nuptiæ, ex quibus illæ promanabant necessitudines. L. 195. § 4. D. de U. S. 'Sicuti dicimus familiam Juliam, quasi a fonte quodam memoriæ.' *Arntz.*

Adhuc contemplatui cogat] Fœde inquinata verba, nec adjuvant libri, Langii excepto, in quo est, *adhuc contemplari cogamur, tuque, quamvis iratus, reverere:* plane, et melius. Quis neget? Sed in quo *contemplari* meis auribus responset, cui significationem idoneam non invenio. Mihi, si conjecturam admittimus, rescribi placeat, *adhuc contemplatio tui cogat, ut, quamvis irati, revereantur. Revereantur*, inquam, κατὰ τὸ σημαινόμενον, ut grammatici loquuntur, etsi præcessit 'vox privata,' in quo 'privati' continentur. Ante etiam *contemplatio tui* reposui, curte in autographo fuisse *conteplo tui* leviter suspicatus. Atque ita jurisconsulti *mutuam pecuniam dare alicujus contemplatione, arborum contemplatione fundum comparare*, et similia dixerunt. *Livin.* Rhen. *adhuc contemplari vi cogatur, quamvis iratum revereatur.* Quid hoc sententiæ? non capio. Conjiciemus et nos, etsi verum vix tangemus: forte, *adhuc clementia tua tegat, quamvis iram mereatur.* Lege etiam, *adhuc contemplatui tui cogat, ut, quamvis irati, revereamur.* Panegyrico Eumenii Constantio: 'Nisi quod vestri contemplatione constabat, de victoria nobis posse dubitari.' *Acidal.* *Contemplatio tui*] Sic locum emendavi, auctoritate partim Livineii, partim

Acidalii, quos secutus est etiam Cellarius. *Patarol.* Mœrl. una cum Gud. *adhuc contemplari cogat, ut quasi ira referveat.* Optimum videtur sequi Acidalium, a quo non multum diversus abit Livineius, itemque Cellarius, qui pro *contemplatio*, nescio qua de caussa, *contemplatione* exhibet. *Jæger.* *Contemplatui cogat, ut quamvis irati revereat*, edebatur ante Cellarium, nisi quod *contemplativi* Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus. Primus tacite lectionem mutavit Cellarius scribendo, *contemplatione tui cogat, ut, quamvis irati, revereamur:* ita etiam Patarolus, nisi quod, ex Merceri apud Puteanum conjectura, dederit *contemplatio*, huic vero adstipulatur Jægerus. Rhenani conjectura, quam dedit præced. observ., etiam in Schonhovii excerptis est adscripta. Miror, cod. apud Puteanum receptam non fuisse lectionem, quam in suis quoque invenit Jægerus. In contextu igitur eidem locum dedi, plana, ni fallor, sententia: vocem privatam, id est orationem suam, moderari debebat, præsertim cum Maximianum adeo ingratum contemplari cogat hæc oratio, ut ira, ante jam sedata, propter ejus perfidiam quasi referveat, eoque facile eveniret, ut modum excederet oratio, quod fieri nolebat, a Constantino consilium exspectans, qua ratione de homine adeo perfido et ingrato esset dicendum. *Arntz.*

§ 3 *Suspensa manu tractem*] Pacatus Paneg. III. dixit 'pendente manu.' Proprie uterque. At translate Plinius Epist. lib. VI. ad Fabatum: 'tu vero,' inquit, 'non debes suspensa manu commendare mihi, quos tuendos putas.' *Putean.* Quæ 'profunda vulnera' noster appellat, eadem 'alta' sunt Pacato Paneg. III. § 5. ubi patris mei notas vide. *Arntz.*

A sapientibus adseruntur] Stoicis. *Livin.* Stoicis fere, quam sententiam Chrysippo objicit Plutarch. de Stoic. Repugnant. Vide plura apud Lipsium Physiolog. Stoic. lib. I. Diss. 14. *Patarol.* Tangit hic Stoicos, qui, ut apud Eusebium legitur, Præpar. Euang. lib. VI. p. 143. ed. Rob. Stephan. *δίκην ἀψύχων κινεῖσθαι ἡμᾶς τῇδε καὶ τῇδε ὑπό τινος ἔξωθεν δυνάμεως παρορασπαστουμένους εἰς τὸ ἐπ' ἀνάγκαις ἐθελῆσαι τάδε πρᾶξαι, καὶ ἑλέσθαι παρὰ προαίρεσιν ἕτερα* docebant. Virtutem vero Deorum munus esse, nec natura, nec exercitatione parari, Platonis sententia fuit, non Stoicorum, qui illam hominum studio posse parari credebant. Diogen. Laërt. in Vit. Zenon. VII. 1. 54. *ὅτι δὲ διδακτή ἐστι* (sc. *ἡ ἀρετή*) *δῆλον ἐκ τοῦ γίνεσθαι ἀγαθοὺς ἐκ φαύλων. Jæger.* De virtute alia etiam fuit Juliani sententia Orat. I. p. 12. quocum hæc Eumenii contulit Spanhemius. *Arntz.*

§ 4 *Gratulare*] Hæc, et præcedens vox deest in Guelferb. Imitatus videtur Ciceronem pro Marcell. cap. 6. 'Gaude tuo isto tam excellenti bono, et fruere cum fortuna et gloria, tum etiam natura, et moribus tuis:' ubi et hunc locum contulit Abramus. *Idem.*

Siderum decreta formarint] Ex superiorum sententia. Unde Fatum Mathematicum eidem Lipsio ibi distinctum. *Patarol.*

§ 5 *Non credo*] Importunum illud *non*, licet plerosque libros insederit, Pataroli exemplum secutus, excesse jussi. De voluntario Maximiani exitio Lactant. de Mort. Persec. XXX. 5. ita: 'datur ei potestas liberæ mortis, 'At nodum informis leti trabe nectit ab alta.'' *Jæger.* Illud mihi non sumserim, ut vocem, constanti omnium codd. auctoritate munitam, ejiciam, et ex unius quidem Acidalii conjectura. Fuit, cum suspicarer, in *non* forte latere *hominem*, ea ratione, qua in capitis princip. *hominem* potuit abire in *oem*, ex quo haud difficulter *non* sit effectum, unde etiam *non* et *nomine* permutantur, et L. 77. § 5. D. de Legat. 2. emendare co-

natur Hotomann. Amicab. Resp. I. 14. Jam vulgatum potius tueor. Duo distinguit Eumenius, facinora esse ex fato, virtutem ex Deorum munere; hanc habet homo ex optione, Deorum munere sibi concessa, illa ex solo fato sine optione invitus. Itaque tradit, se 'non credere,' Maximianum sortem suam, adeo fugiendam, ex optione, sed solo magis fato habuisse, idque est, quod addit, 'hoc ipsum nonne fati necessitas tulit,' quæ præcedentibus hisce opposuit, atque hoc modo ingratum ipsius in Constantinum defendere animum conatur, ideoque 'patrocinium' adpellat § 3. Mox *optio* est arbitrium eligendi ex duobus. Cf. Cort. ad Sallust. Jugurth. LXXIX. § 8. *Arntz.*

Sortem incurrisse fugiendam] Sentit velut sortitionem quandam agitari animis in corpora abituris, in qua negat hoc ei fatum obtigisse, ut hominem quandoque infamis, et Constantinianorum manu properata nex muneret, fractaque gula sexagenarius perfidiæ pœnas lueret: ita enim clare Epitoma Sex. Victoris, Zonaras. Ceteri aut jure interisse, aut pœnas dedisse justissimo exitu scripserunt. Unus Zosimus Tarsi morbo extinctum prodidit, perspicue falso. Sed ὁμωνυμίᾳ deceptus Maximiano Herculio tribuit, quod consensu Maximino accidisse auctores referunt, Maximino inquam, qui Galerio Maximiano nepos ex sorore, quem Maximianum confuse ipse nominat. *Livin.*

Referret vicem] Id est, insidias tibi, et parricidium moliretur. Eutropius, Victor, alii. *Livin.* Insidias, et parricidium moliendo, quum Constantinus illum undique pulsum exceperat, quod munus fuit *pietatis*. Cellar. Historiam persequitur Nourry Dissert. in Lactant. de M. P. p. 287. *Arntz.*

Urbe pulsum] Roma ejectum, ubi Maxentium filium ad privatam vitam redigere, sibi sumpta ejus purpura, conatus, milites renitentes deturbantesque habuit. Eutrop. X. 2. 7. *Cellar.*

Illyrico repudiatum] Quum per litteras Diocletianum, Salonis agentem, hortatus est, ut depositam resumeret potestatem. Eutrop. X. 2. 5. *Idem.* Historiam enarrat Baluzius ad Lactant. M. P. p. 73. *Arntz.*

Palatio cepisti] Palatium illud esse Maximini cœnobium, ante urbem Treveros situm, scribit Brouwer. Annal. Trever. III. p. 204. *Arntz.*

CAP. XV. § 1 *Sibi voluit*] His verbis ipse usus est Constantinus, teste Lactantio l. c. cap. XXIX. § 7. 'Accedit propius Imperator, et in muro adstantem adloquitur, non aspere, nec hostiliter, sed rogat, quid sibi voluisset?' &c. *Jæger.*

Aut quid] Ex codd. restitui *ut* pro eo, quod omnes habent *aut quid:* permutata hæc esse dixi ad Arator. I. 1065. *Arntz.*

Cui tu] Gud. *quin* pro *cui*. Sed nihil mutandum. *Jæger.*

Ad anulos sederas] Proculdubio reponendum, *annulos dederas*. Huncque locum jam pridem emendaveram, cum postea confirmatam conjecturam repperi fide V. C. Pithœani. *Juretus.* Non explico. Doce tu me, quid sit, *sedere alicui ad annulos*. Quid si legas, *ad mulos?* Non dissimilis mos temporum nostrum dynastis, ut honoris deferendi caussa, cum alter essedo vehatur, ipse curulibus equis sedeat, aut mulis. Suetonius in August. cap. 64. 'Neque iter fecit umquam, nisi ut nepotes vehiculo anteirent, aut circa adequitarent.' *Lipsius* ad Giselinum Epist. Quæst. III. 24. Corrigo, *cui digredienti ad annulos hæseras*. Plinius Panegyr. 'Tenuis adhuc, et obscurus obtinenti Africam comes hæserat.' *Pontanus* ad Macrob. Saturn. II. 10. *Ad annula fœderas*] Hoc quid sit, ne Pythius quidem dixerit. Ceteri omnes libri exhibent, *ad annulos*,

seu *annulos sederas*, æque obscure, sed quod exponeret amicus, vir doctus, sinister sederas, a consuetudine, qua veterum Græcorum, qua Romanorum, qui annulum habuere in digito sinistræ manus, qui minimo est proximus, ut Agellius x. 10. ac Macrobius ex eo Saturn. vii. 13. prodiderunt. Quod equidem nec refutem, nec sane laudem; nam et longius petitum est, et exemplum ejus phraseos desiderem. Calide etiam adolescenti, qui Macrobium nuper edidit, *ad annulos hæseras* rescriptum, et acceptum, ut esset, comes aderas; sic enim in notis ad ii. 10. Quod nihil attinet coarguere. Ceterum vir eruditus, qui *ad mulos* olim correxit, non mihi persuadeo fuisse, ut sibi ipse satisfaceret. Cui enim probet, *ad mulos sedere* id esse, honoris deferendi causa mulis adequitare ei, qui curru vehatur? Mihi velut quarto pedato, ut symbolum quoque conferam, in mentem venerat suspicari, latere in his nomen aliquod loci, quo Constantinus Herculium, digredientem in Galliam Narbonensem, pro officio comitatus sit, quod nunc quidem in lucem non educo. Tu, videsis, mi lector, et huic, ut ita dixerim, lampadi succede. *Livin.* *Ad annula faderas*] Fœda lectio, neque juvant exemplaria calamo exarata: editiones veteres exhibent, *ad annulos sederas*, quod ferri posset, ut dicat sedisse ad sinistram, in qua annuli potius, quam in dextra, ne impediant actiones ejusdem manus. Verum est, non reperio exemplum ejus phraseos: sed quam multa extant apud auctores, quibus haud facile invenias fratrem geminum germanum? *Gruter.* Manifesta corruptio. Dubia, et varia medicina. Mercurialis, *digredienti annulos dederas*, quomodo, credo, et Lipsius, qui et habet, nescio quid, de *mulis*. Cæsar Baronius in Annalib. Ecclesiasticis vulgatum retinet, et annulos interpretatur, ad quos, in parietibus defixos, equi, aut jumenta alia deligantur; quasi Constantinus desederit ad illos annulos, usque dum equum ascenderet Maximianus. O Criticum! Conjiciam ego quoque, sed pari venia. Forte, *cui digredienti adambulo hæseras*, quod sane magnæ humanitatis in principe viro. 'Adambulo,' ut 'anteambulo.' 'Adambulandi' verbum nobis commendatum in Sueton. Tiber. c. 25. *Acidal.* Quis hic non acumen suum fuit expertus? Merebitur et nostra conjectura veniam. Id monstri, *ad annula faderas*, natum mihi videtur ex hoc verbo *adambulaferas*, quod scribi debuerat *adambulaveras*. Emendatio, ut vides, nisi quod syllabam *de* jugulat, est levissima. *Zinzerlingius*, Critic. Juven. Promuls. c. 34. Erant annuli portarum ad fores apprehendendas, pulsandasque; horum meminit Joannes Diaconus in Vit. Sanct. Gregorii M. c. 93. lib. iv. deque illis explicandum autumo Panegyristen, ubi ait 'ad annulos sedere' digredienti hospiti Maximiano solitum Constantinum, seu 'cedere,' idque obsequium maximum reputatur, et una cum eruditissimo Cardinale Baronio tom. iii. Annal. Eccles. ad a. cccvii. p. 17. censeo Constantinum comitari consuevisse, seu deducere Maximianum, quando apud eum hospes diverterat, invisendi, salutandive causa, deorsum usque, ubi parati equi annulis ferreis, muro iunixis, alligari sueti manerent, immo ad annulos usque portarum, ibique 'sedere' Constantinum, seu potius 'cedere,' ac honorem præstare Maximiano discedenti. Unde non legendum puto, *ad annula faderas*, ut corrupte legebatur, nec, ut critici emendarunt, *sinister sederas*, vel *ad mulos sederas*, vel *ad annulos hæseras*, sive, ut Acidalius corrigit, *adambulo*, id est ante ambulo, *hæseras*, nec quemadmodum Tristanus tom. iii. Histor. p. 526. excogitat, et probare conatur, *cui di-*

gradienti te ad aram annulo fœderaveras; verum repono, *ad annulos sedebas*, etsi Tomkus, Episcopus Bosnensis in Constantin. p. 527. in Illyric. Sanct. p. 88. vitæ Constantini, eruditione non minus, quam dignitate illustrissimus, aliam olim mihi adscripserit opinionem. *Suaresius* de Foramin. Lapid. Thes. Sallengr. tom. I. p. 322. Pravæ hoc loco membranæ, referentes, *ad anula fœderas*: cujus nemo divinabit sententiam. Cusi olim, *ad annulos sederas*, quod genuinum esse spondere nolim; Gruterus tamen retinet. *Cellar.* Reciperem potius lectionem Jureti, *anulos dederas*, auctoritatis nempe signum. At nec sic a Nostro scriptum ausim affirmare. *Patarol.* *Ad annula fœderas* Livin. Francof. et Paris. prior. codd. Put. Gud. et Mœrl. habent *anulos dederas*. Etsi ea, *ad anulos sederas*, quam cum Cuspin. Rhenan. Stephan. Gruter. Baunio, Cellar. Patar. damus, lectio non vacat difficultate, meliorem tamen esse aliis liquido apparet. Livineii conjectura nimis soluta est, et incerta, nec quidquam ex illa conficitur. Merito etiam displicet *adambulo* Acidalii, qui in Sueton. Tiber. c. 25. nullum invenit præsidium; ibi enim 'obambulans' legitur: Apuleii tamen auctoritate tutum est 'adambulandi' verbum eo, quo hic accipiendum est, significatu, scil. ut idem sit, ac comitari eundo pedibus. Ille enim Metam. VIII. p. 213. ed. Elmenh. lin. 35. sqq. 'Juvenis.... circumstantibus Deam .... adambulabat.' Alias significat accedere, ut Plaut. Bacchid. IV. 5. 8. Nec feliciores sunt 'muli' Lipsiani, ut jam Livin. et Acidal. viderunt. Et *sedere ad mulos* qua ratione idem esse possit, ac *sedere curulibus mulis*, (hæc enim Lipsii est explicatio) equidem non expedio. Verum Lipsius ipse tantum abest, ut multum huic conjecturæ tribuerit, ut potius nugas se loqui sit confessus. Scriptura Mercurial. Put. Mœrl. commodo sensu nobis carere videtur; Juretus tamen sic legi debere conjecit, eamque conjecturam fide cod. Pithœani confirmatam reperit. Probat eam quoque Patarol; sed nimium friget sententia. Relinquitur itaque, ut, dum adferantur meliora, amplectamur lectionem codd. suffragio munitam, et quadamtenus explicabilem. Sinistrum quidem latus dextro fuisse dignius et nobilius, tradidit G. Longus de Annul. Signator. c. 9. p. m. 76. sqq. itemque Jo. Goropius; sed hunc Lipsius Elect. II. 2. refutat, omnemque opinioni huic speciem adimit. Verum est, non reperiri exemplum hujus phraseos: 'Sed quam multa,' inquit Gruterus ad h. l. 'exstant apud auctores, (addo, præcipue sequioris ætatis) quibus haud facile invenias fratrem geminum germanum?' Addenda est, quam pæne prætermisi, conjectura Baunii, qui ex verbis *ad annula fœderas* exsculpit *te ad aram annulo fœderaveras*. Talia multis confutare nihil attinet. Vix quidquam potest infelicius excogitari. *Jæger.* Livineius suspicatur, latere in his nomen aliquod loci, quo Constantinus Herculium e vicinia pontis Agrippinensis digredientem in Galliam Narbonensem pro officio comitatus sit. Quod si sequamur, legi fortasse possit, *digredienti in Aduaticos hæseras*, vel *digredienti Atuatucam*, vel *Advocam usque has*. Sed tantum abest, ut hæc mihi conjectura arrideat, ut potius, quod Gesnerus usurpare solebat, vultum nitentis habere videatur. *Idem.* Non video, lectionem *ad annulos sederas*, quam expressit quoque Jægerus, in codd. esse, omnes enim habent, *anulos dederas*; altera autem, certe ex conjectura, habetur in Cuspiniani et Rhenani editionibus, ex quibus in Gruterianam fluxit, et inde in omnes sequentes. Conjectura, quam profert Baunius, est Baronii. Si quis

autem sit in Panegyricis locus, in quo operam collocarint critici, hic certe est, sed, in quo id infelicius successerit, nullus. Quamvis de annulo in sinistræ manus digito rem probaverint, tum alii, tum vero etiam Kirchmann. de Anul. cap. 4. tamen, qui 'ad anulos sedere' pro sedere ad sinistram accipi possit, non video. Grutero largior, multa esse apud alios non obvia, sed hæc sitne ad ea referenda locutio, in eo quidem ad eorum provoco judicium, qui Latine sciant; 'ad ensem sedere' an interpretaberis ad sinistram, quia in hoc latere eodem quis adcinctus est? Ipsum quoque 'digredienti' refragatur, quod Maximianum a Constantino discedentem indicat, at vero 'ad lævam sederas' magis itineris in curru comitem. Eadem premit ratio Lipsii et Pontani conjecturas. Miror Scaligeri neminem meminisse, qui ad Propert. IV. p. 281. emendat, *mannulos dederas*, quæ quidem conjectura hercle ingeniosa, ad veram, ni fallor, lectionem ipsa nos manu ducet. *Mannulos* non probo, quia hi magis sunt puerorum, ut apud Plinium Epist. IV. 2. 3. 'habebat puer mannulos multos,' et huc videtur etiam pertinere Martialis XII. 24. qui itaque itineri faciundo, de quo hic loquitur, minus videntur apti, et pares, magisque ad voluptatem puerorum adhibiti. Eumenium itaque scripsisse puto, *mannos tuos dederas*. Conjectura fiet verisimilior, si cogitaveris, in Gallia videri Maximianum a Constantino discessisse, in qua 'manni' dicebantur equi, qui postea 'burici,' vel 'buricii' adpellati, a quibus 'mannuli.' Utrumque enim vocabulum est Gallicum, cujus usus non adeo vulgaris occasionem loco corrumpendo dedit librariis, nescientibus, quid hoc sibi vellet. Glossarium Isidori: 'Mannulus, caballus buricus.' Emendetur hinc Isidorus Orig. XII. 1. 'Mannus equus brevior est, quem vulgo brunitum vel brunitium vocant.' In membranis Groninganæ Bibliothecæ desunt 'brunitum vel,' itaque lege 'vulgo buricum vocant.' Diei quoque 'burdones' in L. 49. D. de Legat. 3. putat Rhodiginus Antiq. Lect. XXIII. 5. sed meliora docuit Scheffer. de Re Vehicul. II. 6. p. 117. 'Mannis' autem illis iter facere solebant, unde 'celerem mannum' memorat Ausonius Epist. VIII. 7. 'Appiam mannis terere' dixit Horatius Epod. IV. 14. qui locus Hieronymo videtur obversatus, cum 'vias publicas mannibus terere' scriberet, in Eccles. cap. 10. id enim pro 'mannis' esse adhibitum notat Vossius de Vit. Sermon. IV. 57. De his mannis confer plenius Savaronem ad Sidon. Apoll. Epist. VI. 12. Schefferum de Re Vehicul. II. 6. Stephan. ad Saxon. Gramm. Hist. Dan. II. p. 69. Beneficium itaque, et honor a Constantino datus is erat, quod Maximiano, homini post imperium privato, mannos in iter concesserat, et quidem κατ' ἐξοχὴν addit *tuos*, tibi Imperatori proprios, quo ipso eum pro Principe, et velut Imperatore habebat; mannis enim uti virorum erat principum; quo modo Scholiastes Crucquii ad Horat. d. l. poëtam illum explicat, ut Volteio Menæ, homini molli et delicato, det vitio, quod in agros non pedibus iter faceret, 'sed equis, non quibuslibet, sed mannis, quod est virorum principum.' Si tamen hæc displiceat conjectura, vide, an scripserit, *cui digredienti mulos tuos dederas*. Ita de Gratiani humanitate Ausonius Grat. Act. XXXV. 1. 'Audivi confirmantia ad salutem verba profari; occurrere desideriis singulorum; hujus sarcinas mulis aulicis vehere; his specialia jumenta præbere.' Joann. Saresber. Policr. VIII. 21. 'Publicum cursum mularum, et caballorum inhibuit:' quæ sumta sunt ex Histor. Tripert. VI. 1. Adde Savar. ad Sidon.

Ep. vi. 12. Plerarumque tamen edd. lectionem in textu retinui, ne conjecturam obtrudere viderer. *Arntz.*

§ 2 *Ut tot natus annos*] Sexaginta. Epitoma Victoris. *Livin.* Ms. Mœrl. et Gud. *tot jam nat. annos.* Jæger. Voculam inserui, quæ sententiam hic fortius intendit. *Arntz.*

§ 3 *Ut res est*] Cf. Livin. ad Mamertin. Genethl. ix. ad Eumen. Constantio ad princip. et vi. § 4. *Arntzenius.*

Felicitas ingrata subterfluit] Nove *ingrata*, ut apparet, pro cui grati non sint, qui ejus compotes. *Livin.* *Ingrata* est *felicitas* eorum, qui bona sua non norunt, nec iis delectantur, nec adeo gratiam Diis habent. Hic significatus novus haberi non potest. *Jæger.*

Pleni spei] *Sperum* Vet. Bertin. 'Αρχαΐζει· nam *sperum*, et *speribus* antiqui inflexerunt. Nonius in 'Sperem.' *Livin.* In Cuspin. Rhenan. Steph. et textu Livin. legitur *spei*; *sperum* est ex cod. Livin. et Bertin. quos reliqui sequuntur. Archaismus est, si a 'speres' ducas. Sed tunc potius *sperium* legeretur. Malim itaque habere pro genit. plur. vocis *spes*, quæ πληθυντικῶς apud Ciceronem, et optimum quemque sæpius reperitur. *Jægerus.* *Sperum* etiam Guelferb. quod recte recepit Gruterus, et reliqui præter Rivinum. Est enim exprimendæ cupiditatum magnitudini, et copiæ aptior pluralis. *Arntz.*

§ 4 *Divinum illum virum*] Diocletianum. *Livin.* Cf. Cuperum ad Lactant. M. P. 42. p. 229. *Arntz.*

Participavit] Maximiano, quem sibi in collegam assumpsit, cui etiam auctor fuit imperii deponendi. Nisi forte absolute a Nostro de Diocletiano dictum, quod primus Imperatorum imperium ultro participaverit ac deposuerit, quod quidem verum. Nam licet ante ipsum etiam M. Aurelius imperii collegam fecerit L. Verum, illud tamen non sponte præstitit, sed ex jussu Antonini. *Patarol.*

Sponte transcripsit] Eos itaque sequitur Eumenius, qui Diocletianum sua sponte se imperio abdicasse putaverint, ejusdemque se sententiæ esse profitetur Aurel. Victor, Cæs. xxxix. in fin. 'quamquam,' ut addit, 'aliis alia æstimantibus, veri gratia corrupta sit,' id est, quamquam vera sententia ob varias opiniones definiri nequeat, interprete Bunemanno ad Lactant. M. P. xviii. § 1. qui tamen ibi ostendit, vero proximam esse eorum opinionem, qui coactum deposuisse referant, præsertim ob Lactantii testimonium, cui major fides habenda, quia, Nicomediam a Diocletiano accersitus, in Palatio melius, quæ agerentur, scire potuit. Cf. Nourry Dissert. ad Lactant. p. 257. Gruner. ad Aurel. Vict. d. l. *Arntz.*

§ 5 *Tantorum Principum*] Galerii et Constantini obsequia senem Diocletianum colebant. *Cellar.* *Obsequia* illa Norisius de Numism. Dioclet. Diss. i. cap. 5. et de Quadrig. Elephant. cap. 5. refert ad consulatum, Diocletiano, quamvis privato, devoti animi et obsequii caussa a Galerio Maximiano oblatum; sed contra vide Pagium Dissert. Hypat. p. 244. qui ad privata magis obsequia refert, de quibus cf. Spanhem. ad Julian. Orat. i. p. 61. quomodo autem hic locus cum Lactantio, scribente M. P. 42. Constantini jussu Maximiani et Diocletiani imagines fuisse avulsas, sit conciliandus, adcurate disquirit Bunemannus. *Arntz.*

Et sua stirpe] Per adoptionem. Nam Maximiano Herculio ad imperii societatem ascito, Galerium quoque Maximianum Cæsarem creavit, a quo deinceps Severus, Maximinus, Licinius assumpti. Herculius vero et ipse Cæsarem Constantium dixit, qui decedens Constantinum filium suffe-

cit. *Livin.* Transponenda hæc credo: *et vestro tegitur latus umbraculo, et glorias vestras sibi juste vindicat, quos scit e sua stirpe crevisse. Hunc ergo illum.* Non aliter æquabilis oratio. *Acidal.* Non quidem sanguinis sed adoptionis; nam electio tot Cæsarum, qui temporibus iis Romanæ rei præfuerunt, per adoptionem velnti facta est, primo auctore Diocletiano. *Patarol.*

§ 6 *Hunc ergo illum*] Diocletianum *puduit* Herculeum, quem ipse olim fratrem, et Augustum adsciverat, quum ille nunc repeteret imperium, *imitari.* Cellar.

Fratre adscitus] *Frater* recte scribitur, id est, consors imperii. De quo alibi jam dixi. *Livin.* De *fratre*, imperii consorte, vid. ad Mamertin. Maxim. p. 11. et cap. IX. § 1. Baluz. ad Lactant. M. P. cap. 8. alia quædam ad h. l. habet Cuperus ibid. cap. XLII. p. 229. *Arntz.*

Hinc illum] Herculeum pœnituit, Diocletiano jurasse de abdicatione imperii. *Cellar.* Maximianum pœnituit, illum, id est Diocletianum, de imperio deponendo jurasse. *Arntz.*

Et Capitolini Jovis] Vide præced. observ. Intelligit Mediolanense Capitolium Cuperus ad Lactant. M. P. 19. et certe Mediolani imperium deposuit Herculius. Sed si Eumenium consideremus, illud Jovis templum magis ad Diocletianum pertinet, qui Nicomediæ deposuit. Videtur itaque oratorum more locum descripsisse, ut non intelligatur templum proprie dictum, sed locum illum altum extra Nicomediam, ubi columna cum Jovis signo erat erecta, et in quo imperium deposuit Diocletianus, quæ cuncta testatur Lactant. M. P. 19. hunc propter Jovis signum *templum* potuit adpellare, quod omni loco sacro est proprium, docente Ernestio ad Tacit. Germ. cap. 40. *Arntz.*

Non mirum] Codd. obsecutus *miror* restitui, pro quo ceteri omnes *mirum.* Sententia est, Maximianum pœnitebat Diocletianum jurasse, malebat itaque eum pejerasse, et imperium iterum sumsisse. Non itaque miror, cum adeo levis ipsi haberetur jurisjurandi religio, eum in generum Constantinum fuisse perjurum. *Idem.*

Etiam genero] Constantino, cui etiam, ut diximus, struxit insidias. *Patarol.*

CAP. XVI. § 1 *Hæc est fides*] Ironia, perfidiam Maximiani Herculei perstringens. *Cellar.*

Palatini sacrarii] Imperatorii Palatii, quod *sacrarium* dicit, utpote sacrorum Principum sedem. Sæpe per hasce orationes vox hæc usurpatur. *Patarol.*

Devota penetrabilis] *Devota* recte de fide Principi debita, et præstanda. Cf. Gothofredum ad Cod. Theodos. tom. I. p. 22. Sequens *scilicet* est Eumenio frequens; dixi ad Paneg. Constantio v. § 4. *Arntz.*

Lente et cunctanter] Pugnat cum verbis Eutropii, scribentis init. lib. X. 'Romam advolavit e Lucania.' *Patarol.* Guelferb. *conctanter.* 'Cunctanter et languide' similiter jungit Plinius Paneg. XXX. init. *Arntz.*

Itinere confecto] E Lucania Romam versus. *Patarol.*

Copiis mansionum] Commeatibus, et annona. *Livin.* Recte Cuperus ad Lactant. M. P. 45. ostendit, in viarum *mansionibus* fuisse horrea, ad condendam militarem annonam, militibusque per vias militares euntibus dividendam. Cf. de his Gothofredum ad Cod. Theodos. tom. I. p. 51. tom. IV. p. 18. *Arntz.*

Purpuratus] Herculeus videlicet, genero Constantino dolose adversus barbaros proficisci jusso, in Palatio Arelatensi resumserat imperium. Vide cap. 18. *Cellar.*

Bis depositum] Ægre primum Diocletiani monitu, cum uterque privatus, ille in Lucaniam, hic Salonam, rusticatum concessit, deinde cum fac-

ti pœnitens, receptis insignibus Augusti, Maxentium filium, ut tantis rebus gerendis imparem, spoliare purpura conatus, militum convitia tulit, vim quoque, ni absisteret, comminantium. Quo periculo demum territus, detracto sibi ex humeris amictu, fugit, cum quidem ab urbe pulsus, (verba sunt Landatoris) ab Italia fugatus, ab Illyrico repudiatus, perbenigne a Constantino est exceptus. A quo digressus, jam tum initis belli consiliis, repente Arelati imperium resumpsit. *Livin.*

Tertio] In Galliis, cum apud Constantinum esset. *Patarol.*

§ 3 *Rara illas virtus*] *Illas* tantum est in Rhenana. Suspicabatur pater meus, utrum forte illud ex *alias* sit corruptum, ut conveniat Floro I. 3. 5. 'rarum alias decus.' *Arntz.*

Nec solum his] Lege *hi*. Acidalius. Guelferb. *iis*; in Puteolani, Rhenani, Henr. Stephani, et Rivini edd. est *his*, sensu non idoneo; *hi* jam dedit Livineius, certe ex suis codd. quamvis etiam *ii* ex Puteaneo, cui Guelferb. proxime adcedit, placere posset. *Arntz.*

Quos litteræ, vitæ quies] Sic Vet. *quos ratio litterariæ vitæ quisque mitigavit*. Forte *quiesque*. Putean. Livineii lectio est etiam in antiquissima Puteolani; Rhenanum secutus est Rivinus, Cuspinianum vero Baunius. Codd. Jægeri sum secutus. Conf. ad Sedulium Epistol. ad Macedon. pag. 3. De 'animorum ardore' vid. ad Eumen. Constantio XIV. 4. *Arntzenius.*

Tui similes] Restitui *tuis* ex God. sive Guelferb. eique favet Mœrl. quia in *tui* litteram *s* absorpsit prima sequentis. In Puteaneo hoc quoque fuisse suspicor, quia ad Rhenanam varians non est lectio notata. In *tuis* supple *exercitibus*; ita enim § 9. 'tu tuis quidem exercitibus.' *Idem.*

§ 5 *Largitate certarunt*] *Largitate* ab omnibus editum est ante Gruterum, et postea a Rivino. Vulgata est quoque in Guelferb. et Schonhovii excerptis, et probat ipse Eumenius § 8. 'insuperabile genus est largitionis:' et cap. XVIII. § 1. *Idem.*

§ 6 *Non blandita*] In Guelferb. est, *cui nec blandita servit*. Altera lectio verior; *blandita adulatio* opponitur *simplici devotioni*, *vendita* autem *sinceræ*. Idem.

§ 7 *Constantine, manifeste*] Non mutem, *Constantine max. per se sunt*. Acidal. Quis ita mutandum censuerit? *Arntz.*

§ 9 *Tu tuis quidem*] Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. ordine verborum paullulum mutato, *tu tuis quidem*, quod nescio, an lectioni reliquorum sit præferendum: Put. et Mœrl. *tu quidem, exerc. tuis.* Cod. Bertin. cum edd. ceteris ita, ut nos quoque exhibemus. Sed hæc minutioris sunt curæ. *Jæger.* Ante Gruterum constanter, et postea a Rivino, fuit editum, *tu tuis quidem:* quod ex Puteaneo mutari non debuisset, ideoque revocavi, ob ea, quæ notat pater meus ad Plinii Paneg. LI. § 2. ipse Eumenius statim, 'tuum te magis nomen.' Cf. supra ad Nostr. pro Instaur. Schol. I. § 2.

De memoria] Hoc significatu *de* etiam a scriptoribus optimæ ætatis frequenter adhibetur: v. g. Terent. Eunuch. III. 2. 3. 'Ecquid nos amas de fidicina isthac?' ubi Donatus: 'De' propter; ut sit propter fidicinam. *Jæger.* Cf. ad Arator. Epist. ad Florian. 6. *Arntz.*

Tua ætatis gratia] *Tuæ* Bertin. *Livin.* Non debuisset illud *tuæ* adripere Gruterus, a quo in reliquas edd. præter illam Rivini, manavit; pro *tua* stat etiam Guelferb. et repetitio in 'tuum nomen,' 'tua auctoritas,' 'tua forma.' 'Ætatem' et 'formam' jungi aliis quoque exemplis ostendit Wopkens in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 62. similia ad h. l. vide in notis ad Pacati Paneg. VI. § 2. *Arntz.*

Cap. xvii. § 1 *Majestas perstringit*] Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. et Ms. Gud. *perstringit;* melius cod. Livin. cum reliquis *præstringit;* siquidem, uti docet Cannegieterus ad Avian. Dissert. p. 319. aliter *præstringi*, aliter *perstringi* oculus dicitur; illud fit, cum splendore hebetatur; hoc, cum telo, rimam vel vulnus faciente, percutitur. Cf. etiam Schwarzius ad Paneg. ii. 2. 1. *Jæger*. *Perstringit* est ante Gruterum editum, et postea a Rivino. Alterum tuetur 'fulgor oculorum,' et quæ, etiam ad hujus loci lectionem, dedi ad Mamertin. Genethl. Maxim. ii. § 1. similia ad h. l. habet Pacatus Paneg. vi. § 2. et de eximia Constantini forma supr. ad Incertum Maximian. iii. § 3. *Arntz*.

§ 2 *Illum regem*] Agamemnonem. *Livin*. Alexandrum Magnum, de cujus forma Plutarchus in Vita. *Cellar*. Livineius intelligit Agamemnonem; minus probabiliter. *Jæger*.

Thessalum virum] Achillem, Pelei, Thessaliæ regis, filium. Statius Silv. ii. 7. 55. de Achillis et Hectoris pugna: 'Ludes Hectora, Thessalosque currus.' *Cellar*. Achillem, Pelei filium, ex Thessalia, quæ Æmonia etiam dicta. Unde Statius Sylv. ii. 1. 'Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.' *Patarol*.

Pulcritudini conjuncta] Illius nempe a Plutarcho, 'colore candido fuisse perhibetur. Mixtus candori rubor multum, et pectus illius illustrabat;' hujus autem Homerus pluribus locis. *Patarol*.

§ 3 *Digna metari*] Confer hæc cum Pacati loco Paneg. cap. vi. *Patarol*. Quem ad modum 'Gratior est pulchro veniens in corpore virtus,' et forma pro præjudicio quasi indolis, ac ingenii sæpe accipitur: ita e contrario deformitas degeneres animos creditur arguere. Sic Velleius ii. 69. 4. de Vatinio: 'In quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur.' Novimus, quo usque nostræ ætatis sagacitas in rimandis hisce arcanis sit progressa. *Jæger*. Adde not. ad Ciceron. pro Cœl. c. 3. Savar. ad Sidon. Epist. iv. 6. *Arntz*.

Quantus illos] Lege *illo*. Acidalius. Pulchritudo utique cælestium laus est. Ideo veteres, cum Deos Deasque alloquerentur, pulchritudinis encomio eas honorabant, juxta Philip. Carol. in Agell. xiii. 25. *Patarol*. Necessaria emendatio Acidalii, nisi malimus *illos* referre ad *hominis*, quod generatim sumtum multitudinis habet significationem. Sed præstat certe lectio Acidalii. *Jæger*. Malim ad *hominis* referre. *Arntz*.

Cœlestis spiritus] Animi particulæ sunt auræ divinæ. Nam, 'Igneus est ollis vigor et cælestis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus, moribundaque membra. Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.' Virgil. Æneid. vi. 730. sqq. *Jæger*.

§ 4 *Sequuntur oculis*] Mamertin. Maximian. v. § 3. 'Neque milites ... oculis sequi possent:' ubi vide. *Arntz*.

Cap. xviii. § 2 *Portas petierunt*] *Portus* fortasse, scil. Cabillonenses. *Schonhov*. Portas castrorum. *Cellar*. Recte: Schonhovii conjectura rei gestæ est contraria; postquam enim portis his essent profecti, in Cabillonensem demum portum pervenerunt. Cf. sequentia. De castrorum portis vide ad Livium xl. 27. 3. Guelf. *petiverunt*, ut § 1. *Arntz*.

Indefessis corporibus] Sustuli errorem, qui plurima exempla typis exscripta insedit, in quibus legitur, *inde fessis*, disjunctis syllabis unius vocis. *Jæger*. Jam ita recte dederant Rhenanus, Henr. Stephanus, et Patarolus. *Arntz*.

Quanto propius] *Quanto* adhibuit non præcedente *tanto*, cujus moris

exempla vide apud Drakenb. ad Livium IX. 37. 2. et patrem meum ad Plinii Paneg. LXXIII. 3. *Idem.*

§ 3 *Cabillonensi portu*] Fluviali portu in Arari, flumine navigabili, ad Cabillonum oppidum. Vetus inscriptio apud Gruterum p. 375.

PATRONO. NAVTARVM
ARARICORVM. ET. RHO
DANICORVM.

Cellar. Non maritimo, sed fluviali. Est enim Cabillonum urbs in Burgundiæ Ducatu juxta Ararim; ideo *Chalon sur Saone* hodie nuncupatur. *Patarol.*

Provideras] Eumenius pro Instaur. Schol. v. § 1. 'Frequentiam honestissimæ juventutis providerint.' Voces permutatas notavit quoque Wasseus ad Sallust. Jug. p. 367. *Arntz.*

Pane non placuit] Mœrl. pro *pane* exhibet vitiose *praire.* Jæger. Etiam Guelferb. *praire,* eaque est vera Eumenii manus, quam restitui. Cura Constantini in dandis navigiis militibus, præire festinantibus, displicebat, quia propter amnem segnem navigia magis, ut mox addit, stare, quam ire videbantur, ipsique pedibus *praire* malebant. *Arntz.*

Segnis ille] Tardiorem Araris lapsum etiam Claudianus notavit de Cons. Mall. Th. v. 53. 'Lentus Arar, Rhodanusque ferox.' *Cellar.* Et Silius lib. III. 'Tacitoque liquore Mixtus Arar.' De Rhodano flumine Plinius III. 4. 'Segnemque deferens Ararim.' *Patarol.* Inde mox 'Araris moras' dixit: ubi Livineius. Lucanus I. 433. 'Qua Rhodanus raptum velocibus undis In mare fert Ararim.' In his Lucani errorem arguisse videtur Oudendorpius, cum alias Ararim in se segnem, et lenem esse adscripserit: sed 'velocibus undis' refer ad Rhodanum; nisi legere malles, 'tardum velocibus,' quod propter oppositas voces 'tardus' et 'velox' ego quidem maluerim. De Arari Cæsar B. G. I. 12. 'Incredibili lenitate, ita ut oculis in utram partem fluat, judicari non possit:' ubi not. adde Dempster. ad Claudian. in Rufin. II. 111. Barth. ad eumd. p. 86. et 1204. Cerd. et Emmen. ad Virgil. Ecl. I. 63. Ex natura fluminis nomen, quia *ara* Britannis 'lentum' significat, deduxit Boxhorn. Origin. Gallic. p. 43. *Arntz.*

Ripis lente recedentibus] Imitatio Virgiliana. Seneca Epist. 71. 'Prænavigamus, Lucili, vitam, et quemadmodum in mari (ut ait Virgilius noster) 'terræque urbesque recedunt,' sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quidquid est illud inter juvenem et senem medium, in utriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos. Novissime incipit ostendi publicus finis generis humani.' Verba, quæ auro contra redimas. *Livin.* Sese in diversum moventibus, quæ fixa sunt, recedere videntur. 'Cum enim navigio vehimur, quoniam in eo stamus, oculus conquiescere nos judicat,' &c. inquit Pontan. in Virgil. Æn. VIII. quare etiam Lucret. lib. IV. 'Quæ (navis) manet in statione, ea præter creditur ire, Et fugere ad puppim colles, campique videntur,' &c. Ibi vide, sis, Lambinum. *Patarol.* Phrasis, uti vocant, optica, quæ orationi non parum venustatis conciliat, et a poëtis præcipue frequentatur. Sic Virgil. III. 72. 'Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.' Et ejusdem libri vs. 536. 'Refugitque a littore templum.' Et v. 198. sq. 'Vastis tremit ictibus ærea puppis, Subtrahiturque solum.' Ovid. Met. VI. 512. 'Admotumque fretum remis, tellusque repulsa est.' Et VIII. 139. 'Unda sonat, mecum simul, ah! mea terra recedit.' *Jæger.* Lucas Actib. XXVII. 27. ὑπενόουν οἱ ναῦται προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν. *Arntz.*

§ 4 *Incubuere navigiis*] *Remigiis* Vet. Bertin. Cuspin. Belle, ut idem Vir-

gilius Æneid. VI. 'Nunc nunc incumbite remis, Hectorei socii.' Et ejusdem operis X. 'Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis.' *Livin.* Virgilii locis apud Livineium addatur Ovid. Art. II. 731. *Arntz.*

Naturam flumini] Vet. *fluminis.* *Putean.* Variantem ex Puteaneo dedi secundum excerpta Ms. penes me, vitiosam in ed. Parisina, tamquam in eo cod. *flumini* legeretur, quod ex typographi errore est in ed. Rhenani; ita 'natura loci' est apud Nostr. Constantio VI. § 2. *Arntz.*

Araris moras] Poëta, nescio quis, 'Lentus Arar, Rhodanusque celer.' Lucanus VI. de vi carminis magici, rerum naturas convertente: 'Nilum non extulit æstas, Mæander direxit aquas, Rhodanumque morantem Præcipitavit Arar.' Hercules apud Senecam, Ludo in mortem Claudii Cæsaris: 'Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit, Ararque dubitans, quo suos cursus agat, Tacitus quietis alluit ripas vadis.' *Livin.*

Arelate] Cf. Cellar. Geogr. II. 2. p. 151. *Arntz.*

§ 5 *Cum hoc tuo*] *Cum* uncis inclusserat Cellarius; frustra; ita enim sæpe additur, ubi omitti potuisset. Oudendorp. ad Cæsar. B. G. VIII. 52. 1. Observ. Miscell. Nov. tom. II. p. 66. in Daventriensi apud Sallust. Catil. init. vidi 'cum silentio.' *Idem.*

§ 6 *Abiisse Massiliam*] Eutropius de Maximiano: 'Inde (Roma) in Gallias profecto parans Constantino genero suo insidias, detectus est a Fausta filia, quæ dolum viro enuntiavit, profugitque Massiliam, ubi pœnas dedit.' Aurelius Victor, et Paul. Diacon. scribunt, Herculium Massiliæ obsessum, et captum fractis laqueo cervicibus interiisse. Zonaras ait, quosdam dicere, eum sibi laqueo necem conscivisse. Sic etiam Euseb. Histor. Eccles. et de Vita Constantini. *Putean.* Cf. supr. 14. 1. *Arntz.*

Effusoque cursu] Guelferb. *effuso jam cursu:* male. *Idem.*

Flumina præverterant] Virgilius Æneid. I. 317. 'Prævertitur Hebrum.' Eumenius Constantio VI. § 1. 'nuntios prævertisti:' ubi not. Rectum est *flumina.* Cf. me ad Sedul. III. 225. similiter 'flatus' apud Priscianum Perieg. 871. 'Persica nam flatus Eoi littora turbant:' sed ex cod. Suecic. in Actis Societ. Jenens. part. V. et altero Bibliothecæ Leidensis, cujus variantes ad manum, lege 'flatus Euroi,' probante jam Heinsio ad Virgil. Æneid. III. 533. Dionysii enim in Perieg. vs. 930. est, Εὔροιο κελεύθοις. *Idem.*

§ 7 *Crederent prævenire*] *Pervenire* Bertin. recte. *Livin.* *Pervenire.* Acidal. Nostram lectionem, petitam ex Bertin. cui et Put. cum Mœrl. se adduunt comites, jam recepere Francof. Paris. Patar. Cellar. *Jæger.* *Pervenire* etiam Guelferb. recte, idque post Gruterum habent omnes, præter Rivinum. *Arntz.*

CAP. XIX. § 1 *Profundum mare*] Mediterraneum, ut dixi. *Putean.* Mox *munitissimus portus* est loci opportunitate, et natura, de quo Cortius ad Sallust. Jugurth. LXXV. 2. et LXXVI. 2. *Arntz.*

Meridianus refluit] Quid est *meridianus sinus?* Meo monitu rescribe, *mediterraneus sinus.* Pontan. ad Macrob. Saturn. V. 15. An *marinus?* Sed verum, credo, est *mediterraneus.* Sic Panegyr. Constantio: 'Quam late omnis Oceanus, et mediterranei sinus abluunt.' Sic Mamertini Genethliaco Maxim. Aug. dicto: 'Qua Tingitanum littus Calpetano monti obviam latus (lege 'latius') in mediterraneos sinus admittit Oceanum.' *Acidal.* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Francof. Paris. prior, Patar. *meridianus*, et sic etiam Mœrl. Verum huic voci hic non est locus. 'Mare meridianum' Plinio H. N. VI. 17. 21. idem est, quod Indicum. Itaque cum Pontano ad Macrob. Sat. V.

15. Livineius jam conjecit, legendum esse *mediterraneus*, cui socium se adjungit Acidalius. Jure igitur, meritoque hanc emendationem recepit Bannius et Cellarius, quos sequimur. *Jæger*. Male ex sola conjectura *mediterraneus* substituerunt eruditi, cum *meridianus* tueantur codd. et editi usque ad Bannium. 'Sinus meridianus' est ad meridiem spectans, et ita Massiliæ portum descripsit Strabo Geogr. IV. p. 270. ὑποπέπτωκε ὁ λιμὴν θεατροειδεῖ πέτρᾳ, βλεπούσῃ πρὸς τὸν νότον. Pari sensu 'meridiana vallis' apud Livium XXXIX. 35. in fin. 'meridiana regio,' ibid. XXXVIII. 20. 'meridianum cælum,' Mamertin. Maxim. XII. § 5. *Arntz*.

Sinus, mille] Antiqua enim Massilia, teste etiam Cæsar. de Bell. Civil. lib. II. a tribus partibus mari alluebatur. At hoc de hodierna accipi non potest, inquit Isaac. Vossius in Melam II. 5. juxta hunc auctorem vetus Massilia distabat a loco, ubi sita hodierna est; illa enim fuisse dicitur ad promontorium, nunc *la Crocetta*, ubi rudera veteris urbis visuntur. *Patarol*.

§ 2 *Olim Græcos*] Phocæa, Ioniæ in Asia urbe, ab Harpalo, seu Harpagus est, Cyri præfecto, pulsos. Lucano in hac ipsa historia 'Phocais juventus' dicitur. Versus e lib. III. hi sunt: 'Cumque alii famæ populi terrore paverent, Phocais in dubiis ausa est servare juventus Non Graia levitate fidem, signataque jura, Et causas, non fata sequi.' Dioni quoque lib. XLI. Phocæa Massiliensium urbs mater est. Oppianus Halieut. III. Ῥοδανοῖο περὶ στόμα θηρητῆρες Κελτοὶ, Φωκαίης τε παλαίφατοι ἐνναετῆρες. Tu adi, lector, Strab. lib. IV. Justinum XLIII. Cæsarem Civilis Belli I. et II. *Livin*. Phocæensium Ioniæ colonia Massilia fuit. Mela II. 5. Plinius III. 4. *Cellar*. De conditoribus, situ, et disciplina Massiliensis civitatis vid. Strabo lib. IV. non procul ab initio p. m. 124. sq. Pomp. Mela II. 5. 25. ibique interprett. Justin. XLIII. 3. sqq. *Jæger*. Cf. Rittershus. ad Oppiani Hal. III. 544. Cort. ad Sallust. Catil. XXXIV. 2. Ab hac autem Græcorum colonia deducenda est Græcorum rituum, Deorumque in Gallia cognitio, quam quidem ad vicinos Massiliensium penetrasse tantum statuit Cannegiet. de Isid. ad Turnac. invent. p. 32. mihi ulterius porrigenda videtur; Hispanos enim Dianæ Ephesinæ, ejusque rituum scientiam a Massiliensibus hausisse testatur Strabo lib. IV. p. 271. neque dubito, quin Græcarum litterarum, et quorumdam Pythagoreæ præceptorum intelligentia ex eodem fonte ad Gallos manaverit, quo pertinet Cæsaris locus, B. G. VI. 14. ubi Davies. *Arntz*.

Italosque] Eidem propinquos. *Patarol*.

Sumtum operis] Cf. Wasse ad Sallust. Jugurth. cap. 79. ita 'Italiam natura vallasse' dicit Mamertin. Genethl. II. § 4. adde ad Eumen. Constantio VI. § 2. *Arntz*.

§ 3 *Cæsari portas*] C. Julio Cæsari. Vid. Velleium lib. II. *Putean*. Cæsarem B. Civ. I. 35. seq. lege. Fatum descriptum II. 22. *Cellar*.

Duce seniore] Pompeio. *Livin*. Lucanus I. 129. 'Nec coiere pares: alter vergentibus annis In senium, longoque togæ tranquillior usu Dedidicit jam pace ducem.' *Jæger*.

Obsessio diuturna] Massilienses 'omnibus defessi malis, &c. gravi etiam pestilentia conflictati ex diutina conclusione, &c. sese dedere sine fraude constituunt,' Cæsar citat, lib. II. *Patarol*.

Repulissent] Acta a Cæsare et Bruto, ejus duce, in oppugnatione Massiliæ vide apud eundem Cæsar. lib. I. et II. Notanda et verba Paterc. II. 50. 'Festinationem itineris ejus (Cæsaris) aliquandiu morata Massilia est,' &c. *Patarol*.

§ 4 *At enim non primo*] Alias, *enim in primo*. Rhenan. Vet. delet *non*. Putean. *Non* abest Langii sched. *num* Vet. Bertin. Corruptum, ac nihili utrumque, et *non*, et *num*. Melior lectio, quæ in Langii sched. Sed observo et alibi substitutum *non* pro *vero*. Est autem, expertus loquor, permagna utriusque vocis vicinitas, maxime si hanc curte, et per compendium scribas. Nam ecce in Constantium Cæsarem, ubi legitur, et recte, 'ultra Oceanum vero quid erat præter Britanniam?' in Vet. est mendose, 'ultra Oceanum non quid erat,' &c. Hæc mihi ratio, cur emendatius rear, *At enimvero primo*, *&c.* Livin. *Non* abest in Lang. Abjicio et ipse. *Ritters.* Legitur alias *num*, ex quo formandum *nunc*, nam respondet illi: 'Itaque illam tum gravi fato Cæsari portas, pro duce seniore, claudentem,' &c. *Gruter.* Alias *in;* utrumque deleo, *in* et *non*. Acidal. Sic Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. In Lang. Put. et Mœrl. et edd. cett. importunum *non* omissum est. *Jæger.* *Non* primus ejecit Gruterus, quem reliqui præter Rivinum sunt secuti. Gruteri *nunc* non displicet propter præcedens *tum*, cui opponatur, nisi quis mallet *jam primo*. Potius tamen vulgatum tueor, quia ipsa illa, quæ memorat, satis præcedenti *tum* opponuntur, et favet etiam Guelferb. *Arntz.*

Ejusdem Massiliæ] Deleam, ut glossema. *Livin.*

Celeberrimæ turres] *Creberrimæ* Bertin. Langii schedæ, Cuspin. Aperte rectum. Supra: 'Qua firmissimus, et turribus frequens murus opponitur.' *Livin.*

§ 6 *Intervalla præviarum*] Quid si *pinnarum* legas? *Rhenan.* Quod sequitur *uncis manibus* petitum est ex Virgilio Georg. II. 365. Rem explicat Brouwer. Annal. Trever. III. p. 206. *Arntz.*

Videretur] Vet. *viderentur*. Putean. *Videretur* male est in ed. Puteolani et Rhenani. 'Ex æquo' interpretatur Livineius supr. VI. § 4. integris copiis, et incerto utrimque prælii eventu. Potius planum notat campum, *mari* oppositum. *Arntz.*

CAP. XX. § 2 *In fraudem*] Maximiani pollicitationibus. Zosimus lib. II. 'At cum is largitionibus, ac supplicationibus suas in partes eos pertraxisset,' &c. *Paterol.*

Sensus tuos] Hausit hæc ex Ciceron. pro Marcell. cap. 3. 'cujus mentem, sensusque, et os cernimus:' ubi et hunc locum contulit Abramus. Sequentia his quoque Ciceronis conveniunt pro Ligar. cap. 12. 'Nihil est enim tam populare, quam bonitas. .... Nil habet nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis servare quam plurimos:' ubi nescio, an meus cod. posterius *tua* recte omittat. *Arntz.*

Illi te] Maximiano Herculio. *Livin.*

Ferro nemo] Militum tuorum vindicare te cupientium. *Paterol.*

§ 3 *Quos receperat*] Lege *deceperat*. Paullo superius: 'Ut inducti in fraudem milites pœnitendi tempus adciperent.' *Acidal.* Collegerat. Non improbo vulgatam lectionem, placet tamen Acidalii conjectura. *Paterol.*

Reservasti] Forte *conservasti*. Livin. Hæc Livineii conjectura non videtur improbabilis, si cogitemus, has voces etiam alibi inter se permutari. Sic in Paneg. Flaviens. nom. dicto XIV. § 4. pro 'conservator' in aliis legitur 'reservator.' Verum et vulgata lectio potest defendi, eo, quod verba composita ex 're' pro simplicibus a sequioris ævi scriptoribus adhibita fuerunt, uti jam monuimus. Et licet fortasse nullum aliud hujus usus in hoc verbo exemplum proferri possit, id tamen necesse non esse, sed sufficere analogiam docet Ernestius, vir summus, ad Sueton. Aug. cap. 78. *Jæger.*

Sibi imputet] Tota hæc comprehensio velut facta ad imitationem illius in Latino Pacato, etsi de re plane dissimili: 'Sibi humilitatem, et tenebras suas imputet jacens virtus, quæ non obtulit se probandam: quod conscientiæ tuæ sufficit, honoratus est, qui probatus.' Acidal. Error Acidalii, cum contra hæc sub Theodosio imitatus sit Pacatus. De verbo 'imputare' cf. Livin. ad Pacat. Paneg. cap. XVII. in fin. *Arntz.*

Ut viveret] Vult itaque violentas sibi manus intulisse Maximianum, quem Constantini jussu strangulatum alii adfirmant. Vide, quos citavi supr. XIV. § 1. et 5. id autem Massiliæ, non, quod alii scribunt, Tarsi factum fuisse hic locus ostendit. Adde Scalig. Anim. ad Euseb. p. 247. not. ad Eutrop. X. 3. Liceat mihi hoc loco uti ad confirmandam in Ovidio conjecturam, loco vexatissimo Trist. I. 3. 101. 'Vivat: et absentem, quoniam sic fata tulerunt, Vivat, et auxilio sublevet usque suo:' varias dederunt conjecturas Burmannus, et patruus in Notis, et Nepos Addend. ad Lotichium p. 665. Antholog. Latin. tom. II. p. 304. et Wackerus Amœn. Litter. p. 13. Burmanno Secundo adsentior legendum esse, *Vivat ut*, sed nondum omnia erunt plana, nisi hoc modo interpungas: 'Vivit, et absentem (quoniam sic fata tulerunt, Vivat ut) auxilio sublevet usque suo.' Cum fata tulerint, ut superstes vivat uxor, me absentem sublevet. Simile constructione Sabinus Epist. III. 31. 'Nec si fata ferant, ... Ut possim.' *Arntz.*

§ 4 *Dii te vindicant*] Maximianus enim strangulatus est jussu Constantini, ut alii tradunt auctores. Vide quæ supr. ad cap. XVIII. *Puteanus.* Gemina, et pæne totidem verbis, hæc Pacati ad Theodosium: 'Sed bene est, quod non omnia potes. Tui te vindicant, et invitum.' *Livin.*

CAP. XXI. § 2 *A limite*] Cf. ad Mamertin. Maxim. VII. § 3. *Ecce*, quod præcessit, non tantum ad adtentionem excitandam adhibet, quod vulgo putant, sed etiam indicandam rei gravitatem, quem usum recte adstruit Abreschius meus Paraphr. ad Epist. ad Hebr. 2. p. 116. neque aliter Mamertin. Maxim. XII. § 6. Genethl. XV. § 2. Nazarius Constant. XII. init. et alibi. *Arntz.*

§ 3 *Recedisse*] Cf. ad Incert. Maxim. XII. 8. *Idem.*

Ornante fortuna] Potest rectum esse; tamen *ordinante*. Acidal. Si *ornante* rectum foret, deberet idem esse, ac præparante, significatione inde sumta, quod *ornari* dicebantur provinciæ, si Romæ omnia ad bellum, et administrationem necessaria præparentur, in quo illud ab *ordinare* distinxit pater meus ad Victor. Inlustr. LV. 1. sed hæc longius videantur ducta, itaque vulgatum tueor, quod cum *ordinare* passim permiscetur. Vid. not. ad Sueton. Cæs. cap. 18. ad Valer. Max. IX. 1. ext. 2. Drakenb. ad Livium XXIV. 48. 7. *Idem.*

Quæ noveras] Lege *voveras*. Ritters. In meis edd. constanter est *voveras*. Cf. ad Mamertin. Genethl. I. § 2. *Arntz.*

Ad templum] Apollinis templum, cujus numen præcipue, antequam Christianus fieret, videtur coluisse: sed qua urbe Galliarum id fanum fuerit, minus certum est. Jacobus De la Banne Augustodunense templum intelligit, pro Restaurand. Schol. cap. IX. laudatum: sed hoc mox Eumenius a pulcherrimo illo distinguit: 'præcipue,' inquit, 'Apollo noster,' id est Æduorum. Deinde nondum Constantinus Augustodunum venerat, ideo cap. XXII. votis precibusque sic invitatur ab rhetore, '' ut patriam meam videas ducente pietate:' de pulcherrimo autem templo illo dicitur, 'ad præsentem ut venisti

Deum.' Urbem ergo in via sitam, qua transiit Constantinus, intelligo, Lugdunum forsan, aut Viennam aut aliam ejusdem tractus. Gruterus p. 36. ex Viennensi lapide :

APOLLINI. AVG.
SACRVM
MATTIA. SOILII. FIL.
SEVERA
EX. VOTO.

Cellar. Templum Apollinis Tolosæ intelligit auctor La Religion des Gaulois, I. 18. Cf. Hultman Miscell. Epigr. p. 447. *Arntz.*

Ut venisti] Apollinem, ut mox; at non illum Augustodunensem, ut videtur hic adnotare P. De la Baune; de ipso enim sermo tantum infra. *Patarol.* Sic edd. omnes; sensu parum commodo. Veram nobis lectionem ostendunt Livin. Bertin. Gud. Mœrl. *vidisti;* quam proinde recipere non dubitavimus. *Jæger.* Confirmat repetitum mox *vidisti*, et deinde § 5. *Arntz.*

§ 4 *Apollinem tuum*] Cur *tuum?* An quod Constantinus Apollinem præcipue coluerit? Magis credam, quod conjectavit Patinus in Numism. Imper. quia ille Imperator lætus erat, et pulcherrimus. Inducunt me, ut plus assentiar, quæ sequuntur in Nostro; *cum tu sis, ut ille, juvenis, &c.* Quidquid sit, nummos sane videmus Constantini, quorum aversa facies Apollinem, seu Solem refert. *Patarol.* Cf. infr. XXII. § 2. Ex hoc loco πολυθρύλλητον illud visum Constantini M. explicat, idque, seu fictum, seu in somnis oblatum, ab Eusebio longo post tempore ad modum Patrum Ecclesiæ expositum, interpolatumque fuisse tradit Wernsdorf. in Mus. Crit. vol. II. fasc. 1. n. 1. *Jæger.* Ob pulcritudinem. Cf. ad Incert. Maxim. III. § 3. *Arntz.*

Comitante Victoria] Encomiastice, ac modo poëtico. Præstat nummum cernere, qui omnes Constantini victorias complectitur, aptissima epigraphe, VBIQVE. VICTOR. *Patarol.*

Laureas offerentem] Imperatoris ac victoriæ proprias, ipsiusque etiam Apollinis: nam ejusdem templis coronas e lauru appendi solitas scribit Natal. Com. Mythol. IV. 10. *Idem.*

Omen annorum] Quod pulcherrimum illud toto orbe templum, quodve tricenum annorum in coronis laureis omen, frustra in Zosimo et historiis vestigo. Nec scire fas est omnia, inquit ille. Tu admone, quisquis es, lector. *Livin.* Frustra vestigo, quodnam hoc *omen annorum* sit, et merum oratoris leporem judico: nisi dicamus, laureas coronas longam ætatem polliceri ex qualitate arboris ipsius, quæ fulmine non percutitur, quare dicta est Græce ἀλεξίκακος, sive *arcens,* sive *repellens mala,* ut notat auctor citat. Aut vero Nostrum adhærere vanæ illi divinatorum veterum opinioni, cujus specimen affert Cicero lib. I. de Divinat. narrans de Cyro, quod ex eo, quia per somnum sibi visus esset ter Solem appetere, Magi dixerunt, ex triplici appetitione Solis XXX. annos Cyrum regnaturum esse portendi. *Patarol.*

Hic est humanarum] Ergo ætas una tricenum annorum. Hanc Græci γενεὰν dixerunt, quam Censorinus cap. 17. ex Heraclito et Zenone definit XXX. annis: quasi 'orbem ætatis, dum natura humana a sementi ad sementim revertitur.' Unde est, quod Herodianus III. 8. ludos sæculares dicit τριῶν γενεῶν διαδραμουσῶν ἐπιτελεῖσθαι· *trium spatio ætatum decursu celebrari.* Cellar.

Utique debent] Lege *utique debentur.* Acidal. Cf. ad Eumen. Constantio X. 2. *Arntz.*

Pyliam senectutem] Cf. Brouckhus. ad Tibull. IV. 1. 50. *Idem.*

§ 5 *Imo quod credo*] *Quid credo* Vet. Bertin. Cuspin. Bene, sed addo insuper et a distinctione lucem, *et immo (quid credo?) vidisti.* Correctio enim quædam est ejus, quod præcessit,

'vidisti enim, credo, Constantine,' &c. *Livin.* Epanorthosis, qua superiora § 4. 'Vidisti enim, credo, Constantine,' revocantur, et corrigŭntur hoc sensu: Quid dico dubitanter, *credo* te vidisse? certum est, et omnino tu vidisti. *Cellar.* Eadem hæc explicatio a librario inserta est Put. Gud. et Mœrl. in quibus legitur, *quid dico credo?* Jæger.

Illius spem] Cf. patrem meum ad Victor. Inlustr. LIV. 1. Gronov. ad Livium XXVIII. 24. *Arntz.*

§ 6 *Juvenis*] Fabulati sunt poëtæ, Apollinem semper juvenem, et sine barba. Unde inter cæteros Callimachus: 'Idem formosus semper, semper juvenisque, nec illi Fœmineæ quantum nigrent lanugine malæ.' *Patarol.* *Juvenis* pertinet ad Apollinem 'inberbem,' de quo Muncker. ad Fulgent. pag. 647. 'Salutifer' indicat Apollinem Σωτῆρα, de quo Spanhem. ad Callim. in Apoll. 40. unde cum Æsculapio junxit Cicero ad Divers. XIV. 7. denique *pulcerrimus* landatam passim Apollinis formam significat, adeo perfectam, ut Bathyllum suum tamquam Apollinem a pictore fieri cupiat Anacreon Od. XXIX. *Arntz.*

§ 7 *Apollo noster*] Augustodunense Apollinis delubrum. Idem Eumenius pro Restaur. Scholis c. 9. 'Mæniana inter Apollinis templum, atque Capitolium.' *Cellar.* Quin immo Chasseneus Catal. Glor. Mundi P. XXII. Consid. 60. Apollinem Augustoduni conditorem fuisse contendit. *Patarol.* Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. IX. § 2. *Arntz.*

Ferventibus aquis] Philostratus similia narrat de Vit. Apoll. I. 4. Sic veteres se lavabant Mercurii aqua extra portam Capenam, ut a perjurio solverentur, teste Ovidio Fast. V. ibi est aqua Mercurii: adde Solinum c. 10. in fine, Macrobium Saturn. V. 19. perjurii vindex Jupiter apud Pausaniam lib. V. *Jurstus.* At hujusmodi naturæ aquas Augustoduni fuisse non reperio, nec apud citatum Chasseneum, qui tamen nihil memoria dignum, ne leve quidem, omisit, quo urbem suam Augustodunum illustraret. *Patarol.* Cf. ad cap. seq. init. *Arntz.*

Oportet odisse] Nescio quid inconcinnum in hac sententia. An mutandum, *quæ te maxime optant adisse?* Non tamen muto. *Acidal.* Ex eo, quia socerum perjurum passus es, juxta supra dicta cap. XV. *Patarol.* Nescio qua de caussa Acidalius de mutando hoc loco cogitaverit. Nihil verius et planius. Perjuria maxime *odisse* oportebat Principem, 'cujus maxime interest, non pejerari,' ut Plinius ait Paneg. LXV. § 2. *Jæger.*

CAP. XXII. § 1 *Hic Deus*] Constantinus, quem Ethnice de more 'Deum' appellat. *Patarol.*

Apollinis luces] Luci fortasse in monte illo, ad Occasum urbis, qui 'calidus' dictus ob continuam Solis reverberationem, qui tota die ibi splendere conspicitur, juxta citatum Chassen. *Idem.*

Sacras sedes] *Sedes* placet, non *ædes.* Supra: 'Immortales Deos in suo quemque templo, ac sede veneramur.' Infra mox: 'Numinis tui sedem.' Pro Restaur. Scholis: 'Quantum me studium par sit impendere non ipsis modo litteris, sed etiam templo, ac sedibus litterarum.' Pacatus in Theodosium: 'Quod facere magnas urbes ingressi solemus, ut primum sacras sedes, et dicata numini summo delubra visamus,' &c. Sed e Bertin. exscriptum *hedes*, quod non capio, fidei tamen causa, et quia insolens, annotandum putavi. *Livin.* Frequenter hæc sunt permutata. Vid. Duker. ad Flor. I. 7. 9. Drakenb. ad Livium V. 42. 1. Van Dorp Observ. pag. 20. apud Martialem XI. 25. ex Thuaneo notatum habeo 'sedes.' Dubia in his lectio ex codd. auctoritate est constituenda, cum passim 'sedes' pro ædibus adhibeantur, ut Melam tuetur Vossius, II. 1. 18. adde Broeck-

bus. ad Tibull. I. 11. 18. substituunt 'sedibus' nonnulli in pr. I. de Milit. Testam. ut Stewech. ad Veget. de R. M. III. 18. et Lindenbrog. ad Ammian. p. 12. adde ibid. Otton. et recte, ut puto, non tamen ut cum Theophilo aliisque pro 'sedetis' capiamus; illa enim possent sub 'aliis locis' comprehendi, quæ cum 'sedibus,' id est, ædibus jungit Imperator, et ceteroquin vix dixeris, quæ sint alia loca a 'sedetis' diversa. Pro parte igitur ab his discedo, quæ olim scripsi in Miscellan. c. 15. p. 169. *Arntz.*

Leni tepore] Chasseneus fontem maxime celebrat, quem 'fontem Olei sancti' vocat, ubi ducum vulnera, cum victores e bello sauciati redibant, hac aqua mundabantur. *Patarol.*

Velle videantur] Nostrum imitatus videtur Pacatus Paneg. XXIX. § 4. 'Hi in oculis ejus, atque etiam in osculis erant:' ubi profitetur Baunius, se nescire, apud quem 'esse in osculis' legatur, hujus certe loci inmemor. Apud Quinctilianum Declam. X. 2. est, 'Ab hujus osculis, ab hujus feminæ cervice pendebat.' In meo cod. est 'oculis,' quod etiam in Vossian. pr. invenit Burmannus; forte scripsit, 'ab hujus oculis et osculis;' qua eadem ratione Senecam emendare ex simili lectionis varietate conatus est Schulting. ad Controv. p. 89. *Arntz.*

§ 2 *Muneris tui sedem*] *Numinis* Vet. Bertin. Cuspin. Præclare, id est, Apollinis, cujus præ Dis ceteris studiosus, ut apparet, Constantinus. Supra: 'Vidisti enim, (credo) Constantine, Apollinem tuum,' &c. Peccatum vero in hac eadem voce et extrema laudatione in Constantium Cæsarem. Templi quoque Apollinis, quod hic commemorat apud Flavienses insigne, meminit et pro Restaur. Scholis, sed hic quidem hoc amplius, quod aquæ inibi ferventes, sine ullo soli ardentis indicio, aliaque, quæ sequuntur, et quibus adeo perjuria punirentur, ut ante dixit. Magna aquarum laus, sed quæ, nescio, an ab aliis historicis celebrata. Itaque fides sit penes auctorem. *Livin.* *Numen* est Apollo, quem Constantinus præcipue coluit. Quod confirmant, Baunio et Patarolo teste, numi aliquot, in quibus sub Apollinis forma exhibetur, addito titulo, SOLI INVICTO. *Jægerus.* *Numinis* quoque Guelferb. ita jam edidit Paull. Stephanus, et sequentes, præter Rivinum, qui *muneris* retinuit; quodque tuetur quoque Rittershus. infr. ad Nostr. Grat. act. IV. quia pecunias fuerat largitus Imperator, in exstruenda lavacra collapsa: sed præstat vulgata. Baunii, quo utitur Jægerus, testimonium vide ad cap. præced. § 4. *Arntz.*

Calentes aquas] De aquis ad illam urbem calentibus nulla mentio: nec tepentes aquas in Gallia fuisse reperio, nisi juxta aquas Tarbellas, in ultimo Aquitaniæ littore, ubi nunc *Acos*, et Sextias in Narbonensi provincia, ubi nunc *Aix*, teste Plinio XXXI. 2. *Patarol.*

§ 3 *Patriam meam*] Augustodunum. *Cellar.* Aquisgranum intelligit Fabricius Biblioth. Latin. tom. II. p. 770. secutus videtur Pighii suspicionem Hercul. Prodic. pag. 50. Bibracte placet Sigonio de Occid. Imp. Opp. tom. II. part. II. p. 72. sed, quæ mox memorat, Augustoduno magis sunt congrua. Confer supra ad init. *Arntzenius.*

§ 4 *Fraterno*] Sic Eumenius pro Restaur. Scholis: 'Civitatem istam olim fraterno populi Rom. nomine gloriatam,' &c. *Putean.* Hæc intelliges ex iis, quæ sunt in Gratiar. Action. Eumenii cap. XI. 'Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Rom. nominis Æduis se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes et barbaras Galliæ gentes plurimis SCtis fratres P. R. appellati sunt, &c. soli et consanguinitatis nomine gloriari,' &c. *Ritters.* Quia Ædui antiquo fœdere Romanorum

fratres haberi voluerunt: neque negarunt Romani. Tacitus XI. 25. adde pro Restaur. Schol. IV. § 1. *Cellar.* Cf. dicta pro Instaur. Schol. IV. § 1. *Arntz.*

§ 5 *Sideribus et cælo*] Notat hic casuum discrimen, ut *sideribus* ad *digna*, *cælo* ad *vicina* referatur, Wopkensius in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 48. *Idem.*

Præsentia tua munera] *Tua* abest in Vet. Bertin. Non video, quem sensum ex his eliciam. Placet *præsentiæ tuæ,* idque aperte sequentia flagitant. *Livin.* Livineii conjecturam primus in textum recepit Cellarius, eumque secuti Patarolus et Jægerus. Omittit quoque *tua* Guelferb. Codicum itaque lectioni magis obtemperare, quam conjecturam recipere malui. 'Præsentia munera' sunt munera eodem hoc tempore data, adeoque etiam cum præsens esset Constantinus. Non alio modo 'beneficia præsentia' apud Nostr. Grat. Action. IV. § 1. *Idem.*

§ 6 *Frequentissime*] Lege *præsentissimum.* Acidal. Nulla emendationis necessitas; *frequentissime* Imperatores Treveros venisse ex historiis, et Legum in Cod. Theodosiano subscriptionibus notum est, præsertim de Constantino. Cf. Cellar. ad Nostr. Grat. Act. II. § 1. *Arntz.*

Numen illustrant] *Illustrat* verum est, non *illustrant*, quod alii præferunt: nam *illustrat* expono adit, invisit. Supra vide Mamertin. Genethl. cap. IV. *Livin.* Volebam mutare *lustrat:* sed illo altero ubique in ea re utuntur. Paneg. Flaviens. 'Urbem illam sola opis tuæ exspectatione viventem illustrare dignatus es.' Panegyr. Maximian. Aug. 'Has provincias tuas frequenter illustres.' Mamertin. Genethl. Max. Aug. 'Tu modo Galliæ oppida illustraveras.' *Acidal.* Acidalii *lustrat* non probo; vide ad Mamertin. Genethl. IV. 2. *Arntz.*

Augentur] Supra § 4. 'auctior tuis facta beneficiis:' ita ex codd. Bodleiano, Oxoniensi, Suecico, S. Galli in Act. Societ. Jenens. et Leidensi membranaceo, cujus ad manum sunt variantes, lego apud Priscianum Perieg. 547. 'Mœnibus antiquis Samothracia cernitur aucta:' non 'alta.' Nostri locum adhibuit Wasseus ad Sallust. Catil. cap. VI. Vocem *munera* inlustravi ad Eumen. pro Instaur. Schol. XVII. § 1. *Arntz.*

Jovi et Junoni] Sumptum hoc de Homero, cujus Iliad. Ξ. hi sunt versus: Τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην, Λωτόν τ' ἑρσήεντα, ἰδὲ κρόκον, ἠδ' ὑάκινθον Πυκνὸν, καὶ μαλακὸν, ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἔεργε. Quos vertebam, *Ollis submisit tellus herbamque recentem, Lotumque, halantemque crocum, mæstumque hyacinthum, Plurimus ut molli surgebat in aëra silva.* Livin.

Consurgunt] Exstruuntur, quo modo 'consurgunt horrea' tueor apud Rutilium Itiner. I. 149. cum Burmanno ad Lucan. VI. 109. quamvis ipse ibid. II. 222. et ad Virgil. Eclog. V. 36. probasset D'Orvillii conjecturam, in Observ. Miscell. tom. III. p. 369. *Arntz.*

§ 7 *Ducente pietate*] Cod. Mœrl. *ducentem,* i. e. quæ te pietate sua invitat et allicit: quod valde arridet. *Jæger.* Præstat vulgata: ipsa Constantii pietas illuc eum erat ductura. *Arntz.*

Felicitas, viderit] Rectum *viderit,* etiam *videris.* Acidal. Felicitas illa, quam sibi viventi vix obventuram auspicatur, est ad præsentiam Constantini in Augustodunensium urbe referenda, et ad instauranda opera publica, quia hæc cum præsentia conjungit. Utriusque voti in vita sua compos fuit, propter ea quæ memorantur Paneg. seq. I. § 1. et 3. si saltem eum Eumenio tribuas. Ceterum de hac Eumenii ætate vide ad seq. Panegyr. init. et cap. IV. § 2. adde Baunium supr. Vit. Eumenii. *Arntz.*

CAP. XXIII. § 1 *Palatii officiis*] Cf. ad init. hujus Paneg. et ad Paneg. pro Instaur. Schol. VI. § 2. *Arntz.*

Tuis auribus] Hoc est, te auditore: et *consecrarem* sic dixit, ut Pacatus in Theodosium: 'Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.' Rursum: 'Ut crebro civilique progressu non publica tantum opera lustraveris, sed privatas quoque ædes divinis vestigiis consecraris.' *Livin.*

Fisci patrocinia] Primarium, ut puto, fisci advocatum. *Livineius.* Male Bannius duo facit munera, quod unum modo est; advocatus a patrono fisci non magis est diversus, quam in foro advocatus a patrono caussæ. Vid. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 1. p. m. 408. sqq. *Jæger.* Adde Brissonii Antiq. III. 21. et ibi Trekell. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. III. p. 500. *Arntz.*

§ 2 *Ambitio*] Petitio, et votum. *Livin.* Ambitus, votum, desiderium; nec diverse capio, quamvis vox durior sit. *Patarol.* Duriorem vocem non agnosco. Optimis enim scriptoribus *ambitio* est studium, quo alicujus favorem nobis adjungere cupiamus. Vid. Schulting. ad Senec. Controv. III. p. 255. Cortium ad Plinii Epist. III. 9. 10. V. 14. 6. hanc *lætam* dicit, quia Constantini favorem non tantum pro suis filiis, sed omnibus, quos formaverat, discipulis quærere conabatur. *Arntz.*

Meos numero] Sic Lucilio, discipulo suo, scribebat Seneca Epist. 34. 'Assero te mihi, meum opus es.' *Patarol.*

Ad tutelam fori] Ad causas agendas, et clientes defendendos. *Idem.*

Ex meri humo ignobiles] Forsan *ex mea humo.* Dura metaphora. *Rhenan.* Fœda labes: sed quam sub manu, et in vestigio, quod aiunt, olim citra libros correxi, *ex me rivi non ignobiles, &c.* 'Rivos' appellat, quos proxime 'sectatores' suos, id est, discipulos, venusta et inprimis elegante metaphora. Atque eam lectionem in Langii schedis, Cuspin. disertim post repperi. In Bertin. est, *ex meo rivo ignob. &c.* non obscuris ejus, quod reposuimus, vestigiis. *Livin.* Ad marginem Rhenanus, *ex mea:* sed et *humo* non convenit, et, quod *ignobiles* dicit, plane contra sententia vult. Legendum forte, *ex mea domo non ignobiles.* Acidal. Locus hic, fœda antea labe corruptus, sanitatem debet ingenio Livineii, qui citra libros medicam ei manum feliciter admovit. In ed. Rhenan. Stephan. et contextu Livin. legitur, *multi quippe ex meri humo ignobiles fluunt.* In not. Schonhov. proxime verum legitur, *ex me vivi non ignobiles.* In cod. Put. ut et Gud. pro *humo* est *vino.* Ex quo Puteanus facile eruit, *ex me rivi nobiles*, vel *ex me rivi non ignobiles.* Hæc vero est ipsissima emendatio Livineii, quam disertim post reperit in Lang. et Cusp. excepto, quod hic pro *fluunt* mendose exhibet *fiunt.* Lectionem sic emendatam amplexi sunt editores Francof. Paris. Patar. Cellar. *Jæger.* Corrupta in ed. Rhenani lectio jam est in antiquissima Puteolani, et in prima servavit Rivinus. Locum primus dedit emendatiorem Gruterus, quem ceteri secuti; adstipulantur autem codd. in quibus est, *ex meri vino ignobiles;* si enim disjungantur male cohærentes syllabæ, facile vulgata exit. Unde autem in sec. ed. hauserit Rivinus *ex me viri non ignobiles*, ignoro; forte ex conjectura, et vestigiis scripturæ in Schonhovii apud Jægerum excerptis, neque hæc lectio adspernenda videtur: propter *sectatores* tamen, et *fluunt* duxerim *rivi* convenientius. Pertinet huc, quod 'irrigare' aliquando de adolescentum institutione occurrat. Vid. Obs. Miscell. Amstel. tom. IX. p. 185. *Arntz.*

§ 3 *Nimium est*] Mœrl. habet, *minimum est;* falso. *Jæger.* Etiam Guelferb. eaque, ni fallor, vera est Eume-

nii manus, quam ideo reddidi, præ vulgato ab omnibus *nimium*, quæ passim permutata inveniuntur. Vid. Drakenb. ad Livium XXXIV. 15. 6. XXXVI. 9. 8. Sententia enim est, si hodie minus in dicendo exspectationi satis fecerim, cedant privatorum studiorum curæ, id est bene dicendi studium, si modo devotæ tibi mentis testimonium referam, quod majus est, cum idem eloquentiæ ferre sit minimum. Pluris certe Eumenio erat, ex devota mente apud Imperatorem probari, quam eloquentem censeri. *Arntz.*

PANEGYRICUS VIII.

Eumenii] Cum Constantinus Aug. Eduorum civitatem inviseret, cui postea Flaviæ nomen inditum, cognita illorum inopia, qua propter asperitatem terræ, et agrorum sterilitatem laborabant, septem millia capitum eis remisit, ac reliqua annorum quinque. Quia vero præsenti gratias non egerant, rhetorem suum ad illum miserunt, Treveris, ut puto, subsistentem. Nam in ea urbe sæpe versatus est Constantinus, et exstant hodieque Palatii veteris ædificia. *Rhenan.* Hic Panegyricus dictus est a rhetore quodam Æduorum, publice ab iis ad Constantinum misso, ut apparet iis verbis quæ statim occurrent: 'Id,' inquit, 'quod fieri decebat gaudiorum patriæ meæ nuncium, sponte suscepi, ut essem jam non privati studii litterarum, sed publicæ gratulationis orator.' *Putean.* Eumenio inscripsi cum aliis de caussis, tum quod prima statim oratione privati sui studii litterarum meminit, quod Augustoduni obivisse, Constantii Cæsaris jussu, ipse testatur pro Restaur. Scholis: aguntur que gratiæ de septem millibus capitum in censu, et reliquis quinque annorum debitis remissis. Monendus es autem mihi, lector, actionem hanc totam a Bartholomæo quodam Chasseuæo recitari, Procemio Commentariorum in Consuetudines Ducatus Burgundiæ, e vetere Ms. ut apparet, Philippi Bruneti, Æduorum Suffraganei, qui, cetera fere codicibus nostris deterior, una et altera tamen complexione est auctior, ut in re præsente ostendemus. Docuit id adeo me nuper admodum P. Andreas Schottus, ne quem sua laude defraudem, vetere mihi amicitia, quæ olim Lovanii e morum atque studiorum similitudine contracta, conjunctissimus, homo et diligentia summa, et incredibili lectione. *Livin.* Eumenius Rhetor, qui supra Panegyricum pro Restaurandis Scholis dixerat, hujus quoque orationis auctor esse fide librorum creditur. Habita Flaviensium nomine in Trevererum urbe, exeunte quinto imperii Constantini anno, cap. XII. Gratias agit, quia Constantinus Flaviensibus quinque annorum reliqua, et plus quam quartam census partem remiserat. *Cellar.* Orationem hanc, et geminas, quæ sequuntur, Eumenii nomine inscriptas, Eumenii non esse contendit acriter Stephanus Pighius in suo Hercule Prodicio. Et quidem si ad aliqualem styli diversitatem inter hasce, et illam pro Scholis attendamus, in viri docti sententiam abire procul dubio quasi necessum erit. Cum tamen libri omnes consentiant, ideo titulum mutare nolui, cum

parum interfit, sintne orationes ipsæ Eumenii ejusdem, an alterius oratoris. Contendit iterum Pighius idem, non unius oratoris, sed triplicis esse orationem hanc cum sequentibus, in quam quidem non ineptam opinionem ire pene non dubitarim, cum, tum in stylo, tum in charactere varietas aliqua satis pateat, proximam præsertim ab hac legentibus. Hæc cum tertia mihi plus videtur convenire. *Patarol.* Per 'proximam' intelligit Patarolus Eumenii orationem, quæ modo præcessit, per 'tertiam' ejusdem Constantio dictam, hasque per 'geminas' sequentes in principio significat. Verus orationis hujus auctor non omnibus æque est certus, unde sine nomine ediderunt Rhenanus, uterque Stephani, et Rivinus; etiam in Panegyricorum serie, quam ex cod. Puteaneo enotatam habeo, hæc leguntur, *Incerti ad Constantinum Flaviensium nomine;* de aliis codd. alii nihil monent, forte quia defuit titulus, ut deest in Guelferb. inde igitur hanc in rem nihil est præsidii. Ex quo autem eam Eumenio tribuerit Balduinus supra pro Instaur. Schol. init. nomenque illud præscripserit Livineius, reliqui sunt id exemplum secuti editores; neque aliter Gothofredus Chronolog. Cod. Theodos. init. et Comment. ad eumdem Cod. tom. II. pag. 311. tom. IV. p. 56. tom. V. pag. 5. Baunius supra Vit. Eumenii; pluresque, a quibus nihil dissentio. Movent me verba cap. I. § 2. 'Decebat gaudiorum patriæ meæ nuncium;' in verbis 'patriæ meæ,' ni fallor, Eumenium jure agnosco, ob ea quæ notavi ad Paneg. pro Instaur. Schol. III. § 4. Hanc autem patriam esse idem illud Augustodunum, de quo toties in præcedentibus Eumenius, inde colligo, quia Paneg. præced. c. XXII. Constantinum rogaverat, ut patriam suam, quæ certe illic est Augustodunum, Treverorum instar, restitueret; jam hac in oratione id factum dicit, cap. I. § 1. 'In ea potissimum civitate, (Treveris,) cujus eam (patriam meam, vid. § 2.) similem facere cœpisti.' In quibus 'cœpisti' notandum; ut adpareat inchoata nunc demum instauratio, post illam nempe rogationem, præcedenti oratione, brevi ante hanc factam. Porro huic patriæ proximos dicit Tricassinos, infra VI. § 1. patria itaque fuit Æduorum civitas, et Augustodunum, quibus finitimi erant Tricassini, unde Aurelio Demetrio, adjutori civitatis Tricassinorum et Æduorum, lapis legitur positus apud Gruterum Inscript. p. CCCLXXI. n. 8. Putabimusne autem, Æduos alium rhetorem, gaudii sui interpretandi nuncium, ut narrat cap. I. § 1. Treveros ad Constantinum missuros fuisse, quam Eumenium, publice Augustoduni artem oratoriam professum, quique, præcedenti anno, alioque tempore Constantini in Æduos liberalitatem, ejusque laudes bellicas tam eximie prædicasset, cujusque eloquentiæ beneficia, quæ hac oratione extolluntur, præsertim accepta referre debebant, ut recte Baunius in Vit. Eumen. Denique sese sub Claudio Imperatore puerum fuisse dicit cap. IV. § 2. qui cum ad imperium pervenerit a. CCLXIX. sequitur a. CCCX. quo præcedens habita est oratio, in eum cadere potuisse, quæ ibi cap. I. § I. et cap. XX. in fin. de sua ætate, et cap. XXIII. de liberis memorat. Atque si hæc conjungamus, tum demum pro Eumenio, hujus orationis auctore, argumentum peti poterit, quod fecerunt Livineius et Cellarius, ex verbis cap. I. § 2. 'Ut essem jam non privati studii litterarum, sed publicæ gratulationis orator:' ceteroquin enim hæc, in se spectata, cuicumque facile rhetori, publice dicturo, tribui possent. Removenda tamen supersunt quædam dubia, mota præsertim a Pighio Hercul. Pro-

dic. p. 51. sqq. sed ideo mota, ne, si hæc Eumenio tribuatur oratio, corruant, quæ pro Scholis Cliviensibus; et Eumenio illic docente disseruerit, quæque cum Æduis, quorum, tamquam civium suorum, in hac oratione frequens mentio, haud facile componantur. Non iis inmorabor, quibus negat Eumenii patriam fuisse Augustodunum, id enim modo ostendi, et passim dictum est ad Paneg. pro Instaur. Scholis; hoc præsertim adtingam, quod admodum speciose obmovet, pag. 56. mirum esse, si hanc orationem habuerit Eumenius, nihil eum de Constantii in se beneficiis, aucto salario, et scholis Mænianis prædicasse. Sed quid, si hæc omiserit? quia antea singulari oratione satis, et copiose de illis dixerat; et cur, quæso, molesta illius liberalitatis repetitione Constantini aures obtunderet? quem longiori sermone nefas esset fatigare, iis præsertim enarrandis, quæ gratiis, publico jam nomine agendis, parum aut nihil inserviebant. At dices, cap. IV. § 4. Constantii in Æduorum civitatem memorat beneficentiam, et sumtus ab eo in opera publica factos; altum vero de exstructis Mænianis silentium est, quod prætermissurus non videatur Eumenius. Audio; sed illic non de una urbe, sive Augustoduno, sed de Æduorum civitate loquitur, id est, de tota regione, eo sensu, quo vocem passim adhibet Cæsar; quod uni Augustoduno datum fuerat, id alia occasione prædicaverat jam omissurus. Habitus autem est Panegyricus a. CCCXI. adeoque proxime post præcedentem. Hunc verisimiliter annum eruunt ex cap. XIII. § 1. 'O lustrum, quod merito hanc imperii tui æquavit ætatem!' et § 2. 'Quinquennalia tua nobis, etiam perfecta, celebranda sunt.' Etenim 'Quinquennalia perfecta,' et 'lustrum æquans imperii annos' indicant lapsos quinque annos; quamvis enim quinto imperii anno haberentur Quinquennalia, 'perfecta' tamen eorumdem finem significant, quintumque evolutum, ut recte Pagius Dissert. Hypat. p. 126. et 142. Cf. ad Mamertin. Genethl. I. § 3. in hoc habiti Panegyrici anno consentiunt Baune supra Vit. Eumenii p. 170. Fabricius Biblioth. Lat. tom. II. p. 771. Walchius Parerg. Academ. p. 891. cum autem VIII. Kal. August. anno CCCVI. factus sit Constantinus Imperator, (cf. supra ad Incertum Maximian. I. § 1.) sequitur VIII. Kal. August. anno CCCXI. imperii Quinquennalia fuisse finita; hanc itaque Gratiarum Actionem post illum diem fuisse habitam puto, et forte brevi post; quietus saltem adhuc in Gallia Treveris versabatur Constantinus, quem demum sequenti anno in Italiam progredi cogebat Maxentius. Cum vero Incertus ad Constantin. XXI. § 5. expeditionem contra Maxentium 'annuam' fuisse dicat, et Maxentius VI. Kal. Novembr. CCCXII. fuerit occisus, inde tamen parum recte colligeres, hujus Panegyrici tempus esse collocandum inter VIII. Kal. Augusti, et inchoatum Octobrem anni CCCXI. aliud enim illic 'annuus' notare videtur. Gothofredus tamen ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 56. ad annum CCCXII. rejicit, aut circa eumdem, ibid. tom. II. p. 311. quæ videtur orta suspicio, quod bellum cum Maxentio quidam ad sextum imperii annum, alii ad septimum referant, ut docet idem Gothofredus Chronolog. Cod. Theodos. init. quod tamen discrimen facile componatur, si alterum de inchoato, de peracto alterum capias; ipsam vero Gothofredi sententiam adcurate refutavit Pagius Dissert. Hypat. p. 143. cujus in Agrippinensi ponte errorem notavi ad præced. Panegyr. XIII. § 1. Treveris præterea hæc dixit orator. Vid. ad cap. I. § 1. et ita Pighius Hercul. Prodic. p. 51. Baunius supra Vit. Eumenii. Scri-

bit Pagius d. l. Gothofredum ad L. 1. C. Theod. Sine cens. vel reliq. maluisse Agrippinæ orationem fuisse dictam; sed nihil simile in Gothofredi verbis deprehendo, tantum de illa lege Agrippinæ data loquentis. Ipse titulus non eodem ab omnibus modo fuit editus, et, cum in codd. non legatur, ex arbitrio præfixus. Inde a Livineio dederunt plerique, *Gratiarum Actio Constantino A. Flaviensium nomine;* sed Rhenano, utrique Stephano, et Rivino placuit, *Panegyricus Flaviensium nomine, Constantino A. dictus.* Potius tamen *Gratiarum Actio* dicatur, cujus a Panegyrico discrimen dedit Marcilius ad Sueton. Vespas. cap. 2. et Walchius Parerg. Academ. p. 858. Denique ordinem non omnes eundem servant. Quintus est in Guelferb. non compntato Plinio; sextus in indice Ms. Puteanei, ed. Rhenani, utriusque Stephani; septimus in ed. Livineii, reliquisque. Ceterum hanc orationem codice, ut videtur, Philippi Brunet, Suffraganei Æduensis, descriptam Bartholomæus a Chassenæo inseruit suo Gloriæ Catalogo, et in Commentar. ad Consuet. Burgund. Prooem. p. 30. *Arntz.*

Cap. i. § 1 *Flavia Æduorum*] Hæc *Flavia* est Augustodunum, primaria Æduorum civitas, quæ Flaviæ nomen vel accepit vel adsumsit in memoriam acceptorum a Constantino beneficiorum. Id enim hujus Principis gentile nomen fuit, et omnium qui ex familia ejus post ipsum imperarunt; tractum a progenitore Crispo, Claudii Gothici fratre, de quo Trebellius Pollio cap. 3. 'Gentes Flavias, quæ Vespasiani et Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, propagavit.' Unde est, quod in nummis Constantini patris legitur: FL. VAL. CONSTANTINVS. NOB. C. et alio posteriore: IMP. C. FL. VAL. CONSTANTIVS. P. F. AVG. et in nummis filii: IMP. C. FL. VAL. CONSTANTINVS P. F. AVG. CELLARIVS. Credidere quidam, Flaviam hanc eam esse, quæ nunc *Flavigni* in ducatu Burgundiæ; sed ex hoc Panegyrico liquet, Flaviæ nomen assumpsisse urbem ipsam Augustodunum, quæ nunc *Autun*, in eodem ducatu, ubi olim Ædui populi. Idem credidit et Cellarius, cui libenter assentior. *Paterol.* Crediderunt quoque Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. iv. p. 55. Balduinus de Leg. Constantin. ii. p. 232. Walchius Parerg. Academ. p. 891. adde Cellar. Geogr. Antiq. ii. 2. Baunio adsentiri nequeo, nomen illud ex oratoris esse ingenio; quæ enim cap. ult. memorat Eumenius, indicant vere id nomen fuisse inpositum, forte brevi antea, cum Augustoduni esset Constantinus, a quo Treveros perrexit, ut patet ex cap. i. et ii. si enim jam antea illud habuisset, ut mox tradit Livineius, haud dubie Panegyrico proximo, id est anno præcedente, id memorasset, cap. xxii. ubi oportuna illius nominis fuisset prædicatio; adde Balduin. ad Eumen. pro Instaur. Schol. xiv. § 1. Utrum hæc Flavia sit eadem quæ Bibracte, vid. ad cap. ult. in fin. *Arntz.*

Æterno nomine] Quæ olim Augustodunum, a D. Constantio transnominata, qui per Claudiam matrem, Crispi filiam, (is Divo Claudio Imp. frater,) in gente Flavia. *Livin.* Imperatoris nomine, quia Imperatores illo tempore 'æternos,' 'perpetuos,' id est, æternitate dignos laudaverunt, Gruterus p. CCXLIX. Inscript. 4.

AETERNO. IMPERATORI
NOSTRO. MAXIMO. O-
PTIMOQVE. PRINCIPI
AVRELIO. VALERIO
DIOCLETIANO. PIO. FE-
LICI. INVICTO. AVGVSTO.

Cellar. Quo sibi nomine immortalitatem pollicetur. *Nomine* Flaviæ, a Flavio scilicet Constantino. *Paterol.* Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. xviii. § 5. Constantio xx. § 1. *Arntz.*

Commovere] Paria fere sunt, quæ

notavi ad Eumen. pro Instaur. Schol. xv. § 1. *Idem.*

Civitate] Rhenanus putat Treveros intelligi, in qua urbe sæpe versatus est Constantinus. Infra initio cap. II. ' Nunc itaque cum in hac urbe, quæ adhuc assiduitate præsentiæ tuæ præ cæteris fruitur.' *Putean.* Cf. ad princip. *Arntz.*

Cœpisti] *Cœpistis* Rhenan. male. Scilicet præsentia tua, et immoratione. Videturque Constantinus, bellis aut negotiis ita poscentibus, Flavia Treveros digressus, clarum alioqni domicilium Principum, ut Ammianus appellat IV. *Livin.* Lege *cœpisti.* Acidal. *Cœpistis* etiam Henr. Stephanus et Rivinus; alterum postulat præcedens *Imperator*, et tuentur codd. et Schonhovii excerpta. *Similem facere* non refero cum Livineio tantum ad præsentiam, sed ad opera quoque publica instaurata, ut perspicue ex præced. Paneg. cap. XXII. adparet. *Arntz.*

§ 2 *Sed id non potest*] *Sed quoniam id non* Vet. *Putean.* *Quoniam id non* Vet. Bertin. Langii schedæ. Rescribam, *Sed quoniam id non potest (et gestit animo) quod natura non patitur, &c.* Livin. Vox *potest*, ob multas literas, quas communes habuit cum *etsi*, illud ipsum *etsi* absorbuit. Legendum enim videtur, *Sed quoniam non potest, etsi animo gestit, quæ natura non patitur*, commate admodum eleganti. *Gruter.* *Sed quoniam non potest (gestit animo) quæ*] Plane ineptum, quod in parenthesi, ita quidem si retineatur. Interpolatum enim ego credam, et glossulam abjiciam verba *non potest*, sic restitutis ceteris, *sed quoniam, quæ gestit animo, natura non patitur.* Acidal. *Id* ante *non* Livineius ex suo cod. Bertin. Lang. et *quod* pro *quæ* ex suo desumsit. Lectionem, quam nos exhibemus, inde a Francof. tenent edd. omnes. Vitiosam esse facile patet; sed qua ratione sit emendanda, satis certo definiri non potest. Præ reliquis tamen probabilis videtur conjectura Gruteri. *Jæger.* Concinniorem verborum structuram affero: *Sed quoniam id non potest, (præstat animo, quod natura non patitur,) clamoresque suos, &c.* Schenk. Præfat. tom. I. ed. Jægerianæ. Eruditorum conjecturis occasionem dedit loci rite interpungendi difficultas, in quo variant edd. Rhenanus, Henr. Stephanus, Gruterus, Rivinus, et Pataroluс dederunt, *Sed quoniam non potest (gestit animo) quæ;* posteriores, *quod, natura non patitur, clamoresque suos . . . longinquitas sua: id quod fieri decebat, gaudiorum patriæ meæ nuncium sponte suscepi.* At vero Livineius et Paull. Stephanus: *Sed quoniam non potest, gestit animo, quæ natura non patitur, clamoresque suos . . . longinquitas sua, (id quod fieri decebat) gaudiorum, &c.* ita etiam Bannius et Cellarius, sed omissa parenthesi. Denique Jægerus: *Sed quoniam id non potest, (gestit animo) . . . longinquitas sua: (id, quod fieri decebat,) gaudiorum, &c.* Nulla emendatione, nec parenthesi locus indiget, si modo interpungatur ut oporteat. Lego: *Sed cum* (hoc dedi ex Guelferb.) *id non potest, gestit animo. Quod natura non patitur, clamoresque . . . longinquitas sua, id, quod fieri decebat gaudiorum patriæ meæ nuncium, sponte suscepi, &c.* atque hoc eo fidentius restitui, quia in interpunctionibus vix ex codd. peti potest præsidium. Sententia, ni fallor, est perspicua: Cum ipsa huc venire nequeat Flavia, grata mente absens lætatur; quia autem non patitur natura, ut huc veniat, et quia non sinit longinquitas, ut in tuas aures perveniant clamores, quibus te extollit, id, quia hæc gaudia tibi nunciare oportebat, suscepi, ut ipse hac gratiarum actione exponerem. *Arntz.*

Interjecta longinquitas] Vox *interjecta* non comparet in Mœrl. Et sane abesse potest; verum, cum omnes libri reliqui eam tueantur, loco non est

movenda. *Jæger.* Abest quoque in Guelferb. Utriusque cod. fide delevi. *Arntz.*

Privati studii] Hinc admodum fit probabile, Eumenium hujus Panegyrici auctorem esse. Is enim ex aulæ luce in umbram scholasticam, magno stipendio, a Constantio, Constantini patre, revocatus fuerat. Vide Orat. pro Restaur. Scholis. *Cellar.* Non video ex his pro Eumenio peti posse argumentum, si in se verba spectentur. Cf. ad princip. *Arntz.*

§ 3 *Nolui enim*] *Volui enim* Cuspin. falso. *Livin.* Imo *nolui tamen* legendum erat, si libris visum fuisset. *Gruter.* Posset *enim* fortasse h. l. idem valere, ac 'autem;' siquidem satis certum est, ut apud Græcos γὰρ, et δὲ, sic apud Latinos 'enim,' et 'autem' inter se non numquam permutari. Sed majus quid restat. Pro *nolui* Cuspin. habet *volui;* falso, ut judicat Livineius. Verum consideranti mihi universam h. l. orationis seriem, non omnino quidem aptam illam, et concinnam, et, præter initium seq. sect. 'Nec mihi verba,' &c. præcipue infra, quæ his nostris respondent, 'sed habui rationem,' &c. conferenti, eo prope modum inclinat animus, ut arbitrer, Cuspiniani lectionem anteponendam esse vulgatæ. Interim tamen, quoniam reliqua exemplaria, quorum inspiciendorum mihi copia fuit, omnia τὸ *nolui* tuentur, idque sensum non manifesto absurdum parit, rem integram relinquo arbitrio doctiorum, contentus, quid mihi visum sit, indicasse. *Jægerus.* *Enim* recte; ut rationem significet, quare id Augustoduni non fecerit, præsente illic Constantino, atque inde etiam *nolui* probo: cohæret ita periodus; nolui gratias agere, non quod verba mihi defuissent, si hoc voluissem, sed quia ratio loci ac temporis erat habenda. *Arntz.*

Palatii tui] Flaviensis, ut existimo. Infra: 'Exornavimus vias, quibus in Palatium pervenitur, paupere quidem supellectile,' &c. *Livin.* Flaviensi in urbe, seu Augustoduni, fuit hoc Palatium, quo Princeps excipiebatur, si quando in urbem hanc devertisset. *Cellar.* Fuit itaque brevi ante Augustoduni Constantinus, votique compos factus Eumenius, quod significarat præced. Paneg. XXII. in fin. *Arntz.*

Stratum] Mærl. et Gud. *stantem;* falso: nam 'stare,' et 'dextera sublevari' inter se non congruunt. *Jægerus.*

Ordinem] Aut vox hæc abundat, et *stratum* de Eumenio intelligendum; aut 'ordinis' nomine credendum innui magistratum quempiam, aut legatos, aut aliquem alium civium ordinem, ante pedes Constantini stratum urbis suæ nomine, quod magis puto. *Patarol.* Amplissimus ordo omnino est intelligendus: sed propterea non est opus inserere vocem 'amplissimus,' cum etiam sine illa κατ' ἐξοχὴν 'ordo' significet senatum, et decuriones municipiorum. Sic Sueton. Cæs. cap. 14. 'Obtinuisset adeo, transductis ad se jam pluribus, et in his Ciceronis consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio.' Et Vitell. c. 2. 'Quintus caruit ordine, cum, auctore Tiberio, secerni minus idoneos senatores, removerique placuisset.' Tacitus Annal. XI. 25. 3. 'Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam, quam ex severitate prisca rationem adhibuit, monendo, secum quisque de se consultaret, peteretque jus exeundi ordinis.' Hæc de senatu Romano. De municipii decurionibus idem Tacit. Hist. II. 52. 4. 'Onerabat paventium curas ordo Mutinensis, arma et pecuniam offerendo, appellabatque Patres Conscriptos, intempestivo honore.' *Jæger.* Adde Reinesium Inscript. Cl. I. n. 99. Canaegieter. Observ. Jur. I. 11. *Arntz.*

Indulgentiæ tuæ] Medio ævo 'indulgentia' vocabatur, quando tributa, et vectigalia Imperatores laxabant et remittebant. Sub finem: 'Unus hic annus prope sensum non habet difficultatis, duorum temporum indulgentiis coarctatus.' Deinde: 'Quid ergo nos convenit gratulari de hoc indulgentiæ tuæ lustro?' Natum illud vocabulum Ammiani temporibus, cujus locus exstat lib. XVI. 'Denique id eum adusque imperii finem et vitæ scimus utiliter observasse, ne per indulgentias, quas appellant, tributariæ rei concederet reliqua.' Ecce, ait, 'quas appellant,' quod certissimum novitatis indicium, falliturque Bellarminus, vir eruditus, in lib. de Indulgentiis, qui antiquam vocem putat, nec Ammiani mentem capit. Ergo 'indulgentia' est, quæ antea 'sacra largitio' dicebatur, et hoc vult istud in Glossario, θεία δωρεὰ, *Indulgentia*. Eumenius pro Schol. Instaur. 'Quemadmodum id sine sumptu publico, et cum laude sacræ largitionis fieri possit, ostendam.' Crebrum apud eundem, quem citavi, Ammianum, et posteriores alios Historiæ Augustæ Scriptores. Qui autem munificentiam hanc Imperatoris exequebantur, 'comites sacrarum largitionum,' et 'sacri largitores' nuncupabantur, ut ex Paullo declaravi Animadvers. Miscell. II. 5. Porro ad 'indulgentiam' pertinent Cassiodori Var. Epist. III. 32. et 40. item IX. 10. Præterea etiam significat liberalem criminum remissionem, quam Imperatores concedebant, ut docet Bellarminus loco citato. *Meursius* Auctar. Philol. c. 33. Infra VIII. § 3. 'Quasi jam indulgentiam, quam daturus eras, haberemus:' ubi Schenk. c. XI. § 2. 'Indulgentiæ tuæ ample fluenti modum fecimus:' cap. XII. init. 'Nescit taxare indulgentiam tuam.' Adde Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 201. et 205. Lindenbrog. ad Ammian. XVI. 5. in quo loco, quem adhibuit Meursius, olim legebatur, 'concederet aliqua;' posterius in 'alicui' mutare tentavit Ernstius Var. Obs. I. 5. sed lectio 'reliqua' ex quibusdam hujus orationis locis confirmari potest. Talem vero indulgentiam concedebant vel ad gratiam civium provocandam, vel provincias calamitate adtritas sublevandas. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 202. Demster. ad Rosin. Antiq. VII. 36. *Arntz.*

§ 4 *Præparare ad beneficia*] Excusat, quod non prius gratias egerint Flavienses, nec præsenti in urbe sua Constantino: quia insperata fuissent ejus beneficia, post quæ discesserit statim in Treveros. *Cellar.* Rhenan. Stephan. Livin. τὸ *se* post *præparare* non exhibent; sed cum illud in Vet. Livin. Bertin. Cuspin. Put. et Mœrl. editisque ceteris legatur, non opus habemus emendatione Acidalii, legere nos jubentis *præparari* et *cohiberi*. Speciosior est conjectura Baunii, pro *cohiberet* substituentis *cohibere*, quod tamen non omnino necessarium. *Jæger.*

Cohiberet] Judicium sequor Jægeri, observatione proxima. *Arntz.*

§ 5 *In populo*] Lege *in populos*. Phraseos 'ire in populum, secula, literas,' notavimus exempla ad Plinii Panegyr. *Acidal.* Rhenan. Stephan. Livin. Cuspin. *iret in populo sed;* ex quo Livin. et Acidal. rectissime effinxerunt lectionem nostram, quam edd. reliquæ omnes præferunt. 'Ire in populos' sic dictum est, ut in Paneg. Plinii LV. § 1. 'ibit in sæcula,' ad quem locum vid. Schwarz. *Jæger.* *Populos* probavit etiam pater meus ad Plinii Pan. LV. § 1. et recepit Gruterus, etiam Rivinus in sec. Codices tamen, et Guelferb. constanter *populo*. Cum vero 'ire in populos' designet in omnium populorum notitiam pervenire, ut recte Drakenb. ad Silium VI. 711. et de Flaviensibus, Æduorumque gente magis loquatur

Eumenius, suspicatus aliquando sum, sitne legendum *in populum*, ut illud *populo* in codd. venerit ex scribendi more, de quo dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. VIII. § 1. nihil tamen definio. *Arntz.*

Sed te] *Sed te* editum est ante Gruterum, qui primus Livineii conjecturam recepit, eumque secuti sunt reliqui. Codicibus obsecutus *si* restitui; qui enim id, quod putat Jægerus, ob orationis seriem sit rejiciendum, non video, cum apte omnia cohæreant. Si enim tunc Constantinum morata esset oratio, hoc in caussa fuisset, quo minus jam dixisset, et Imperatoris beneficia in populos ivissent. *Idem.*

Uno die] Forte, *illo die*. Livin. Sane voces *uno*, *ullo*, *illo* sunt ex iis quæ a librariis inter se permutantur crebro, uti docet Brouckhus. ad Propert. III. 7. 8. Verum hæc emendatio, etsi non plane spernenda, non tamen idcirco admittenda videtur; cum nec necessaria sit, nec ullo libro scripto, vel edito fulciatur. *Jæger.*

CAP. II. § 1 *Hac urbe*] Treveros significat, ut puto. *Rhenan.* Treverorum urbe, quæ primis annis adsiduitatem præsentiæ Constantini habuit. *Cellar.* 'Adsiduitatem' præsentiam continuam indicare notat Daviesius ad Minuc. Fel. p. 44. *Arntz.*

Flaviam nostram] Augustodunum Æduorum. *Cellar.*

Amicorum tuorum] Aulicorum procerum, et consiliariorum. Hi enim amici principum et regum passim dicti. *Cellar.* Ita occurrit infr. X. § 3. 'consilium amici alicujus,' ut locum emendavi. Cf. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. p. 100. unde cum comitibus sæpe jungi docet idem tom. III. p. 7. hinc explicandum puto locum in Joannis Euang. XIX. 12. *οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος. Arntz.*

Te cognoscente] *Agnoscente* habet Gud. et Mœrl. Hanc lectionem vulgata meliorem et aptiorem, quo minus in textum reciperem, nihil visum est obstare. *Jæger.* Confirmatur hoc judicium ex proximis, 'libenter agnoscas:' quamvis enim 'cognoscere' pro agnoscere inveniatur, et hinc utrumque verbum permutetur, de quo ad Sedul. V. 8. et Arator. I. 934. tamen alterum h. l. ex eleganti repetitione melius. *Arntz.*

§ 2 *Fortunæ felicitatis*] Elegans Jægeri, et ad hunc locum maxime adcommodata conjectura *facilitatis* in mentem quoque venerat Marcklando ad Statii Silv. p. 60. Imperatoris illa 'facilitas' fuit, quam describit cap. IX. Contra codices tamen vulgata, quæ neque mala, non est mutanda, quamvis in iis facile potuerit error committi propter consuetam permutationem, de qua not. ad Plinii Paneg. LXVI. § 3. Drakenb. ad Livium XXIII. 11. 2. Duker. ad eund. XXXI. 26. 7. *Idem.*

Coram non indigentes] *Coram* in omnibus nostris, qua scriptum, qua vulgatum, sed eruebam e compendiis litterarum *gratia*; nam *gra* in vetere scriptura *gratia* valet. Idque ad *juvare* adjungam, non ad *indigentes*. Livin. Duo illa vocabula *coram non* reformanda sunt in unicam aliquam dictionem, quæ notet, aut 'auxilium,' aut 'suppetias,' aut simile quid: nisi potius fuit, *homines sub Rom. imperio degentes*; quod magis suspicer, ut nimirum scripturæ compendia loco nocuerint. Haud tamen præstem, iisdem verbis expressum auctori. *Gruter.* Livineii explicatio mihi quidem parum se probat. Etiamsi largiamur, dici posse 'juvare aliquem gratia,' ea tamen verborum transjectio, quæ h. l. esset admittenda, non posset non adferre ambiguitatem, vix ac ne vix quidem excusabilem. Minus adhuc licet adjungere *gratia* ad *non indigentes*. Quis enim adeo sit ineptus, ut Principi, quem laudare instituit, dicat, esse homines, qui gratia ejus

facile carere possint? Gruteri emendatio *hom. sub imp. Rom. deg.* nimis longe a vestigiis scripturæ recedit; et dictio illa, conflata ex *coram non*, quæ 'auxilium' notet, non facile poterit excogitari. Melior his est ratio, qua Rittershusius huic loco studuit mederi: cui tamen præstare mihi videtur conjectura Acidalii, facilitate sua commendabilis, quam firmant Put. Gud. et Mœrl. in quibus diserte pro *coram* exhibetur *etiam*. *Non indigentes* sunt, qui nulla calamitate sunt adflicti, vel qui, sorte sua contenti, nihil magnopere desiderant. ('nam æque egens est is qui non satis habet, et is cui nihil satis potest esse,' Auctor ad Herenn. IV. 17.) Eos *juvare* est commodis eorum consulere. Lectionem igitur hanc, cum certiorem veritatis fontem in tanta caligine invenire non potuerim, in contextum recepi. *Jægerus.* De emendationis hujus, a codd. confirmatæ, veritate non amplius dubitandum, ideoque Jægerum de persanato contra tot eruditorum conjecturas loco gratulor. Rittershusii notam, in Parisiensi ed. neglectam, ex ipsius in Panegyricos Conjecturis, post Goldasti Paræneticos, huc revocavi. *Arntz.*

Graviter adfectis] *Affectis* haud immutem. Ita enim Seneca de Benef. IV. 37. 'Affectum semianimemque recreavit:' et Velleius Paterculus lib. II. 'Hinc remiges firmissimi, illinc inopia affectissimi.' Infra tamen est 'afflictis:' 'Dixi, quam bene meritis Æduis subveneris, Imperator; sequitur, ut dicam, quam graviter afflictis.' *Livin.* Forte etiam potius auctor hic scripserit *afflictis*, quia id verbi in eadem re infra: 'Dixi, quam bene meritis Æduis subveneris, Imp. sequitur, ut dicam, quam graviter afflictis.' Utroque loco idem verbi usurpasse plane credo. *Acidal.* Codd. vulgatum servant, quod etiam rectum est. Cf. Cellar. ad Mamertin. Maximian. XI. § 4. Buneman. ad Lactant. Instit. IV. 18. 11. not. ad Plinii Paneg. XXXV. § 2. Jæger. ad Nazarii Paneg. XVII. § 1. *Arntz.*

§ 3 *Tuam majore*] *Tuam* abest Bertin. Chassen. *tam* Rhenanus. Placet deleri *tuam*. Altera quidem illa in Rhenan. lectio manca et curta est, *tam majore voto, quam ingenio impari*, aut quid simile, ut Virgilius dixit: 'Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.' Et, deliciæ meæ, Propertius: 'Tam majora senis Tithoni gaudia vivi, Quam gravis amisso Memnone luctus erat:' vulgo editur, 'Cum majora,' neque rectius 'Cui majora' est in Vaticano, et Posthii Ms. quæ tractavimus. *Livin.* *Tam majore;* aut supererit particula *tam*, nisi tamen pro ea rescribi placeat *etiamsi:* aut deerit vox quædam alia. Forte *tam majore voto, quam ingenio majore*. Etsi quidem eo modo rectius scribatur, *tanto majore voto, quanto ingenio minore*. Acidalius. Ms. Gud. itemque Cuspin. Livin. *tuam majore voto, &c.* in Bert. et Chass. abest τὸ *tuam*, teste Livineio, ceteri omnes *tam*. Quid? si legas, *tam majorem*, seu *majorum voto, &c.* Beneficia majora, et ampliora nostris votis, quorum laudes, culpa ingenii, non satis potero prædicare. 'Majorem magnitudinem' dixit Plinius H. N. VIII. 25. 37. de Crocodilo: 'Nec aliud animal ex minore origine in majorem crescit magnitudinem.' *Jæger.* Substituo, *tamen*, m. v. Schenkius, Præfat. tom. I. ed. Jægerianæ. *Majorem* quoque conjiciebat meus Eldikius. Eadem, quæ Schenkio, mihi quoque incidit conjectura, neque de illius veritate dubitaverim. Quidquid ad defendendam vulgatam conferatur, contortum est. Facile ita aberraverit librarius ex frequenti permutatione, ut factum supr. apud Mamertin. Geneth. XVIII. § 4. Nazarium Paneg. XIII. § 2. *Arntz.*

§ 4 *Barbaras*] Explicuit hoc Barthius Advers. x. 17. *Idem.*

Fratres] Pro Restaur. Scholis: 'Civitatem istam, olim et fraterno populi R. nomine gloriatam,' &c. *Livin.* Sæpe dictum: propter fœdus scilicet antiquissimum cum Romanis. Adi Plutarchum in Cæsare p. 720. et Tacitum xi. 25. *Cellar.* Vide notata ad Paneg. pro Instaur. Schol. c. iv. *Patarol.* Cf. supr. ad Eumen. pro Instaur. Schol. iv. § 1. Casaubon. ad Strabon. Geogr. iv. p. 293. Lindenbrog. ad Ammian. Marcell. xxviii. 5. *Arntz.*

§ 5 *Media prætaream*] Intelligo *media*, quæ intercessere inter tempus illud, quo populi Romani fratres dicti sunt, et Claudii Imperatoris ætatem: nec aliter ego explicem illa Statii Sylv. iii. 2. 'Inque vicem medios narrabimus annos;' hoc est illos, qui intercesserunt inter discessum, et reditum Metii Celeris, cui carmen illud a poëta inscriptum. *Patarol.* Tu nota, *super* de quadraginta annorum spatio dici, quod hanc inter orationem, et Claudii imperium intercessit. Cf. ad Mamertin. Genethl. i. § 2. *Arntz.*

Divum Claudium] Infra c. iv. 'Attende, quæso, quanti sit, Imperator, quod D. Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias primi vocaverunt.' Vide Panegyr. Eumen. Constantino c. ii. *Putean.* Hoc nomine Secundum inter Imperatores, Gothicum cognomento historicis et antiquariis; qui electus est anno Chr. cclxviii. *Patarol.* Eumenius Constantino ii. § 2. 'Ab illo enim D. Claudio manat in te avita cognatio:' ubi vide. Idem intelligendus Imperator videtur in L. 8. D. de Adoption. ex sententia Touillieu in Collectan. p. 277. probata a Putmanno Interpr. Jur. xxvi. § 1. qua ratione evanescent difficultates, in ea lege obortæ Cujacio Observ. Jur. xxvi. 7. et Wielingio Lect. Jur. ii. 8. *Arntz.*

Parentem tuum] Claudium Cæsarem Constantini *parentem* vocat, cujus ille erat abnepos. Sed hoc vel in gratiam Constantini dictum est, vel ideo, quod Claudius initium dederit Flaviæ, Constantinorumque familiæ, sed per fratrem Crispum; nam ipse sine liberis decessit. Proinde in Panegyrico præced. recte dictum est ad Constantinum: 'Ab illo enim Divo Claudio manat in te avita cognatio.' Sed et primum ejus originis numen vocatur Claudius. *Rhenanus.* Per Crispum fratrem. Lege Trebellium Pollionem Divo Claudio. Auctor in Constantinum A. 'Ab illo enim D. Claudio manat in te avita cognatio, qui Romani imperii solutam, et perditam disciplinam primus reformavit.' *Livin.* Agnatum tuum, quia Constantius, pater Constantini, nepos Crispi per filiam fuit, qui frater erat Claudii ii. sive Gothici. De *parentis* notione diximus ad Eutropii i. 7. *Cellar.* Quasi magnum patrem; ex Claudia enim, filia Crispi, ejus fratris, et Eutropio, viro nobilissimo, natus Constantius, pater Constantini Magni. Nomen tamen *parentis* hic sane nimis late sumitur, ut adnotavit et Rupertus Observ. in Besold. *Patarol.* Parentes pro quibusvis cognatione junctis accipi, docuerunt Wendelinus Glossar. Salic. in 'Parentela' et 'Parentes,' Van Dorp Observ. pag. 14. et ipse in Instit. Jur. Belg. de Condit. Homin. part. ii. tit. i. § 3. hic tamen magis de iis interpretor, qui in imperio præcesserant; hos enim, aliosque eximio honore dignos, ita adpellarunt Imperatores, de quo Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. i. p. 425. tom. ii. p. 53. et 442. tom. iii. pag. 439. tom. v. p. 129. neque alia ratione Justinum 'patrem suum' dixit Justinianus, § 3. i. de Donat. § 4. Quib. non est permiss. L. ult. C. de Advoc. div. judic. in quo Arnaldi judicium sequor, Var. Conject. i. 11. magis;

quam ut inde Justiniani demonstretur adoptio. *Arntz.*

Recuperandas Gallias] Potius de Bagaudarum motu accipio, quem sub Claudio jam incepisse reor; dixi copiose ad Eumen. pro Instaur. Schol. IV. § 1. huc me ducunt, quæ de Claudio tradit infra IV. § 2. ad motum hunc, ex interpretum judicio, referenda. *Idem.*

Vocaverunt] An *invocaverunt?* ut absorpta fuerit ab ultima præcedentis littera præpositio. Mamertinus Maximian. III. § 1. 'Ad restituendam rempublicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris invocatus.' Eumenius Constantio XIII. § 2. 'Invocata patris tui majestate.' Mox cap. III. § 2. 'auxiliarios dominos invocassent.' In eadem hac re 'inplorare' dixit cap. IV. § 3. adde ad Eumen. pro Instaur. Schol. IV. § 1. ubi 'invocaret' etiam magis placebat Jægero supra Addend. tom. I. ad pag. 186. *Idem.*

Patris tui] Constantii, qui ut plurimum in Galliis degebat, easque plus amabat. Vide dicta Paneg. pro Instaur. Schol. V. ad illud 'Galliarum suarum.' *Patarol.*

CAP. III. § 1 *Punici belli*] Primi. *Pat.*

Massilia] A Floro III. 2. 'fidissima atque amicissima civitas' appellata. *Patarol.* Cf. ad Eumen. Constantino XIX. § 2. *Arntz.*

Protegi] Distingue, *cuperet Hispania: fuit amica Massilia; protegi se m.* Forte etiam *sed* hic addendum, *sed protegi, &c.* Acidal. Adversus præcipue Salyos, qui ipsam incursionibus vexabant, ut refert Florus III. 2. *Patarol.* Livineius et Acidalius *sed* ante *protegi* inserendum esse censent; et sane non immerito videtur desiderari. Quare, secutus Cellarii auctoritatem, eam particulam, uncis inclusam, addidi, quamquam alias in nullo scripto, vel edito libro conspicitur. *Jæger.* Codd. secutus *sed*, ex sola Livineii conjectura a Cellario insertum, ejeci, non adeo necessarium, cum ex præcedentibus pateat oppositio. *Arntz.*

Imputavere se] Magni fecerunt, se quocumque modo, in fabulis obscure delineato, ad Romanos originibus accedere. 'Imputare' enim est jactare tamquam meritum, aut honorem insignem. Sed cur origo *fabulosa?* Iliensium fabula nota est; non æque Mamertinorum, seu Messanensium, nisi et hos quoque ad Trojanam originem referas. Silius XIV. 194. 'Incumbens Messana freto ... Osco memorabilis ortu.' 'Osco,' id est, Campano, a Capy Trojano origine deducta. Virgilius Æn. X. 145. 'Et Capys: hinc nomen Campanæ dicitur urbi.' *Cellarius.* Pacatus Paneg. XXXIV. § 4. 'Se tibi posset speciali inputare militia.' XXXIX. § 4. et XL. § 2. 'Possint se tibi inputare successus.' Incertus Constantino XX. § 1. 'Salutem, quam per te receperant, non inputasti.' Adde patrem meum ad Plinii Paneg. XXIV. § 3. et LVII. § 3. Male Lipsius ad Tacit. Annal. IV. 43. Nostrum tradit scripsisse, solos id fecisse Mamertinos, cum tamen a Trojanis quoque orti essent Segestani; sequens enim 'soli' non ad Mamertinos, sed Æduos pertinet. *Arntz.*

Mamertini] Messanenses intelligit. Strabo Geographic. VI. Τοσοῦτον δὲ ἐπεκράτησαν οἱ Μαμερτῖνοι παρὰ τοῖς Μεσσηνίοις, ὥστ' ἐπ' ἐκείνοις ὑπῆρξεν ἡ πόλις· καλοῦσι δὲ Μαμερτίνους μᾶλλον ἅπαντες αὐτοὺς ἢ Μεσσηνίους. Εὐοίνου τε σφόδρα τῆς χώρας οὔσης, οὐ Μεσσήνιον καλοῦσι τὸν οἶνον, ἀλλὰ Μαμερτῖνον, τοῖς ἀρίστοις ἐνάμιλλον ὄντα τῶν Ἰταλικῶν. *Adeo autem Mamertini Messanensium potiti, ut et sub potestate sua urbem haberent, et cuncti Mamertinos eos potius, quam Messanenses appellent. Cumque regio vini admodum sit ferax, non Messanense, sed Mamertinum vocatur, certans cum optimæ nota Italicis.* Tu adi, lector, et Festum in 'Mamerti-

ni.' Quod proximum est, addit Strabo, Mamertinos gentem esse Campanam, et ab eadem mente scriptum Silio Punicôr. xiv. 'Incumbens Messana freto, minimumque revulsa Discreta Italia, atque Osco memorabilis orta :' nam Osci in Campânis. Atque hæc hactenus clara; illud obscurum, quæ origo illa fabulosa, quam Romanis imputarint. Si Eumenium capio, hoc senserit, gessisse se Mamertinos, itidem ut Ilienses, pro Romani generis auctoribus. Ac de Iliensibus res nota passim e poëtis, quos nihil attinet proferre, et Suetonius Claudio cap. 25. 'Iliensibus,' ait, 'quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistola Græca S.P.Q.R. Seleuco regi amicitiam, et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset.' Meminit et Strabo copiose lib. xiii. quæ non exscribo, ne frustra sim prolixus. De Mamertinis, quod huc proxime facit, Polybius Hist. i. Οἱ δὲ Μαμερτῖνοι πρότερον μὲν ἐστερημένοι τῆς ἐπικουρίας τῆς ἐκ τοῦ Ῥηγίου, τότε δὲ τοῖς πράγμασιν ἐπταικότες ὁλοσχερῶς, οἱ μὲν ἐπὶ Καρχηδονίους κατέφευγον, καὶ τούτοις ἐνεχείριζον σφᾶς αὐτοὺς, καὶ τὴν ἄκραν, οἱ δὲ πρὸς Ῥωμαίους ἐπρέσβευον, παραδιδόντες τὴν πόλιν, καὶ δεόμενοι βοηθήσειν σφίσιν, ὁμοφύλοις ὑπάρχουσιν. *At Mamertini, qui et nuper ab Rheginorum auxiliis deserti essent, et tunc summæ suarum rerum ingenti clade lapsarent, partim ad Carthaginienses confugere, seseque et arcem iis dedere, partim legatos Romam mittere, urbem cedere, et obtestati venirent sibi suppetias, quod genere et cognatione contingerent.* Genere et cognatione Mamertini Romanis juncti erant, opinor, per Capyn, Trojanum, qui e ducibus Æneæ in Italia. Virgilius x. 'Affuit et Mnestheus, pulsi quem pristina Turni Aggere murorum sublimem gloria tollit, Et Capys. Hinc nomen Campanæ ducitur urbi.' Decius vero Magius apud Silium xi. originem urbis a Capye repetit, qui Assaraco prognatus. Verba hæc sunt: 'Ille Dardanius cui sacra pater, cui nomina liquit, A Jove ducta, Capys, magno cognatus Iulo; Ille ego semihomines inter Nasamonas, et inter Sævum atque æquantem ritum Garamanta ferarum Marmarico ponam tentoria mixtus alumno?' Verisimile est autem, non Capuates solos, sed omnino omnes Campanos Capye se parente ostentasse. Merito ergo Mamertini per Capyn se in Romanorum majoribus numerant, Iliensibus pares, sed 'fabulosa origine' inquit auctor; vere, nam et de Iliensibus Lucanus iii. 'Iliacæ quoque signa manus, perituraque castra (intelligit Pompeii) Ominibus petiere suis, nec fabula Trojæ Continuit, Phrygiique ferens se Cæsar Iuli.' *Livineius.* Siciliæ populi, Zanclei etiam appellati, ubi Messana civitas, quæ nunc *Messina*, testibus Plinio iii. 8. Strabon. lib. vi. Genus, et cognationem cum Romanis ipsos jactasse memorat etiam Polybius Hist. lib. i. Hinc magis impellor, ut credam, Mamertinos ortum, non e Samo, ut quidam protulere, sed ab Oscis, Campaniæ populis, traxisse; suum enim auctorem dicebant Capym illum, qui Campaniæ nomen indidit, unum ex Æneæ sociis. Silius lib. xiv. *Patarol.*

Ilienses] Quorum urbs Troja, a Dardano, Jovis filio, condita. *Idem.*

Meruerunt. Quo] Lege, *meruerunt: quo nomine, &c. æqualitas. Deinde quum, &c.* Acidal.

Præter cetera] Hoc est, præ ceteris, ne quis erret. Justinus Historiæ e Trogo Pompeio lib. xxiii. 'Uxorem suam Texenam cum omni pecunia, et familia, regalique instrumento, quo præter illum nemo regum ditior fuit, Ægyptum remittit.' *Livin.*

§ 2 *Odiis incitata*] *Incitata* videtur esse a typographo in ed. Rhenani,

quamvis in pr. retinuerit Rivinus, et emendaverint quoque Schonhovii excerpta. *Arntz.*

Princeps Æduus] Cæsari Divitiacus est. *Livin.* Fortasse Divitiacus ille, de quo mentio apud Cæsar. Comment. præcipue lib. VI. ubi habetur, quod ipse 'necessitate adductus auxilii petendi causa' contra Sequanos, 'Romam ad senatum profectus,' &c. *Patarol.* Divitiacum quoque intelligit Pighius Hercul. Prodic. pag. 59. *Arntz.*

Oblato consensu] Potius sequor *consessu*. Sic Panegyr. Eumenii Constantino cap. VII. 'Consessu cælitum, Jove ipso dexteram porrigente.' *Putean.* Divinaram aliquando *consessu*; quod cum restet in aliquot Mss. non est sane, cur deinceps excludatur sede sua legitima. *Gruter.* *Concensu* Guelferb. alterum recte recepit Gruterus, quod ceteri secuti, etiam in sec. Rivinus. Ita passim aberrarunt librarii; cf. Drakenb. ad Livium IX. 46. 4. apud Sulpic. Sever. Dial. III. 8. 'Immundus spiritus ab illius consessu fugatus:' male Trajectinus codex 'consensu.' Adde supra ad Eumen. Constantin. VII. § 3. *Arntz.*

§ 3 *Imperata ope*] Lege, *impetrata*. Ritters. *Impetrata*] Sic Rittershusius. Vulgatum erat *imperata*. Cellar. Sic Livin. Francof. et utraque Paris. At Cuspin. Stephan. Cellar. Patar. *impetrata*, uti Rittershus. etiam legi jusserat; quibus nunc quoque accedit auctoritas Gud. et Mœrl. *Jæger.* *Imperata* primus dedit Livineius, forte ex typographi vitio, quod et retinuerunt sequentes ad Cellarium, excepto Rivino. Alterum tuentur codd. etiam Chassenæi, et edd. antiquissimæ. Nostrum errare, quia opem non inpetravit Divitiacus, notat Daviesius ad Cæsar. B. G. VI. 12. *Arntz.*

Cæsaremque] Alterum Nostri errorem hic notat Daviesius d. l. quia Rhodanum Cæsar non transiit primo, ut Æduos liberaret. *Idem.*

Semita enim] Suspecta vox *semita* Acidalio fuit, neque nobis esse desinit. *Cellar.* Videtur intellexisse Cellarius, quod ab Acidalio mox notatur, ex quo tamen mihi non constat, *semita* ipsi fuisse suspectum. *Arntz.*

Nominabitur] Lege, *nominabatur*: sed locus hic alterius etiam vitii majoris mihi est suspectus. *Acidal.*

Totum istud] Potentiæ veterum Æduorum etiam Cæsar testis est, B. G. VI. 12. *Cellar.* Hisce terminis tota fere Gallia comprehenditur; quare hæc amplificationis gratia dicta. *Patarol.*

Pedestribus equitum copiis] Sic Cuspin. Rhenan. Steph. Livin. Lang. habet *equitumque*, quod Francof. Parisin. Patar. Cellar. recte receperunt. *Jæger.* *Que* deest etiam in Guelferb. et Chassenæi cod. quod primus inseruit Gruterus, reliquique sunt secuti, præter Rivinum in pr. Ex sola mihi conjectura esse videtur, ideoque veterem secundum codd. scripturam revocavi, præcipue quia mihi *pedestribus* est tertius casus, ab *auxiliantibus* pendens, ut equites pedestribus copiis auxiliatos significet. *Arntz.*

§ 4 *Barbaris*] Germanos intelligit, quos Sequani sibi adjunxerant contra Æduos. *Patarol.*

Cap. IV. § 1 *Magno natu*] Lege *magnus*. Acidal. Sic omnes, excepto Baunio, et Patarolo, qui, secuti emendationem Acidalii, exhibent *magnus natu p.* Verum inutilis est mutatio, cum *magno natu esse* rectissime dicatur. Livius II. 8. 'Creatus Sp. Lucretius consul, qui magno natu, non sufficientibus jam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur.' Cornel. Nep. Pausan. V. § 3. 'Dicitur, eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamque jam magno natu, postquam de scelere filii comperit, inprimis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse.' Hunc locum similiter ten-

tavit Lambinus, scribens 'magnam natu;' sed improbantibus viris doctis. Idem Datam. VII. 1. 'Ab hoc tamen viro Scismas, maximo natu filius, desciit, ad regemque transiit, et de defectione patris detulit.' *Jæger.*

§ 2 *Pueri vidimus*] Vere dixit Eumenius, quia inter Claudii II. imperium, et Constantini vix XXXVI. intercedunt. *Cellarius.* Ex *pueri* voce certa ætas, qua natus fuerit Eumenius, constitui nequit, cum et adolescentes aliquando *pueros* adpellent Latini. Conf. Cort. ad Sallust. Catil. XXXVIII. § 1. *Arntz.*

Divum Claudium] Dictum jam supra c. II. *Patarol.*

Recuperandas Gallias] *Occupandas* Chassen. *Recuperandas* retineo. Supra: 'Divum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias soli vocaverunt.' In Constantium Cæsarem: 'Statim itaque Gallias tuas veniendo fecisti.' *Livin.*

Rebellibus Gallicanis] Vide quæ supra dixi. *Livin.* Videtur jam tum initium sumsisse rebellio illa, quæ Bagaudarum sibi nomen imposuit, a Diocletiano tandem per Maximianum Herculeum Cæsarem oppressa. *Cellar.* Tetrico tyranno faventibus. *Patarol.* De Bagaudis hoc intelligendum late dixi ad Eumenium pro Instaur. Schol. IV. § 1. et XIV. § 1. *Arntz.*

Observare non possent] Sic omnes, excepto Put. cod. qui habet *servare*, quod præfero, cum *observare* pro tueri, custodire, vix dici posse videatur. *Jæger.* Exturbavi vocem *observare*, quia pro custodiri dici posse non videbatur. Verum recte illud adserit ad Cic. Tusc. II. 8. Davisius, cui etsi in locis Porcii Latronis et Cæsaris non obsecuti sunt docti editores, exempla tamen Plauti Asin. II. 2. 7. Mil. Glor. II. 3. 57. et Senecæ Hippolyt. v. 223. significatum illum satis probant. *Idem*, in Adpend. Observat. ad Panegyr. Rectum est *observare*; apud Cæsarem B. C. I. 21. 2. in quibusdam codd. est, 'portas murosque observari jubet,' quamvis edatur 'adservari.' Vulgatam hujus loci lectionem similiter etiam tuetur Daviesius ad eumd. B. C. III. 28. 6. Quod vero auctius in Chassenæi cod. legitur, de eo quoque monuit Schottus Observ. IV. 8. qui ab alio hæc addita non male suspicatur, parum tamen adcurate a Baunio descripta. *Arntz.*

§ 3 *Si vobis*] Vel. *nobis*. Puteanus. *Vobis*, id est, Flaviæ genti, quæ ab D. Claudio, ut sæpe jam moneo. *Livin.* Recte; neque opus est, ut *votis* emendemus cum Marcklando ad Statii Silv. I. 2. 195. *Arntz.*

Subvenire potuisset] Ipse Gotthorum bello distentus. Auctor in Constantinum A. 'Ab illo enim Divo Claudio manat in te avita cognatio, qui Romani imperii solutam et perditam disciplinam primus reformavit, immanesque Gotthorum copias, Ponti faucibus, et Istri ore proruptas, terra marique delevit.' Adi Trebellium Pollionem Divo Claudio. *Livin.*

Romanorum] *Romanorum* ediderunt Rhenanus et Rivinus; ita jungerentur duo genitivi, quod aliquando fieri dixi in Miscellan. p. 164. supra ad Mamertin. Maxim. init. sed vulgata est in codd. *Arntz.*

Clade Catalaunica] Intelligit, opinor, Aureliani adversus Tetricum in Catalaunis victoriam, ipso exercitum suum prodente duce. Vopiscus Aureliano, Eutropius IX. Aurelius Victor. *Livin.* Catalaunorum nomen, olim incognitum, cum Remorum adpellatione comprehenderentur, Eumenium hic primum adhibuisse notat Cellarius Geogr. Antiq. II. 3. p. 248. De 'compendio pacis,' id est, commodo, vide supra ad Mamert. Maximian. III. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Perditamque recreare*] Sic supra Incertus Maxim. et Constantino: 'Subsidia reip. exigeres, exanimata

recreares, dilapsa colligeres.' *Putean.*

Ad Kalendaria largiendis] Hoc voluerit, credo, dedisse Constantium pro liberalitate sua grandem reip. Flaviensium pecuniam, quam illi fenori collocarint. Solitos autem Calendis ponere, quæ, ut tardissime, Idibus cogerent ac redigerent, Horatianus Alfius declarat, qui 'Jam jam futurus rusticus Omnem redegit Idibus pecuniam, Quærit Calendis ponere.' Habebantque non privati solum, sed civitates quoque calendaria sua, ex quibus, qui fenori dabant, 'Calendarii,' et 'Calendarii curatores,' qui redigerent, 'Iduarii' dicebantur. Quod me Petrus Pithœus docuit Adversar. Subs. II. c. 4. *Livin.* Posset quis trahere ad pecuniam fœnebrem: sed inclinat tamen animus, duabus literis ejectis, formare *ad caldaria;* præsertim cum sequatur, 'et lavacris, quæ corruerant:' et tamen, ne quid dissimulem, aliud quid initio fuisse suspicor, quod non temere eruam. *Gruter.* Aliena esse hoc loco *calendaria*, et reponenda pro iis *caldaria*, satis poterat liquere vel ex iis quæ mox sequuntur, 'lavacris, quæ corruerant, extruendis,' vel ex iis, quæ dicuntur ab eodem Eumenio in Panegyrico Constantino cap. XXII. 'Miraberis profecto illam muneris tui sedem, et calentes aquas sine ullo soli ardentis indicio,' &c. ubi retineo vulgatam lectionem 'muneris,' non obstantibus tribus codd. in quibus fuit 'numinis.' Ideo enim vocat thermas, sive caldaria illa 'sedem muneris' Imperialis, quia Imperator pecunias in illa fuerat largitus, inque collapsa lavacra extruenda. *Ritters.* Quid hoc? An *caldaria?* quia de lavacris subjicit. *Acidal.* Fenori dandis, ex quibus annuos quæstus facerent. Adi summos viros, Jacob. Gothofredum ad L. 1. C. Theodos. de Curatorib. Kalendariis, et Henr. Noris. Cenotaph. Pis. p. 37. *Cellar.* *Caldaria*] Sic lego cum Acidalio, Rittershusio, Grutero, et aliis, qui hoc de thermis intelligunt, Imperatoris indulgentia restitutis, sicut etiam *lavacra* Noster mox memorat. Alii *Calendaria* legunt, quæ lectio si cui placeat, pecuniam hoc nomine innui dicendum, quæ fænori ad Calendas de more daretur. *Patarol.* *Calendaria* explicat Pighius Hercul. Prodic. p. 57. eumque secutus Lipenius Strenar. Histor. § 13. ad menstruas rationes onera civitatis publica liberaliter sublevare. Potius cum Gothofredo ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 610. ita accipio, Constantium Æduis pecuniam donasse, quam mox fœnori occuparent, et ex qua quæstum facerent per curatorem suum Kalendarii. Speciosa quidem sunt, quæ ad *caldaria* mox observat Jægerus, sed cui adsentiri nequeo propter codd. in *Kalendaria* consensum. Rittershusii notam, in ed. Parisiensi neglectam, revocavi ex ipsius conjecturis post Goldasti Paræneticos. *Arntz.*

Methycis undique] Opinor legendum *metœcis.* Sunt autem Græcis *μέτοικοι*, qui sedes suas demutant, et ad habitandum alio proficiscuntur. Fit horum mentio in codice, L. 4. de Jur. Fisc. *Μέτοικοι οἱ, ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταστάντες, καὶ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες, Metœci sunt, qui aliam urbem inhabitant, priore relicta.* Suidas. *Rhenan.* Assentior Rhenano, *metœcis* reponenti, hoc est, *μετοίκοις*, novis colonis. Tu Suidam consule in *Μετοίκιον*, et *Μέτοικοι*. *Livin.* *Μετοίκοις*, colonis, c. VI. vocat 'hominum numerum, qui delati sunt.' *Cellar.* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. *Methycis;* Mœrl. et Gud. *metis.* Quæ corrupta esse, nemo non videt. Livineius jure meritoque adsentitur Rhenano, *metœcis* emendanti. Confirmat capitalem hanc emendationem Eumenius pro Schol. IV. § 3. 'Ex amplissimis provinciarum ordinibus incolas novos,' i. e. metœcos. Vide, sis, illud cap. IV. quod hoc nostrum haud parum illus-

trat, et ex quo suspicari etiam possis, non vanam esse Acidalii, et Gruteri sententiam, qui in verbis proxime antecedentibus pro *calendaria* legunt *caldaria*, quod Patarol in contextum recepit. Sic enim cap. cit. § 2. 'Itaque maximas pecunias, et totum, si res poscat, ærarium non templis modo, ac locis publicis reficiundis, sed etiam privatis domibus indulgent.' Locorum publicorum nomine caldaria, et balinea, quæ collapsa reficiebantur, intelligi inter alia debere veri simile videtur; '*pecuniæ* vero *ad calendaria datæ*, quæ locutio valde est insolens, nulla ibi fit mentio. *Jægerus.*

CAP. V. § 1 *Nimium quantum*] Recte *nimium quantum*. Cf. Quintil. Inst. Orat. IV. 2. in quo ellipsin notavit Heusinger. ad Vechner. Hellen. lib. I. p. 135. *Arntz.*

§ 2 *Quos pro tuis gratuleris*] *Quo*, non *quos* emendem, et sequens verbum transferam, ut sit, *nisi pro quo tuis gratuleris*, ut Ciceroni dictum Epist. ad C. Cassium pro Quæstore, 14. Familiar. lib. XV. 'tibique cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor,' &c. Sed viro docto, mihique amicissimo olim correctum, *nisi quod pro tuis pertuleris.* Tu cense, mi lector. In Chassenæo est, *nisi quod tuis gratuleris*, quod emendationem nostram confirmat. *Livin.* Sic Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Francof. et Parisienses. Livineius pro *quos* emendat *quo*, et sequens verbum transfert, ut sit, *nisi pro quo tuis gratuleris*, et hanc emendationem tueri vult loco Ciceronis Ep. ad Divers. XV. 14. 5. Sed ex hoc loco non efficitur, ut 'gratulari pro aliquo' recte dicatur pro 'de aliquo;' melius advocare poterat Plinium Epist. IV. 27. 5. 'Interim ama juvenem, et temporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat.' Idem Livineius testatur, a viro docto, sibique amicissimo olim esse correctum, *nisi quod pro tuis pertuleris*, et hanc correctionem judicio lectoris permittit, qui eam, credo, parum felicem esse censebit. Est autem ejus auctor sine dubio Lipsius, qui Epist. Quæst. IV. 27. eam profert. Eamdem margini Frob. ed. adscripsit Schonhov. Chassenæi lectionem commendavit Acidal. et recepit in contextum Cellar. quem sequi visum est tutissimum. In codd. Put. Gud. et Mœrl. itemque ed. Pataroli legitur, *nisi quo pro tuis gratuleris.* Ejecto *pro* hæc etiam lectio probabilis. Sic enim Cœlius ad Ciceron. Epist. VIII. 13. 1. 'Gratulor tibi adfinitate viri, medius fidius, optimi.' *Jæger.* Dedi scripturam codd. Sententia esse videtur, nisi quo pro civibus tuis gaudeas. 'Gratulari' enim notat gratum habere, et ideo gaudere, quam notionem contra dissentientes tuetur Cortius ad Sallust. Jugurth. IX. § 2. adde Pricæum ad Apuleium Metam. III. pag. 155. Buneman. ad Lactant. Instit. III. 19. 24. not. patern. ad Pacat. Paneg. XXV. § 3. Withof. Specim. Gunther. p. 138. Rittershusii notam, in ed. Parisiensi neglectam, ex ipsius Conjectoris post Goldasti Paræneticos huc revocavi. *Arntzenius.*

§ 3 *Experimento misericordiæ*] *Miseriæ* arbitror verum, non *misericordiæ*, errore ab exscriptoribus profecto; nam *miæ* vetere scriptura et *miseriæ* valet, et *misericordiæ*. *Livin.* Antecedit nempe misericordia clementiam; nam prius miseremur, postea ignoscimus. *Patarol.* Tantum probo *misericordiæ;* illius experimentum erat dolor, quo Æduorum calamitatibus inlacrimabatur Constantinus, unde ipsius 'humentibus oculis eminuisse misericordia' dicitur infr. IX. § 5. quem dolorem sequebatur clementia, sive bonitas, infr. X. init. *Arntz.*

§ 4 *Inmixa Romanis*] *Nimium Rom.*

Vet. *mœnium r̄onis* Bertin. Inepta lectio. Eruebam ex Vet. *juribus Rom.* id est, pensitatione, et vectigalibus. Pro Restaur. Scholis: 'Salarium me liberalissimi Principes ex hujus reip. juribus in sexenis millibus nummum accipere jusserunt.' Ipse Constantius ad Eumenium: 'Denique etiam salarium te in sexcenis millibus nummum ex reip. juribus consequi volumus.' Franc. Modius e Bertin. *mœnium ruinis* ingeniosius, meo animo, quam verius legebat. *Livin.* Locus mihi sanus videtur, quamvis non unus Æsculapiorum festinet ad ejus medicinam. Dicit enim, quamvis Ædui viderentur inniti Romanis, illud tamen tam parum profuisse, ut nihil differrent a prostratis. Posset etiam legi, *innixa ruinis*, si modo aliquid mutandum. *Gruter.* Gud. et Mœrl. *mœnium r̄onis; τὸ juribus*, quod eruit Livineius, locum habere non posse, ad Orat. pro Restaur. Schol. XI. § 2. monstratum est; et sententia, quæ ex ea lectione exsisteret, parum haberet elegantiæ. Idem de vulgata est dicendum, quam probat tamen Gruterus. Non nego intelligi, et explicari illam posse; sed lectionem Modii, ad quam codd. Livin. Bertin. Mœrl. ducunt, *non tam mœnium ruinis*, (de quibus supra c. IV. § 4. et pro Restaur. Schol. c. IV. § 1. 'ipsamque ruinarum ejus magnitudinem,' &c.) *quam virium defectione prostrata*, multo esse argutiorem, id quidem eripi mihi non patior. Lipsius Excursu K. in lib. I. Annal. Taciti legendum putat *invisa* pro *innixa*; sed hoc valde frigidum esse facile intelligitur. *Jægerus.* Vix dubitem, quin *mœnium ruinis* scripserit, quamvis in contextu nihil sine codd. auctoritate ausus mutare. *Mœnium ruinæ* recte opponuntur *virium defectioni*, quæ in vulgata deest oppositio, ut mittam, nullius eam hic esse sententiæ. Lipsium maluisse *invisa*, quod scribit Jægerus, mihi non liquet. *Arntz.*

Novi census] Exponet Aurelius Victor, qui imperio inter Valerium, et Herculium A. A. ac Galerium et Constantium Cæsares tributo, quo exercitus atque Imperator ali posset, legem novam pensionibus inductam refert. Quæ sane illorum temporum modestia tolerabilis in perniciem processerit. *Livin.* Ex parte huc pertinent dicta a Juliano Orat. I. p. 34. *Arntz.*

§ 5 *Gallicani census*] Recte duplicem censum notavit Baunius: conf. inf. XI. 1. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *Utrumque nequeam*] Alii *nequam*. Rhenan. *Sed utrumque nequam; hominum segnitia, terræque perfidia.* Ita distinxi, ne locus putaretur verbo aliquo truncatus: et potest plane esse integer, dummodo vox *nequam* adplicetur prioribus, non etiam sequentibus: velitque homines nequam fuisse segnitia, agros vero nequam perfidia, dum non respondent culturæ. *Gruter. Sed utrumque nequam, hominum segnitia, terræque perfidia;* sic distinguo, alias nullus inde commodus elicitur sensus. *Acidal.*

Perfidia] Fidem, perfidiamque terræ ac fundis attribui satis notum est, et magna exemplorum copia docet Brouckhus. ad Tibull. II. 1. 19. Post hæc verba Chassen. habet *perdidimus*. Verum hæc vox haud dubie ad tollendam difficultatem, ex neglecta interpunctione ortam, cum sc. *nequam* et *hominum* jungerentur, fuit intrusa. *Jæger.*

Nobis Remis aut Nervis] Sic legendum opinor post longam hæsitationem; *unde enim nobis Remus, aut Nervius, aut ipse ille de proximo Tricassinus ager.* Loquitur de fertilibus agris, quibus erant disparia Flaviensium jugera. Forte Remi sunt Gallorum populi, et Nervii, quos Tornacenses putant. *Rhenan.* Vet. *Remus, aut Nervius.* Putean. Locus hic depravatus esse videtur. *Chassen.* ad Consuet. Burgundiæ Procem. p.

32. Fertilioris agri exempla in Gallia Belgica cum Æduorum regione sterili componit. *Cellar.* *Remis aut Nerviis* est in Puteolani, Rhenani, Henr. Stephani, et Rivini edd. emendatius jam dedit Livineius, meliorque illa lectio est in Guelferb. et Schonhovii excerptis. Cf. ad Eumen. Constantio XXI. § 1. Quod locum habeat corruptum Chassenæus, inde est, quia in cod. ipsius erat, *unde enim nobis, venis, aut nervis.* Arntz.

Tricacissimus] *Tricassinus* Pithœus Advers. Subces. II. 1. *Schonhovius.* Vet. *Tricassinus.* Putean. Hi omnes Æduis Septentrionales, et quidem longe dissiti, Nervii præsertim, Tricassini vero multo quidem propiores, in Boream ipsi quoque, seu potius inter Boream et Occasum. In aliquibus legitur *Tricastinus ager;* at hi populi, quos in Ptolomæo novimus, Tricasteni etiam dicti, Æduis ipsi quidem finitimi, sed in Meridiem, ubi etiam nunc *le Tricastin*, et urbs *S. Paul*, in Delphinatu. Tricassini vero fuere, ubi olim Augusta Trecarum, nunc *Troyes.* Patarol. *Tricassinus* etiam Guelferb. sed supr. Paneg. Constantio XXI. § 1. etiam est 'Tricassinum solum,' ubi vide; et Savaron. ad Sidon. Apoll. Epist. VI. 4. in Chassen. et ed. Rhenani, et pr. Rivini vitiosissime est *Tricacissimus.* Arntz.

§ 2 *Quanquam merito*] Correctio quædam, et excusatio est ejus, quod ante dixerat, 'nequam hominum segnitia.' Nota hæc Martialis: 'In steriles campos nolunt juga ferre juvenci: Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.' *Livin.*

Respondet inpendiis] Τὸ 'respondere' in re agraria similiter usurpat Virgil. Georg. I. 47. sq. 'Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.' *Jægerus.* Idem Georg. II. 63. 'Sed truncis oleæ melius, propagine vites respondent:' ubi 'votis' subaudiri vult Taubmann. et *fructus* dicitur 'labori non respondere' apud Ovidium Fast. IV. 641. generatim similitudinem in hoc verbo notat Manut. ad Cicer. ad Divers. II. 15. adde patruum meum ad Catonis Distich. I. 23. *Arntz.*

Aëre alieno] Sic quidem hunc locum cum aliis contulit Pricæus ad Euang. Luc. XIII. 7. editio, adornata a Livineio; sed vix mihi dubium, quin ipse voluerit exprimi, *in ære alieno*, ut est in ante publicatis; eique haud etiam obsecuti typothetæ. *Gruter.* Eo pressis, ac tantum non obrutis. Ita Cicero Catilin. II. 10. 'Qui numquam emergent; qui partim inertia, partim male gerendo negotia, partim etiam sumtibus, in vetere ære alieno vacillant.' Vid. infr. cap. XII. § 2. *Jæger.*

Aquas deducere] Vet. *ducere.* Putean. Vulgata præstat. Palladius R. R. X. 3. 1. 'Aquarius sulcus noxium deducat humorem.' *Arntz.*

Excidere] Quo fierent novalia. Cf. Burman. ad Quinctilian. Declam. III. 4. *Idem.*

§ 4 *Arebrignus*] Sic locum hunc restitui ex editione Parisiensi, et auctoritate Puteani, quam sequitur et Cellarius, favente etiam Ms. D. Marci, in quo notandum deesse vocem illam *Arebrignus.* Varias loci hujus lectiones, multasque criticorum conjecturas referre supersedeo. Nescio an potius legi debeat *Verbigenis*, prout legitur apud Cæs. B. G. lib. I. *Patarol.* Cod. Mœrl. *Areprignus.* In Ms. D. Marci vox *Arebrignus* deest, teste Patarolo, qui, ejus loco, *Verbigenus* legendum esse suspicatur. Baunius dicit, sed non probat, Arebrignum pagum esse Æduorum circa Ararim fluvium. *Jæger.* Guelferb. etiam *Arepriguus.* Quæ de loco restituto ex Puteani auctoritate monet Patarolus, videntur ad omissam in periodi principio particulam *si*, et ad sequentia *inani fertur invidia*, pertinere. *Arntz.*

Manu seritur invida] Pithœan. *ina-*

ni fertur invidia; Pulmann. *inani fertur invida.* Omnes corrupte. Vide, num legi possit, *manu seritur invita.* Puto tamen vulgatam lectionem meliorem esse, *manu seritur invida,* id est, *à regret.* Putean. *Inani fertur invidia* Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Vitium latitat: quod, ut depellant, recentiores quidam *manu seritur invida* legunt. Sed nec ita salvus locus est, quod durum est *pagus seritur,* vel *ager* etiam *invida manu seritur.* An forte *inani feritur invidia?* id est, petitur, premitur, quasi dicat, laudari pagi illius fertilitatem ad invidiam usque: sed sine caussa, quia uno loco tantum sit vitifer, cetera silvis et rupibus horreant. Sic non opus, pro *uno loco* legere *imo;* nec *perexigua* pro *perspicua,* si videlicet *feriri invidia* ferri auribus potest. *Cellar.* Frustra se jactat, tanquam invidiam in aliis excitet, quod culturam vitium admittat, nam *retro catera, &c.* Patarol. Hæc est lectio Rhenan. Stephan. Livin. Bann. In cod. Mœrl. et edd. Cuspin. Francof. Paris. priore, Cellar. Patar. legitur, *inani fertur invidia.* Schonhov. *inani seritur invidia.* Omnes corrupte. Patarol. quidem lectionem suam interpretatur, sed vellem exemplis hanc rationem firmasset. Puteanus conjicit, *manu seritur invita:* putat tamen vulgatam lectionem esse meliorem, *manu seritur invida,* i. e. *à regret.* Sed hoc pariter exprimeretur voce *invita.* Bannius ita interpretatur: 'ægre admodum seritur.' Martialis III. 65. 10. 'sine invidia,' Græcorum more; ἀφθόνως, dicit pro facile, et copiose; forsitan itaque *invida manu* possit significare parce, et maligne; sed nec hoc satis quadrare videtur. Cellarius durum esse ait *pagus seritur,* vel *ager* etiam *invida manu seritur.* Verum non desunt exempla, in quibus *seri* pro conseri dicitur ager, vel terra. Curtius v. 1. 27. 'Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt: per LXXXX. stadia habitatur; nec omnia continua sunt; credo, quia tutius visum est, pluribus locis spargi. Cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur.' et eodem libro c. v. § 24. 'Armenta cum pecoribus, ac frumento data, ut coli, serique attributus iis ager posset.' Porro Cellarius conjicit legi posse, *inani feritur invidia.* 'Ferire invidia' possit ferri fortasse, et defendi loco Horatii Sermon. II. 1. 62. 'Majorum ne quis amicus Frigore te feriat:' et firmat hanc conjecturam lectio quoque Schonhovii, quam supra indicavi. Verum, cum admodum mihi difficile videatur, in hac varietate certam veritatem reperire, nihil quidem definire, vel mutare sustineo: facere tamen non possum, quin profitear, lectionem, a Cellario excogitatam, mihi præ reliquis arridere. *Jæger.* *Manu seritur invida* fluxit ex antiquissima Puteolani edit. et retinuit Jægerus cum iis quos ipse memorat, quibus addendus est Rivinus. In Chassenæi est, *seritur, invidia cujus.* Cod. Pithœani lectionem *inani fertur invidia* recepit Gruterus, Cellarius, et Patarolus, eaque est in Guelferb. et in cod. D. Marci, ex quo ita locum se constituisse paullo ante monuit Patarolus, unde et hanc in textu retinui. Conjiciebat pater meus, *manu seritur infida.* Ni fallor, ad veram me lectionem duxit auctoris sententia. Æduorum agrum cum aliorum fertilitate comparari posse negat, quia ob incolarum paupertatem ea conferri non poterant, quibus fieret fertilior; unde factum erat, ut paludibus corruptus, aut sentibus esset inpeditus. Verum quidem esse addit, pagum Arebrignum esse vitiferum, sed uno tantum loco, reliqua ejusdem silvis et rupibus esse invia. Scribo itaque, *inani fertur vindemia,* idque sequens *vitium* confirmat. *Fertur,* id est, laudatur quidem ille

pagus vindemia, et vitium proventu, sed ea laus *inanis* erat, tantaque pagus haud dignus, præsertim si cum fertilioribus agris compararetur, quia uno tantum loco erat vitium cultura, et parva vini copia, reliqua autem æque sterilia, atque illi Æduorum agri, de quibus erat conquestus. Sic infr. XIII. § 3. 'si vindemia redundasset.' *Arntz.*

Cujus in loco] *In uno loco* Bertin. Langii schedæ, Cuspin. Corrigam *imo loco.* Infra mox: *cum supra saxa perpetua sint, infra humilitas pruinosa.* Livin. *Cujus uno loco cultura perexigua est*] Sic edidit Baunius. Ms. Mœrl. Gud. itemque ed. Rhenau. Stephan. Livin. habent, *cujus in loco vitium cultura perspicua est*, in quibus vox *vitium* glossæ marginali adscriptæ, et ex § 6. petitæ, originem debere videtur. Francof. Paris. prior, Cellar. Patar. *cujus uno loco, &c.* omisso τῷ *in.* Ex his tam diversis lectionibus 'Elige, cui dicas, tu mihi sola places.' Mihi quidem maxime probatur Cellariana ratio, et hic, et in verbis proxime antecedentibus: eaque etiam confirmatur illis, quæ § 6. hoc cap. leguntur: 'Ipsæ denique vineæ, quas mirantur ignari.' Si fuerunt, qui vineas mirarentur, culturam earum perspicuam fuisse necesse est, et invidia feriri, vel peti poterant. *Jæger.* *In loco*, cum codd. et edd. apud Jægerum, habet quoque antiquissima Puteolani et Rivini. Primus *uno* restituit Gruterus, et ita sequentes. *Uno* certe postulat sequens oppositum *cetera.* Livineii tamen codd. et Schonhovii excerpta secutus *in* inserui, faventque Mœrl. et Guelferb. quamvis *uno* omittant. *Arntz.*

Vitium cultura] *Vitium* est in omnibus codd. et edd. Baunius tamen omisit, eumque secutus est Jægerus, quem lege observ. proxima; vocem itaque restitui, in Bauniana forte ex typothetæ vitio omissam. *Idem.*

Perspicua est] Contra codd. Acidalii conjecturam, *perexigua est*, in textum admiserunt Baunius et Jægerus, a quibus dissentio. *Perspicua* est omnibus cognita. Supra Paneg. Constantino XX. § 4. 'Nihil est enim tam perspicuum.' *Idem.*

Aliquando jucunda] *Planities jucunda* est, quod 'jucundæ viæ' apud Ovidium ex Pont. II. 10. 32. *Idem.*

Vallibus patentibus] Lege, *canalibus latentibus;* statim 'meatus' nominat. Nec tamen dixerim affirmate. Vulgatum enim potest esse etiam verum, sane intellectum. Forte *et callibus.* Acidal. Nihil muto; *valles patentes* sunt 'interclusis meatibus' oppositæ, et recte supra explicuit Baunius. *Arntz.*

Humilitate sua] Schonhovius, *humiditate.* Jæger. Male: *humilitas* est illa *planities*, et *valles*, quas modo memoravit, et ita in fin. hoc cap. 'humilitas pruinosa.' *Arntz.*

Voraginem et stagna] Ms. Mœrl. et Gud. *in voraginum stagna.* Jæger. Videtur ea lectio esse glossatoria, hendiadyn explicantis, cujus exempla dedi ad Arator. II. 175. *Arntz.*

§ 7 *Replicando*] Sensus est, meo judicio, vites præ vetustate radices in altum emittere, cum eas non possent amplius inferius agere, quæ tamen alte essent scrobibus defigendæ, ideo surculos e radicibus prodire parum obtectos terra, obnoxiosque inde aëris ac cœli intemperantiæ. Videntur tenebræ quidem in lectione, quæ tamen negotium non facessant lectori, gnaro, quibus temporibus, et a quo hæc oratio dicta. *Patarol.* Acidalii conjectura non utor, quamvis eidem quoque favere Baunius videatur; est enim 'repastinare' plane Eumenii sententiæ adversarium. Audi Columellam de R. R. III. 18. 1. 'Pastinum vocant agricolæ ferramentum bifurcum, quo semina (sive vitium surculi) panguntur; unde etiam repastinatæ dictæ fuere vineæ veteres, quæ refodiebantur. Hæc

enim propria adpellatio restibilis vineti erat; nunc antiquitatis inprudens consuetudo, quidquid emoti soli vineis præparatur, repastinatum vocat.' Est nimirum 'repastinatio' dicta a 'pastino;' hoc autem qua ratione vitis pangantur semina, interpretatur Gesnerus, si, in ipsa curvatura pastino comprehensus, in terram deprimatur recurvatus vitis surculus. Videamus itaque, vetusne aut nova, quam tradit Columella, 'repastinationis' adpellatio huic loco congruat. Id nego, quia non de refossis vineis, neque de solo vineis præparando agit Eumenius, sed de vitibus, per longissimum tempus adeo neglectis, ut culturam fere non sentiant, id est, ut, si quis colere vellet, operam fere et oleum perderet. Multum ab eo, ni fallor, distant vineæ refossæ, aut quarum solum fuit præparatum; hæ enim sunt vineæ curatæ; in his autem sua facile cura inpedivisset dominus, ne altitudinem scrobibus exclusissent replicatæ radices, aut ne ita millies replicarentur. Quid igitur? Alium dabo Columellæ locum, qui lucem ferat, de R. R. III. 15. 3. 'Satoris officium est, ... sic deinde curvatam deponere, ne duarum vitium radices inplicentur. Id enim vitare facile est, per imum solum juxta diversa latera fossarum dispositis paucis lapidibus, qui singuli non excedant quinque librale pondus. Hi videntur et aquas hiemis, et vapores æstatis propulsare radicibus.' Lapides illi, tamquam pariete interjecto, vitium radices distinebant, ut recte Gesnerus, in scrobibus, in quibus illæ ponebantur, ut late disserit Columella III. 13. Palladius de R. R. II. 10. Plinius H. N. XVII. 21. Neglectis itaque, de quibus loquitur Eumenius, vitibus, longo erat tempore factum, ut proserpentes sub illis lapidibus radices replicarentur, sive, ut Columella, inplicarentur, eoque, sede sua motis per radicum vim lapidibus, altitudinem debitam scrobibus excluderent, id est, expellerent, de qua notione vide Gothofredum ad Cod. Theodos. tom. II. p. 308. sive terram scrobibus destinatam egererent, quo non curatæ, et per humum serpentes propagines, atque egesta hac terra leviter obtectæ imbribus, aut soli exponebantur. 'Altitudo' est scrobium profunditas. Ita apud Virgilium Georg. II. 78. 'Et alte Finditur in solidum cuneis via.' Servius interpretatur, profunde. Adde Viitium ad Gratii Cyneg. 366. Græcum *βάθος* adtigi ad Arator. I. 43. 'altitudo' vero 'debita' est destinata scrobis profunditas, justa, et ad obtegendas radices necessaria terra, qua ratione 'debita semina' apud Virgilium Georg. I. 223. unde 'debitum' est, quod destinatum. Cf. Barthium ad Stat. Theb. IV. 84. Hæc loci difficilioris interpretatio Banniana mihi potior videtur; veritati certe propior Patarolus. *Arntz.*

Non debitam, sed obtectam] Puto hunc locum sic restituendum, *et ipsam propaginem non obtectam produnt imbribus, &c.* Procul dubio vox *debitam* in hunc versum e superiore irrepsit. *Il veut dire, que pour ce que l'on ne pouvoit faire les fosses des vignes profondes, les provins n'étoient pas assez avant dans la terre, ainsi étoient presque découverts, qui étoit cause qu'ils étoient ou gâtés des eaux, ou brûlés du soleil.* Putean. Lege *non desitam*, aut *defixam*. Columell. III. 13. 'Tum in terram bene pastinatam, et stercoratam rectum sarmentum defigito.' *Acidal.* Acidalius parum probabiliter, certe melior est Livineii conjectura, si Puteanum sequi nolimus. Patarol ita convertit: *germogli, non radicati, ma sol coperti da poca terra.* Jæger. Fœda loci labes, ad quam eluendam ingeniosa est, quod non diffiteor, Puteani cura. Malebat Eldikius noster, *propaginem non penitus solo tectam.* Vix dubitem, quin scrip-

serit *propaginem non depositam, sed obtectam*. 'Deponere' vox propria vitium stirpibus, in scrobe ad justam altitudinem positis. Vid. Columella de R. R. III. 4. 2. et cap. 5. 1. v. 5. 5. et 17. et locis pluribus. Hæ itaque propagines, ad justam in scrobe profunditatem non depositæ, tantum in terra recumbebant, ut loquitur Plinius H. N. XVII. 23. eademque terra, per radices e scrobe egesta, leviter obtegebantur, eoque fiebat, ut imbribus eluerentur, et ita sole perurerentur. Ita eveniebat, quod alia ratione scripsit Columella IV. 1. 7. 'Quid quod repastinata humus ..... intumescat; cum deinde non longissimam capit vetustatem, condensata subsidit, ac velut innatantes radices vitium summo solo destituit?' Suspicatus sum aliquando, essetne *sed obtectam* ex glossa τοῦ *depositam* e margine intrusum, in quo scriptum fuerit *scil. obtectam;* est enim 'propago deposita' non alia, quam obtecta, atque parum adtentus librarius illud *scil.* esse *sed* putaverit, ut hæc in codd. permutata esse ostendit Grunerus ad Aurel. Vict. O. G. IV. 6. alterum malim. *Arntz.*

Solibus perurendam] Id est, æstu, nimioque calore. Virgilius Georg. I. 65. 'Glebasque jacentes Pulverulenta coquat maturis solibus æstas.' Ubi per calorem adultæ æstatis recte interpretatur Heynius. Ovidius Fastor. IV. 404. 'Tum primum soles eruta vidit humus.' Nisi illic de uno sit sole capiendum, ut apud Virgil. Georg. II. 481. 'Quid tantum Oceano properent se tinguere soles.' *Idem.*

§ 8 *Humilitas*] *Humiditas* Chassen. vitiose. *Livin.* Supr. § 6. 'humilitate sua,' ubi quid simile tentabat Schonhovius. *Arntz.*

CAP. VII. § 1 *Inlacrimasse*] Ad heroum veterum morem, quibus populorum amicorumque cladibus inlacrimare, haud indignum habebatur; similiter infr. IX. § 5. et 6. Patroclum lacrimantem pingit Homerus Iliad. Π. 3. Cæsarem, viso Pompeii anulo, Plutarchus Pomp. p. 662. alii alios. Cf. Pricæum ad Euang. Lucæ XIX. 41. *Arntz.*

§ 2 *Adluentia*] Pro hac voce Mœrl. habet vitiose *abluentia*, quæ verba inter se sæpius permutari docent ad Lucan. VI. 810. Oudendorp. et ad Livium XXVI. 44. Drakenb. *Jægerus.* Vulgatum tuentur notata ad Eumenium Constantio VI. § 1. et a Puteano ad eumd. Constantin. V. § 2. *Arntz.*

Ab eo fluxu] *Flexu* tuentur Schonhovii excerpta, et notata apud Heinsium ad Ovid. Met. VIII. 160. itaque hoc recte primus dedit Gruterus, et præter Rivinum sequentes. Similem permutationem notavit Drakenb. ad Livium V. 42. 7. *Arntz.*

Et ut militaris] *Etiam militaris* est licet sit militaris, ut 'etiam æstatem prætorridam' explicat licet maxime torridam Burman. ad Nemes. Eclog. II. 80. et ad Phædr. III. 11. 54. 'Viam militarem,' et 'publicam' esse distinguendam putat Gothofredus ad Cod. Theod. tom. II. p. 530. ut per militarem annonaria specierum et tributorum facta fuerit evectio, sed ex hoc etiam loco eum refutavit Hennin. ad Bergierii Vias Milit. III. 51. § 2. *Arntz.*

Via sit confragosa] *Sit ac confragosa* Vet. Bertin. Eruebam e scripta lectione, *via situ confrag.* quod vix dubito, quin planissime probum. *Livin.* Cum custodiant Mss. duo, *via sit ac confragosa*, videndum, an non fuerit, *et ut via militaris sit, at confragosa, &c.* nam, qui emendant, *via situ confragosa*, ostendere deberent, vias militares tales fuisse, quod falsum est: nam viæ militares viæ erant omnium commodissimæ, modo id pateretur rerum natura. Cui cum vis fieri non possit, asserit auctor, viam istam, quamvis militarem, fuisse tamen confragosam, et ineptam trans-

mittendis carpentis onustis. *Gruter.* Non dubito, quin sit legendum *sic confrag.* unica mutata litera: alii legunt *situ*, alii *sit at.* Lectionem tamen non muto, cum exemplarium desit auctoritas. *Patarol.* Duo Mss. qui custodiunt *sit ac*, sunt Livin. et Bertin. quibus et Mœrl. cum Gud. est addendus. Si vulgata retineatur, importunum profecto est τὸ *sit*, nec ullo modo ferri potest. Livineii emendatio, quam non recte cepisse videtur Gruterus, (ex ea enim non sequitur, ut putaverit, vias militares fuisse confragosas) ea igitur satis quidem speciosa est; sed dubito tamen, temere fortasse, an via *situ confragosa* esse dici queat. Quidquid sit, lectionem Gruteri, ut certiorem et firmiorem, visum est amplecti. Patarol. conjicit *sic*, quod nec ipsum spernendum. *Jæger.* Codd. scripturam restitui. Decepit eruditos major interpunctio post *tenebrosa*, unde *confragosa* retulerunt ad *via*, cum sit neutrum plurale, hoc sensu, *vasta omnia, ... muta, tenebrosa, etiam militaris via sit, ac confragosa*, id est, etiamsi via sit militaris, in qua hoc rarius eveniebat. Quod de viis militaribus negat Gruterus, ab omni parte non est certum; nonnumquam enim ob vias confragosas collationis in censu translationem esse factam, ut in diversis locis prædia possidentes uni tantum exactori responderent, ostendit Gothofredus ad cod. Theodos. tom. IV. p. 171. quod non nisi ad militares pertinet. *Arntz.*

Ardua atque præcepe] Gud. et Mœrl. *sed alternis motibus ardui aditus atque præcipites:* τὸ *sed* manifeste depravatum est ex *et*; *motibus* ortum ex *mōtibus*. Cetera, quamquam non vitiosa, scripturæ tamen reliquorum omnium non sunt anteponenda. *Jæger.* Recte illud *sed* damnat vir clarias. sed alteram lectionem *ardui aditus atque præcipites,* præferendam duxi; vulgata enim *ardua atque præceps* orta est, quia *confragosa* singulari numero ad *via* retulerunt librarii, quo facto singularis quoque connecti debebat: jam elegantius ex lectione, quam dedi, plurale *confragosa* conjungitur cum *ardui aditus*, et confirmant sequentia § 4. 'regionum nostrarum aditum, atque adspectum tam fœdum, tamque asperum.' *Arntz.*

§ 3 *Parvarum frugum*] Forte *parvarum* auctoritatem caperet ex Sedulio Hymn. II. 23. 'Parvoque lacte pastus est:' nisi ibi legendum sit 'Parvusque,' id est infans; quædam etiam habet Cortius ad Plinium Epist. VIII. 14. 14. et quæ dixi Specim. Obs. c. 9. librariis tamen insolentius illud *parvarum* tribuo, quare *paucarum* recte recepit Gruterus, quamvis ab eo recesserit Rivinus; et certe hoc sequenti *plurimarum* sit aptius, quare 'parvus' quidem 'magno,' non autem 'multo' opponi notabat Burmann. ad Lucan. II. 128. *Idem.*

Ceteris plurimarum] Desunt in omnibus nostris, quæ e Chassenæo describam. Sic igitur est in eo: *ceteris plurimarum. Horum locorum, Imperator, ingenium est hujusmodi, ut te eorum aspectum non horruisse loco sit summi beneficii, recreasse vero, plane non hominis, sed divinum opus omnes fatebuntur, nos proprie benevolentia colemus sempiterna. Quo magis, &c.* Egregium fragmentum, et quo uno omnia ejus exemplaris vitia bene compensata. *Livin.* Sitne fragmentum illud nostri, dubito. Posterior enim ejus sententia plane sequenti est similis, et deest quoque in Guelferb. 'Frugum' illa 'evectio' ad annonam a provincialibus præstandam pertinet, in qua transvehenda longioris spatii, et ipsius itineris habebatur ratio, quo provincialium commodis prospicerent, unde erat, quod juste de via confragosa conquereretur Eumenius, quæ huic officio maximum objiciebat impedimentum. Cf. de hac re Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 18.

21. et 171. *Arntz.*

§ 4 *Itinerum*] Potest a glossa esse vox *itinerum*. Potest tamen et ferri. Nam *interim*, etsi non ineleganter etiam possit, vix audeam rescribere. *Acidal.*

Illustrare] Cf. ad Mamertin. Genethl. IV. § 2. Eumen. Constantin. XXII. § 6. *Arntz.*

§ 6 *Dii boni*] *Di min.* e Bertin. notatur, si bene exscriptum. Voluerit, opinor, librarius *immortales*, litteris modo inversis, nam antiquaria scriptura *inmortales*, ut norunt, qui veteres codices inspexerunt. *Livin.*

Ipsius urbis] *Istius* Guelferb. quod codd. auctoritate recepi, et referendum est ad sequens *quæ*, quod ad *portas* aliis pertinere videbatur, quia in fine legebatur *videbantur*.. Arntz.

Habitu illo] An *aditu*, an *ambitu?* Sed nil mutandum. *Acidal.* Cave, mutes. 'Habitus' est loci ex natura situs; notat enim conditionem, indolemque, quæ rei, aut homini est a natura. Vid. Cort. ad Sallust. Jugurth. XXVIII. 4. quædam quoque dixi ad Mamertin. Genethl. IX. § 1. *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Unus se*] Rhen. Steph. Livin. habent *unus se:* quod corruptum esse facile jam vidit Rhenanus, et veram lectionem, quam scripti libri, et editi omnes reliqui præferunt, conjectura adsecutus est. *Jæger.* De 'effundere' vide ad Eumen. Constantio XIX. § 1. 'obviam procedere' alii habent, de quo Cort. ad Sallust. Jugurth. XLVI. § 5. Adde eumd. ibid. XLIX. § 2. Locum hunc recte contulit Puteanus ad geminum Mamertini Genethl. XI. § 3. *Arntz.*

Convolaverunt] Lege *convolaverant*. Ritters. Rittershusii notam, in edd. omissam, repetii ex ipsius conjecturis tom. I. Paræneticorum Goldasti, quamvis non adsentiar. De 'omnium ætatum' hominibus vide ad Mamertin. Genethl. XV. § 4. *Arntz.*

§ 2 *Propagandos aliorum Principum sollemni*] *Ad* abest in Bertin. in Cuspin. editum, *ad propag. ad aliorum, &c.* Mihi venerat in mentem suspicari, *annos* excidisse de Tertulliano, cujus ex Apologetico verba apponam, ut in Ms. quodam offendi, et, meo animo, rescribi debent: 'Jam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparerent novi ac novi Cæsaris scenam congiariis dividundo præsidentis etiam illa hora, qua acclamant, De nostris annis tibi Juppiter augeat annos!' Sed in id votum de more, et solenniter juratum, id vero, ut ingenue dicam, legere haud dudum memini. Conjecturam quidem nostram post repperi et in Rhenano. *Livin.* Legendum hic, *ad propagandos annos aliorum*, mihi quoque visum, antequam Livineii ex conjectura supplementum vidissem. *Rittersh.* Rhenanus *annos* inserendum putavit. Probe, quia ab ultimis syllabis vocis *propagandos* facile hoc potuit absorberi. Probat et Rittershus. *Acidal.* Sic libri, sine adjecto per se substante nomine. Plerique consentiunt, *annos* interponendum esse. *Cellar.* In Gud. legitur *propagandos*. Pro *annos*, quod etiam Schonhov. addit, Mœrl. cum Gud. habent *dies*. Quod tamen non *vitam* significare, (hoc sensu enim *dies* Latine, ut Gall. *jours*, dici posse haud puto) sed de diebus natalibus Principum, quo imperium susceperunt, intelligi fortasse debet. Certe, cum *dies* simpliciter pro die natali vitæ, in Ciceron. Epist. ad Attic. XIII. 42. etiam de natali suscepti imperii recte intelligi posse videtur, quamquam exemplum hujus usus nondum inveni. 'Propagare diem,' (paullo quidem aliter, quod facile agnosco) dixit Cicer. Catil. III. 11. 'eamdemque diem intelligo, quam spero æternam fore, et ad salutem urbis, et ad memoriam consulatus mei propagatam.' Idem Catil. II. 5. 'Multa sæcula rei publi-

cæ propagare.' Pro voce itaque *annos*, quam Cellarius contextui interposuit, malui recipere τὸ *dies*, quod codd. auctoritate munitum est. *Jæger*. Secundum codd. locum expressi. Confer etiam ad Eumen. Constantio III. § 2. Mihi illud 'propagandos dies' ex Ciceronis apud Jægerum loco translulisse videtur. *Arntz.*

Juratur] Lego *vovetur*. Ita nihil opus erit, cum Livineio mirari, cur præter aliorum historicorum mentionem dixerit Eumenius, in votum illud sollemne pro salute et longævitate principis juratum fuisse. *Ritters.* Ritterhus. mavult *vovetur*, et Livineius quoque hæsitat. At natali Principum, quo imperium susceperant, cum voto pro salute ipsorum quotannis etiam 'juratum' fuisse, ex Plinii Epist. x. 60. est manifestum. *Cellar.* Manifestum est, celebrantes natalem Principis precatos esse, ut illum Dii incolumem florentemque præstarent, et jurasse scil. in acta nomenque illius. Hæc non sunt confundenda. Itaque pro *juratur*, libenter substituerem *vovetur*, si libri addicerent. Vid. Lips. Excurs. A. B. ad Tacit. Annal. XVI. *Jæger*. Vulgatum tuetur Gronovius Diatrib. Statian. p. 97. quia per ea jurabant, quæ maxime vovebant, et in spe habebant, atque ita in votis pro salute Principis, ut sibi, eodem salvo vel superstite, mori contingeret. *Arntz.*

Secure fovemus] *Fovemus* est in Rhenani, Henr. Stephani, et Rivini edd. quod jam in *vovemus* mutandum esse vidit Fornerius Rer. Quotid. II. 6. in Schonhovii excerptis est *favemus:* præstat vulgata, quam etiam tuetur Guelferb. *Idem.*

Longa ætas] Mamertinus in Maximianum: 'Sed qui velit omnia ista complecti, sæcula sibi optare debet, et quantam tu mereris ætatem.' *Livin.*

§ 8 *Surgentium gaudiorum*] Plinius Hist. Nat. VII. 42. 43. 'Exempla fortunæ variantis innumera sunt. Etenim quæ fecit magna gaudia, nisi ex malis?' Infra Panegyr. Nazar. cap. XXXII. § 8. 'Nihil est immoderatius, quam, post longum tristitiam, repens gaudium.' Cf. Pacat. c. XIX. *Jæger.*

Caluit] Cf. ad Mamertin. Genethl. X. § 5. *Arntz.*

Futuræ felicitatis] *Venturæ* Bertin. *Livin.* Mœrl. *venturæ*. Jæger. Et Guelferb. quod recepi: infr. XII. § 4. 'venturis pensitationibus.' Nazarius Paneg. II. § 2. 'venturi fides.' Mamertinus Julian. XIV. § 7. 'venturæ felicitatis,' et cap. XXXI. § 1. 'venturis seculis.' Pacatus Paneg. XII. § 3. 'ventura posteritas.' Lucanus Pharsal. VII. 180. 'mors ventura.' Apud Lactantium M. P. cap. 1. 'vel qui p . . . turi,' recte lacunam supplet, 'post venturi,' vir. clariss. Observ. Miscell. tom. IV. pag. 34. probante Touissantio Conject. in Lactant. p. 37. Utramque vocem permutatam docet Drakenb. ad Livium II. 56. 5. *Arntz.*

Indulgentiam] De qua infra c. XI. *Paterol.* Cf. supra c. I. § 3. Frustra mox Acidalius. *Arntz.*

Qua futurus eras] Non muto: nec tamen placet. Quam facile rescribas, *quasi jam indulta, quæ daturus eras, haberemus.* Acidalius. Rhenan. Stephan. *qua futurus eras.* Livin. nescio unde, *quam usurus eras.* Schonhov. Mœrl. quos ceteri sequuntur, *quam daturus.* Pro *eras* Mœrl. vitiose *esset.* Acidalius facile rescribi posse contendit, *quasi jam indulta, quæ daturus eras, haberemus.* Sed, (fatebor enim) mea secus est sententia. Nam si v. g. in Plaut. Pers. II. 2. 32. ubi vid. Taubmann. 'dictum habere' idem est, ac 'dixisse,' consequens est, ut 'indultum habere' significet 'indulsisse,' non 'accepisse,' uti vult Acidalius. Et fac, significatum, quem sententia postulat, in ista locutione inesse, idcirco tamen lectioni Rhenan. non erit anteferenda, quæ auctoritate optimorum, v. g. Nepot. Attic. XVII. 2.

innixa, probabilior pæne vulgata, ('dare' enim 'indulgentiam' recte, et Latine dici vix credo,) probabilior, inquam, mihi videretur, nisi obstaret τὸ *haberemus*, quod cum illo *quæ futurus eras* minus convenit. Tenendum vero est, hujus ætatis scriptores a recta, et exquisita ratione, et lege loquendi non numquam aberrare, ideoque verba eorum, licet a regula probatæ Latinitatis recedant, non temere esse tentanda, si criticis rationibus satis videantur munita. Quapropter consensum codd. h. l. conjectura Acidalii, et lectione Rhenan. et Livin. quæ unde petitæ sint, non constat, potiorem esse judicavi. *Jæger*. Immerito mihi suspecta fuit locutio 'dare indulgentiam.' Schenkius demonstravit locum Plinii Epp. x. 11. 2. 'Cui et, si quid mihi credis, indulgentiam tuam dabis.' Itaque τὰ καλῶς κείμενα μὴ κινεῖν. *Idem*.

§ 4 *Exornavimus vias*] Inter alia floribus haud dubie, similibusque lætitiæ et honoris indiciis, de quibus Barth. ad Claudian. vi. Cons. Honor. 521. Rivin. ad Pervigil. Vener. vs. 99. pater meus ad Pacat. Paneg. xxxvii. § 4. Van Hoven Campens. p. 116. *Arntz.*

Signa collegiorum] Vopiscus in Aurelian. Capitolin. in Gallien. Vide P. Fabr. in Semestr. *Putean.* Quam Romæ Numa rex instituit populi per artificia divisionem, seu centuriationem, ut loquitur in ejus Vita Plutarch. eandem et in aliis urbibus usu fuisse non dubito. Hinc patet, quid sint collegia populi, seu sodalitia, quibus etiam 'concilia, et sacra cuique sectæ decentia,' juxta citatum auctorem, attributa sunt. Iisdem et propria fuisse signa consonum est, qua super re videri potest Alexand. ab Alexandr. i. 26. Minus apposite, meo judicio, P. De la Baune interpretatus est, eruditorum hominum signa, et imagines. *Patarol.* Trebell. Pollio Gallien. duob. c. 4. de pompis decenn. 'Omnes viæ ludis, strepituque et plausibus personabant. Ipse medius cum picta toga, et tunica palmata inter Patres, ut diximus, omnibus sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, et præter ea, quæ collegiorum erant, dracones, et signa templorum, omniumque legionum ibant.' Vopisc. Aurelian. c. 34. de triumpho Imperator. 'Jam populus ipse Romanus, jam vexilla collegiorum atque castrorum, et cataphractarii milites, et opes regiæ, et omnis exercitus, et senatus, (etsi aliquanto tristior, quod senatores triumphari videbat) multum pompæ addiderant.' Add. Alex. ab Alex. i. 26. Baunii sententiam, eruditorum hominum signa et imagines hic intelligentis, non moramur. *Jæger*. Recte notatus Baunius; provincialia enim intelliguntur collegia, quæ sua sibi vexilla singularia habuisse docet Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. v. p. 215. *Arntz.*

Instrumenta modulorum] Instrumenta musica sonora hic intelligi debere puto. *Jæger*.

Per compendia] Ex defectu modulantium; quare iidem variis in locis Imperatori occurrebant. *Patarol.* H. e. per notos flexus viarum. Sic Florus iii. 3. 7. 'Marius, mira statim velocitate, occupatis compendiis, prævenit hostem.' Justin. xxxviii. 9. 7. 'Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidæ successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit.' Add. Schwarz. ad Plin. Paneg. xcv. § 5. *Jæger*. Intellige, quia propter modulantium defectum singulis locis alios collocare non possent, eosdem, ex quo uno essent loco modulati, per viæ compendium sese celeriter in aliam partem contulisse, ut illic, adveniente Imperatore, iterum modularentur, quæ Pataroli quoque interpretatio. *Arntzen.*

Occursura pertulimus] Facile quidem patet, non solum otiosam, sed et insuavem esse ejusdem vocis repetitionem. Puto tamen priore loco, post *simulacra* melius posse omitti. Ibi certe omisit Patarol. quem sequor. *Jæger.*

§ 5 *Studio æstimaret*] I. e. qui crederet, nos tantis re vera instructos esse opibus, quantas ostentare studebamus. *Idem.*

CAP. IX. § 1 *Quod opus*] Sic Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Sed vera lectio, ex codd. Liv. Lang. Put. Mœrl. petenda, jam a Livineio, et Acidalio commendata, adlatoque, quod mox infra legitur, 'quid remedii posceremus,' confirmata, inde a Francofurt. in omnibus edd. reperitur. *Jæger.*

Desideraremus] Mœrl. habet *desideremus;* quod minus rectum, *Jæger.* Vitiosum illud esse, docet *posceremus,* infr. § 4. *Arntz.*

§ 2 *Vera beneficia*] Nota doctrina iis, qui Senecam degustarunt: quare et a Mamertino Paneg. cap. 18. dictum, 'maximo vendit beneficium, qui preces accipit.' *Patarol.*

§ 3 *Majestatis affectu*] Non debuisset contra codd. auctoritatem tantum Gruterianæ conjecturæ, *aspectu,* tribuere Baunius, ut eamdem in textum reciperet, quamvis eum sint secuti Cellarius et Jægerus. Priorem revocavi scripturam, cum *adfectus* sit huic loco convenientius, et *bonitati, lacrimis,* similibusque, quæ memorat; isque 'adfectus' est, quam § 5. dicit 'misericordiam humentibus' Imperatoris 'oculis eminentem.' *Arntz.*

Perfricare frontem] Hoc est, pudorem deponere, quo sensu verbum hoc auctoribus usurpatum. Martialis lib. XI. 'Perfricuit frontem, posuitque pudorem.' *Patarol.*

Trepidanter dicere] Rectum hoc: sed et rectum esse hoc in loco possit, quod alias plane contra, *intrepidanter.* Acidal. Emendatione non opus; *trepidanter* in principio dicebant, sed propter Imperatoris facilitatem *apte* sine ulla trepidatione desinebant. *Arntz.*

Apte desinere] In initio, ex trepidatione, ore titubante, et cum intermissione dicebat, animo autem confirmato, una serie, oratione connexa et continua. Ex Græca enim vocis origine *aptus* proprie id quod colligatum et connexum est indicat. Cf. Cortium ad Ciceron. ad Divers. III. 2. eaque est significatio in 'apte loqui' apud eumd. de Orat. I. 32. *Idem.*

§ 4 *Remisisti*] Inepte Vet. *renuisti.* Mamertinus Grat. Action. pro Consulatu: 'Parvi autem, Imperator, putas esse beneficii, quod rogandi mihi periculum remisisti.' Auctor in Constantinum A. 'Cum natura in ceteris sumptum operis remisisset.' Plinius Panegyr. 'Provinciis quoque in posterum et injuriarum metum, et accusandi necessitatem remisisti.' Lucanus lib. IX. ad Cæsarem: 'Quam magna remisit Crimina Romano tristis Fortuna pudori, Quod te non passa est misereri, perfide, Magni Viventis!' *Livin.* Ex concedendi notione, quæ huic verbo inest, loquendi fluxit modus, de qua Gothofred. et Ritterus ad Cod. Theodos. tom. I. p. 16. Lindenbrog. ad Ammian. XVI. 5. male hinc Guelf. infra X. § 5. 'dimissurus.' *Arntz.*

Ultro percunctando] Mœrl. *percontando,* uti et infra c. X. § 5. 'percontatur.' Sed nolo vulgarem consuetudinem deserere, quam tuetur etiam Cort. ad Sall. Cat. XL. 2. *Jæger.* Cf. ad Mamertin. Genethl. VII. § 7. Puteolanus, et Rhenanus, *ultra;* male, est enim *ultro* quoque *ultra,* insuper. Not. ad Livium III. 11. 13. XXI. 28. 4. XL. 12. 4. ad Plinii Paneg. VI. in fin. *Arntz.*

Quæ nos] Lege *dum nos.* Acidalius. Acidalius post *tacebamus* interpungit; ita ut verbis, *Dum nos . . . adfatu,* pri-

or, et *vidimus misericordiam . . . eminentem* posterior periodi pars absolvatur; quod minus placet. *Jægerus.* Unde hæc de Acidalio hauserit vir clariss. ignoro, qui mihi *dum* tantum videtur voluisse geminandum. *Arntz.*

Jacentes] Supra: 'Cum in illo aditu Palatii tui stratum ante pedes tuos amplissimum ordinem indulgentiæ tuæ voce divina, porrectaque hac invicta dextera sublevasti.' *Livin.*

Attollis afflatu] *Affatu* Vet. Cuspin. Rhen. Chassen. *Livin.* Livin. *afflatu*; male. Illud et manu et typis exscripti omnes præferunt. *Jæger.* *Afflatu* etiam Paull. Stephanus; posset hoc pro favore accipi, 'ut adflatus divinus' apud Ciceron. N. D. II. 66. ex ea metaphora, qua scripsit Ovidius ex Pont. II. 3. 25. 'Dum flavit velis aura secunda meis:' quocum egregie Lucianum Toxar. p. 514. contulit clariss. Ruhnken. ad Rutil. Lup. pag. 123. Utrum posset inde quoque auctoritatem accipere, quod 'adflare' notat tam prope consistere, ut alterum tangas? de quo Burman. ad Valer. Flacc. VI. 183. ut indicet, quam prope ad colloquium sint admissi. Vulgatum tamen præfero, quod etiam est in Guelferb. ut apud Pacat. Paneg. XX. § 2. 'cohonestatus adfatu.' 'Adtollere' tetigi ad Eumen. Constantino X. § 7. *Arntz.*

§ 5 *Vidimus minimam*] *Misericordiam* Vet. Rhenan. Chassen. *miam* Cuspin. Pudendo errore vulgatum e curta, quam Cuspin. exhibet, scriptura. Quod idem mendum incidit et Nazarii laudatione in Constantin. cap. VI. Corruptum in eodem et 'mira' pro 'misericordia,' cap. III. *Livin.*

Eminentem] Exundantem, et quasi perspicuam. *Patarol.*

Flebamus gaudio] Cf. ad Plinii Paneg. II. in fin. 'Per gaudia plangere' dixit Sedulius III. 142. *Arntz.*

§ 6 *Ubertat*] Nota verbum 'ubertare:' nisi mutandum *uberat.* Nam *errore* non sustineam reponere. *Acidal.* Insolens verbum 'ubertare,' nec vero propterea expungendum. Numero sane, et formæ periodi, porrecta media, congruentius videtur, quam, quod alii in locum sufficiunt, *uberat*, quo Plinius ita usus est Panegyr. cap. XXXII. *Cellar.* Verbum 'ubertare' etiam in Panegyr. Plin. l. c. probarunt et receperunt Schwarzius ac Gesnerus. *Jægerus.* Adde illic etiam patrem meum. *Uberat* h. l. habet Pareus Lexic. Symmach. v. 'uberare.' *Arntzenius.*

CAP. X. § 1 *Naturæ bonitatis*] Legendum suspicor, *naturæ bonitas.* Simili hysterologia librarius scripserat apud Incert. Constantino III. 'usque ad mortem devotionis,' cum debuisset scribere, 'usque ad mortis devotionem,' ut ibi rectissime conjecit Livineius. Sic in hujus Rhetoris Panegyrico Constantino X. pro 'legem illius severitatis' legendum videtur 'legis illius severitatem,' quod si non est certum, at esto arbitrarium. *Ritters.* Per periphrasin dictum videtur, ut 'Natura Deorum' pro 'Dii,' et alia hujus generis. Potest tamen 'innata' quoque 'bonitas' intelligi, quæ interpretatio melius fortasse cum eo, quod sequitur, 'ingenui fontes' congruit. *Jægerus.* Hysterologiam in his quoque notavit Herm. Cannegieter. adfinis dilectissimus, in Observ. Jur. III. 10. neque quid emendandum. Rittershusii notam, in ed. Parisina neglectam, ex Conjecturarum Reliquiis post Goldasti Paræneticos huc revocavi; hic autem similia notavit in Sacr. Lect. III. 18. In Chassen. est inverso ordine, *est in te.* Arntz.

Conceperis] Emendat Petrus Daniel, *conceperas.* Gruter. Uti habet Stephan. Verum hæc emendatio tum demum probanda est, cum sequimur lectionem Livin. Rhenan. et Stephan. pro *declares* exhibentium *declarares.* At vero, cum *declares* in codd. Livin. Bertin. Chass. Put. Mærl. et Cuspin.

reliquisque edd. reperiatur, nulla admittenda est mutatio. *Jæger.*

§ 2 *Ingenui*] Lucretius I. 231. 'Unde mare, ingenui fontes, externaque longe Flumina suppeditant?' Lambinus, et Creech. h. l. *ingenuus* recte interpretantur non arte, manu, aut opera factos, sed nativos. *Jæger.* Conjicit in margine Cortius 'irrigui,' de qua voce dixi ad Sedul. III. 174. *Arntz.*

Ubique possint] *Præsint* Vet. Bertin. egregie. Estque hic quoque, ut hoc obiter addam, a compendiis peccatum. Nam *psint* in vetere scriptura est *præsint*. Idem mendum observo et in Seneca de Benef. VI. 22. Verba apponam, quæ fœde accepta: 'Sit tanti, ut tu coarguaris. Ista tibi concedere possunt etiam invito, euntque ista tua causa, etiamsi major illis alia ac prior causa est.' In Leodiensi vetustissimo Ms. quem accurate Car. Langius tractavit, propius vero est, 'Est tanti, ut tu coarguaris ista concedere. Possunt tibi etiam invito,' &c. Juvem et emendem, 'ista conced.? Prosunt,' &c. Clarius etiam dixisset: 'Illa vero prosunt t. et inv. euntque tua causa,' &c. *Livin.* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. *ut ubique possint ire.* Sed Livin. e suo, ac Bert. Ms. quibus et Put. cum Mœrl. accedunt, veram lectionem protulit, quam deinde ceteri amplexi sunt. *Jæger.*

Cælo missa] In Constantinum A. 'Illa, inquam, illa majestas, quæ Jovis subjecta nutu, nec Iridi, Deum nunciæ, sed pennis commissa Victoriæ, tam facile te comitata est, quam cito ad terras cælo missa perveniunt.' Statius Thebaid. III. 'Non ocius alti In terram cadit ira Jovis, siquando nivalem Othryn, et Arctoæ gelidum caput instituit Ossæ.' *Livin.* Cf. ad Eumen. Constantin. VIII. § 5. *Arntz.*

Illud fecit] Rhenan. Stephan. Livin. *illud fecit.* Sed Livineius e suo, et Bert. exemplo, itemque Cusp. quibus Put. et Mœrl. addi debent, veram lectionem indicavit, quam ceteri editores merito sunt secuti. *Fecit*, i. e. facere solet. *Jægerus.* *Illico* etiam Guelferb. cui locum dedit Gruterus, eumque sequentes præter Rivinum. De perfecti usu vid. Jæger. ad Eumen. Constantin. VIII. § 1. de 'mente' autem 'mundum gubernante' cf. ad Mamertin. Genethl. XIV. § 2. *Arntz.*

§ 3 *Concilium amici*] *Consilium* recte Rhenanus et Henr. Stephanus, quod reliqui in *concilium* mutarunt, donec meliorem revocaverit lectionem Baunius, confirmatam a Guelferb. Chassen. etiam Puteaneo in variantibus penes me Mss. altera enim ex eo male notatur in ed. Paris. Præterea *amici* primus ejecit Gruterus, et sequentes præter Rivinum et Baunium. Recepi codd. apud Jægerum lectionem, et *amicum* capio pro eo, qui Principi a consiliis, eo sensu, quem exposui supra II. § 1. *Idem.*

Ullo artificio] Vid. infra Mamertin. Paneg. Julian. cap. XVIII. § 2. et Pacat. c. XIX. § 1. *Jæger.*

Occupas] Vix est, quod optemus, cum tu tam celeriter beneficia nobis præstes. *Patarol.* Cf. Juret. ad Symmach. Epist. I. 79. *Arntz.*

§ 4 *Sed enim*] Sic habent libri, quos consului, omnes. Verum, cum hæc ad confirmanda, et illustranda superiora addantur, nimis importunum visum est τὸ *sed.* Reposui itaque *et*, secutus auctoritatem Gesneri, qui in Quinctil. Instit. Orat. VII. 4. 5. pro *sed enim*, quod omnes libros obsederat, itidem substituit *etenim.* Licentia hæc, sumta prudenter, nobis quoque, spero, dabitur. *Jæger.* Mihi sumere non sum ausus, cum *sed enim* præcedentia fortius confirmare videatur, et sententiam intendat, ut apud Eumen. pro Instaur. Schol. 19. princ. adde Burman. ad Ovid. Amor. III. 2. 73. *Arntz.*

Diu venturi] Id est, longe optatur. Cf. Livin. infr. ad Incert. Constan-

tin. XIII. § 4. Schulting. ad Senecæ Controv. p. 153. Burman. ad Quinctil. Declam. I. 11. De voce *venturi* vid. VIII. § 3. *Idem.*

Æstas flore solidat] Pithœan. *Ver elicit flores, æstas solidat;* vel sic melius leg. *ver elicit, æstas solidat, calor emadurat.* Videtur enim τὸ *flore* expungendum, ut superfluum. *Putean.* Cum Putean. ut solet, Mœrl. itemque Gud. consentit. *Jæger.* Dedi scripturam codd. non tamen dubito, quin sit legendum, *ver elicit flore, æstas solidat*, ni fallor, ad rei naturam. *Arntz.*

Meritorum tuorum] Nescio, an *munerum*, aut *remediorum.* Acidal. Nihil hic mutandum. Nam *mereri*, et *merita* poni pro benefactis certissimum est. Donatus ad Terent. Adelph. II. 1. p. 259. ed. Lindenb. 'Mereri et promereri est præstare beneficium.' Virgil. 'Quique sui memores alios fecere merendo:' et 'nunquam, regina, negabo Promeritam.' Sic etiam Seneca Med. II. 120. 'Durus merita contemsit mea.' Herc. Œt. v. 1811. sq. 'Arcadum an populos petam, Meritisque terram nobilem quæram tuis?' vs. 1817. sqq. 'Thracias gentes petam, Hebrique populos? hæc quoque est meritis tuis Defensa tellus.' Add. Juvenal. XII. 124. *Jæger.* Barthius ad Gratium Cyneg. 191. inde pro virtutibus sæpe accipitur. Idem ad Rutilii Iter I. 546. ad Claudian. IV. Cf. Honor. p. 677. *Arntz.*

Inconditis] Nihil erat, quod *condita* mallet Acidalius; sextum enim casum in similibus adhiberi docet Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. III. p. 197. et ipse ad Sedulium IV. 107. v. 200. sunt autem *condita* horrea. L. 3. C. Theod. de Erogat. Milit. Annon. 'De conditis species annonarias usurpare.' L. 15. eod. 'de conditis sumere.' L. 16. eod. 'species ex conditis excludere.' Utroque loco postremo vide Gothofredum, et Lindenbrog. ad Ammian. Marcell. XXIX. 5. *Idem.*

§ 5 *Definisti numerum*] Scilicet censitorum. Sed et *quæsivisti* arbitror verum. Patet ex eo, quod sequitur, *interrogasti.* Livineius. Emendatione non opus. 'Definitio' ad eos pertinet, qui tributa pendebant, de quo hæc verba recte intelligit Cellarius infr. XI. § 1. Ad hoc Constantini consilium de censu Gallicano levando refert Gothofredus L. 1. C. Theodos. Sine cens. vel reliq. quæ ad Galliam Lugdunensem pertinet: 'Rei annonariæ emolumenta tractantes, ut cognosceremus, quanta reliqua per singulas quasque provincias, et per quæ nomina ex hujusmodi pensitationibus resedissent.' Cf. et Chronolog. Cod. Theodos. p. 5. dissentit tamen a Gothofredo Pagius Dissert. Hypat. pag. 142. *Arntz.*

Reliqua debita remissurus] Τὸ *debita* meo quidem palato glossam sapit. Lego, eo remoto, *reliqua remissurus. Reliqua* absolute usurpari nemo nescit: unde 'reliquare,' 'reliquator,' 'reliquatio,' quæ in optimo Glossario exponitur λοιπογραφία. Et in altero est: Λοιπὰ, *reliqua, reliquarum*, lego *reliquarium;* ut paullo ante, Λοιποδάριομ, *reliquarium;* Λοιπογραφία, *reliquatio;* Λοιπάζω, et Λοιπογραφῶ, *reliquo.* Ritters. Glossema *debita* Rittershusio apparet, et omnino ea vox potest abesse, quum non ignotum, quid *reliquorum* nomine, et verbo *reliquandi* significetur. *Cellar.* Bene removet vocem *debita* Rittershus. Sic Auctor ipse infra c. XII. § 4. 'remississque reliquis nihil est, quod respectandum timendumque sit:' et c. XIII. § 1. 'quinque annorum nobis reliqua remisisti:' et § 5. ejusdem cap. 'valet, plena fuisse horrea, plenas cellas, cum in nullis reliquis hæreamus:' et c. XIV. § 3. 'Quam multi, Imperator Auguste, quos inopia latitare per saltus, aut etiam in exsilium ire compulerat, ista remissione reliquorum in lucem exeunt!' Vid.

quos laudat Cort. ad Cicer. Ep. ad Div. II. 13. 8. Glossam igitur hanc, a Cellario jam uncis inclusam, expungere non dubitavi. *Jæger.* Contra codd. vocem ejicere non sum ausus, quamvis melius abesset. Cf. Glossar. Cod. Theodos. in v. et Lindenbrog. ad Ammian. Marcell. XVI. 5. ex quo præterea patet, male in Guelferb. legi *dimissurus*, et locis apud Jægerum, adde supr. IX. § 4. *Arntz.*

Quantum remittat] Priceus ad Euang. Matth. XXI. 32. citat *ut remittat*, quod in nullo inveni, neque sententiæ satisfacit. *Idem.*

CAP. XI. § 1 *Per satiriam*] *Satyria* genus edulii. *Rhenan.* Festus Pompeius in hac voce: 'Satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum: et lex multis aliis conferta legibus: et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur.' Diomedes, vetus grammaticus, lib. III. capite de Poëmatis Generibus: 'Satyra, lanx referta variis multisque primitiis, quæ in sacro Diis inferebantur.' Et paullo ante: 'Olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, Satyra vocabatur, ut Pacuvii, et Ennii.' Addit tertiam notionem pro 'carmine maledico, quale scripserint Lucilius, Horatius, et Persius.' *Cellar.* Confuse, commixte. 'Satura' enim est genus cibi ex variis rebus compactum; item genus quoddam carminis, quo de omnibus dicitur, Satyra etiam dictum, unde Juvenal. Sat. I. 'Quidquid agunt homines, &c. nostri est farrago libelli.' *Patarol.* *Per saturam* significat per quamdam confusionem, et sine certo ordine. Vid. Cort. ad Sallust. Jug. XXIX. 5. *Jæger.* Recte Patarolus, et Jægerus, quam in rem abunde satis facient notata a Ruperto, Wasseo, et Cortio ad Sallustii locum, Lindenbrogio ad Ammian. Marcell. XVI. 6. neque alia erat ratio in 'lege satura,' id est, quæ de pluribus rebus, et diversis agit, ut scribit Isidorus Origin. v. 16. ubi ex optimo Groningano cod. emendo, 'quasi a saturitate,' non 'satietate.' De lege satyra egit Prateius Leg. Pop. R. tom. v. Thes. Otton. p. 514. Duplicem adpellationis rationem, vel a 'satyra' lance, variis frugum primitiis referta, et in sacris Cereris adhibita, vel a quodam farciminis genere, variis rebus condito, prodit Schottus Observ. Phil. I. 2. male Legem Miscellam eodem modo explicuit Cujacius Opp. tom. x. p. 10. recte notatus a Bachio in Opuscul. p. 198. *Arntz.*

Millia capitum] Censa erant XXV. millia: ex quibus VII. millia remissa, supra quartam summæ partem, unde omnibus levamentum. Hoc supra c. x. dixerat: 'definisti numerum.' *Cellar.* Cf. Lips. Excurs. K. in Taciti Annal. I. *Jæger.* Verba hæc capit Lipsius, tam in loco apud Jægerum, quam de Magnitudine Rom. II. 3. de censu in singula capita, sive homines indicto, pro colonorum capite, de quo Savaro ad Sidon. Carm. XIII. 20. idem sentit Vales. ad Ammian. Marcell. XVI. 5. Sirmondus ad Sidonii locum, et hic cum Baunio Cellarius, cui opinioni favere videtur locus infr. XII. § 3. 'parentes adulterorum non pœnitet filiorum, quorum onera sibi remissa lætantur.' Est tamen, ut magis de indicto possessionibus tributo interpreter, judicium secutus Gothofredi ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 28. tom. v. p. 131. huc enim pertinent, quæ supra de agrorum modo dixit, præsertim cap. v. § 5. 'Agros, qui descripti fuerant, haberemus, et Gallicani census communi formula teneremur:' quod ad colonorum capita frustra trahas. Cap. XIII. § 5. commoda ex Imperatoris indulgentia describit: 'Plena fuisse horrea, plenas

cellas.' XIV. § 3. 'Desinunt odisse agrorum suorum sterilitatem, resumunt animos, operi præparantur, culturam,' &c. cujus non alia potest esse ratio, nisi levatum in possessionibus tributum. Quantum vero locum ex cap. XII. adtinet, cum illic de 'adultis filiis' loquatur, eorum potuit possessiones intelligere, quarum onera parentes remissa lætabantur, sicut ex eadem ratione liberi, quod ait, parentes habuerunt cariores, et mariti conjuges non gravate tuiti, cum ita gravioris tributi onere soluti rem domesticam facere possent auctiorem. Census autem ille erat fundorum, et jugerum, L. 1. C. Theodos. 'Ne collat. translat. postul.' qui jugorum erat, dicitur 'jugatio,' L. 3. eod. 'juga' enim terræ modum significant, cui colendo per annum bovis erat jugo opus, inde 'jugatio' est possessio per juga censenda, a quo distabat 'jugum jugeris,' quod erat, quantum per diem boum jugo exerceri posset. Vid. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 60. tom. V. p. 182. a 'jugatione' autem nihil differt 'capitatio,' ita dicta, quia 'capita' sunt prædia, ex quibus præstantur tributa, Idem tom. V. p. 131. quamvis de censu pro capitum, tam liberorum, quam servilium numero accipiat Valesius ad Ammian. Marc. XIX. 11. Erat itaque 'capitatio' canon, in censu publico pro capitum, seu jugerum, quæ quis possidebat, modo præstandus, non a colonorum 'capite,' sed possessionibus dictus, quod, quibus locis dixi, pluribus persequitur Gothofredus. Ab ea distinguenda est 'capitatio animalium,' in L. ult. C. Theodos. de Collat. bonor. quæ etiam una voce dicitur 'capitatio' in L. 8. C. Theodos. de Erogat. milit. annon. a recto 'capitum,' id est, jumentorum pabulum. Hesychius *κάπετα* interpretatur *κτηνῶν τροφὴν*, alio loco *καπητὸν*, a *καπέω*, sive *κάπτω*, *edo*, *voro*, unde *κάπη*, *præsepe*, notante Suida in v. et Salmasio ad Vopisc. p. 354. *κάπιτον* habent Græci posteriores. Novell. XXV. cap. 6. § 1. Edictum Justiniani XIII. 6. ubi Gothofred. *καπίτων* etiam dedit Haloander Novell. VIII. 2. ubi alii *καπιτατιώνων*, cf. Hombergium: hinc 'capitum' sumserunt Latini. Ammian. Marcell. XXII. 4. 'Pabula jumentorum, quæ vulgo dictitant capita.' Ibi 'capita' non est a 'caput,' ut plerumque censent, sed a 'capitum,' quod, Lexicographis quidem, non tamen Vicato in juris Vocabulario, est neglectum, neque Albertio ad Hesychium v. *Καπητὸν*, et sæpe occurrit in cod. Theodosiano, ut 'capitum petere,' L. 7. de Erogat. milit. annon. ubi Gothofred. 'annonas et capitum consequi,' L. 17. eod. 'annonarias (alii 'annonas') neque capitum esse mandandum,' L. 1. de Domestic. quibus locis ad milites 'annona,' ad equos 'capitum' pertinet. Fœde hinc corruptæ sunt Glossæ Nomicæ in *Ἀλλιμκάπιτα, τροφεῖα τῶν ὀρφανῶν παιδῶν*. Vir doctus apud Schultingium substituebat *Ἀλιμέντα*, quod jam, saltem *ἀλλιμμέντα*, in mentem venerat Gothofredo ad L. 7. Cod. Theodos. de Erogat. milit. annon. *Ἀλλιμόνια*, aut *Ἀλίμονια* placuit Rovero ad Glossas Nomic. pag. 55. Jacobsono autem ad Gloss. Nom. p. 11. *Ἀλιμέντα πούβλικα*, quia ex publico aluntur orbi, quales 'puellas alimentarias' quidam interpretantur apud Capitolin. Anton. Pio 8. et exemplum in Nerva est apud Aurel. Vict. Epit. XII. § 4. et lege Constantini in L. 1. et 2. C. Theodos. de Aliment. quæ inop. par. Mihi tamen in glossarum loco potius legendum videtur: *Ἀλιμέντα· κάπιτα· τροφεῖα τῶν παιδῶν·* ut duplex alimentorum genus indicetur, et equis, et pupillis præstandum; viam vero, ne quid dissimulem, ad hanc conjecturam fecit Gothofredus ad L. 7. C. Theod. de Erogat. mil. annon.

Verisimiliter glossæ sedes est in L. 2. C. de Cura. Publ. 'annonas et alimenta (id est capitum) pecoribus præstare.' Forte etiam in L. unic. C. de Annon. legendum est, 'pro annonis et capito,' non 'capite,' nisi malles eadem ratione quoque 'caput' fuisse adhibitum; saltem secundo casu 'capitum' occurrit in L. 18. C. Theodos. de Erogat. mil. annon. 'species capitum annonarumve,' quamvis id pro 'capituum' a recto 'capitus' esse suspicetur Gothofredus, ut 'capitu' edidit Haloander in inscriptione Tit. C. de Annon. et forte ex eo 'capitibus' in L. 23. C. Theodos. de Erogat. mil. annon. *Arntz.*

Quartam amplius] Vet. *quintam.* Putean. Liberalius Bertin. *quintam:* mendose. Censa enim XXV. millia capitum. Infra mox: 'Remissione ista septem millium capitum viginti quinque millibus dedisti vires,' &c. Jam duc, sis, in digitos mihi quater sex, fiunt XXIV. Quod excurrit; id est scilicet, quod hic ait *amplius.* Livin. *Quintam* habent etiam Gud. et Mœrl. Sed vera et indubitabilis est vulgata. *Jæger.* Non video; vera lectio est *quintam,* non *quartam.* Censa erant viginti quinque millia, in quibus *quintam* partem faciebant *quinque,* sed septem remisit, adeoque amplius *quinta* parte. *Arntz.*

Utrum sufficeret] Gud. Mœrl. *an:* fortasse melius. *Jæger.* Non opus: codd. enim illorum scriptura glossæ tribuenda videtur, quia *utrum* pro an, suppresso *an non,* poni docent exempla in Observ. Miscell. Amstelæd. tom. X. p. 25. *Arntz.*

§ 2 *Satis gratos*] Nove meis auribus pro impendio, et eximie. Quo significatu in Arnobio, Ammiano Marcellino, Historiæ Augustæ scriptoribus, Sulpicio Severo, ac, ni fallor, Macrobio legas. Græcis quoque ἱκανῶς est λίαν. Αἰσχρὸν καὶ ἱκανῶς ἀλόγιστον nescio quis; alii passim. *Livin.* Adverbium *satis* augendi, atque intendendi vim habere, multis bonorum scriptorum suffragiis vincit Brouckus. ad Tibull. II. 7. 35. *Jæger.* Muncker. ad Fulgent. Mythol. I. 26. *Arntz.*

§ 3 *Imo beneficium*] Videatur transponendum alicui: 'Quantum sit hoc beneficium, imo quam necessar.' Ego aliter: 'Quantum sit hoc in nos beneficium, quam necessar.' *Acidalius.* Vitiosam esse Rhenani lectionem, *immo* pro *Imperator* exhibentis, vidit Acidalius, et medicinam adferre voluit; sed frustra fuit. Nam ceteri libri scripti, et editi omnes præferunt *Imperator.* Jæger.

§ 4 *Quater tantum*] Pith. legit, *quatenus tantum tibi firm.* Pulm. *quater tantum tibi firm.* Forte legendum est, *quatenus tibi firmum, &c.* deleto τῷ *tantum,* quod ex præcedentis vocis ultimis syllabis conflatum esse existimo. Vel sic, *quatenus tum tibi firm., &c.* Putean. *Quartum* Bertin. Rotunde hoc, non ex vero, siquidem quater septem XXVIII. conficiunt. At censa dumtaxat XXV. millia capitum, ut jam jam dixi. *Livin.* Distingue, *remisisti. Quater tantum, &c.* Acidal. Quod de rotundo numero monet Livineius, est, quia cum aliis edidit, *quater tantum ter,* sed cum postea illud *ter* mutatum sit, ut mox adparebit, nescio, quomodo amplius in rotundo numero quæratur præsidium, quod fecerunt, qui Livineium sunt secuti. Quid *quater* sibi velit, non perspicio; dedi itaque scripturam Guelferb. aliorumque *quatenus.* Sententia est, Imperatorem plus hac remissione lucratum fuisse, quam perdidisse, quatenus de tributo integro, ex censu accipiendo, fieret certior, quod antea frustra petebatur, sive pro parte, sive in totum, cum neque id persolverent, quod solvere possent, quia nulla umquam debiti complendi spes erat; sed jam, parte remissa, nihil erat, quod de complendo debito amplius despera-

rent, quo futurum esset, ut nullam in solvendo tributo moram facturi forent, ita autem Imperatori certum firmumque fiebat, id ærario persolutum iri, quod antea magis fuerat retentum, etiam pro ea parte, quam solvere potuissent. *Arntz.*

Ter firmum] *Tibi firm.* Vet. Bertin. Cuspin. bellissime, sed insolens mendum, *καὶ δυσυπονοητότατον.* Mihi id a litterarum compendiis, quæ non temere jam toties incuso, arcessere libido, in quis *ti* repperi scriptum, ut *tr* explicate *ter* est. Incidit vero apud Ciceronem contra in L. Pisonem: 'Atque ut tuum lætissimum diem cum tristissimo meo conferam, utrum tandem bono viro et sapienti optabilius putas, sic exire (e Ms.) a patria, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum (forte 'precarentur') precentur, quod mihi accidit; an, quod tibi ('in provinciam' Ms.) proficiscenti evenit, ut omnes exe-crarentur, male precarentur, unam tibi illam viam, et perpetuam esse vellent?' Hic, inquam, vir et diligens, et optima fide, Car. Langius in Ms. quodam privato legi annotarat, *unam ter illam viam, &c.* perspicuo mendo, quis neget? sed ab eodem, ut existimo, fonte. *Livin.* Cur non secundo loco item *quater?* Acidalius.

§ 5 *Exacerbata torpebant*] Hæc lectio cum sit mendosa (*imminuta* enim, et *exacerbata* non bene sibi invicem opponuntur, et *exacerbata* ut *torpeant*, vix potest fieri) Livineius e suo et Bert. cod. notat *exaggerata*, uti legitur etiam in Put. et Mœrl. idque editores reliqui recte receperunt. *Jæger.* Similia ad hunc locum large contulit Pricæus ad Euang. Matth. v. 29. *Arntz.*

Consurgimus] Cum his contulit Pricæus Apuleii locum Metam. VII. p. 145. 'Partem tanti ponderis, quoad resurgerem, saltem detrahere.' *Idem.*

CAP. XII. § 2 *Sarcina vacillemus*] Id est, ordinaria pensitatione, de qua imminutum erat nihil, tantum reliqua annorum aliquot remissa. *Vacillemus* sic dixit, ut supra, 'quibus in ære alieno vacillantibus,' &c. *Livin.* Cf. Wasse ad Sallust. Fragm. p. 39. ed. Haverc. *Arntz.*

Quia nemo præfertur] Forte, *quia animo præfertur.* Putean. *Vicino nemo præfertur* Vet. Bertin. *quia nemo perfertur* Cuspin. *Quia nemo præfertur* manifeste nihili est, et corruptum. Equidem *perfertur* recte emendari nihil dubito, ut paulo ante 'desperatio perferendi debiti,' &c. Difficilius, quod adhæret, *nemo;* pro quo reposueram ante veteres codices inspectos *animose*, hoc est, certa spe, et fiducia, scilicet solvendi, commode ad sensum, nec remote a litteris, sed turbat scriptura vetus, quam non expedio. Tu cogita, sis, amice lector. *Livin.* Corruptum. Sententia suadet, *quia non omnis porro feretur*, quod explicant sequentia: 'Exonerandi præsumptio dat patientiam sustinendi.' Nisi forte eadem sententia minore mutatione legendum *quia non perferetur.* Ita 'perferendi' verbo usus videtur et paullo superius: 'Siquidem desperatio perferendi debiti etiam id, quod dari poterat, inhibebat.' *Acidal.* Vexatur hic locus, non tam ex membranis, quam conjectura interpretum; Acidalius, *quia non omnis* (sarcina) *porro feretur*, Baunius, *quia non omnis perfertur.* Sensus, quam verba, lucidior. *Cellar.* Baunium in textu exprimendo secutus est Jægerus; Rhenanum vero in pr. Rivinus, in sec. Livineii codd. Non dubitavi in textum admittere egregiam Guelferb. et Mœrl. scripturam, *quia vicino perfertur*, scil. sarcina, ideo levior, quoniam eamdem ferebant vicini, illi nempe, quos memoravit, c. VI. § 1. Antea habuerant, quod quererentur, sese gravius vicinis premi, ut illic exposuit; jam, remissione facta, vicinis erant pares, quos sarcinæ illius socios habere dul-

ce erat, eoque fiebat levior. *Arntz.*

Exonerandi] Παθητικῶς. *Baune.* Sic non raro gerundia adhibentur. Vid. Cort. ad Sallust. Jug. LXII. § 8. Possit tamen h. l. ex superioribus vox 'sarcinam' subaudiri. 'Exonerare curas' dixit Seneca Hippolyt. II. 445. *Jægerus.* Usum gerundii etiam adtigit Gronov. ad Ciceron. ad Attic. VII. 20, potius tamen 'sarcinam' ex præcedenti revoco; 'sarcinam exonerare' est quædam ei eximere, et ita leviorem facere, ut 'exonerare colos' apud Ovidium Fast. III. 818. *Arntz.*

Præsumtio] I. e. spes, ac fiducia; qua nobis tam firmiter aliquid promittimus, ut jam *præsumere*, seu ante capere, eoque frui videamur. Vid. Schwarz. ad Paneg. Plinii LXXIX. § 4. *Jæger.* Eam 'futuri præsumtionem' dixit Nazarius Paneg. XX. ad fin. et 'mente præsumere' Incertus Maxim. VII. init. hoc sensu 'præsumtionem adoptionis emere re' dixit Spartianus Hadrian. 4. unde etiam 'præsumere' passim pro audere, sib adrogare, infra apud Incert. Constantin. II. § 3. Cellar. ad Rufi Breviar. 7. et quæ dixi in Miscell. 6. pag. 57. adde Wopkens. in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 44. et 108. *Arntz.*

§ 3 *Adultorum*] Vide Senecam de Clement. I. 13. *Putean.* Plinius Paneg. XXVII. § 1. 'Super omnia est, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat, expediat.' *Jæger.*

§ 4 *Respectandum*] Retro spectandum: debiti nempe præteriti, quod timorem incutiat. *Patarol.* Terent. Adelph. II. 1. 3. 'Quid respectas? nihil pericli est.' Pacatus XXXVIII. § 1. 'Ibat interim Maximus, ac te post terga respectans in modum amentis attonitus avolabat.' *Jæger.*

Aliquid virium] I. e. opum. Vid. Burman. ad Ovidium Metam. IX. 676. et supr. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XI. § 2. 'Pensitationes' eodem modo sunt in L. 1. C. Theodos. Sine cens. vel reliq. *Arntz.*

Necet] Forte *neget.* Livineius. In Chassen. est *nocet.* Utrum 'necare' habet inferendi damni notionem? ut 'nex' pro damno in L. 13. D. de Minor. aliisque Ulpiani fragmentis; et quamvis huic jurisconsulto ea tantum adhibita significatio videatur, forte tamen aliarum locutionum habet auctoritatem, qua defendatur. Cf. Dukerum de Latin. Vet. Jurisconsultor. p. 431. *Arntz.*

§ 6 *Temporum indulgentiis*] Pluraliter etiam Auson. Paneg. c. 32. § 1. 'Neque vero unum aliquod bonum uno die præstas, sed indulgentias sæculares per singula horarum momenta multiplicas.' *Jæger.*

Et utriusque confinii] *Et* vacat, ut opinor. *Livin.* Lege *confinium.* Utriusque nempe temporis; præteriti et futuri, præsens dicit esse confinium. *Acidal.* Qui sint, quibus *confinis* placuisse testatur Baunius, ignoro; hunc tamen secutus id in textu admisit Jægerus. Mihi juncti casus diversi videntur; annus erat in præteriti et futuri temporis confinio terminus. Ita casus sunt juncti apud Justinum. II. 15. 'Munimenta hostibus et receptacula futuri belli exstruant.' XLIV. 3. 4. 'Plumbi uberrima tum et minio.' Frustra ibi Faber 'minii.' Sallust. Jugurth. VII. init. 'Per vim et insidiis:' ubi Wasse; adde ad Claudian. Cons. Stilicon. II. vs. 326. *Arntz.*

CAP. XIII. § 1 *Æquavit ætatem*] Hoc est, spatium et tempus, id est, quinquennium. Infra mox: 'Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt.' *Livin.* Quintus tum annus Constantini prope exactus erat, quæ 'quinquennalia perfecta' mox vocat: quinque etiam annorum reliqua Flaviensibus remiserat. Hæc est illa æquatio. *Cellar.* Hanc ῥῆσιν, explicata ratione census, seu collationis lustralis, et definito accurate tempore, quo hæc oratio habita fuit, præ-

clare illustravit Pagius Dissert. Hypat. p. 125. sq. et p. 142. *Jæger.* Pagio junge Scaliger. de Emendat. Temp. p. 501. Januar. ad Sigon. de Occid. Imp. II. p. 71. Opp. tom. I. part. II. *Arntz.*

§ 2 *Perfecta*] Hæc propria Flaviensium erant, in beneficii memoriam celebranda. *Cellar.* Nempe finita. Vota enim illa, quæ singulis lustris fiebant, ante ipsorum finem sane nuncupabantur, ut patet ex nummis Imperatorum, quos scimus lustro minus imperasse, ut in illis Constantini Jun. Magnentii, ac Decentii; plerunque vero sub initium, ut patet ex nummis Joviani, qui imperavit tantum menses octo. *Patarol.* Cf. ad Mamertin. Genethl. I. § 3. *Arntz.*

Quæ te incipiente suscepta] Ex hoc constat, quinquennalia, decennalia, vicennalia ineunte anno, a quo nomen habent, fuisse celebrata. *Cellar.* *Quinto,* subintellige *anno.* Patarol. *Quinto incipiente* primus recepit Gruterus, et reliqui præter Rivinum. Alteram lectionem, *te incipiente*, ad id refert Acidalius ad Tacit. Annal. I. 19. quod lectis Imperatoribus *ortus* tribuitur, de quo dixi ad Mamertin. Paneg. Maxim. VI. § 2. Incertum Maximian. I. § 1. V. D. ad eumd. IV. § 3. sed rei naturæ parum convenit hæc interpretatio; non enim quinquennalia suscipiebantur, cum lectus esset Imperator, et vulgatam tuentur dicta ad Mamertin. Genethl. I. § 3. *Arntz.*

Plena sunt] I. e. exacto prope anno quinto celebrantur. *Jæger.* Eadem sunt, quæ modo dixit *perfecta.* Cf. Gruner. ad Aurel. Vict. O. G. XII. 2. *Arntz.*

§ 3 *Catonis oratio*] De Censura. Sic adducitur a veteribus grammaticis. *Putean.* Lustrum condidit A. U. C. DLIX. P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino Coss. Orationis quidem in veteribus grammaticis qui exerte meminerit, nondum repperi. Antonius Riccobonus de Prisciani sexto e Censura de vestitu et vehiculis hæc adducit: 'Nam perinjurium est, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est (forte 'tum uti') tamen uti eos mutem, atque alii modi sim;' sed ea an hæc nostra sit, non habeo affirmare. Nota etiam 'De suis virtutibus contra Thermum' in Festo pluries, sed quæ ne ipsa quidem liquido huc pertineat. *Livin.* Cujus nihil, et vix nomen superest. *Cellar.* Marci scilicet Catonis Censorii, qui circa medium sexti ab U. C. sæculi floruit, vir literis et armis clarus, quare dicitur a Plinio VII. 27. 'optimus orator, optimus imperator.' Orationum ejusdem mentio fit apud Priscianum lib. VI. et Gellium XIII. 17. *Patarol.*

Redundasset] Cf. ad Eumenium Constantio XXI. § 2. *Arntz.*

Larga fluxissent] Forte legendum, *si olivitas larga fluxisset:* ut infr. in Grat. Act. Mamertin. 'Una certe annius est hiemis olivitas.' *Ritters.* Sed in Mamertin. Genethl. III. § 5. ubi quidam editores pro 'tacitæ' adverbium 'tacite' præferunt, Schwarzius adjectivum, ut elegantius, tuetur. Cf. etiam Burman. ad Phædr. II. 6. 13. *Jæger.* Dixi ad Arator. I. 425. II. 413. *Arntz.*

§ 4 *Indulgentiæ*] Respice ad I. § 3. *Idem.*

§ 6 *Quidquid illi*] Id est, utcunque, quam libet. Auctor Ætnæ: 'Quidquid in antiquum jactata est fabula carmen.' Hoc vult, opinor, utcunque Ætnæi incendii causa antiquorum carminibus fabulose explicata, et prodita est. Agellius XII. 1. 'Quidquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor est, sed civilis, et opinabilis.' Rutilius Itinerario altero, de Stilicone: 'Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timendum, Immisit Latiæ barbara tela neci.' *Livin.* Cf. Burman. ad

Petron. 99. ad Quinctil. Instit. Orat. XII. 6. not. ad Calpurn. Eclog. IV. 12. *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *Tagus*] Noti fluvii, ille Hispaniæ, hic Lydiæ, de quibus fabulati poëtæ, quod auro fluxerint. *Patarol.*

Non enim] Sic duo Mss. forsan non male, etsi haud omnino rejecerim lectionem antea vulgatam *nos enim majoris*, imo præponam alteri; quamvis tamen haud satis intelligam, quid alterutra sibi velit. *Gruter.* Lego *non*. Ait, non minoris esse muneris remissionem debiti, quam largitionem beneficii. Non majus munus accipere, quam non solvere. *Acidal.* Si valet *non*, quæ sequuntur *abs te accepisse* opponenda sunt τῷ *remisisse*. Hoc est, si ipsis tantum pecuniæ donasset, quantum remisit reliquorum, et capitationis, non ideo majus munus, aut illustrius donum fuisset. *Cellar.* Ex vetusta lectione emendabat, voce trajecta, Stewechius ad Arnob. advers. Gent. IV. p. 97. *nos consecuti sumus? enim majoris:* sed non opus, recte enim explicuit Acidalius. Facile illud *non* in *nos* abire potuit. Apud Martialem XIII. 6. ex Thuaneo notatum habeo, 'Non alicam;' contra in Horatii loco apud Scholiastem Juvenalis Sat. VI. 366. repone 'nos.' Adde Drakenb. ad Livium III. 9. 5. *Arntz.*

Quod proprium] *Proprium* notat, quod suum est, et in dominio. Gruner. ad Victor. Cæsar. XIV. 6. Eodemque modo Judæ proditoris τόπον ἴδιον capias, apud Lucam Act. Apost. I. 25. ut indicetur ager, pecunia Judæ data emtus, sive χωρίον αἵματος, ut ibi dicitur vs. 19. non definio. Hac notione 'suus proprius' aliquando jungitur, quam melioris esse Latinitatis locutionem docet Bauldri ad Lactant. M. P. 44. unde Ciceronem pro Sext. cap. 7. contra Ernestium recte tuetur amicissimus Nodell. Observ. Crit. cap. 7. *Idem.*

§ 3 *Latitare*] Ideo Juvenal. Sat. IV. 'Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi.' *Patarol.*

Præparant culturam] Aliter hæc in Vet. qua scripta, qua distincta, *resum. animos, operi præparantur, culturam melior. &c.* parum ad stomachum meum, quis enim sic loquatur? 'culturam anniti.' *Livin.* Forte, *resumunt animos operi, præparant cult.* vel potius, *resumunt animos, manus operi præparant, cultura melioribus.* Acidal. Sine præpositione posuit et Plinius Ep. VI. 18. 1. 'Quod ego .... adnitar;' sed non probanda est idcirco lectio, quam damnat Livineius. Reperitur eadem et in Cuspin. ed. excepto, quod hæc, uti etiam Rhenan. Stephan. et Schonhov. pro *præparantur* exhibet *præparant.* Quod Acidalius conjicit, neque necessarium est, neque probabile. *Jæger.* *Præparantur* etiam Guelferb. quod revocavi, omnibus enim verbis suum additur substantivum, quod ceteroquin in *adnituntur* abest. Neque video, quare 'culturam adniti' non posset dici, quamvis in Chassen. sit *admittuntur*, ita enim apud Plinium Epist. VI. 18. 1. 'Quod ego, quamquam pluribus occupationibus distentus, adnitar.' Symmachus Epist. I. 21. 'adnitentur artes bonas,' et IX. 86. 'arduum laudis adnititur.' *Arntz.*

Dona templis] In edd. Rhenan. Stephan. Livin. *dona;* sed hæc vox videtur interpretamentum esse exquisitioris *vota*, quæ in codd. Gud. Mœrl. itemque Cuspin. ceterisque edd. invenitur, et hic res voto dicatas numini significat, uti Petron. c. 89. 'Stipant graves equi recessus Danai, et in voto latent,' h. e. in equo votivo, Palladi sacrato. Eædem voces miscentur quoque in Sedulio Carm. III. 128. ubi Grunerus bene adserit *vota.* Jæger. *Vota* primus reddidit Gruterus, quem præter Rivinum reliqui sunt secuti; recte, ex eadem ratione

qua illud præ *donis* etiam placebat Heinsio et Burmanno apud Virgil. Æneid. VIII. 61. *Dona* magis pertinent ad rem peractam, ut apud Ovidium Heroid. I. 27. 'Grata ferunt nymphæ pro salvis dona maritis.' *Vota* sunt rei futuræ, et nondum concessæ, quæ hujus loci est proprietas. Noster Constantino XXI. § 3. 'Diis immortalibus ferre, quæ voveras.' *Arntz.*

Omnium nostrorum] Forte *nostrum.* Livin. Jægeri exemplo id in textum admisi. Cf. Wopkens. ad Sedul. v. 337. neque aliter capie verba in § 1. 1. de Testam. ordin. 'quod procinctum dicebatur,' i. e. procinctorum; male *nostrorum* est in Mœrl. supr. VIII. § 2. *Arntz.*

Reservator] *Conservator.* Vet. Bertin. Langii schedæ, Cuspin. *Livin.* Recte, propter codd. auctoritatem, quamvis altera posset lectio inde præsidium habere, quod apud hos auctores vocabula ex *re* composita simplicis passim notionem habeant. Cf. Jæger. ad Mamertin. Maximian. XI. § 3. et Eumen. Constantino XX. § 3. et quæ dixi Specim. Observ. cap. 8. *Arntz.*

Et quasi illa majestatis] Vet. *ille.* Forte legendum, *adveneris, aut quis alius majestatis tuæ comes ac socius, flag. &c.* ut Panegyrico præced. cap. 2. vel sic legendum, *adveneris, quasi illa majestatis tuæ comes et socia flagrabit tota civitas. Majestatis comes* propter veterem splendorem, et fraternitatem pop. Romani, de qua supr. cap. 3. 'Quo nomine,' inquit, 'et communitas amoris apparet, et dignitatis æqualitas.' *Putean. Ille* Vet. Bertin. Arbitror verum, sed et verba quoque transponam, *et ille quasi majest. &c.* etsi, quem velit, non expedio. Fortean Faustum e Minervina filium. *Livin.* Rhenanus, *quasillus.* Quid hoc emendationis? Lege, *et pietas illa majest. t. comes et socia.* 'Pietatem' vocat benignitatem illam, qua in Flavienses erat usus. *Acidal.* Fortasse *quasi ille. Rivin.* Quis ille? sunt, qui Crispum filium intelligant. Sed hic nondum Cæsar, atque ita neque socius. Libri *illa* habent sequiori genere. Quod si etiam socia peracta res esset, et ultro Acidalio accederem. *Cellar.* Varie legitur hic locus a criticis. Conjecto legendum *quis,* quasi dicat, quisquis ille est majestatis tuæ comes, &c. intelligens fortasse Crispum, Constantini filium, qui patrem tunc sequeretur, quod opinatus est etiam Livineius. *Paterel.* [Vide Jægeri notam in Varr. Lectt.] Jægeri si vera foret interpretatio, magis scripsisset, *ille majestatis tuæ quasi comes;* idem sensisse videtur Livineius, vocum trajectione succurrendum ratus; non aliter enim *quasi* jungitur in exemplis apud Jægerum, et apud Mamertin. Genethl. XVII. § 2. 'quasi regem:' Eumenium pro Instaur. Schol. II. § 4. 'quasi pulvere:' et centena sunt in jure nostro exempla, quorum quædam habet Heineccius Elem. ad Instit. I. § 303. qui id a Stoicorum ὡσανεὶ jurisconsultos transtulisse censet: Lebbei Glossas hac auctiores exhibet Ms. apud Albertium Glossar. p. 246. Κεύαμ ἐξ φαμίλια, ὡσανεὶ ἐκ φαμιλίας· ubi egregie emendat vir cl. Κουάσι. Est tamen apud Mamertinum Genethl. VIII. § 7. 'vos fertis quasi ambo juniores.' In Guelferb. etiam legitur, *et quasi ille majestatis comes et socius.* Emendandum puto, *et, qua sit illa majestatis comes et socia,* ut duo significet, *et* civitatem flagrare, *et* eamdem esse profecturum Imperatorem retenturam. Sententia igitur est; tota civitas flagrabit, sive omnes confluent cives ea via, qua, te adveniente, majestatis tuæ in via sint comites, et publicæ lætitiæ socii; ita enim 'comitem,' et 'socium' aliquando distingui docet Burman. ad Lucan. II. 346. 'Socia' facile in 'socius' abire potuit, si litteram *a* pro vulgari syllabæ *us* in codd. nota habuerit librarius. Retinui tamen,

quod inde a Grutero, præter Rivinum, constanter fuit editum. *Arntz.*

Flagrabit] Nihil additur, nisi ex sequentibus *gaudiis* jungere velles. Sed utrum 'flagrare gaudio' æque dicatur, atque 'amore,' 'studio,' similibusque animi adfectibus? huc enim non facit 'flagrare rumore malo,' apud Horatium Sat. I. 4. 125. et 'ignominia ac pudore,' Florum II. 18. 7. est tamen 'calere gaudio' apud Mamertin. Genethl. X. 5. ubi suspicabar, utrum ad aras victimasque cæsas forte hic locus pertineat; jam vero malim de civium ad vias, per quas transibat Imperator, confluentium frequentia capere, eo modo, quo loca simili in re 'fervere' dicuntur, et 'flagrare' de domo interpretatur Ernesti Clav. Ciceron. v. 'Flagrare,' et 'cuncta gaudio calere' dici possunt apud Mamertin. Genethl. d. l. *Idem.*

Amoris nostri] Sic hic locus legendus et distinguendus. Primum ex Palm. et Fabr. legendum, *dabis enim veniam amori nostro*, quæ verba debent includi parenthesi, *contumeliam feres omnium, sis licet dominus urbium, omnium nationum. Nos tamen etiam nomen accepimus tuum jam: nam antiquum Bibracte, quo huc usque dicta, &c.* Putean. *Amori nostro* etiam Guelferb. quod, mutata interpunctione, recepi, cum antea legeretur, *dabis enim veniam, amoris nostri contumeliam feres.* Maxime præterea blanditur Puteani opinio, qua *contumeliam feres* sequentibus jungantur, et nova fiat periodus in *Nos tamen*, quamvis *omnium* non ad *contumeliam*, sed ad *urbium* referendum putem, quia eadem est constructio in *omnium nationum*. Sententia itaque est, contumeliam feres, eamque tibi inferre audebimus, quamvis sis omnium urbium dominus; id vero dabis amori nostro, præsertim quia et nomen tuum accepimus. Cum tamen vulgata etiam interpunctio nihil habeat, quod sententiæ obstet, eam retinui. *Arntz.*

Antiquum. Bibracte quidem] *Non antiquum* Augustodunum, ut jam diximus, non Bibracte, quod oppidum et ipsum est in Æduis. Quæ deinceps sequuntur, mihi quidem incerta et obscura. Quis est enim hic Julius Polius Florentius? aut quis transnominatum ab eo Bibracte in omni memoria prodidit? Deinde, quæ hæc tam insulsa hominis novi cum gente Flavia commissio, quæ ab D. Claudio Augusto est ad Constantinum propagata? Inepta quoque illa, *sed Flavia est civitas Æduorum.* Quasi vero non et Bibracte in Æduis. Itaque, ut semel dicam, omne hoc, quo de loquimur, ut nullo jure huc intrusum, abesse jubeo, et relego, de eoque equidem te, frequens lector, in suffragium mitto. *Livin.* Dubito an, *accepimus tuum. Jam antiquitus Bibracte quidem, &c.* Acidal. *Bibracte*, Burgundiæ oppidum in ipsis Æduis, nunc *Beuret*, ab Augustoduno, seu Flavia nostra, non multum distans. Quæ sequuntur, multum negotii criticis facessunt, valde quidem implicita. Nec acquiesco iis quæ P. De la Baune, et Cellarius ex Valesii Notit. Gall. proferunt, ut sit sensus: Bibracte quidem in Æduis, ut et Pola Istriæ, et Florentia Tuscorum a J. Cæsare nomen acceperunt, et Juliæ sunt cognominatæ; at civitas Æduorum primaria, nimirum Augustodunum, a Flavio Constantino, &c. 'Flavia,' incolæ 'Flavienses' appellantur. Quoad me enim, hæc pariter interpretatio suos patitur manes, et mera divinatio est, neque, ut ego sic capiam, lectio patitur. Pighius cuncta illa nomina de Bibracte dici putat, quasi ex terna coloniarum deductione dicta fuerit, primum Julia, mox Polia, inde Florentia; et quidem in tanta loci hujus obscuritate non contemnenda viri docti est conjectura. *Patarol.* Pro *quidem* exhibent *quod* Schonhov. et Cuspin. Hinc fluxit aliqua ex parte emendatio Puteani, supra pro-

posita. Verum, si hanc lectionem sequamur, sequentia non video qua ratione possint explicari. *Jæger*. *Bribracte* dederunt Puteolanus et Livineius; emendatius jam Rhenanus. In Guelferb. etiam est *quod*, quæ lectio si sana esset, Bibracte triplici nomine fuisset dicta, quod recte rejecit Valesius ad Ammian. XIV. 11. Melior est ejusdem interpretatio, in Notit. Gall. p. 61. quam etiam secutus est Cellarius Geogr. Antiq. II. 2. p. 137. *Non antiquum* indicat urbes illas antiquo Cæsaris nomine adpellari, cum Augustoduno esset honorificentius, viventis adhuc Imperatoris nomine dici, cui itaque magis esset devinctum, majorique de accipiendis beneficiis spe, et occasione fruiturum. *Arntz.*

Civitas Æduorum] Præclara hæc est aposiopesis, qua suam, in tanti Principis præsentia, tantoque in consessu et auditorio orationem finit orator. Ceterum non ejus, mihi crede, hoc artificium: fortunæ potius, ac temporum injuriis hoc imputandum est, quibus omnia deteruntur et vitiantur. Demonstrant etenim hic desiderari verba quædam non solum ipse sensus imperfectus, verum etiam Beati Rhenani exemplaria, in quibus ante vocem *dixi*, in ejus generis orationibus semper ultimam, unius, atque alterius lineæ spacium vacuum remansit. Verum ut sententia expleri debeat, ingenioso lectori judicandum relinquo. Mihi quidem sic fere dixisse videtur: *Sed Flavia est civitas Æduorum hæc immortali tuo, Imperator Auguste, beneficio in perpetuum nuncupanda*. Aliorum alia sit, mea pace, sententia; neminem tamen puto judicaturum, nihil hoc loco desiderari. *Pighius*, Hercul. Prodic. p. 60. Quod Pighius de suo supplere gestit, apud me fidei locum non invenit; quanto enim melior emphasis lectionis vulgatæ? *Patarol.* Mirum, in his verbis tot tricas movisse interpretes. Addidit illa Pighius, ut suæ opinioni faveret, qua p. 58. multis est conatus demonstrare, Flaviam et Bibracten easdem esse urbes. Alia etiam egit Livineius præced. observatione, cum hæc inepta scriberet, quia Bibracte est æque Æduorum civitas. Flaviam Æduorum esse civitatem, sive in Æduis sitam, non tradit Eumenius, sed ut Bibracte Julia, ita Æduorum civitatem, id est Augustodunum, Flaviam esse dictam. Hæc enim verba non nisi de Augustoduno intelligenda, recte docent Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. I. pag. 150. tom. IV. pag. 55. Balduinus de Legib. Constantin. pag. 282. ed. Gundl. Cellarius Geogr. Antiq. II. 2. p. 137. Januar. ad Sigonii Opp. tom. II. part. II. pag. 72. Adde supra ad cap. 1. init. *Arntz.*

PANEGYRICUS IX.

Incerti] Titulus hujus Panegyrici in vet. cod. talis est, *Panegyricus dictus Divo Constantino A.* nullo auctoris adjecto nomine. Videtur tamen esse Nazarii, quod conjicio primum ex stilo, et ex loco Panegyr. Nazarii, Constantino dicti, qui sic incipit: 'Non commemorabo,' inquit, 'hic tectas continuis stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tyberim; perstringi hæc satis est, quod et pridie prolixius mihi dicta sunt:' nempe in hac oratione, qua fusius describitur pugna, qua Maxentius debellatus est a Constantino. Deinde ex ordine, quo omnes nostri Panegyrici constituuntur in veteribus libris: subjicitur enim huic Panegyricus Nazarii, qui incipit, 'Dicturus Constantini,' &c. *Putean.* Habita oratio in Treverorum urbe, quum Constantinus, Maxentio victo, in Gallias et ad Rhenum revertisset. Auctor historiam belli cum Maxentio in Alpibus, in Transpadana, et cis Padum, et tandem ad Tiberim gesti, clarissime descripsit, cujus victoriæ clementiam cum aliis civilium bellorum comparat. *Cellar.* Orationem hanc Nazario adjudicat Puteanus pluribus de causis, ex quibus tamen certi nihil statui potest. Licet enim stylus dicendi non multum diversus sit, mihi tamen minime probabile videtur, eundem Nazarium duplicem orationem habuisse de laudibus Constantini, nullo die inter ipsas intermedio, alteram quidem præsente Imperatore, alteram absente. Nam idem auctor, qui bis in eadem urbe, et eodem pene die perorasset, non utique eadem Imperatoris facta, et eodem quasi numero attigisset in utraque oratione. Meo igitur judicio duplicis oratoris hæ sunt; et hæc fortasse post illam Nazarii dicta, ut ex ipso hujus initio licet conjectare, cum tamen Puteanus citatus hanc ante illam recitatam fuisse sentiat. *Patarol.* Puteanum in Panegyrici auctore hoc loco, et ad Nazar. Paneg. XXX. § 2. sequitur, quamvis non satis certus, Fabricius Biblioth. Latin. tom. II. p. 771. eamdemque sententiam Petro Pithœo adscripsit Baluzius ad Lactant. M. P. 18. Gallum fuisse ex iis patet, quæ de sua dicendi copia tradit infra c. I. § 2. ubi vide, et ita recte Modius Novant. Lect. 25. Præterea, cum hæc diceret, sexaginta jam annos, aut ultra natum fuisse colligo ex cap. VIII. init. ubi de Constantini contra Veronam expeditione: 'Jam pridem media ætate nostra civili sanguine maculata Verona:' intelligit autem Sabinum Julianum a Carino in campis Veronensibus occisum; cum autem media sit ætas juventutem inter et senectam, eamque ab anno tricesimo computet Baunius ad Eumen. Constantin. I. § 1. imperium autem Carini ad a. CCLXXXII. sit referendum, ætas, quam dixi, constituenda videatur. Ceterum quis fuerit, mihi non liquet, et Incerti nomine quoque inter Panegyricorum auctores exstat in Catalogo, quem in excerptis Mss. ex Puteaneo cod. notatum ad manus habeo. Nazarium esse nondum persuadet Puteanus. Quod enim de stili convenientia contendit, id tale est, ut in alia omnia ire malim, adeo uterque distat; conferas tantum descriptum cum Maxentio bellum, et, quæ habet Nazarius Paneg. 24. sqq. et, aut omnia me fallunt, te adsentientem sum habiturus. Neque tamen Pataroli utar ratione,

de nullo utrumque inter sermonem die intermedio. In eam enim opinionem venit ex Nazarii loco Paneg. cap. XXX. § 2. 'Perstringi hæc satis est, quod et pridie prolixius mihi dicta sunt;' sed dubia est illa lectio, *pridie* enim quibusdam corruptum videtur, de quo ibi latius. Miror vero, Patarolum hunc illo Nazarii Panegyrico habere posteriorem, quæ enim in initio de 'disertissimis hominibus,' quos jam audierat Constantinus, præfatus est, id non conficiunt; quid enim? potuerintne alii etiam Constantini laudes prædicare? sed vero etiam Patarolo obstat historiæ series; vix enim in rebus gestis enarrandis anni spatium post victum Maxentium hic excedit Panegyricus; contra Nazarius cap. XXXVI. § 3. et XXXVII. § 3. Crispum et Constantium Cæsares prædicat, quæ dignitas, post victum Maxentium, pactumque Constantinum inter et Licinium, iis demum decreta, posteaque sumta est; mirum autem foret hac de re aliisque nullam hoc Panegyrico fieri mentionem, si Nazariano esset posterior, quamvis, ne quid diffitear, Catalogus, quem in cod. Puteani excerptis Mss. habeo, hunc ordine posteriorem ponat. Atque hæc manu velut me ducunt ad tempus, quo dictus sit hic Panegyricus. Cum Banuio annum CCCXIII. constituunt Pagius Dissert. Hypat. p. 184. Fabricius Bibl. Lat. tom. II. p. 771. Walchius Parerg. Acad. p. 892. Schœpflin. Alsat. Inlustr. tom. I. p. 898. Diversa sentit Gothofredus, qui annum CCCXVI. ponit, ad Cod. Theodos. tom. I. p. 486. quem, typographi, ut videtur, errore corruptum in CCCXXVI. restituendum puto apud eumdem tom. II. pag. 433. quamvis non ante annum CCCXVII. dictum esse suspicetur Cellar. infra cap. ult. § 5. de quo illic dicam. Sed ne in tenebris oberremus incerti, facem præbeat historia. A. CCCXII. (alii sequentem ponunt, sed illud malim) in Galliis versabatur Constantinus, sed, propter Maxentii motus, in Italiam per Alpes tendit, in quam XXIV. Septembris pervenit, si computantem sequamur Gothofredum Chronolog. Cod. Theodos. pag. 6. et sequenti mense VI. Kal. Novembres, sive XXVII. Octobris, Maxentium Romæ debellavit; hoc testatur Lactantius M. P. 44. ubi Baluz. Adde Nórisium de Num. Dioclet. Diss. II. 2. Post victoriam Romæ aliquantum substitit, quo pertinent quæ cap. XX. noster commemorat, ubi etiam fuisse adhuc mense Januario CCCXIII. videtur, quo Romæ data est L. 1. C. Theodos. de Petition. quamvis enim in illius fine nulla Romæ mentio, eam tamen supplendam esse ex L. 1. C. Theodos. de Cens. judicat Gothofredus; adde Reland. Fast. Cons. p. 290. et forte mensis illius initio inde est profectus, quam 'hiemem proximam' potuit adpellare Lactantius M. P. 45. atque ita duo menses Romæ moratum fuisse potuit recte scribere Gothofredus Chronol. Cod. Theodos. p. 6. Dissentit quidem ab hac opinione Bauldri ad Lactant. d. l. et ad cap. 48. qui medio circiter Decembri Roma jam profectum fuisse contendit; neque aliter Basnage Annal. tom. II. p. 633. hoc autem adfirmant propter Nazarii locum Paneg. XXXIII. § 6. 'Quidquid mali sexennio toto dominatio feralis (Maxentii) inflixerat, bimestris fere cura (Constantini) sanavit.' Sed 'bimestrem curam' non de tempore, quo res lapsas instauraverit Romæ moratus, intelligo, sed de expeditione contra Maxentium, quam cum exeunte Augusto, aut Septembris initio inchoaverit cum exercitu in Italiam profectus, curam liberandi ab tyranno imperii suscepit, eoque in fine secundi mensis devicto, dicendus est 'bimestri cura malum sanasse,' mortuo enim tunc Maxentio sublatum erat malum, neque adeo opus est, ut in vocabulo

fere hæreamus cum Baluzio ad Lactant. M. P. cap. 45. Roma Mediolanum perrexit Constantinus, ubi mense Februario, sive VI. Kal. Martias, dedit L. 1. C. Theodos. de Bon. vacant. Adde Gothofredum ad Cod. Theodos. tom. III. p. 447. Pagium Critic. Baronian. ad a. CCCXIII. n. 2. Mox Mediolano in Galliam est profectus, quo refer a nostro tradita infra XXI. § 5. illic eum mense Maio substitisse tradit Gothofredus, qui inde subscriptionem L. 1. C. Theodos. de Actor. corruptam putat, Comment. tom. III. p. 486. inde ad inferiorem Germaniæ limitem perrexit, Francos rebelles coërciturus, infra XXI. § 5. et XXII. § 3. iisque in officium redactis Treveros videtur reversus, qua in urbe, mense Novembri, et Decembri, leges dedit, a Gothofredo ibid. enumeratas, etiam anno CCCXIV. mense Martio, L. 1. C. Theodos. de Admin. et Peric. Tutor. quæ in Justinianeo Codice est L. 20. eod. Mox tamen inde contra Maximinum in Pannoniam est profectus, eaque est ratio, quod VIII. Kal. Maias Romæ, per quam in Pannoniam transire debuit, dederit L. unic. C. Theod. de Ingen. qui temp. tyrann. Ex his non aberraturum me confido, si Panegyrici hujus dicti tempus constituam inter VI. Kal. Novembr. CCCXIII. et mensem Martium CCCXIV. quo Gallia excessit Constantinus; dictus enim videtur post VI. Kal. Novembr. CCCXIII. quia Constantini contra Maxentium expeditionem *annuam* dicit infra XXI. § 5. id est, anno post perfectam elapso; fuerat vero illo die perfecta a. CCCXII. Habitus autem Treveris videtur, post Maximianum in Galliis Imperatorum sede. Cf. V. D. mox cap. I. § 1. Schœpflin. Alsat. Inlustr. tom. I. p. 391. supra ad Mamertin. Maxim. init. Ceterum abest a Guelferb. In ordine mira est varietas. Demto Plinio, tertius est in ed. Rhenani, quam secuti uterque Stephanus et Rivinus; sed quintum constituerunt Parisienses et Patarolus; octavum Baunius, Cellarius, et Jægerus, et recte secundum rei gestæ seriem. In excerptis ex Puteaneo penes me Mss. est quidem nonus, et post sequentem ponitur; sed minus recte, ut jam notavi. *Arntzenius.*

CAP. I. § 1 *Unde mihi*] Formam hanc loquendi illustrat Gronov. ad Senec. Herc. Fur. VS. 295. *Jæger.*

Urbe sacra] Roma, quæ 'Sacra,' et 'Diva' passim auctoribus. Adnotavi supra ad Mamertin. Maximian. cap. XIV. *Patarol.* Mamertin. Maxim. I. init. 'sacrosanctam civitatem' adpellat Apuleius Met. XI. p. 258. judice Pricæo, quia Deorum erat sedes. *Arntz.*

Hic rursus] Treveris, ut opinor cum aliis interpretibus. *Patarol.* Errat Baunius; in Germaniam enim jam progressus fuerat Constantinus, antequam hic fuit habitus Panegyricus. Vid. infra XXI. § 5. et quæ modo ad initium dixi. *Arntz.*

§ 2 *Ingenia nostra*] Apparet, hunc rhetorem Italum non fuisse, sed Gallum, aut alterius nationis. *Rhenan.* Auctor enim Gallus fuit, et, ut videtur, Treverensis. *Cellar.* Cf. Not. ad Pacat. Paneg. I. § 3. *Arntz.*

Derivat] Scil. *id.* Rhenan. Adscripserat Puteanus Pacati locum Paneg. I. § 3. quem totum addam, quia ex hoc ductus est: 'Non esse fastidio rudem hunc, et incultum Transalpini sermonis horrorem, præsertim cum absurdæ sinistræque jactantiæ possit videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usque usus derivatio sera traduxit.' Facit huc Quinctilian. Inst. Orat. VIII. 1. in fin. 'Verba omnia, et vox hujus alumnum urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata.' De voce 'imitationis' vide Wopkens. ad Pacat. Paneg. p. 7. Recte 'fonti' jungit 'caput,' id est

fontis originem: ita 'capita fontium' apud Vitruvium de Architect. VIII. 3. de quo dixi ad Mamertin. Genethl. XVI. § 4. *Arntz.*

§ 3 *Infirmitatis ingenitæ*] Legam *infirmi ingenii*. Acidal. Non necesse; *ingenitæ* pertinet ad præcedens *ingeneratum*. Ita Pacatus Paneg. I. § 3. 'Ingenita atque hereditaria orandi facultas.' Trebellius Pollio Claud. 7. 'ingenita illa virtute:' et 'ingenita crudelitas' apud Spartian. Hadrian. XXIII. ἔμφυτον εὐσέβειαν dixit Eusebius Vit. Constant. I. 39. adde ad Mamertin. Geneth. II. § 2. *Arntz.*

Exaudita videatur] Non fero hic Tullianum, *videatur*. Quanto enim melius erat? *exaudiatur*. Acidal. Terent. Eun. III. 2. 1. 'Audire vocem visa sum modo militis;' ubi Donatus: 'Omnes sensus visa dicuntur, ab eo, quod est certissimum oculorum. Ergo visa sum, sensi; ut Virgilius: 'Visæque canes ululare per umbram, Adventante Dea.'' Ferendus igitur hic pleonasmus. *Jæger.* Imo vero est, ob numerum magis rotundum, elegantior. Quod de sensibus notat Donatus, verum est; 'videre' pro audire explicui ad Sedulium II. 130. et contra ἀκούειν pro videre Lennepius ad Coluth. Rapt. Helen. 71. in θεῖν simile notavit optimus collega, Segaar ad Lucam p. 42. hinc Bentleius apud Horatium Od. II. 1. 21. emendandum putabat: 'Videre magnos jam videor duces:' vulgo 'audire.' *Arntz.*

§ 4 *Tubæ ac litui*] Cf. Lipsium Milit. Rom. IV. 10. *Idem.*

Spartanæ tibiæ] Lacones milites suos, ad prælium exituros, tibiis incendebant. Plutarch. περὶ Μουσικῆς. Vide Apophth. Lacon. et περὶ ἀοργῆς, Gellium I. 11. *Putean.* Pausanias Laconicis cap. 17. Λακεδαιμόνιοι τὰς ἐξόδους ἐπὶ τὰς μάχας οὐ μετὰ σαλπιγγῶν ἐποιοῦντο, ἀλλὰ πρός τε αὐλῶν μέλη, καὶ ὑπὸ λύρας καὶ κιθάρας κρούσμασι. *Lacedæmonii prælium non incinentibus tubis, sed ad tibiarum carmina, et lyræ modulos citharæque inibant.* Livineius. Mentionem facit etiam Quintilian. Inst. Orator. I. 10. *Paterol.* Adde Cerdam ad Virgil. Æn. VII. 698. qui 'tubam' ad saltationem, sive Lacedæmoniorum pyrricham refert. *Arntz.*

Incentivum aliquid] Prudentius in Apotheosi, 'incentivum peccavimus:' et in Hamartigenia, 'lues incentiva.' *Putean.* *Incentivum aliquod* Vet. Cuspin. Rhenan. *Livineius.* *Aliquid* est in Puteolana, et Livineii. Rhenanum secutus est Henr. Stephanus, et sequentes. *Incentivum* apud posterioris ævi scriptores est stimulus, incitamentum. Cellar. Cur. Poster. p. 218. Stephan. ad Saxon. Grammat. Hist. Dan. p. 24. Drakenb. ad Sil. Ital. V. 13. tale incitamentum pugnæ cum tuba fieret, inde 'tubæ incitamenta,' et 'belli tubam' pro concitatore dixerunt. Hegesipp. Excid. Hieros. II. 10. init. Cf. Cortium ad Cicer. Divers. VI. 13. 8. *Arntz.*

Sui viribus] *Suis* primum dedit Paull. Stephanus, quem reliqui præter Rivinum in pr. sunt secuti. Codicibus in eo obtemperandum, cum ceteroquin *sui* posset defendi ex iis quæ dicta sunt ad Mamertin. Maxim. IX. § 3. Genethl. II. § 1. Eumenium Constantino VI. § 2. et alibi. *Idem.*

§ 5 *Insusurrare*] Modius Novant. Lect. Epist. 25. citat *susurrare*, quod in nulla ed. inveni. Vulgata melior, quæ talem indicat, qui palam non audet dicere. 'Insusurrare in aurem' est apud Ciceron. in Verr. I. 46. pro Muræn. c. 26. adde Spartian. Hadrian. 15. Capitolin. Anton. Pio 6. Anton. Philos. 19. et ita 'occultus rumor insusurrare' dicitur apud Capitolin. Vero 9. *Arntz.*

CAP. II. § 1 *Illud eripiam*] Probe, *arripiam*. Mamertinus in Maximianum A. 'Cetera, et potissimum illud arripiam,' &c. Vopiscus Probo: 'Magnum et præclarum Principem, et qualem historia nostra non novit,

arripiam.' *Livin.*

§ 2 *Nutu adversi ominis*] Locus perdifficilis, et in quo mihi ipse non admodum satis faciam. Car. Langius, vir doctissimus, *metu adv. om.* rescribebat; vere, ut arbitror. *Livin.* Melius videtur, quod Langio occurrebat, *metu adversi ominis*, et idem prorsus venisse in mentem Petro Delbenio, indicat manus Petri Danielis. *Gruter.* Manifesto corrupta priora: nec hilum sanant, qui ad marginem conjiciunt, *ominis et offensiore*, vel *offensione vocati*, magis imo corrumpunt. Nam quid, obsecro, faciunt sensus? ut de vocum ipsa taceam structura. Ego audacter, sed credo vere, emendo: *Ten'*, *Sac. Imp.* (hinc quam facile postea natum, *transacto enim?*) *nutu adversi ominis, et ostentis revocantibus* (*utar l. e. te n. a. quem t. i. m. et r. v. suspendimus*) *ten' Imp.* Sequentia inferius lege, et probabis. *Acidal.* *Nutu*, id est, significatione. Vult dicere, primum ante expeditionem auspicium *adversi ominis*, et infaustum fuisse: nec id *revocatum*, sive repetitum sine *offensa*, aut felicius. Id quod paullo post § 4. dicit 'contra aruspicum monita.' Ergo jam tum de paganæ religionis cærimoniis videtur Constantinus dubitasse. *Cellar.* *Metu*] Sic reposui ex fide duorum cod. Vatican. cum in aliis legatur *nutu*. Patarol. 'Transigere nutum ominis' pro defungi periculo, quod omine fuit significatum, ἄτοπον nemini non potest videri. Recepi itaque *metu*, quod melius convenit, et magnis se judicibus tuetur. De cetero, quod Cellarius putat, jam tum de paganæ religionis cærimoniis Constantinum dubitasse, verum id quidem esse potest: sed fortasse dubitavit ita, ut prudentissimus quisque Romanorum ducum, v. g. Julius Cæsar, qui, teste Suetonio c. 59. 'ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus umquam, vel retardatus est:' qui, 'cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem et Jubam non distulit:' qui denique, eodem auctore, c. 81. 'pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit curiam, spreta religione.' *Jæger.* Certam tuentur emendationem codd. et ita hæc permiscent librarii. Cf. ad Eumenium Constantio XVIII. § 1. *metum* confirmat verbum 'timentibus' mox § 4. Sententia est, cum jam finitus sit metus, ex adverso omine injectus, et finita sit offensio, ob revocatum idem omen a pluribus suscepta, (ob id enim comites et duces tacite mussitasse, id est, offensos fuisse, tradit § 4.) jam libere fatebor ex amore, quo in te ducebamur, non minus nos ob id consilium fuisse offensos, et de te timuisse. 'Transigere metum' est finire. Cicero in Verr. II. 70. pro Quinct. c. 5. Drakenb. ad Livium XXV. 16. 14. *Arntz.*

Offensio revocati] Forsan legendum, *et offensiore vocati*, nisi malis *offensione*. Rhenan. *Offensio revocati* Vet. Rhenan. *Offenso revocati* legerim, ut in Cuspin. pro *offensa*, scilicet ipsius illius ominis, memoria, et sermone omnium repetiti. Estque hæc omnino, ut ariolor, sententia; nam victoria parta, quamlibet comitum ac ducum tuorum, atque omnium nostrum longe aliud omen, ac metus erat, (sequitur enim, 'contra consilia hominum,') superata, inquam, hac diffidentia publica, et sinistra omnium significatione in melius conversa, in quorum ipsorum in pejorem partem interpretatione fieri potest, ut aliquid publice sit peccatum, cum tibi, Constantine, secretior quædam, et minus vulgo perspecta ratio constaret, (nam huc equidem traham, quod mox subdit, 'Habes profecto aliquod,' &c.) utar libertate, et quæ sequuntur. *Livin.* Emendo, *et ostentis revocantibus*. Acidal. Non male conjectavit Acidalius legendum, *ostentis revocantibus*; at deest auctoritas exemplarium, ut secure lectionem hanc adstruamus. *Pa-*

tarel. *Offenso*, quod quamvis placeat Livineio, durius videtur, quam ut ferri queat, mutavi in *offensione*, eamque vocem ita, uti Baunius et Cellarius interpretati sunt, accipiendam puto. Livineii enim explicatio, si verisimilitudinem non impeditam sequamur, vix ac ne vix quidem ex toto poterit probari. Quod si liceret a litterarum tractu longius recedere, adstipularer fere Acidalio, locum hunc, audacter quidem, sed satis speciose emendanti: nam is nostra lectione (aperte et ingenue confitebor) haud quaquam persanatus videtur. Possis fortasse etiam legere: *Tr. e. m. a. o. et ostensionis* (h. e. ostenti) *revocantis* sc. te ab incepto. Voce *ostensio* sic utitur Cyprianus Epist. I. 2. 'Crebris atque assiduis ostensionibus admonemur.' Sed et hoc parum arridet. *Jæger*. Locus difficilis, in quo mira est lectionis varietas. *Offensio revocati* dederunt Puteolanus, Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus in pr. *offenso revocati*, quod etiam est in Schonhovii excerptis, Cuspin. Paull. Stephanus, Gruterus, Baunius, Rivinus in sec. *offensionis revocatæ* Livineius; *offensa revocati* Patarolus, Cellarius; denique *offensione revocati* Jægerus. Posterius, Putesnei cod. cui multum tribuo, auctoritate confirmatum, probo; ex præcedenti enim est *transacto* mente repetendum; transacto metu ominis, et transacta offensione. Videamus, possitne ad stabiliendam hanc loci scripturam exquiri veritas. 'Omen revocatum' exponunt repetitum; hinc in interpretatione sua Baunius: 'nam prætermisso et metu, quem incutiebat infelix auspicium, et offensione, quæ fuit in eodem iterando.' Sed de repetito omine deest veterum auctoritas; id igitur eodem jure negari potest, quo adfirmatur; mihi repetitum non videtur, quia § 4. tantum memorat 'aruspicum monita,' ubi ad sententiam multum fecissent 'repetita monita.' Potius 'revocatum omen' est, quod irritum redditur, cujus nullam rationem habuit Constantinus, ita ut, quamvis adversum, ab expeditione eum non dimoverit. Ita 'revocare' pro irritum reddere hoc præsertim Latinitatis ævo. Dictys Cretens. de B. Trojan. II. 51. 'Neque oportet prudentem meminisse transactorum, quando ea, etsi maxime cupias, nequeas revocare,' id est irrita reddere, tamquam numquam essent facta, adeoque rem in priorem statum reducere. Ibid. v. 2. 'Præterita revocare nulli concessum est.' Utrumque locum debeo Cortio ad Julium Exsuper. de B. Civ. c. 7. ubi eadem notione est 'beneficium revocare.' Frequens jurisconsultis, 'alienationem, dominium revocare.' Pari pacto 'omen revocare' est irritum facere, omen habere tamquam numquam visum fuisset. Neque dicas, exempla quæ dedi, parum congruere, quia 'beneficia,' 'dominium,' et similia ab eo 'revocantur,' qui ea dederat, atque ita 'revocare omen' dici quidem Dii possent, non autem Constantinus; namque, qui Deos consulit, omen petit; qui omine uti nolit, id 'revocat,' eoque ipso indicat, se amplius nolle, ut omen detur, idque se habere, tamquam numquam fuisset datum; id enim simile est illi, quod 'transacta,' aut 'præterita revocare' dixit Dictys, id est, quod a se, aut alio factum sit, habere, tamquam numquam fuisset factum. Hac, ni fallor, via facilis erit loci interpretatio. Ab aruspicibus omen acceperat adversum Constantinus, id vero spreverat, forte quia vanam artem jam ridebat, quædam de Christiana religione jam edoctus, aut quia signum in cælo viderat, quod pro meliori omine adriperet, de quo ad § 4. et 5. totam igitur rem, quam agitabat, ita considerabat, tamquam omen ex aruspicina numquam fuisset datum. Id vero et metum quibusdam

incutiebat, de infelici belli eventu, a quo ut abstineret, Dii monuerant, et vero idem illud offensionem quoque Constantini ducibus, et comitibus dabat, ægre admodum ferentibus, religionem ita publicam ab Imperatore sperni, seque, contra Deorum voluntatem, suaque consilia de servando omine, contra hostes duci, sine ulla victoriæ spe ob Deos, talem expeditionem abnuentes. Hanc vero offensionem suam, et animi ægritudinem premebant, aperte Constantinum neglectæ in Deos pietatis et temeritatis adcusare non ausi, metu, ne id ægre ferret. Hæc significat § 4. 'Quæ tam præsens hortata est majestas, ut, omnibus fere tuis comitibus et ducibus, non solum tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, contra aruspicum monita, ipse per temet liberandæ urbis tempus venisse sentires?' et ita de 'constantia expeditionis,' id est, de eadem contra acceptum omen suscepta, 'neminem' loqui 'fuisse ausum' modo dixit § 1. haud dubie, ne Constantinum haberent sibi offensum. Forte etiam signo, quod in cælo viderat, militibus significato, effecit Constantinus, ut hi contra aruspicum monita sese alacres sequerentur, ad expeditionem parati; talibus enim facile solent moveri plebeiorum mentes; cum contra ducibus comitibusque, patria superstitione inbutis, aut plane non, aut difficulter persuaderi posset, ut, contra aruspicum monita, fidem haberent prodigio, a sua religione adeo diverso. Interim cum felicem habuisset eventum suscepta nihilominus expeditio, 'metus' ille ex omine adverso, et hujus neglecti 'offensio' erat transacta, et finita. Ex religionis tamen Romanæ præceptis, quam haud dubie auctor profitebatur, eadem manebat in Constantino temeritas, sed, cum antea de ea loqui non ausi fuissent, jam se locuturum profitetur; ita ut quædam ipsi exprobrare videatur, veluti, quod cum vicerit, rationem tamen reddere deberet, infra § 5. quod jactanter et gloriose probare vellet, sese liberandæ urbi sufficere cum minori exercitus parte, cap. II. § 2. et 3. adde cap. IX. § 4. X. § 3. sed spretum omen excusat ex mente divina, quæ sese uni Constantino dignata fuisset ostendere, § 5. suam vero audaciam, qua de his publice exponeret, ex Constantini lenitate; ita enim X. § 3. 'Hæc ego non dicerem, neque ab aliis dicta memorarem, (id est, quæ ab aliis dicta non sunt, quæ alii dicere non fuerunt ausi,) nisi beneficio tuæ lenitatis tutior esset nostra in verbis, quam tua in armis audacia;' id est audacia expeditionis contra omen, et cum minori parte exercitus factæ. *Arntz.*

§ 3 *Tantum animo*] Frequens esse optimis scriptoribus, in admirationibus uti infinitivis, omisso 'mirandum est,' aut alio hujus notæ verbo, docet Grævius ad Justin. II. 14. 9. Similiter Græci. Aristoph. Ran. vs. 753. sq. Τὸ δὲ μὴ πατάξαι σ' ἐξελεγχθέντ' ἄντικρυς, Ὅτι, δοῦλος ὢν, ἔφασκες εἶναι δεσπότης. Ubi Schol. λείπει τὸ θαυμάζω, ἢ τοιοῦτόν τι. Cf. etiam Berglerus ad eumdem comici locum. In orationibus animi adfecti commode subanditur quoque 'decet,' 'æquum est,' vel 'fieri potest.' Sic Pacuvius in Sueton. Cæs. cap. 84. 'Men' me servasse, ut essent, qui me perderent?' Cf. Sanctii Minerv. IV. 5. p. m. 657. *Jæger.* *Præsumere* est audere, sibi adrogare. Supr. ad Eumen. Gratiar. Act. XII. § 1. *Arntz.*

Tantis opibus] Infra cap. 3. 'Mille et sexaginta annis contractas ex toto orbe divitias,' &c. ibi vide adnotata. *Patarol.*

Avaritiæ tanta venia] Recepi in contextum illa, *tanta scelerum contagione*, quamvis in uno tantum comparerent Ms. codice; quod item extarent in ed. Viennensi, quæ, cum

terel. *Offenso*, quod quamvis placeat Livineio, durius videtur, quam ut ferri queat, mutavi in *offensione*, eamque vocem ita, uti Baunius et Cellarius interpretati sunt, accipiendam puto. Livineii enim explicatio, si verisim[illegible] litudinem non impeditam sequar[illegible] vix ac ne vix quidem ex toto p[illegible] probari. Quod si liceret a lit[illegible] tractu longius recedere, ad [illegible] po-fere Acidalio, locum hu[illegible] nihil quidem, sed satis spec[illegible] [illegible]erda ad ti: nam is nostra lo[illegible] locum de ingenue confitebo[illegible] [illegible]entissimas persanatus vide[illegible] [illegible]eriri veteres etiam legere: [illegible] *sionis* (h. e. [illegible]] Hanc ducum ab incept[illegible] [illegible]tiam ad hæc mi-Cyprian[illegible] [illegible]odatam arbitror; que a[illegible] [illegible]ncorum imperio, et mur [illegible] [illegible]idem temperibus, est *Jæ* [illegible] quo dixi in Instit. Jur. e[illegible] [illegible] Condit. Homin. part. I. [illegible] cap. 1. § 5. Cf. inprimis [illegible]riam Hist. Patr. tom. II. p. [illegible] [illegible]iarda de Comit. Frisic. p. 84. [illegible] Societ. Groning. tom. II. p. 38. [illegible] Monum. Transisal. tom. II. p. 17. Potgieser de Stat. Serv. III. 8. § 4. Leibnitzium Scriptor. Rer. Brunsvic. tom. I. p. 138. Hic 'comites' non alii sunt, quam qui Constantinum in itinere, aut expeditione comitabantur, sive propter munera in Imperatoria aula, sive alia de caussa; ut apud Mamertin. Genethl. VIII. § 3. 'Absque paucissimis, qui vobis comites hærere potuerunt;' isque est 'Principis comitatus' apud Capitolin. Anton. Pio 7. Sunt itaque hoc loco 'comites ducesque' iidem illi, quos infr. X. § 3. 'comites et tribunos' adpellat, et similiter Mamertinus Grat. Act. XXIV. § 6. *Idem.*

Tacite mussantibus] Sallust. Fragment. III. 8. 'mussantibus vobis.' Trebellius Pollio Gallien. 12. alii 'mussitare' dicunt. Schulting. ad Senec. Controv. v. p. 304. Designat itaque palam proloqui non audere, et est indignantium et conquerenita.' Pet[illegible] apud Juvencum Hist. Ev. quod ir[illegible] 24. præfero, 'Hæc inter ratio[illegible] mussanti voce susurrant:' non qu[illegible] [illegible]missa voce,' quod recepit Ren[illegible]chius, et ex Pulmanni schedis notatum habeo, ideo substitutum, quia in codd. etiam Cantabrig. penes me, est 'mussitanti,' contra metrum. Adde Drakenb. ad Livium VII. 25. 1. et XXXIII. 31. 1. patrem meum ad Pacat. Paneg. XLIII. § 5. ubi 'clam queri' dare debuisset typographus, non 'palam.' *Idem.*

Sed omen aperte] Schonhov. Marl. *sed etiam*, quod ceteri editores recte arripuerunt. Livineius ad Paneg. Plinii LXXVII. § 7. pag. 703. edit. Schwarz. prodit, compendiis exscriptorum 'omne' et 'etiam' misceri, quod et hic factum. *Jæger.*

Contra auspicum monita] *Aruspicum* primum edidit Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum: ita recte; *auspicum* enim hic parum convenire, ex iis patet, quæ de 'auspicibus' notat Trekell. ad Brisson. de R. N. p. 307. et de 'aruspicum' ab 'auguribus' differentia Baldri ad Lactant. M. P. 10. Gothofred. ad L. 1. et 2. C. Theodos. de Malef. Ex lapidibus, addita adspiratione, 'haruspex' probat Cellarius Orthogr. p. 84. sed melius eam cum pluribus tollendam judicat Drakenb. ad Livium V. 15. 1. VIII. 6. 12. Est vero dignus omnino hic locus, quem, propter illa *aruspicum monita*, non levi tractem digito. Quid enim? consuluerit ve aruspices Constantinus? quem in Galliis Christianam religionem cognitam jam habuisse tradit Sozomenus Hist. I. 5. unde jam anno CCCXII. id est, ipso hujus expeditionis tempore, Christianum fuisse statuit Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 397. Neque levis eam in rem est suspicio, cum inde a Decio per Gallias jam incrementa ceperit hæc religio, et sub Diocletiano, et Constantio Chloro non pauci illic fuerint Christiani, quod patet ex Lactantio M. P. 15. et ex

terra erutis, gemma
umque testimoniis i-
simus, mihique jam
ijunctissimus, Jo-
nal. Noviomag.
.o Constantino,
.III. tres ex Gallia
.minandum Donatis-
.s Christianis dissidium
.isse arcessitos. Cf. Moshe-
.list. Eccles. part. I. pag. 339.
.t. II. p. 126. ed. Belg. Adde, Treveris ut plurimum versatum esse, qua in urbe jam Christianorum templum, sive ecclesia erat condita, utrum ab Eucherio, an Materno, tractant illi, quos citat Idem d. l. part. I. p. 339. in not. Ab hoc tamen tempore illud puto distinguendum, quo Christianam religionem publice professus fuit Constantinus, quod non diu post victum Maxentium fuerit factum, eoque refero, quod tradit Euseb. Hist. Eccles. IX. 9. Philostorgius Hist. Eccles. I. 6. et alii. Hæc mihi verisimiliora videntur, quam ut statuam ante victum Maxentium Christianæ religionis præcepta nondum Constantino fuisse cognita, quod visum fuit Capero in Epist. ad Fabricium, edita a Reimaro in Vit. Fabricii p. 236. Quid itaque? consulueritne igitur aruspices Constantinus, quædam Christianorum præcepta jam edoctus. Ipsum id fecisse, parum mihi fit verisimile; sed, ut ab aliis consulerentur, permisisse facile mihi persuaderi patior. Esto enim, jam anno CCCXII. talem fuisse, quem dixi, ideone tamen Christianorum fuit publice religionem professus? ideone Romanos sacrorum ritus, et cerimonias jam abrogavit? id si credas, qui, anno sequenti, hæc coram tali Imperatore dicere ausum fuisse nostrum contendas, quæ mox leguntur § 5. 'quæ, (mens divina) delegata nostri Diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere:' aut quæ legis cap. IV. § 2. 'sua cuique prudentia Deus est:' aut quæ de Signo Dei, Constantino per senatum dato, prædicat cap. XXV. § 4. adcedit, quod quamvis Christianæ religionis præcepta intelligeret, et etiam probaret, ritibus Romanæ uno eodemque tempore tollendis nondum par erat; ægre enim evelluntur, quæ fixas in hominum animis, præsertim ex religione, radices habent, et sæpe seditionibus caussam apud eos præbent, qui de novandis majorum suorum sacris sunt solliciti; id vero quo minus fieret, postulabat summi imperii ratio, ad servandam rei publicæ tranquillitatem, hac præsertim tempestate, comparata. Huic etiam civili prudentiæ tribuatur, quod deinde prohibuerit Constantinus, quo minus privatorum domos adirent aruspices, publice tamen ad aras, et delubra suos exercere ritus permiserit, L. 1. et 2. C. Theodos. de Malefic. quæ utraque data est anno CCCXIX. quamvis prior male annum CCCXII. in quibusdam Codicis Justinianei edd., exhibeat, L. 3. eod. quin adhuc, anno CCCXXI. in locis publicis, fulmine tactis, ab aruspicibus exquiri posse statuit, quid illud portenderet; eos tamen a domesticis privatorum sacrificiis removendos, L. 1. C. Theodos. de Pagan. id vero, quod civilis tantum erat prudentiæ, non ideo tamen probavit, atque hoc est, quod sacris Romanorum fuisse usum, *οὐ τιμῆς ἕνεκα μᾶλλον ἢ χρείας*, tradit Zosimus Histor. II. 29. hinc ritus illos 'superstitionem' adpellat in L. 1. C. Theodos. de Malef. et 'consuetudinis sollemnia,' L. 2. eod. quæ lex egregium Noodtii ad D. p. 16. explicationem confirmat, qua in L. 2. C. Justin. 'Quæ sit long. consuet.' quæ hujus quoque Constantini est, vocem 'consuetudinis' de religione Romana est interpretatus. De Constantini in hisce prudentia civili exponit quoque Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. VI. p. 284. neque multum distat vir. cl. in Observ. Halens.

manarit ex membranaceis libris, pro tali quoque haberi queat. *Gruter.*

Imperii tui sociis] Galerio Maximiano et Licinio, quem Galerius, antiqua sibi consuetudine notum, ac bello, quod contra Narseum gesserat, strenuis laboribus et officiis acceptum in imperium assumpserat. Eutrop. lib. x. *Livin.*

§ 4 *Potens hortata*] Unde illud *potens* solus ediderit Livineius, nihil habeo, quod adfirmem. Cerda ad Virgil. Æn. ix. 184. hunc locum de eo explicat, quod vehementissimas etiam cupiditates a Diis oriri veteres credebant. *Arntz.*

Comitibus et ducibus] Hanc ducum comitumque differentiam ad hæc minus recte adcommodatam arbitror; magis enim Francorum imperio, et posterioribus quidem temporibus, est propria, de quo dixi in Instit. Jur. Belgic. de Condit. Homin. part. I. Prooem. cap. 1. § 5. Cf. inprimis Wagenaarium Hist. Patr. tom. II. p. 12. Wiarda de Comit. Frisic. p. 84. Act. Societ. Groning. tom. II. p. 38. Racer. Monum. Transisal. tom. II. p. 17. Potgieser de Stat. Serv. III. 8. § 4. Leibnitzium Scriptor. Rer. Brunsvic. tom. I. p. 133. Hic 'comites' non alii sunt, quam qui Constantinum in itinere, aut expeditione comitabantur, sive propter munera in Imperatoris aula, sive alia de caussa; ut apud Mamertin. Genethl. VIII. § 3. 'Absque paucissimis, qui vobis comites hærere potuerunt;' isque est 'Principis comitatus' apud Capitolin. Anton. Pio 7. Sunt itaque hoc loco 'comites ducesque' iidem illi, quos infr. x. § 3. 'comites et tribunos' adpellat, et similiter Mamertinus Grat. Act. XXIV. § 6. *Idem.*

Tacite mussantibus] Sallust. Fragment. III. 8. 'mussantibus vobis.' Trebellius Pollio Gallien. 12. alii 'mussitare' dicunt. Schulting. ad Senec. Controv. V. p. 304. Designat itaque palam proloqui non audere, et est indignantium et conquerentium; ideo apud Juvencum Hist. Evang. III. 24. præfero, 'Hæc inter sese mussanti voce susurrant:' non 'submissa voce,' quod recepit Reuschius, et ex Pulmanni schedis notatum habeo, ideo substitutum, quia in codd. etiam Cantabrig. penes me, est 'mussitanti,' contra metrum. Adde Drakenb. ad Livium VII. 25. 1. et XXXIII. 31. 1. patrem meum ad Pacat. Paneg. XLIII. § 5. ubi 'clam queri' dare debuisset typographus, non 'palam.' *Idem.*

Sed omen aperte] Schonhov. Mœrl. *sed etiam*, quod ceteri editores recte arripuerunt. Livineius ad Paneg. Plinii LXXVII. § 7. pag. 703. edit. Schwarz. prodit, compendiis exscriptorum 'omne' et 'etiam' misceri, quod et hic factum. *Jæger.*

Contra auspicum monita] *Aruspicum* primum edidit Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum: ita recte; *auspicum* enim hic parum convenire, ex iis patet, quæ de 'auspicibus' notat Trekell. ad Brisson. de R. N. p. 307. et de 'aruspicum' ab 'auguribus' differentia Bauldri ad Lactant. M. P. 10. Gothofred. ad L. 1. et 2. C. Theodos. de Malef. Ex lapidibus, addita adspiratione, 'haruspex' probat Cellarius Orthogr. p. 84. sed melius eam cum pluribus tollendam judicat Drakenb. ad Livium V. 15. 1. VIII. 6. 12. Est vero dignus omnino hic locus, quem, propter illa *aruspicum monita*, non levi tractem digito. Quid enim? consulueritve aruspices Constantinus? quem in Galliis Christianam religionem cognitam jam habuisse tradit Sozomenus Hist. I. 5. unde jam anno CCCXII. id est, ipso hujus expeditionis tempore, Christianum fuisse statuit Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 397. Neque levis eam in rem est auspicio, cum inde a Decio per Gallias jam incrementa ceperit hæc religio, et sub Diocletiano, et Constantio Chloro non pauci illic fuerint Christiani, quod patet ex Lactantio M. P. 15. et ex

monumentis terra erutis, gemma Smetiana, aliorumque testimoniis idem docet amplissimus, mihique jam a tenera ætate conjunctissimus, Joan. in de Betouw Annal. Noviomag. p. 20. Adcedit, ab ipso Constantino, sequenti anno CCCXIII. tres ex Gallia episcopos ad examinandum Donatistarum a veris Christianis dissidium Romam fuisse arcessitos. Cf. Moshemium Hist. Eccles. part. I. pag. 339. part. II. p. 126. ed. Belg. Adde, Treveris ut plurimum versatum esse, qua in urbe jam Christianorum templum, sive ecclesia erat condita, utrum ab Eucherio, an Materno, tractant illi, quos citat Idem d. l. part. I. p. 339. in not. Ab hoc tamen tempore illud puto distinguendum, quo Christianam religionem publice professus fuit Constantinus, quod non diu post victum Maxentium fuerit factum, eoque refero, quod tradit Euseb. Hist. Eccles. IX. 9. Philostorgius Hist. Eccles. I. 6. et alii. Hæc mihi verisimiliora videntur, quam ut statuam ante victum Maxentium Christianæ religionis præcepta nondum Constantino fuisse cognita, quod visum fuit Cupero in Epist. ad Fabricium, edita a Reimaro in Vit. Fabricii p. 236. Quid itaque? consulueritne igitur aruspices Constantinus, quædam Christianorum præcepta jam edoctus. Ipsum id fecisse, parum mihi fit verisimile; sed, ut ab aliis consulerentur, permisisse facile mihi persuaderi patior. Esto enim, jam anno CCCXII. talem fuisse, quem dixi, ideone tamen Christianorum fuit publice religionem professus? ideone Romanos sacrorum ritus, et cerimonias jam abrogavit? id si credas, qui, anno sequenti, hæc coram tali Imperatore dicere ausum fuisse nostrum contendas, quæ mox leguntur § 5. 'quæ, (mens divina) delegata nostri Diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere:' aut quæ legis cap. IV. § 2. 'sua cuique prudentia Deus est:' aut quæ de Signo Dei, Constantino per senatum dato, prædicat cap. XXV. § 4. adcedit, quod quamvis Christianæ religionis præcepta intelligeret, et etiam probaret, ritibus Romanæ uno eodemque tempore tollendis nondum par erat; ægre enim evelluntur, quæ fixas in hominum animis, præsertim ex religione, radices habent, et sæpe seditionibus caussam apud eos præbent, qui de novandis majorum suorum sacris sunt solliciti; id vero quo minus fieret, postulabat summi imperii ratio, ad servandam rei publicæ tranquillitatem, hac præsertim tempestate, comparata. Huic etiam civili prudentiæ tribuatur, quod deinde prohibuerit Constantinus, quo minus privatorum domos adirent aruspices, publice tamen ad aras, et delubra suos exercere ritus permiserit, L. 1. et 2. C. Theodos. de Malefic. quæ utraque data est anno CCCXIX. quamvis prior male annum CCCXII. in quibusdam Codicis Justinianei edd., exhibeat, L. 3. eod. quin adhuc, anno CCCXXI. in locis publicis, fulmine tactis, ab aruspicibus exquiri posse statuit, quid illud portenderet; eos tamen a domesticis privatorum sacrificiis removendos, L. 1. C. Theodos. de Pagan. id vero, quod civilis tantum erat prudentiæ, non ideo tamen probavit, atque hoc est, quod sacris Romanorum fuisse usum, οὐ τιμῆς ἕνεκα μᾶλλον ἢ χρείας, tradit Zosimus Histor. II. 29. hinc ritus illos 'superstitionem' adpellat in L. 1. C. Theodos. de Malef. et 'consuetudinis sollemnis,' L. 2. eod. quæ lex egregium Noodtii ad D. p. 16. explicationem confirmat, qua in L. 2. C. Justin. 'Quæ sit long. consuet.' quæ hujus quoque Constantini est, vocem 'consuetudinis' de religione Romana est interpretatus. De Constantini in hisce prudentia civili exponit quoque Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. VI. p. 284. neque multum distat vir. cl. in Observ. Halens.

tom. I. p. 393. Hujus autem necessitatem vel hæc ratio probat, quod, sublata deinde aruspicina, nova Christianorum religioni mala adscripserint Romani, quæ Remp. premebant, iis jam destituti, per quos hæc evitari posse, aut, quid Diis placeret, exquiri credebant, de quo recte monet Relandus Fast. Consul. p. 309. Hæc si ad hunc locum adcommodemus, vix dubitaverim, quin pari prudentia in hac expeditione suis id militibus permiserit, ut de belli eventu aruspices consulerent, eo magis, quia, teste Zosimo Hist. II. 15. exercitum XC. millium peditum, et VIII. millium equitum ex barbaris, id est Francis, (ita enim in his Panegyricis passim adpellantur,) Germanis, Celticis nationibus, ipsisque etiam Britannis conscriptum ducebat, in quo quamvis esse potuerint Christiani, plerique tamen erant religionis peregrinæ, et ab ipsa etiam Romana diversæ. His religionis suæ exercitium negare admodum erat periculosum, neque etiam civilis imperii ratio id concedebat; in tanti itaque momenti expeditione, hoc diversarum gentium religioni dandum videbatur, ut Deos per aruspices consulerent, neque tamen Hetruscos, aut ab Hetruscis artem edoctos, quod sensisse videtur Baunius, sed, ut suspicor, harum gentium sacerdotes, in extis, aut alio modo futura prædicere solitos, quos *Οὐάτεις* adpellat Strabo Geogr. IV. p. 302. sive *Vates*, utrum a *Faidh*, id est aruspice, non definio; visum ita fuit Tolando in Act. Erud. Lipsiens. a. 1729. p. 360. de quibus plura Stephan. ad Saxon. Grammat. Hist. Danic. I. p. 42. vix ab iis diversos, quos Eubages dixit Ammian. Marcell. Histor. XV. 9. quamvis in eo errasse videatur Bocharto Geogr. S. I. 42. arbitranti Ammianum apud Strabonem pro *οὐάτεις* legisse *οὐάγεις*. Quam facile autem tot millium numerum ad quævis belli pericula esset habiturus paratissimum, si exta addicerent, callide prospiciebat Constantinus, quem tamen, viso omine infausto, spes destituit, ducibus ideo expeditionem dissuadentibus. Tum vero Imperator, cui omnis hæc aruspicum ars mera videbatur superstitio, aliud adripuit remedium, signoque cælesti, forte oborto, usus, de quo videndum ad cap. III. § 3. spretisque aruspicum monitis, felicem militibus successum persuasit, et quidem, ut mihi videtur, hoc commento, quod harum gentium Dii, per aruspices consulti, essent minores, hoc vero sibi signum a Deo summo, reliquisque majori, ostenderetur: huc ducit noster § 5. ‘ Habes profecto aliquod cum illa mente divina secretum, quæ, delegata nostri Diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere:’ eoque signo bellum veluti præcipi videbatur, unde ‘ divina præcepta ’ memorat cap. IV. § 4. *Arntz.*

§ 5 *Profecto aliquid*] *Aliquid secretum* videtur esse aliud quid, de quo Ernesti ad Tacit. Annal. I. 5. *Idem.*

Illa mente] Forte *ipsa*. Et hoc supra attigi ad Eumen. pro Restaur. Schol. c. IX. infra: ‘ Sed divina mens, et ipsius urbis æterna majestas nefario homini eripuere consilium.’ *Livin.* Cum per ‘ mentem divinam ’ ex sua religione Jovem intelligat noster, magis hujus excellentiam præ Diis minoribus *illa* indicat. In voce *secretum* ad secreta respicit mandata, quæ dare solebant Imperatores, aliis dignitate minoribus incognita, de quibus Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. I. p. 30. Jovem igitur significat Constantino tale de movenda feliciter expeditione mandatum dedisse, quem eventum Dii ignorabant minores. Nihil itaque est, ut ‘ divinam mentem ’ de digniori quodam Constantini Genio capiamus cum Lipsio Physiolog. Stoic. I. Diss. 19. *Arntz.*

Diis minoribus] Τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται Θεὸς, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ, κατὰ τὸν Εὐριπίδην, Plutarchus ἐν Πολιτ. παραγγέλμ. Aliquando putavi legendum *denegata* pro *delegata:* sed nihil muto. *Putean.* Recte nihil mutat, ut dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 1. *Arntz.*

Cum viceris] Recte *cum viceris:* neque opus mutare in *cur viceris.* Quinimo sic perierit totus sententiæ lepos, aut potius tota vis: respicit enim ad illud Ausonianum, 'Quid me oneras suscitator? Rationem felicitatis nemo reddit.' *Gruter.* Quomodo Ausonianum respicere potuerit noster, viderit Gruterus, recte tamen vulgatum tuitus. Sententia est: Nisi secretum a summo Deo mandatum habuisses, temeritatis tuæ in suscipienda contra aruspicum monita expeditione rationem reddere deberes, quamvis viceris. *Arntz.*

§ 6 *Limite*] Cf. ad Mamertin. Genethl. III. § 9. et Eumenium pro Instaur. Schol. XVIII. § 4. *Idem.*

Tuum reliqueras] *Tutum* recte primus recepit Gruterus, jubentibus ita codd. quos reliqui sunt præter Rivinum secuti. Aliud enim est illud Eumenii Constantio VI. init. 'Gallias tuas, Cæsar, veniendo fecisti.' Sed quod hic de exercitu noster scribit, id de Imperatoris præsentia ita exprimit Eumenius d. l. XIII. § 3. 'Illum limitem ... præsentiæ tuæ terrore tutatus es.' *Arntz.*

Pro te] Cf. ad Mamertin. Genethl. II. § 4. et Schwarzium ibid. III. § 1. *Idem.*

CAP. III. § 1 *Næ tu*] *Firmaveras, næ tu;* integro puncto hæc interpungenda: *Næ tu, &c.* Acidal. Vitiosa scilicet erat in Rhenan. ed. interpunctio. *Arntz.*

Arma movisti] Ποιητικώτερον pro 'copias,' et 'exercitus.' Infra: 'Explicari statim in frontem ordines, et extendi latius arma jussisti.' Lucanus: 'Impia concurrant Pompeii, et Cæsaris arma.' Statius: 'Cum rauca dabunt abeuntibus armis Signa tubæ.' Alii passim. *Livin.* Scribit tamen Zosimus lib. II. Constantinum exercitum collegisse etiam ex 'barbaris et Germanis, et aliis Celticis nationibus; itemque de Britannia coactis militibus.' *Patarolus.* *Arma* sunt armati, ea loquendi ratione, de qua dictum ad Eumenium Constantio VIII. § 4. Quid autem ex Zosimi loco voluerit Patarolus, tamquam ab hoc diverso, non video. Quamvis enim tantum ex variis gentibus exercitum conscripserit Constantinus, non omnes tamen contra Maxentium copias duxit, parte ad Rheni tutelam relicta, quas mox 'divisas copias' dicit, ubi recte Baunius. *Arntz.*

In tua conservatione] Codd. lectionem, *cum tua conservatio*, recte recepit Gruterus, et sequentes præter Rivinum in pr. Infr. IX. § 6. 'Tu, cujus ex vita omnium fata pendent.' Ammian. Marcell. XII. 5. 'Si Principis perditur vita, a cujus salute velut filo pendere statum orbis terrarum:' ubi similia contulit Lindenbrog. et Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. p. 433. et Lucani locum Patarolus infr. X. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Barbaris nationibus*] Jam enim Francos, et Alamannos vicerat, teste Eutrop. lib. X. *Patarol.* Eumenius Constantio XIII. § 3. 'Rheno institisti, omnemque illum limitem non equestribus, neque pedestribus copiis, sed præsentiæ tuæ terrore tutatus es.' *Arntz.*

Aut etiam] Omnes, quod sciam, exhibent *aut*, præter Mœrl. in quo *an* legitur: quod quin præferendum sit, dubitare poterit nemo, qui Quinctil. Instit. Orat. I. 5. 49. cum adnot. Gesneri, et Schwarzium ad Plin. Paneg. LXIV. § 2. et LXXXIV. § 1. et in Supplem. p. 578. consuluerit. *Jæger.* Recte. Quamvis enim *an* geminatum priore loco eleganter omittatur, ut docent Burman. ad Quinctil. Inst.

Orat. v. 13. ad Suetou. Cæs. cap. 58. pater meus ad Victor. Iul. LXXII. 2. tamen bis quoque poni monet Cellar. Cur. Poster. p. 161. Similis vocum permutatio est apud Mamertin. Julian. XXIV. § 5. *Arntz.*

Cum paucis] Repugnant verba Zosimi lib. II. nimirum Constantini milites fuisse 'ad nonaginta millia peditum, et octo millia equitum.' *Patarolus.* Non repugnant; tot milites conscripserat Constantinus; partem vero ad limitem in Rheno tuendum reliquit, vix autem quartam, adeoque paullo amplius XXIV. millibus, secum in Italiam duxit. Confer sequentia. XL. tamen millia Constantino dat Valesius ad Anonymi Excerpta post Ammianum p. 712. de parte exercitus relicta etiam non adtendisse videtur Nourrius Dissert. ad Lactant. p. 297. et Basnage Annal. tom. II. p. 621. *Arntz.*

§ 2 *Quarta parte*] Ellipsis præpositionis *cum*, Græcismo adfinis, nec infrequens Latinis scriptoribus. Sallust. Cat. 57. 4. 'Neque tamen Antonius procul aberat: utpote qui magno exercitu, locis æquioribus expeditus, in fuga sequeretur.' Ibi Cortius advocat Livium XXXI. 36. 'Postero die omnibus copiis consul in aciem descendit.' XXXVI. 30. 'Inde toto exercitu profectus reliquum iter satis expedito agmine fecit.' His adjungi potest Virgil. Æneid. XI. 477. sq. 'Nec non ad templum, summasque ad Palladis arces Subvehitur magna matrum regina caterva.' *Jæger.* Exemplis abundat nota Drakenborchii ad Livium I. 14. 7. *Arntzenius.*

Centum millia] Scribit Zosimus lib. II. Maxentii exercitum centum et septuaginta millia peditum, decem et octo equitum habuisse. *Patarol.*

Alpes] Cottias, quæ e Gallia in Italiam venienti occurrunt. Ibi tunc degebat Constantinus, teste Eutropio lib. X. *Idem.*

In amore] *In* abundare censet Acidal. ad Pacat. Paneg. XXXVI. § 3. *Arntz.*

Promissam divinitus] Schœpflinus Alsat. Inlustr. tom. I. p. 392. hæc ad crucis signum refert, quod in cælo vidisse dicitur Constantinus, in quo quidem adsentientes non est eos habiturus, qui crucem Constantino demum adparuisse contendunt, cum ad urbem Romam pervenisset, jam jam Maxentium victurus; hæc autem verba ad expeditionis initium pertinent, cum demum in Italiam moturus esset castra Constantinus; Alpes enim transgressus dicitur, quia *promissam* petebat victoriam, id est jam in Gallia promissam, priusquam Alpes transcenderet. Melius itaque de fama hunc interpretatur locum Basnage Annal. tom. II. p. 680. qua Constantino in auxilium venisse cælestes narrabantur exercitus. Imo vero locus hic est dignissimus, in quo paulisper inmoremur. Vulgata sunt inter omnes, quæ de signo, quod sese Constantino obtulerit, narraverint Eusebius Vit. Constantin. I. 28. Lactantius M. P. 44. et ex his alii, neque tamen omnes pari consensu, de quo Gothofred. ad Philostorg. Hist. Eccles. I. 6. Patarol. infr. IV. § 4. Crucemne vere viderit Imperator, jam non disputo, et non parum discrepant Baluzius ad Lactant. M. P. 44. Nourry Dissert. ad Lactant. p. 184. sqq. Fabricius Biblioth. Græc. tom. VI. p. 8. Cuperus ad Lactant. M. P. p. 237. et in Epist. ad Fabricium, quam in hujus vita dedit Reimarus p. 235. Maclaine ad Mosheimii Hist. Eccl. tom. II. p. 17. Wernsdorf Mus. Crit. vol. II. fasc. I. n. 1. apud Jæger. supra ad Eumen. Constantin. XXI. § 4. Observ. Halens. tom. I. p. 379. Heuman. Pœcil. tom. II. p. 51. aliique, qui singularibus lucubrationibus hoc egerint. Esto, sese crucem, litterasque, sive Græcas, sive Latinas, videre putaverit Constantinus, idque

etiam jurejurando confirmatum Eusebio narraverit, de cujus tamen in talibus fide confer Observat. Halens. tom. I. p. 367. sqq. vix tamen dubitem, quin duo facta miscuerint scriptores, loco et tempore diversa, ex quo, sive negligentiam, sive piam fraudem dixeris, haud aliter fieri potuit, quin oriri debuerint difficultates, quas cum etiam sensisse Eusebius videatur, duplicem Constantino speciem, et die, et nocte oblatam, sed tempore fere eodem, tradit Vit. Constant. I. 28. De duplici hac specie monuit etiam Columbus ad Lactant. M. P. 44. sed rem non expediit monuisse contentus. Utramque ita distinguo; prima, si expeditione contra Maxentium non sit prior, saltem in Gallia fuit visa; alteram sese videre putavit Constantinus in Italia, cum ad urbem jam pervenisset; primam conspexerunt quoque milites, alteram solus Constantinus; prima vere in cælo adparuit, altera in somnio; prima die, altera nocte. Verane etiam fuerit altera, non sum sollicitus; vidisse se putavit Constantinus, putaverunt etiam ex ipsius testimonio alii, idque ad utriusque discrimen mihi sufficit. Sed de prima, quæ quidem hujus est loci, disquiramus. Rem ita expediendam puto: Nunciato per aruspices infausto expeditionis omine, de quo ad cap. præced. § 4. aliud remedium quæsivit Constantinus, aruspicum artem ridens, damnare tamen nondum ausus. Occasionem itaque ex inproviso oblatam adripuit, qua in nubibus formatas velut equorum militumve inter se pugnantium imagines conspiciebat; formatæ autem erant per solis ad occasum vergentis radios, quo pertinet ἤδη τῆς ἡμέρας ἀποκλινούσης apud Eusebium, sed hæc miscentem, Vit. Constant. I. 28. ubi Valesius; et inde cap. 29. νὺξ ἐπῄει; adde Columbum ad Lactant. M. P. 44. quam varias autem montium, silvarum, ipsorumque etiam pugnantium species formare queant solis ad occasum vergentis radii, notum est, ab ipsis etiam aliquando recentioris ætatis historicis prodigii instar commemoratas: quid itaque mirum, si ex his quoque omina ceperint veteres? huc refer hastas militares in cælo ardere visas apud Obsequent. de Prodig. cap. 9. arma in cælo volare visa, ibid. c. 76. adcommodatus præsertim est ejusdem locus cap. 103. 'Arma cælestia tempore utroque ab ortu et occasu visa pugnare, et ab occasu vinci.' Et Joannis Saresber. Policr. II. 4. 'Etenim prope solis occasum visi sunt currus, et quadrigæ in omni regione per aërem, et armatorum cohortes misceri nubibus, et urbes circumdari agminibus improvisis.' Si jam Constantinum consideremus, a religionis Christianæ præceptis non alienum, publice tamen eam profiteri nondum ausum, cf. supra II. § 4. quid vetat, quo minus statuamus, eum ex Romana, suorumve militum superstitione has in nubibus formas, tamquam felix expeditionis omen, suis persuasisse? et quidem illo aruspicum certius, quia hi a Diis minoribus, ipse autem a majori, cui minores illi suberant; hi ex extis, ipse ex cælo illud observassent; ita enim noster cap. II. § 5. 'Habes profecto aliquid cum illa mente divina, Constantine, secretum, quæ, delegata nostri Diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere;' ubi vide: addidit etiam forte, patris Constantii, inter Divos recepti, ope hanc sibi speciem, in faustum expeditionis omen, ostendi, quæ cuncta quantum ad persuadendos militum animos facere potuerint, intellectu est facile. Vera autem esse, quæ dixi, docebit Nazarius Paneg. XIV. init. sed ideo notatu dignior, quia id servavit, quod prætermiserunt historici. Ipsum audi: 'In ore est omnium Galliarum, (quia in Gallia id contigerat) exercitus visos,

qui se divinitus missos præ se ferebant.... Flagrabant verendum nescio quid umbones corusci, et cælestium armorum lux terribilis ardebat.... Illi cælo lapsi, illi divinitus missi gloriabantur, quod tibi militabant. Ducebat hos, credo, Constantius pater, qui terrarum triumphis altior tibi cesserat, divinas expeditiones jam Divus agitabat.' Præterea cap. xv. § 4. hanc cum eo speciem comparat, quod de Castore et Polluce, bello Latino visis, narrant Romanorum historici, ideo tamen majorem, quia 'duo quondam juvenes, sed nunc exercitus visi:' ibid. § 7. unde et 'cælestes' Constantini 'exercitus' dicit cap. xix. § 2. xxix. § 1. eaque sunt 'divina præcepta' infr. iv. § 4. Male igitur Sigonius de Occid. Imp. Opp. tom. i. part. ii. p. 76. 'exercitus' hos 'cælestes' accipit de militibus tanta animorum alacritate advenientibus, ut non adcitæ, sed a Deo missæ crederentur, quod Nazarii narrationi prorsus est incongruum. Vides itaque prodigium, ex quo sibi auxilium promiserit Constantinus, non alia arte, quam præcepit Frontinus Strateg. i. 11. 13. 'Hoc genere (ut tamquam a Diis imperata habeantur) strategematon non ea tantum parte utendum est, qua inperitos existimabimus esse, apud quos his utemur, sed multo magis ea, quæ talia erunt, excogitabuntur, ut a Diis monstrata credantur.' Prudentiam Imperatorum, omen malum in melius vertentium, adtingit Barth. ad Claudian. in Eutrop. i. 125. De hujus quidem prodigii veritate dubitat Puteanus ad Nazar. cap. xiv. init. quia ejus nulla apud alios mentio; et certe silent historici, præsertim Christiani; sed post Nazarium Romanos siluisse historicos puto, ne victoria de Maxentio Christianis infenso, et eam secuta Christianæ religionis, fautore Constantino, publica auctoritas, Deorum adprobationi, et cælesti per hoc prodigium auxilio tribuerentur; siluerunt autem Christiani, ne de consultis araspicibus, aliisve artibus, quibus hac in re usus fuerat Constantinus, confiteri cogerentur, ideoque ex hac specie quædam ad visam crucem transferre maluerunt, eoque effectum est, ut utrumque factum fuerit commixtum, unde Zonaras habet *ἱππότην καὶ ἀπλισμένον τοῦ σταυροῦ τύπον*, in loco, quem excitat Bulenger. de Prodigiis iv. 26. Quod itaque in cruce visa ad naturalem rationem, id est, ad halones solares, sive parhelios revocavit Fabricius Bibl. Græc. tom. vi. p. 8. quamvis, qui ita sentiant, damnatæ fere religionis notentur a Nourrio Dissert. ad Lactant. p. 184. sqq. id ad hanc adparentium in nubibus exercituum speciem magis retulerim: atque tum facile confutes, quæ obmoverit Cuperus in Epistola ad Fabricium; cf. Reimari Vit. Fabric. p. 235. neque tum difficulter componantur, quæ de crucis visæ loco tradunt, inter se multum diversa, aut in Alsatia, aut Novimagi, vico ad dextram Mosellæ ripam, aut Augustodunum inter et Ladonam, aut Danubium et Rhenum haud procul Brisacio, aut denique in Italia. Cf. Baune Vit. Constantini, et Schœpflin. Alsat. Inlustr. tom. i. p. 393. Crux itaque in Italia prope Romam adparuit, hæc exercituum species in Gallia; hanc enim in 'omnium Galliarum ore' fuisse tradit Nazar. d. l. idque etiam indicant verba § 6. 'bellum, quod adgrediebare;' nondum itaque erat inchoatum, aut, si inchoatum fuerit, erat adhuc in Gallia Imperator; in Italia enim dici nequit 'bellum adgressus.' *Arntz.*

§ 4 *Severus exercitum*] Eutrop. lib. x. 'Sed adversum motum prætorianorum atque Maxentii, Severus Cæsar, Romam missus a Galerio, cum exercitu venit, obsidensque urbem militum suorum scelere desertus est.' Vide Euseb. Chron. et in Histor.

Orosii, lib. VII. *Puteau*. Infra: 'Non intelligens majestatem illam urbis, quæ pridem admotos exercitus sollicitaverat, ad tua auxilia transisse.' Ibi, quantum opus erit, dicemus. *Livin.* Severus Cæsar a Galerio missus cum exercitu adversus Maxentium, qui, inconsultis et invitis Augustis, imperium invaserat. Historiam tradit Eutropius X. 2. Zosimus II. 10. et Lactantius de Mort. Persec. cap. 26. *Cellar.* Cæsar hic una cum Maximino Daza electus est ab Imperatoribus, Maximiano Armentario et Constantio Chloro. Ipse autem, cum Italiæ præesset, ab eodem Maximiano cum copiis est missus contra Maxentium, a quo victus Ravennam se recepit. Eadem postea Maximiani Herculei dolo digressus, dum Romam peteret, in paratas a Maxentio insidias incidit, quibus etiam sublatus est. Ita Zosimus lib. II. At Eutrop. lib. X. init. ipsum suorum scelere desertum scribit: 'auctæque,' inquit, 'Maxentio opes;' quæ magis conveniunt cum iis quæ a nostro dicuntur, lucemque præbent sequentibus. *Patarol.* Adde Anonymi Excerpta post Ammianum pag. 712. Nourry Diss. ad Lactant. p. 336. Sigon. de Occid. Imper. Opp. tom. I. P. II. p. 62. et quæ dixi supra ad Incert. Maximian. I. § 1. et Livineius infra XV. § 4. *Arntz.*

Hostem suum] De dissensu, quo Severus loco vitam finiverit, vide Baluzium ad Lactant. M. P. 26. Cellar. ad Zosim. Hist. II. 10. Nourry Dissert. ad Lactant. p. 137. *Arntz.*

Perfidia desertus] Et artibus Maximiani Herculei, ac suorum. *Patarol.*

Armaverat] Puta, quia vel plures ex suis militibus, qui in congressu ille capti sunt, ad Maxentii partes transiere, vel ultro transfugæ ad eundem defecere. *Idem.*

Maximianus admoverat] Inepte, et contra historiam, qui Maximinus supponunt. Est enim Galerius Maximianus A. qui a Diocletiano A. Cæsar factus fuerat, 'Armentarius' cognomine. Apud Julianum Imperatorem Cæsarib. Diocletianus, ἄγει μεθ' ἑαυτοῦ Μαξιμιανώ τε τὼ δύω, καὶ Κωνστάντιον. *Livin.* Hic est Maximianus Galerius, qui, cognito Severi Cæsaris fato, ipse contra Maxentium profectus est in Italiam. Sed, nec sibi milites fidos fore præsentiens, in Orientem regressus est. Zosimus II. 10. *Cellar.* Male nomine hujus Maximiani Herculium intelligit P. De la Baune. *Patarol.* Baunii error est in seq. Observ. in quem ductus est a Zosim. Hist. II. 11. ubi Cellar. *Arntz.*

Transfugis videbatur] Militibus parum fidis transfugarum more stipatus, circumseptus. *Patarol.* *Transfugis circumcisus* dicitur, puto, is, cujus copiæ, multitudine transfugarum, attenuatæ sunt, et imminutæ. Et sane, quemadmodum milites Severi præmiorum illecebris traduxerat Maxentius, ita et Maximiani exercitum, eadem via, ab illo attentatum fuisse auctor est, præter alios, Aurelius Victor Cæs. c. 40. *Jæger.* *Circumcisus*, a Grutero insertum, retinuerunt sequentes præter Rivinum in pr. et recte; hoc enim 'majoribus copiis' opponitur. Male tamen explicuit Patarolus, cujus interpretatio ad Livineii magis esset conjecturam adcommodata; optime autem Jægerus. Maximianus, id est ipsius copiæ, *circumcisus* dicitur, ut 'sumtus circumcisi,' de quibus Schulting. ad Senecæ Controv. III. p. 213. Ammian. Marcell. XVII. 13. 'Cunctis vitæ præsidiis circumcisis:' et in genere minuendi, resecandi notionem in hoc verbo observarunt V. D. ad Plinii Epist. III. 7. 11. X. 52. 3. *Transfugis* est ob transfugas, ut hi caussam dederint, qua ipsius essent copiæ imminutæ, de quo ablativi usu dixi ad Sedul. Carm. III. 134. iique sunt, quos Maximianum intellexisse οὐ πιστῶς περὶ αὐτὸν ἔχειν tradit Zosimus Hist. II. 10. *Arntz.*

Prospere refugisse] Felicius, et consultius egisse redeundo in Asiam, quam dubio se committendo certamini. *Paterol.*

Pater illius credebatur] *Ipse* scilicet Maximianus Herculius, qui credebatur pater Maxentii; nam Maxentius putabatur suppositus esse filius Maximiani. Vide Entrop. lib. IX. Paull. Diaconum. *Putean.* Epitome Sex. Victoris: 'Sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi partus, cœpti a puero.' Scripsi, quod arbitror germanum, et 'a puero' est a prole mascula. Infra: 'Ut omittam, quod erat ille Maximiani suppositus.' Iterumque: 'ut falso generi non invideamus.' *Livin.* Recte de Maximiano Herculio *ipse* accipiunt interpretes: uxorem enim habuit Valeriam Eutropiam, antea homini Syro nuptam, ex qua natus Maxentius, dubium tamen inter historicos, legitimus, an suppositus. Cf. Nourry Dissert. ad Lactant. pag. 290. Baluzius ad eumd. cap. 18. Cuper. ad eumd. cap. 89. not. ad Valesii Anonym. post Ammianum pag. 712. Legitimum fuisse indicare videtur Mamertinus Paneg. XIV. § 1. sed ut alterum credam, sum pronior. Recte Spanhemius de V. N. Diss. XII. pag. 509. eorum refutat sententiam, qui Maxentium Galerii Maximiani filium faciunt, cujus erat gener. Livineii in Aurelio Victore Epit. XI. 13. conjectura ex codd. confirmata est, secundum quos pater meus, et Grunerus jam dederunt, quos vide. *Arntz.*

Detrahere contatus] Eutropius princip. lib. X. 'Herculius tamen Maximianus post hæc, in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem et convitia militum tulit.' Paul. Diacon. lib. VII. 'Herculius Maximianus persecutor confirmatum jam in imperio filium veste, ac potestate regia spoliare conatus.' *Puteanus.* *Conatus* jam edidit recte Livineius, et ita Schonhovii excerpta; *contatus* in pr. retinuit Rivinus. Nostrum quoque inlustrat Lactantius M. P. 28. 'Convertit (Maximianus) ad filium manus, et illum esse dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum quas res publica sustineret, diripuit ab humeris ejus purpuram.' Sigonius de Occid. Imp. lib. II. pag. 62. Opp. tom. I. part. II. hoc loco habet *coactus*, et refert ad Maximianum, tamquam is, cum purpuram vellet sumere, ex militum timore eam suis humeris detraxerit, quod Eutropii et Lactantii locis parum est consentaneum, neque Orosio Hist. VII. 28. Adde Baluzium ad Lactant. M. P. 28. *Arntz.*

Sua fata] Id est, imperii olim sui. *Livin.* Recte; cum enim Maxentio purpuram detraheret Maximianus, illum milites, patris perfidiam detestati, exceperunt. 'Quorum,' inquit Lactantius M. P. 28. 'ira et clamore perturbatus est senex inpius, et ab urbe Roma tamquam Superbus alter exactus est.' Ita cum penes filium maneret imperium, illius *fata* in hunc transierunt. Adde Nourry Dissert. ad Lactant. p. 285. *Arntz.*

§ 5 *Mille et sexaginta*] Tot sane elapsi ab U. C. ad Maxentii imperium, quod in Fastis Capitolinis ponitur sub consulatu Constantini M. et Maximiani Herculei IX. Fuit autem A. C. juxta dictos Fastos CCCVII. juxta aliorum computum CCCVI. *Paterol.* Cf. Scalig. Emend. Temp. pag. 306. Livineium supra ad Incert. Maxim. II. § 5. *Arntz.*

Monstrum illud] Maxentius, et 'prodigium' cap. 7. § 1. *Cellar.* De eodem Prudentius lib. I. contr. Symmach. 'Cum te pestifera premeret Maxentius aula,' &c. *Paterol.* 'Portentum' dicit infra XIV. § 2. adde supra ad Mamertin. Maxim. p. 16. θὴρ de Licinio apud Eusebium Vit. Constant. I. 49. 'belluam' hoc sensu adhibuit Capitolin. Maxim. 15. et

Maxim. et Balbin. 15. 'bestiam' Lactant. M. P. 16. et 25. 'animal' nostr. infra XIV. § 3. ubi not. plura dedi ad Arator. I. 102. et Jæger. infra VII. § 1. Bunemann. ad Lactant. Instit. VI. 17. 7. *Arntz.*

Ingesserat] In Romam, in fiscum, ad abutendum, nisi aliud forsan dispiciendum verbum est. *Cellar.* Nodum in scirpo quærit Cellarius. Sensus est: Maxentius opes, mille et sexaginta annis ex toto orbe Romam congestas, militibus suis, tamquam auctoramentum civilis latrocinii, dederat, eaque largitione, et alia quædam gratificando, quæ sect. proxima commemorantur, voluntates eorum adeo redemerat, ut ipsi corpora, animasque addicerent. Infra c. 14. § 6. 'Fruimini, aiebat, dissipate, prodigite.' *Jæger.* De 'civili latrocinio' vide infra XVII. § 1. *Arntz.*

§ 6 *Ad hoc*] Ita rectius, quam *adhæc.* Conf. Cort. ad Sallust. Catil. XLIV. 6. *Idem.*

Aliena matrimonia] Senatorum, 'et maxime nobilium matronas publice abstrahi,' &c. Euseb. Hist. Eccles. VIII. 16. vide eundem de Vita Constant. I. 33. *Patarol.* *Matrimonia* pro conjugibus. Cf. ad Eumen. Constantio VIII. § 4. supra hoc cap. § 1. quo sensu 'thalamos' quoque dixit Iscanus Bell. Trojan. I. 35. 'Qui caperent thalamos, spoliarent regna metallis:' lege 'raperent.' *Arntz.*

Innocentium capita] Consule citatum Eusebii locum, qui fuse Maxentii scelera prosequitur. *Patarol.*

Mortem devotionis] Nescio quæ sit 'mors' ista 'devotionis,' quare arbitrabar, maxime cum Gallum hominem Panegyrici hujus auctorem credere cum aliis libeat, *usque ad morem devotionis* esse legendum, qui qualis in hac gente fuerit, ex Cæsare cognoscere licet; alioquin enim passim in jure nostro, et historicorum, poëtarumque monimentis 'devotissimi milites,' et 'devotissimæ legiones' appellantur. *Medius*, Novant. Lect. Epist. 25. Varie locus hic legitur in veteribus libris. Pithœan. sic habet: *usque ad mortem devotionibus obstrinxerant*, rectius quam in vulgatis. Forte ita legendum, *usque ad mortem devotionis obstrinxerat.* Putean. Forte *mortis devotionem.* Livin. Lege *ad mortem devotos.* Livineius conjecit *usque ad mortis devotionem*, quod Rittershusio placuit, qui eo modo dictum vult, quo apud Eumen. Grat. Act. X. 'Prompta in te est natura bonitatis:' et Constantino c. X. 'legem illius severitatis evasit:' ubi 'legis illius severitatem' legi mavult. *Acidal.* 'Devotionem capitis,' 'vitæ' dici, nemo ignorat: num vero etiam 'devotio mortis' inveniatur, fateor, me nescire; quamquam facile agnoscam, ἀναλογῶς dici posse. Ut ut sit, vulgatam tamen mutatione non indigere arbitror. Quemadmodum enim Virgil. Æn. II. 436. 'vulnus Ulyssei' est, quod Ulysses inflixit, et Senecæ Herc. Œt. Act. II. vs. 447. 'malum pellicis,' quod a pellice proficiscitur; ita 'mors devotionis' erit, quæ ob devotionem oppetitur, ejusque effectus haberi potest. Eam 'devotam mortem' dixit Lactant. de Mort. Pers. 47. 3. Sensus igitur est: Obstrinxerat eos adeo, ut ad subeunda maxima pericula, et pectora morti devovenda essent paratissimi. Sic de Principe meliore Claudianus Cons. Honor. IV. vs. 118. sqq. 'Magnarum largitor opum, largitor honorum: Pronus et in melius gaudens convertere fata. Hinc amor, hinc validum devoto milite robur.' *Jægerus.* Quam memorat Acidalius sententiam Rittershusii, Livineium secuti, vide supr. ad Eumen. Grat. Act. X. § 1. contra 'mortem devotionis' probat noster Herman. Cannegieterus Observ. Jur. III. 10. et cum 'devota morte' apud Lactant. M. P. XLVII. 3. contulit Bunemannus; potest enim 'mors devotionis' esse

'mors devota,' ex similibus genitivi exemplis, quæ dedi ad Arator. I. 1. Bondam Var. Lect. pag. 37. et 188. Cannegieter. ad Fragm. Vet. Jurisconsult. p. 317. Sed quamvis hæc admittatur locutio, est tamen aliud, quod in hoc loco male me habet, et in quo, vellem, facem prætulissent interpretes. Ecce enim; a quo pendebunt *aliena matrimonia?* si ad *obstrinxeras* referenda putes, ut in plerisque edd. fit, quæ tum erit constructio, *aliena matrimonia obstrinxerat parricidas?* si ad *donando*, æque intricata erit scribendi ratio: ita enim Puteolanus et Rhenanus: *ad hoc aliena matrimonia, innocentium capita, cum bonis passim donando . . . obstrinxerat parricidas omnes, insidiatos sibi;* similiter Henr. Stephanus et Chouetiana, nisi quod præpositionem *cum* in *quum* mutent, quod tamen nihil juvat: ita *innocentium capita* est tamquam adpositum τῶν *aliena matrimonia;* hoc si nolis, asyndeton debet esse, quo cepisse modo videtur in interpretatione, textui subjecta, Baunius: ita enim explicat: 'Præterea alienas conjuges, innocentium hominum vitam, et bona sine discrimine parricidis dando, eos ita sibi devinxerat, ut suam ipsi vitam devoverent.' Non id rejicerem, si legeretur *et bona*, sed jam non concoquo, *aliena matrimonia, innocentium capita donare.* Præterea *aliena matrimonia* de uxoribus accepit Baunius; has vero quibus donavit? parricidis? sed quid tunc *innocentium capita donare*, sive innocentium vitam, ut ipse explicat? ad quid itaque iis permisit, ut aliorum uxores occiderent? non capio; magis enim, ut occiderentur mariti, flagitabat Maxentii libido, idque convenit Eusebio Hist. Eccles. VIII. 14. Vit. Constant. I. 33. de violatis aliorum uxoribus multa tradenti: quamvis uxores per divortium a viris abstractas, vitiatasque ad eos remissas scribat; huc facit Suidas in Μαξέντιος· Μοιχεύων ἀναίδην τὰς τῶν ἐλευθέρων γυναῖκας· unde 'libidinem stupris contaminatam' ipsi tribuit noster 4. § 4. Ut brevis sim, integer mihi locus ita videtur legendus: *Ad hoc aliena matrimonia, innocentium capita cum bonis passim donando, usque ad mortem devotionibus obstrinxerat; patricios omnes, aut insidiatos sibi,* &c. *Devotionibus* est ex cod. apud Puteanum; 'devotionibus obstringere ad mortem' notat devovendo morti obnoxios facere; 'ad necem destinare' dixit Capitolinus Get. cap. ult. qui enim alium morti devovet, is 'devotioni' eum 'obstringere' dici potest, cum ipse ad id sese obstringat: ita primores Samnitium 'detestatione obstricti' dicuntur apud Livium X. 38. quia exsecratione promiserant, sese occisuros, quos fugientes vidissent; hi itaque fugientes tali exsecratione ad mortem erant obstricti; et similiter apud Justinum III. 4. 1. cum enim 'obstringere se scelere, parricidio,' et similibus is dicatur, qui sceleri, parricidio, se obnoxium facit, vid. Cæsar B. C. II. 32. 4. Oudend. ad eumd. B. C. I. 11. 2. Drakenb. ad Livium IX. 34. 19. XXXIX. 37. 20. ita 'devotionibus aliquem obstringere ad mortem' is dici poterit, qui suis devotionibus alium certæ morti facit obnoxium. *Aliena* itaque *matrimonia* sunt mariti, ut, his sublatis, eorum uxores stupris et libidinibus aliorum traderentur. Confer Eusebium Hist. Eccles. VIII. 14. idque significat noster per verba, *innocentium capita cum bonis passim donando.* Est enim 'innocentium capita donare' innocentium maritorum inpune occidendorum alicui facultatem concedere, ut aliquem 'plebi ad pœnam donare' apud Lampridium Commod. 7. et Herodis filia, Joannis necem expetitura, in Euang. Matthæi XIV. 8. et Marci VI. 25. δός μοι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου. *Cum bonis* recte Baunius interpretatur 'et bona,' cujus constructionis exempla

pete a Salmasio ad Vopiscum p. 370. Anna Fabri ad Entrop. VI. 19. Grævio ad Florum III. 10. 8. Cortio ad Plin. Epist. VII. 33. 4. Apud Virgilium Georg. I. 360. legitur, 'Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis:' quem locum varie explicuerunt eruditi, sed ex cod. apud Burmannum lego 'cum curvis,' ut 'sibi cum carinis' sit, sibi et carinis. Quod si Nostri verba ita capias, notetur, velim duplex significatio, quæ uni verbo insit, 'donare caput,' et 'bona,' qualia etiam exempla dedi in Specim. Observ. c. 2. in fin. 'passim donare' est sine ullo dignitatis discrimine, cujus nullam a Maxentio rationem esse habitam tradit etiam Eusebius Hist. Eccles. VIII. 14. de cujus vocis 'passim' significatione dixi ad Eumen. Constantio XVII. § 1. Quæ denique in sequentibus mutanda censui, mox confirmabo. *Arntz.*

Obstrinxerat parricidas] Sine ulla hæsitatione *patricios* rescripsi; ita enim senatores, aliosque honoribus insignes fictis criminibus eum punivisse testatur Eusebius Hist. Eccles. VIII. 14. et Vit. Constant. I. 35. unde infr. 4. § 4. 'trucidatum' memorat 'senatum.' Omnes reliqui *parricidas* dederunt, id cum *obstrinxerat* conjungentes, sed tunc turbata est præcedentium constructio, ut dixi præced. observ. neque ad sequentia referre potuerunt, quia *autem* obstabat tertio loco positum. Ni fallor, omnia sunt jam plana, secundum ea, quæ ex codd. restitui. *Idem.*

Omnes insidiatos] Cum *autem* sola Langii auctoritate, et forte conjectura nitatur, ex codd. *aut* reddidi, præsertim ut foret oppositio inter *insidiatos*, et *palam*. 'Insidiati' enim hic sunt, quos Eusebius Hist. Eccles. VIII. 16. memorat, aperte Maxentio resistere non fuisse ausos, quomodo 'aperte' et 'per insidias' distinguuntur apud Spartian. Hadr. 23. *omnes* in sequentem locum trajicit Acidalius, sine necessitate. *Arntz.*

§ 7 *Totam*] Cf. ad Mamertin. Genethl. X. § 5. *Idem.*

CAP. IV. § 1 *In consilio*] Pro *in consilio* Putean. ex suo cod. adfert, probatque *in consilium*. Notissimus est usus præpositionis *in* cum quarto casu loco sexti, de quo vid. Taubm. ad Plaut. Amph. I. 1. 25. ut alios præteream: sed tamen non ubique inculcandus. *Jæger.* Probavit hanc lectionem in præced. observ. Puteanus. Verum quidem est, quod de præpositionis usu monet Jægerus, quem etiam adtigi ad Sedul. IV. 107. V. 200. ad Arator. I. 38. et ita *consilio* hic retineri posset, ut infr. XI. in fin. 'qui tibi in consilio erant:' magis tamen *consilium* placet, tum quia multum cod. Puteaneo tribuo, tum quia, elegantem præpositionis cum quarto casu usum ignorans, librarius constructionem magis frequentem secutus videtur, aut potest ipsi fuisse fraudi consuetum illud scripturæ genus, ex quo casum quartum nonnumquam corruperunt librarii, de quo pluribus monui ad Eumenium pro Instaur. Schol. VIII. init. 'Habere' enim 'aliquem in consilium' est, ut sibi consilium det; ita caussam sæpe hæc indicat præpositio; quo modo 'deligere in consilium,' Mamertin. Julian. XXV. § 1. Similia dedi ad Arator. I. 597. et de Græco εἰς Burman. ad Petron. p. 429. *Arntz.*

Divinum Numen] Livineius ex suo cod. et N. pro *divinum* notat *tuum*, quod fortasse ab ingenioso correctore, ea, quæ proxime sequuntur, non satis considerante, et verba § 5. 'divino consilio, hoc est, tuo,' ante oculos habente, est profectum. *Jæger.* Littera *N.* in Livineii margine non codicem, quod putasse videtur Jægerus, sed vocem *Numen* indicat; nullo enim loco istiusmodi nota codicem designavit. *Arntz.*

§ 2 *Ratio ducebat*] Distingue. *An illa te ratio ducebat*, (*sua enim c. p. D.*

e.) *quod n. p. m. c. n. superare?* Acidalius. Acidalio ad distinguendum caussam dedit omissa in quibusdam edit. parenthesis, et jure ita distinxit. *Arntz.*

Prudentia Deus est] Ita Mezentius Virg. Æn. x. 793. 'Dextra mihi Deus.' Cornel. Attic. xvi. 4. 'Facile existimari posset, prudentiam quodam modo esse divinationem.' *Jæger.* Dictum hoc Menandri vel Euripidis præclare illustrat Wyttenbachius in specimine editionis Opp. Plutarchi, quod exhibet Bibl. Crit. vol. iii. P. i. p. 17. sq. *Idem.* Comparabat quoque hunc locum Eldikius noster cum illo Juvenalis Sat. xiv. 316. 'Nullum Numen abest, si sit prudentia.' Adde Cerdam ad Virgil. Æn. ix. 185. *Arntz.*

Dispari contentione] Quæ de *meliori caussa* addit, si cum sequentibus comparentur, ostendunt nostrum belli, Maxentio iniati, caussam, a Constantini parte, in Italia a tyrannide liberanda constituisse, non autem in ipsius statuis Romæ a Maxentio dejectis, quod voluit Valesius Rer. Francic. i. p. 23. notatus ideo a Nourrio Dissert. ad Lactant. p. 196. nisi statuere velis, Maxentii tyrannidem caussam belli fuisse justam, statuas vero dejectas Constantinum movisse sub causa utilis, id est, fuisse caussam suasoriam, sed arte civili tectam, de quo Grotius J. B. et P. ii. 1. § 1. n. 1. sqq. Alii tamen bellum hoc a Maxentio inlatum scribunt, de quo Januar. ad Sigon. de Occid. Imp. Opp. tom. i. part. ii. p. 75. Silentio autem præterit noster, in principio Constantinum Maxentio fuisse inferiorem; id quoque tegunt reliqui historici præter Lactantium M. P. 44. ubi Cuper. dubito, utrum hoc oblique etiam significaverit Nazarius Paneg. xx. § 1. Constantini expeditionem cum illa Macedonum contra Illyrios comparans, 'et prima quidem,' inquit, 'congressio secundum illos (Illyrios) fuit.' *Arntz.*

Justitia pugnabat] Livin. *pugnabat;* ceteri, ut nos. Hanc modi mutationem exemplis pluribus adserit Cort. ad Cic. Ep. ad Div. xii. 2. 7. Bannius aliam rationem videtur iniisse, omissa vocula *et* ante *innumerabiles;* quo facto verba, *in tam dispari contentione non poterat melior caussa non superare*, per parenthesin orationi inserenda esse puto. Sed nescio an parenthesis tam frequens possit ferri. *Jæger.* Usum modi, eadem in periodo diversi, exemplis vide probatum apud Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 112. Obs. Miscell. tom. iv. p. 159. de Græcis, Observ. Nov. tom. iii. p. 13. *Arntz.*

§ 3 *Maximiani suppositus*] Ille Maxentius, de cujus natalibus fama dubitavit. Mox: 'ut falso generi non invideamus.' Epitome Victoris in Herculeo: 'Maxentium suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi cœpti a puero.' *Cellar.* Ex Zosimo tamen colliges, ipsum Maximiano legitimis natalibus ortum ex Eutropia. *Patarol.* Cf. supr. ad cap. iii. § 4. Ex simili Constantini et Maxentii comparatione Nazarius Paneg. x. § 3. 'Nihil sibi,' inquit, 'putat tecum commune, quia nihil simile est.' *Arntz.*

Despectissimæ pravitatis] Mœrl. *parvitatis.* Hæc facile permutantur. Vulgata quidem probabilis est, et verbis statim sequentibus declaratur: sed illa tamen magis fere arridet, propterea quod, sicuti *detorta et soluta membra* τῷ *talis*, ita *parvitas* τῷ *tantus* scite opponitur. *Jæger.* Ut in cod. Mœrl. legitur, ex ingenio etiam emendavit Baluzius ad Lactant. M. P. 18. Facile hæc a librario misceri potuisse patet exemplis, apud Drakenb. ad Sil. Ital. vii. 385. Livium i. 31. 8. et xxix. 37. 16. ita in Christii cod. apud Statium Theb. ix. 308. 'prava alno' invenit Klo-

jzius Miscell. Crit. p. 90. Propter sequentia tamen, 'detortis solutisque membris,' vulgatum præfero; 'pravum' enim de corpore notat perversum, male distortum, qua notione propria 'curvaturæ pravitatem' dixit Palladius de R. R. IV. 11. 2. ad nostri locum egregie Cicero Tuscul. Quæst. IV. 13. 'pravitas membrorum, distortio, deformitas:' et quæ plena manu dedit Gronovius ad Livium IV. 26. 6. et ad Senec. Epist. 122. *Arntz.*

Detortis solutisque] An *distortis?* ita Cicero Tuscul. Quæst. IV. 13. 'membra non distorta, nec prava' adpellat, et ibid. princ. 'distortionem' cum 'pravitate membrorum' conjungit; adde loca apud Gronov. ad Senec. Epist. 122. De 'solutis membris' confer Schulting. ad Senecæ Controv. I. p. 58. *Arntz.*

Mutilato] Quasi Maxentii nomen esset mutilatio nominis Maximiani; seu quod esset minime Maximus, quia statura parvus. *Patarol.* Mihi vero aliud quiddam subesse, et Maxentius in despicabilem appellationem, vulgi sermone, impactus fuisse videtur, cujus mentionem historici, quos habemus, intermittunt. *Jæger.* De voce *abusiva* vide Falster. Supplem. p. 4. *Arntz.*

Tantus ac talis] Pertinent hæc ad egregiam Constantini formam, de qua Eumenius Constantin. V. § 4. et cap. XVII. ita mox VII. § 5. 'pulcerrimi Imperatoris formam' memorat. Adde notata supr. ad Incertum Maxim. III. § 3. *Idem.*

Impietas] Maxentii mores, crudelitas, libidines, stupra, proscriptiones, et calumniæ, magicæ artes pluribus verbis describuntur ab Eusebio Hist. Eccles. VIII. 27. IX. 8. de Vit. Constantin. 27. et 29. Zonara lib. II. Eutropio lib. X. Prudentio lib. I. contra Symmach. et aliis. *Putean.*

Sola dicata] *Soli* Vet. Bertin. Cuspin. An ergo justa ei conjux Minervina, ex qua Crispum sustulit? At παλλακὴν Zosimus appellat. Confer quæ ad Incert. Maximian. cap. IV. notamus. *Livin.* Minervina tamen, de qua Crispus natus, dicitur a Zosimo concubina. Apud alios autem nomine hoc non audit; et, ut verum fatear, plura invenies in Zosimo contra aliorum fidem. *Patarol.* Minervinam non fuisse concubinam patet etiam ex Incerti Paneg. Maxim. IV. init. ubi ab ipso pueritiæ fine sese matrimonii legibus tradidisse dicitur Constantinus; illic vide, et Baunium Vit. Constantin. p. 297. *Arntz.*

Illum libido] Fuse Euseb. Hist. Eccles. VIII. 16. *Patarol.* Suidas: Μαξέντιος βασιλεὺς Ῥωμαίων, ὃς κακῶς τοὺς Ῥωμαίους ἐπέτριβε, τυραννικῷ μᾶλλον ἢ βασιλικῷ τρόπῳ χρώμενος, κατ' αὐτῶν μοιχεύων ἀναίδην τὰς τῶν ἐλευθέρων γυναῖκας, καὶ πολλοὺς ἀναιρῶν, καὶ ποιῶν τούτοις ἀκόλουθα. *Jæger.* Adde Nourrii Dissert. ad Lactant. pag. 291. Cuper. ad Lactant. M. P. cap. 44. *Arntz.*

Divina præcepta] Intelligit, puto, crucis signum, quam auctor Euseb. de Vita Constant. I. 28. &c. eidem apparuisse sub meridiem, omnibus visibilem, propinqua in hanc sententiam scriptura, 'Eo vinces:' ipsumque mox per noctem in somnis a Christo admonitum, 'ut, exemplar imitatus illius signi, idem in bellicis conflictibus amuletum circumferret.' Eadem fere et Socrat. Hist. Eccles. I. 2. Notandum vero, citatum Eusebium Hist. Eccles. IX. 9. rem aliter narrare; nimirum, crucem Constantino per somnum in cælis apparuisse, dicentibus angelis, qui ad crucem stabant, 'In hoc vince;' ex hoc inde animos eundem sumpsisse ad prælium contra Maxentium. *Patarol.* Cf. supr. ad c. III. § 3. *Arntz.*

Superstitiosa maleficia] Testis idem Euseb. VIII. 16. cujus verba: 'Tandem vero tyrannus sceleribus suis, quasi quoddam fastigium, magicæ

artis præstigias imposuit.' *Patarol.* De his vide infr. XIV. § 3. *Arntz.*

Trucidati senatus] Vid. supr. III. § 6. *Idem.*

Fame enectæ] Eusebius de Vita Constantini de Maxentio: *Οὕτω μὲν οὖν ἐπὶ Ῥώμης ὁ τυραννῶν οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, οἷα δρῶν τοὺς ὑπηκόους κατεδουλοῦτο· ὥστ' ἤδη τῶν ἀναγκαίων τροφῶν ἐσχάτῃ σπάνει, καὶ ἀπορίᾳ καταστῆναι ὅσον ἐπὶ Ῥώμης, οὐδ' ἄλλο τέ ποτε οἱ καθ' ἡμᾶς γενέσθαι μνημονεύουσιν.* Vide Paulum Diaconum princ. lib. XX. *Puteanus.* *Fame necatæ* Vet. Bertin. *Livin.* *Enectæ* etiam Schonhov. excerpta; indicat vox plebem ita fame vexatam, ut mortuo sit similis. Drakenb. ad Liv. II. 23. 2. quamvis etiam pro vere mortuo adhibeatur, ut in Anthol. Latin. Epigr. I. 42. 'Tertius enectus sus est Erymanthius ingens.' 'Serpentis enectæ virus,' Seneca Herc. Œt. 916. adde Burman. ad Sueton. Calig. c. 49. De hac fame cf. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 486. 'Piacula' notant crimen expiatione, et morte dignum; dixi ad Arator. I. 188. *Arntz.*

Abolitarum calumniarum] Infr. Nazar. in fine Panegyr. Constantino c. XXXVIII. 'Veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ,' &c. Vide, quæ ad hunc locum. *Putean.*

Probitatum delationum] Solus *probatarum* edidit Livineius, quæ lectio fidei est historicæ contraria, cum delatores non 'probaverit,' sed 'prohibuerit' Constantinus, et quidem jam ante devictum Maxentium, quæ tamen lex periit; namque in L. 1. C. Theod. de Petition., quæ anni CCCXIII. principio, et proinde brevi ante hunc Panegyricum, lata est, sese 'de delatoribus jam certa constituisse monet,' quæ sub gravissima pœna confirmat. Hanc quidem legem cogitasse potuisset noster, sed tamen magis priorem videtur, quia hic de expeditione contra Maxentium loquitur, et L. 1. eodem jam victo lata, secundum juris antea constituti normam est facta; itaque ad jus, expeditione illa prius, Nostri de expeditione loquentis potius verba adcommodentur. Cf. ibi Gothofred. tom. III. pag. 460. qui tamen in Chronol. Cod. Theod. p. 6. parum recte legem, quam periisse dixi, ad Kal. Decembr. CCCXII. refert, tunc enim devictus jam erat Maxentius; legem vero ante eumdem devictum jam fuisse latam, hic locus aperte indicat. Ceterum est cavendum, ne, quæ de calumniis, et delatoribus in jure civili constituerit Constantinus, ad hunc locum referantur; sunt enim hoc Panegyrico posteriora, ut ad Nazarium Paneg. c. 38. ostendam. *Arntz.*

Te conservatio] Emendandum insertis duabus voculis, quæ notatæ saltem, non perscriptæ exciderunt. Lege *te P. R. conservati, atque homicid.* id est, *populi Romani.* Opponit enim hoc illi superiori membro: 'trucidati senatus, plebis Romanæ fame enectæ piacula.' *Acidal.* Pronomen *te* ante *conservatio* delet Put. et Mœrl. Locum in mendo cubare satis liquido adparet, nec ullum remedium libri adferunt. Emendatio Livineii, *τὸ te* omittentis, et vocem *conservatio,* sublatam loco priore, post *gratulatio* reponentis, non sufficit ad removendam difficultatem. Nam ea vox, in fine periodi collocata, non habet, quo referatur. Quod si Acidalium sequamur, sententia efficitur quidem planior, sed post *sanguinis* vox aliqua desiderari videtur. Patarolus parum sollicitus de verbis, ita convertit: *Voi la conservazione del Romano popolo, e la consolazion dello scempio degli di lui uccisori.* Desunt fortasse etiam plura, quæ 'divinare mihi magnus non donat Apollo.' *Jæger.* Scite huic loco medetur Bibliotheca Philologica ita reponendo: *te populi Romani conservati atque homicidarii sanguinis expiati gratulatio.* Sic omnia bene, atque apte sibi invicem

respondent. *Idem.* Locus maxime difficilis. Unde enim pendent genitivi *calumniarum* et *delationum?* utrum a præcedenti *piacula?* ut hoc denuo repetatur, tamquam *piacula calumniarum* designent calumniæ et delatorum crimen, ipsa Constantini lege morte expiandum, in L. 1. C. Theod. de Petit. certe non pendere possunt a sequente *gratulatio*, propter interjecta *te conservatio.* Mihi locum consideranti non est dubium, quin in voce *conservatio* lateat vitium, codicibus, quos adhuc habemus, antiquius. Bisin præcedentibus τῷ *te* genitivum addidit; eumdem itaque casum in hac tertia vocis repetitione etiam fuisse additum mihi fit verisimile, si non certum, ob vocem *sanguinis* per copulam *atque* prioribus junctam. Acuta igitur est Acidalii conjectura *populi Romani conservati.* Neque tamen premam, quod mihi in mentem venit; scriptum puto, *te conservati orbis*, id est imperii Romani. Forte in antiquo cod. per notas exstitit *O.* quod in Papiæ vocabulario *orbe* exponitur, aut erasis quatuor posterioribus litteris, cum nesciret librarius, quo.o superstes referret, præcedenti voci junxit. Ita *conservator* Romæ Constantinus dicitur a Nazario Paneg. in fin. ut Diocletianus et Maximianus apud Mamertin. Maxim. XIII. § 2. 'conservatorem' quoque dixit Constantinum Eumenius Grat. Act. cap. ult. *Arntz.*

Homicidarum sanguinis] Mœrl. pro *homicidiarii*, exhibet *homicidiarum;* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. *homicidarum;* Francof. Paris. prior, Cellar. Patar. *homicidarii;* Bannius ex Bertin. *homicidiarii.* Jæger. *Homicidiarii* non est ex Bertin., sed Langii schedis; vox certe corrupta, quam non nisi hujus loci auctoritate tuentur lexicographi; alii igitur id in *homicidarii* mutarunt, sed ex solo arbitrio. Revocavi igitur *homicidarum*, quod in suis invenisse codd. dicendi sunt Puteanus et Livineius, cum pro varia lectione nihil notaverint, et proxime adcedit cod. Mœrl. ita etiam Gruterum usque constanter edd. Displicuisse quibusdam duplex videtur genitivus, cujus tamen exempla dedi ad Mamertin. Maximian. init. ad Eumen. Grat. Act. IV. § 2. 'Gratulatio sanguinis homicidarum' est gratulatio de occisis homicidis, id est Maxentio, ejusque sectatoribus, ut 'gratulationes victoriarum' apud Nazarium Paneg. XXXIII. init. Nulla igitur ratio, ut post *sanguinis* inseratur *expiati* cum viro cl. apud Jægerum præced. observ. *Arntz.*

§ 6 *Militum multitudinem*] Infra Nazarii Paneg. VII. § 2. 'Tantum inter arma bona conscientia sibi vindicat, ut jam cœperit non virtutis magis, quam integritatis esse victoria.' Propert. IV. 6. 51. seq. 'Frangit, et adtollit vires in milite caussa: Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.' Ubi vid. Brouckhus. Onosander Strat. c. 4. Ὅσοιγε νομίζουσι, νεμεσήσειν τὸ θεῖον ἐπὶ τῷ παρὰ τὸ δίκαιον ἐκφέρειν πόλεμον, αὐτῇ τῇ οἰήσει, κἂν μή τι δεινὸν ἀπὸ τῶν πολεμίων ἀπαντήσειν μέλλει, προκατοῤῥωδοῦσιν. *Jæger.*

CAP. V. § 1 *Dilectum*] Scripsi ex edd. antiquis *delectum.* Vid. supra ad Eumen. pro Instaur. Schol. V. § 3. *Arntz.*

Quadraginta millium] Forte *millibus.* Livin. Sic et Frontinus IV. 2. 'Alexander Macedo quadraginta millibus hominum, jam inde a Philippo patre disciplinæ assuefactis, orbem terrarum aggressus, innumeras hostium copias vicit.' Apud alios auctores variat numerus, ut videre est apud Diodor. lib. XVII. Arrian. lib. I. Justin. XI. 6. *Patarol.* Particulam *quam* sæpius omitti docet, præter alios, Sanctius. Minerv. IV. 7. p. m. 699. Sed et comparativis, more Græcorum, addi genitivos, cum Salmasio, contra sententiam Perizonii, adserit Heusinger. ad Vechn. Hellenolex. p.

292. Prior tamen ratio hic potior est, nec audiendus Livineius, qui *millibus* legendum esse conjicit. De copiis Alexandri Plutarchus, in ejus Vita p. 1231. ed. H. Steph. Τῆς δὲ στρατιᾶς τὸ πλῆθος, οἱ μὲν ἐλάχιστον λέγοντες, τρισμυρίους πεζοὺς, καὶ πεντακισχιλίους ἱππεῖς· οἱ δὲ πλεῖστον, πεζοὺς μὲν τετρακισχιλίους καὶ τρισμυρίους, ἱππέας δὲ τετρακισχιλίους ἀναγράφουσιν. De modo exercitus Veget. III. 1. 'Cum Xerxis, et Darii, et Mithridatis, ceterorumque regum, qui innumerabiles armaverant populos, exempla releguntur, evidenter apparet, nimium copiosos exercitus magis propria multitudine, quam hostium virtute depressos. Nam pluribus casibus subjacet amplior multitudo.' *Jægerus.* Recte vulgatum tuetur Jægerus ex omisso *quam*, de quo similia pater meus ad Plinii Paneg. XXVIII. § 4. neque opus, ut ad usum genitivi post comparativum confugiamus, cujus exempla vide apud Barth. ad Claudian. in Rufin. I. 277. Davies. Addend. ad Ciceron. de Divin. p. 276. Observ. Miscell. Nov. tom. VII. pag. 909. *Arntz.*

Exercitum judicabat] Solus *judicabat* dedit Livineius. Claudian. B. Get. 402. 'Mensus numerum, qui congruus esset, Nec gravis Italiæ, formidandusve regenti.' Adde Vegetii locum, modo a Jægero adhibitum. *Idem.*

§ 2 *Minoribus*] Quantum a nostro dissentiat Zosimus, colligi ex iis potest, quæ adnotavi ad cap. 3. *Patarol.* At non dissentire illic docui. Similia ducum exempla contulit Cerda ad Virgil. Æn. IX. 149. *Arntz.*

§ 3 *Leves Medos*] Fluxos, delicatos, utpote Orientales. *Patarol.*

Inbelles Syros] Ignavos, bello minus aptos. Cort. ad Sallust. Jugurth. LXVII. 2. *Arntz.*

Arma volatica] Tela, sagittas, quæ maximo usu Parthis, qui eisdem fugiendo etiam præliabantur. *Patarol.*

Prælii unius] Innuit, arbitror, prælium cum Dario, cladémque eidem illatam, de qua Curtius lib. IV. Gentes eas tamen non illo tantum prælio subegit, sed pluribus aliis cum eodem Dario habitis, ut testatur idem lib. IV. et V. *Patarol.* Haud dubie illius, quo imperium Asiæ rapuit. Paullo ante commissum ad Arbela prælium, teste Diodoro Siculo p. 592. l. 17. ed. H. Steph. Ἐνίκησεν ὁ Ἀλέξανδρος Δαρεῖον, εἰς ἕνα τόπον ἠθροικότα τὰς δυνάμεις, ἀπολελυκέναι πάσης ἀγωνίας αὐτὸν· μιᾷ γὰρ ἡμέρᾳ κριθέντα περὶ τῶν ὅλων παύσασθαι τῶν πόνων, καὶ πολυχρονίων κινδύνων. Et Darius, Curt. IV. 14. 10. 'Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet, aut finiet.' *Jæger.*

Milites] Prætoriani Maxentii. *Livin.*

Romani] Distingue, *milites, proh nefas! paullo ante Romani, armis omn. &c.* Acidal. Copiæ scilicet, et præsidia Romani Imperii: seu milites quidem Romani, qui tunc tamen Romani dici non merebantur, quod ad Romanæ reip. hostem descivissent. *Patarol.* Acidalianæ distinctioni caussam dedit neglecta in antiquioribus add. interpunctio. *Arntz.*

Primæ classis] More primi ordinis, et præstantissimorum militum. Terrestris exercitus etiam *classis* antiquis: et *classes* pro equitibus. Vide Tanaquilli Fabri Epist. I. 47. et Festum inspice, ac Gellium ex Pictore, X. 15. *Cellar.* Cives classis primæ, ex instituto Servii Tullii, armis melioribus utebantur, quam inferiorum classium cives. Livius I. 43. 'Prima classis. . . . Arma his imperata galea, clypeum, . . . ocreæ, lorica, omnia ex ære. Hæc ut tegumenta corporis essent. Tela in hostem, hastaque et gladius. Secunda classis. . . . Arma imperata, scutum pro clypeo, et, præter loricam, omnia eadem. Tertiæ classis . . . nec de armis quidquam mutatum, ocreæ tantum ademtæ. In

quarta classe . . . arma mutata; nihil præter hastam, et verutum datum. Quinta-classis, . . . fundas, lapidesque missiles hi secum gerebant.' Adde, sis, Dionys. Halicarnass. lib. IV. p. 221. Sylb. Polyb. VI. 21. Lips. de Milit. Rom. III. 6. p. m. 84. *Jæger.* Melius Cellario locum cepit Jægerus, et ita ad milites refert ditiores Lipsius, quibus in prima classe non pectoralia, sed integras erat loricas ferendi necessitas. Qua autem ratione armati fuerint hi Maxentii milites, accurate describit Nazarius Paneg. XXII. § 3. *Arntz.*

Pro facinorum] Argute aliquot editiones, *et, proh facinorum conscientia! nunquam nisi morte cessuri:* sed nostrum videtur ut simplicius, ita et verius. *Gruter.* Si placeat exclamatio *pro* retineri posset; *proh* enim est ex deteriori scriptura. Vide, quos citavi ad Arator. II. 3. 'Facinorum conscientiam' dixit ex eo more, quo 'conscientia,' simpliciter posita, sensu malo de hominibus maxime impiis adhibetur. Ita 'conscientiæ timore diffugere,' infra XI. § 2. 'conscientia carnifex' apud Pacat. Paneg. XLIII. § 4. adde Schulting. ad Quinctil. Declam. p. 19. *Arntz.*

§ 4 *Obstinatio eorum*] Scilicet Segusiensium. Nazarius in Paneg. ad Constantin. cap. 17. 'Differamus paramper Italicas expeditiones, quibus Segusiensium civitatem, quæ superatis Alpibus Italiæ claustrum objicit, cum tua virtute velut januam belli refregisses:' et cap. XXII. 'Segusiensium vastitas monet, ut sibi caveant.' *Putean.* Segusiensium; Segusium enim, nunc *Susa*, in Pedemontio civitas sita, prima occurrit Constantino, per Alpes Cottias in Italiam venienti. Infra etiam Nazarius Paneg. cap. 17. *Paterol.*

Alpium jugis] Lege de Alpibus accurate Ammianum Marcellinum. Eumenius Grat. Act. Constantino A. 'Sed enim Ædui totum illud, quod Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus, cunctis Alpibus continetur, Romano imperio tradiderunt.' *Livin.* Cf. Nott. ad Mamertin. Genethl. IX. § 3. *Arntzenius.*

Munitissimo] Mutatio non improbabilis. Plautus Pers. IV. 4. 5. 'Ut munitum muro tibi visum est oppidum?' *Jæger.* 'Murus' dici potest 'munitissimus' turribus, similibusque munimentis. Vitruvius de Architect. I. 5. 'munitiones muri turriumque:' hoc sensu est 'portus munitissimus' apud Eumenium Constantino 19. init. sed cum non æque dici queat 'situs munitissimus,' vix de Livineii conjectura dubitaverim. Curtius VIII. 10. 22. 'Urbem non situ solum, sed etiam opere munitam.' IX. 1. 14. 'Urbem non muro solum, sed etiam palude munitam.' Vell. Paterc. II. 26. 1. 'munitum natura oppidum:' et 'munitissimam civitatem' Eumenius Constantin. XVIII. in fin. Quam facile autem, ex vulgata scribendi ratione, in hoc peccare potuerit librarius, patet ex dictis ad Eumen. pro Instaur. Schol. VIII. init. et simile exemplum est supr. III. § 1. *Arntzenius.*

Licet muro] *Licet* non hic convenit. Forte *scilicet.* Nisi *licet* sic usurpatum, ut solet 'quamvis,' et 'quamlibet.' At Seneca 'licet sed' jungit de Clement. I. 13. 'Uterque licet non minus armis valletur, sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur: alter, ut magno timore magna odia compescat.' Nisi forte melius, ut priora ista præcedentibus verbis nectantur: 'clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit, uterque licet non minus armis valletur. Sed alter,' &c. Distinctio ergo in Seneca peccat. Tertullianus *sed* pro 'tamen' usurpavit de Anim. c. 51. 'Quæ si inessent, alia quoque membra movissent: et si manus tantum, sed non in caussam orationis.' *Acidal.* Fac vero, li-

cet hic poni pro quamlibet, verba tamen non bene erunt inter se apta et connexa, sed potius repugnantiæ aliquid habebunt. Itaque non possum non probare emendationem Acidalii, *scilicet* substituentis. *Jægerus.* Tueor *licet*, qua voce Segusiensium audaciam excusat, quorum licet murus esset munitissimus, et ita jure se defendere possent, tamen nunciato Constantini nomini cedere debuissent. Acidalii conjecturam probasse videtur Sigonius de Occid. Imp. Opp. tom. I. part. II. p. 78. *Arntz.*

Oppidum] 'Segusium' Ptolemæus, 'Segusionem' Ammianus nominat. Nazarius in Constantinum: 'Primam igitur Segusiensium civitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est.' Rursum: 'Segusiensium civitatem, quæ superatis Alpibus Italiæ claustrum objicit, cum vi et virtute velut januam belli refregisses,' &c. *Livin.*

Non credentes] Sic distingue: *non credentes illi quidem, ut audio, te ipsum adesse, (quis enim crederet tam cito a Rheno ad Alpes Imperatorem cum exercitu pervolasse?) sed tamen qui non solum præsenti Numini tuo, verum etiam nuntiato nomini cedere debuissent.* Acidal.

§ 5 *A Rheno*] A Galliis nempe, quas Rhenus abluit, et conterminat. *Patarol.*

§ 6 *Vallo fossaque*] Cf. Cort. ad Sallust. Jugurth. XXIII. § 1. *Arntz.*

Cuniculis] Subterraneis excavationibus, quibus milites occulte pergebant ad hostium aggeres evertendos, aut machinamenta incendenda. Sæpe horum mentio apud Cæsar. Commentar. qui peritissimos hujus artis Aquitanos fuisse refert lib. III. *Patarol.* Claudianus Cons. Honor. IV. 331. 'Ruat emersura juventus Effossi per operta soli.' Ubi Barthius, et V. D. ad Curtium IV. 6. 8. *Arntz.*

Machinis] Puta balistis, catapultis, turribus, &c. *Patarol.*

Ariete] Nota hæc machina: longa nimirum trabs, cui præfixum erat arietis caput ex ferro seu ære: inde funibus attrahi, et, seu vi militum, seu machinæ alterius impetu in muros impelli solebat. *Idem.* Claudianus Cons. Honor. IV. 329. 'Tum tibi murali libretur machina pulsu, Saxa rota, præceps aries protectaque portas Testudo feriat.' *Arntz.*

Faces portis] Id in contemtum fieri solitum fuisse, et inde nostri locum esse explicandum notat Cerda ad Virgil. Æn. IX. 154. ipsam rem narrat Nazarius Paneg. XXI. § 2. Mox Sigonius de Occid. Imp. Opp. tom. I. part. II. p. 78. citat, 'scalæ admotæ propugnaculis,' quod in nullo inveni. *Idem.*

Sed hastis] Duæ fere paginæ absunt, historiam omnem obsidionis continentes. Quæ tamen sunt in Viennensi editione anni DXIII. Illinc petantur. *Lipsius*, Epist. Quæst. I. 22. Multa hic deerant, quæ ex Vet. Bertin. Langii schedis, Cuspin. supplevi. Forte *gladiis agi res.* Livin. Lege, *sed solum fundis eminus telisque missilibus pugnatum, pugnacissimo quidem præfecto, scilicet, &c.* Ita enim levi oppugnatione ista veniam illis obtulit, quod ante dicebat. Postrema invidiose, sed cum quadam Ironia. *Acidal.* Locus parum expeditus. In lectione vulgata desideratur verbum *pugnatum est*, quod inserit Acidalius, vel aliud hujus significationis. Equidem scio, Græcos suum μάχεσθαι, vel πολεμίζειν nonnumquam reticere: num vero eadem ellipsis etiam in Latinis reperiatur, non habeo dicere. Livineii emendatio, etsi non omnino certa et vera, tamen minime spernenda videtur. Frequentissima illa historicis enallage, qua pro finitivo verbum infinitivum ponitur, oratores etiam, ubi narrant, uti docet Cort. ad Sallust. Catil. VI. 4. vid. infr. hoc Paneg. c. VII. § 6. et XI. § 4. Acidalii emendatio nequaquam potest proba-

ri. Nam verba *neque enim vallo fossaque, &c.* non referenda sunt ad *oblatam veniam;* sed ad illa, *Luerunt igitur illico dementiæ suæ pœnas*, quia scilicet Constantinus non obsidione, sed statim vi summa adortus est oppidi præsidium. Non dicam, quam male lectionis Acidalii verba cum sequentibus cohæreant; id enim vir doctus non poterat animadvertere in exemplo, quo utebatur. Deerant nimirum omnia, quæ leguntur a verbis 'telisque missilibus' usque ad c. VIII. 1. 'acerrimis ducibus,' quæ supplevit Livineius, cui reliqui addunt se comites. *Jæger.* Gravissimum in ed. Rhenani est ulcus, qua, pluribus omissis, ita legitur, *telisque missilibus, pugnacissimoque præfecto, scilicet ut quam coloniam, &c.* quæ posteriora demum sunt infra VIII. § 1. et ita edd. Henr. Stephani, Choneti, et pr. Rivini: Livineii supplementum ex codd. recte reliquæ inseruerunt. Adhuc tamen locus est adfectus. In Schonhovii excerptis est, *sed hastis gladiisque*, quod est in Puteolana. Propter *eminus* moveri posset suspicio excidisse *cominus*, quod saltem ad *gladiis* referretur, secundum ea, quæ notat Cortius ad Sallust. Catil. LX. § 3. et excidisse potuit facilius, ob loci hiatum, de quo dixi. Mihi tamen potius prava videtur interpunctio hoc modo tollenda: *nec solum fundis eminus telisque missilibus, sed hastis, gladiis* (aut *gladiisque*, ex. Puteolani ed.) *ita res simul cœpta, et patrata* (fuit), *junctusque rebellibus fuit conatus, et exitus.* Cuncta, ni fallor, jam sunt plana. Fundis et telis eminus res fuit cœpta, patrata autem hastis et gladiis cominus; hastis enim cominus quoque pugnasse ostendit Lipsius Milit. Rom. I. Dial. 1. et Poliorc. IV. Dial. 4. Est itaque chiasmus, tamquam legeretur, *telisque missilibus ita res simul cœpta, sed hastis gladiisque patrata fuit:* ut infr. XIII. § 2. 'Tela inimicos aut supplices tuos pernicie aut conservatione discernunt;' id est, inimicos pernicie, supplices conservatione. Similia exempla dedi ad Mamertin. Genethl. VIII. 1. Eumenium pro Instaur. Schol. X. § 1. addam adhuc duo exempla; alterum est in Paulli Epist. ad Philemon. vs. 5. Ἀκούων σοῦ τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κυρίον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους ubi ἀγάπην ad ἁγίους, πίστιν ad Ἰησοῦν pertinet: alterum in inscriptione Tituli D. 'de Auctoritate et Consensu Tutorum et Curatorum,' in qua multum laborat Touillieu Collectan. p. 271. ut curatoribus quoque auctoritas tribui queat; sed ex loquendi modo, quem dixi, capienda est, tamquam legatur, 'de Auctoritate Tutorum, et Consensu Curatorum.' *Arntzenius.*

Cœpta et patrata] Sallustius Jugurthino: 'Adherbal cum paucis equitibus Cirtham profugit, et, ni multitudo togatorum fuisset, quæ Numidas insequentes mœnibus prohibuit, uno die inter duos reges cœptum, atque patratum bellum foret.' *Livin.* 'Patrare' est conficere; apud Isidor. Orig. XIV. 3. ex optimo Groningano emendes, 'regnum cum eo patrata victoria diviserunt:' editur 'peracta,' quod est ex glossa. Adde Cortium ad Sallust. Jug. XXI. 2. Drakenb. ad Livium XLII. 30. 11. *Arntz.*

CAP. VI. § 1 *Gomphos*] Vide ipsius Cæsaris B. Civ. III. 80. *Cellar.* Adde Stephan. Byzantin. de Urb. in v. Gomphos 'Thessaliæ castellum' vocat Florus IV. 2. 41. frustra ad hanc urbem locum Statii Silv. IV. 3. 48. refert Patarolus; ibi enim de via Domitiana agit, ad quam nihil hæc Thessaliæ urbs, et 'gomphi' illic sunt pali lignei in terram adacti, de quibus plura Barthius. *Arntz.*

Abnueret obsequium] Androsthenes enim, Thessaliæ prætor, cum mallet Pompeium sequi, omnem multitudinem in oppidum coëgit, et portas

Cæsari præclusit. *Patarol.*

Uno die sustulit] Cæsar de Bell. Civ. lib. III. 'Eodem, quo venerat, die (Cæsar), post horam nonam oppidum altissimis mœnibus oppugnare aggressus, ante solis occasum expugnavit.' *Idem.*

Græculos] Per contemtum. Livius VIII. 22. 'Quum relatum esset a Græcis, gente lingua magis strenua, quam factis, ferox responsum.' *Jæger.* Juvenalis Sat. III. 78. 'Græculus esuriens in cælum, jusseris, ibit:' ubi Grang. Adhibuit Juvenalis locum Joan. Saresberiensis Policr. VII. 12. *Arntz.*

Subalpinos] De virtute Gallorum vide, quos laudat Cort. Sall. Cat. XL. 1. *Jæger.*

§ 2 *Sed illi quidem*] *Et* edidit Cellarius, quem sequimur. *Sed* cum *et* interdum turbari vidimus supr. Paneg. Eumenii Const. Aug. VI. § 3. et Eumenii Grat. Act. X. § 4. *Jægerus.* Cellarium et Jægerum sequi non sum ausus. Reddidi itaque ex codd. Livineii, et Mœrl. *illa*, idque sequenti *alia* recte opponitur; neque rationem video, quare *sed* mutetur. *Arntzenius.*

In Taurinatibus] Pugnam hanc descripsit Nazarius Paneg. XXII. § 2. *Idem.*

Campis pugna] Mœrl. inserit *gravior.* Jæger. Huic scripturæ favere posset Nazarius Paneg. XXII. § 2. 'Apud Taurinos venientem pugna gravior exspectat.' *Idem.*

Incensisque] Cf. Cort. ad Sallust. Catil. XLIX. 2. et quæ dixi ad Sedul. I. 196. *Idem.*

Restringere debuisset] *Restinguere* jam dederat Paull. Stephanus, a quo sequentes, etiam in sec. Rivinus male recesserant. Frequens est illa permutatio. Vid. Drakenb. ad Livium X. 13. 8. et XXVIII. 23. 2. *Idem.*

§ 3 *In cunei modum*] 'Cuneus' in re militari accipitur pro figura, qua sic milites constituuntur, ut acies in fronte acuminata paulatim se retrorsum pandat. Ab antiquis figura hæc vocata fuit etiam 'rostrum,' et 'trigonum,' et 'caput porcinum.' Videatur Veget. I. 26. III. 19. *Patarol.* Cf. ad Eumen. Constantio, XII. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Obfirmato illo capite*] Hoc est, exercitus duce, Ruricio, ut existimo, et *obfirmato* est duro, ac pertinace. *Livin.* Baunius *caput* longe aliter, et rectius fortasse interpretatur, dum locum totum circumlocutione explicat. 'Caput porcinum,' itemque 'rostrum' vocabatur acies, in 'cunei,' seu trigoni formam composita. Vid. Lips. de Mil. Rom. IV. 7. p. m. 115. *Jæger.* Vere Baunius. Cf. Veget. de R. M. III. 20. ubi Stewech. *Arntz.*

Dejectaque] Baunius mutationem vocis *dejecta* in *detecta* videtur probare. *Jæger.* Interpretatur enim, 'facie cunei aperta.' An legendum *diductaque acie?* Contra hostium cuneum hac usus fuerat arte Constantinus, ut suam aciem diduceret, eoque hostes suam quoque diducere cogeret, quod 'diducta acie hostes effundere' in hac ipsa pugna dixit Nazarius Paneg. XXIV. § 2. Sed nihil definio. *Arntz.*

§ 5 *Taurinatium*] Populos hosce 'Taurinos' potius, quam 'Taurinates' ab aliis observo appellatos. *Patarol.* 'Taurinos' dixit Nazarius Paneg. XXII. § 2. *Arntz.*

CAP. VII. § 1 *Turpissimo*] Male interpretatur Baunius, si quid video. 'Prodigium' hic est Maxentius, quem supra III. § 5. 'monstrum' adpellavit, et infr. XIV. § 2. 'portentum.' Sic Cicero Or. in L. Pis. c. 4. 'Ergo his fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante et tacente te, a P. Clodio, fatali portento, prodigioque reipublicæ, lex Ælia et Fufia eversa est.' Cf. infr. cap. XVII. § 2. Claudianus in Rufin. I. 89. sqq. 'Est mihi prodigium cunctis immanius hydris, Tigride nobilius

feta, violentius Austris Aeribus, Euripi refluis incertius undis, Rufinus.' *Jager.* Cf. supr. ad cap. III. § 5. Recte Baunio oblocutus est Jægerus. *Arntz.*

§ 5 *Te virginum*] Puteanus forte, inquit, legendum, *intuentium te matrum virginumque, quæ, &c.* Quod haud dubito, quin verum sit. Lectio Livin. Grut. Paris. Patar. Cellar. est, *quæ sec. int. te matrum, te virginum? quam duplici fructu fr.* Verisimilius est, lectionem, quam nos exhibemus, fuisse mutatam, et inde effictam illam vulgatam, quam ex hac nostram procusam esse. *Virginumque quæ*, insuave fortassis auribus correctoris, mutationis occasionem potuit dare; fortassis etiam scribendi compendium dedit. *Quam duplici f. f.* dure dici, et parum commode videtur. Nolo verbosius rem persequi, quæ intelligentibus non potest esse obscura. Asperitatem compositionis non semper refugisse veteres ad Nepot. Lysandr. I. 5. ostendit Heusingerus. *Jæger.* In antiquissima Puteolani est, *te matrum et virginum? quam duplici.* Livineii aliorumque scripturam dedit quoque Rivinus; sed vero Jægerus, *quæ securitas intuentium te matrum virginumque! quæ duplici fructu fruebantur;* quod auctoritate Bertin. et Puteani conjectura nititur. Cum vero Palman. et Mœrl. in *quæque* conspirent, maxime mihi adridet interpunctio, quæ est in Paulli Stephani ed. *quæ securitas intuentium? te matrum, te virginum quæque duplici fructu fruebantur;* i. e. matres quæcumque duplici te fructu adspiciebant. Elegans locutio 'frui Imperatore' de iis, qui ejusdem adspectu gaudent. Nazarius Paneg. XXXIV. fin. 'quod tali Principe tam sero fruerentur:' et XXXVI. § 4. 'Cæsar . . . . omnium fruitur adspectu, seque fruendum omnibus præbet:' et XXXVIII. 6. 'Ut beatissimos Cæsares videat, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat.' Hoc 'præsentia' Imperatoris 'frui' dixit Mamertin. Maxim. XIV. fin. et 'adsiduitate præsentiæ,' Eumenius Constantin. II. init. Hujus locutionis usum parum considerans librarius, et *fructu* pendere a *fruebantur* arbitratus, nescivit quo geminatum *te* referret, ex quo variantium est erigo. 'Fructu frui,' et alia contulit Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXVII. § 6. Similis huic est locus apud Mamertin. Genethl. X. § 5. *Arntz.*

Licentiam] Maxentii, quem, stupris et libidinibus indulgentem, ita tuto adspicere non licuerat. De pulcerrima Constantini forma vide Eumen. Constantin. V. § 4. et cap. XVII. et quæ dixi ad Incertum Maxim. III. § 2. supr. IV. § 3. *Idem.*

§ 6 *Ostentare*] Ostentabant, de quo infinitivi usu egi ad Mamertin. Maximian. X. § 5. Jæger. supr. V. § 6. *Idem.*

Metiebantur] Simili ratione et Sallustium miscere modos, et Capitolinum ostendit Cort. ad illius Cat. XXI. 4. Vid. infr. c. XIX. § 2. *Jæger.* Idem Cortius ad Cat. XXXI. § 2. usum verbi 'metiri' explicuit. De modis permutatis vide supr. IV. § 2. *Arntz.*

§ 7 *Transpadana*] Si Romam respicias; cæterum Cispadana, si Treveros, ubi noster loquebatur. *Patarol.* Hæc quantivis est pretii observatio, ut locus adtendatur, quo quis scripserit, dixeritve, quæ neglecta nonnullos in errorem duxit. Ita infr. XIV. § 2. 'cis Padum' recte interpretatur Baunius. Idem in 'ultra Scaldim' servavit Wagenaarius Hist. Patr. tom. II. p. 69. 'deserti finem' memorat Moyses, Exod. XIII. § 20. eo nimirum, quo hæc scribebat, loco; namque in Israëlitarum, quod describit, itinere erat deserti initium. *Arntz.*

§ 8 *Vi superas*] Vid. Paneg. Naza-

rii XVII. § 2. *Jæger.*

Resistens] Subsistens, commoratus. Plinius Paneg. x. § 4. 'Jam te providentia Deorum primum in locum provexerat: tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas.' Vide ibi Schwarz. *Idem.* Cf. ad Eumen. Constantin. XI. § 1. Ovidius Fast. II. 669. 'Terminus, ut veteres memorant, conventus in æde Restitit, et magno cum Jove regna tenet:' ubi scribo 'contentus,' id est retentus; discedere enim nolebat: de quo vocis usu vid. Schulting. ad Senec. Suasor. p. 36. et præterea Schwarz. ad Mamertin. Genethl. XI. § 1. *Arntz.*

De te sperarent] Conjiciebat pater meus, *ut bene sperarent;* hoc si placeret, mallem *de te bene sperarent;* ut apud Nepot. Miltiad. I. § 1. sed vulgatum teneo, ut 'de muris sperare' apud Hegesipp. Excid. Hieros. V. 15. init. et 'de se sperare,' Sedul. IV. 5. *Idem.*

CAP. VIII. § 1 *Media ætate*] Ingenue fatebor: nescio quid sibi velint illa, *media ætate nostra:* nec tamen aliquid succurrit, quod eorum loco reponam; nam, ut faciamus *medietate nostra*, id est, dum medii sumus, neque hanc illamve partem etiam sequimur, nescio de qua medietate loquatur. Viderint igitur eruditiores, quid sibi velit auctor. *Gruter.* Quum auctor juvenili ætate esset circiter XX. vel XXX. annorum. Videtur tumultum Juliani illius notare, qui, quum corrector Venetiæ esset, audita Cari morte, imperium invasit; quem Carinus, pulsa ejus acie, obtruncavit. Aurel. Victor historiam attigit. *Cellar.* Mirum, hæsisse Gruterum in locutione, quæ etiam est apud Eumen. Constantin. I. § 1. ubi vide, et ad init. hujus Paneg. et Grotium in not. ad J. B. II. 4. 7. *Arntz.*

Civili sanguine] Sabini Juliani motum intellexerit, opinor, qui imperium invadens a Carino in campis Veronensibus interfectus est. Epitome Sex. Victoris. *Livin.* Anno C. circiter CCLXXXIV. Maxentius autem debellatus est anno circiter CCCXII. *Patarol.* Hic locus egregiam, quam ex cod. a Vonckio ad marginem notatam habeo, scripturam confirmat in Lucano I. 39. 'Diros Pharsalia campos Inbuat, et Pœni saturentur sanguine manes:' editur 'inpleat.' *Arntz.*

Pertinacissimoque præfecto] Cum priora, inde a fin. cap. v. in Rhenanis aliorumque edd. essent omissa, hic iterum pergunt, et *pugnacissimo* exhibet Rhenanus, Henr. Stephanus, et Rivinus. Non opus: Mamertin. Genethl. III. § 7. 'pertinaci animositate certandi:' et 'pertinax manus,' Eumen. Constantio VI. § 1. 'resistendi pertinacia,' Nazar. Paneg. XXXI. § 1. *Idem.*

Cn. Pompeius] Onuphrium adi de Imperio Romano. Meminit coloniæ hujus Tacit. Hist. III. *Livin.* Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, ut puto; de ipso refert Asconius Comment. in Pisonian. Cicer. quod Transpadanas colonias deduxerit, quibus jus Latii dederit. Ex hisce vero prædicantur a scriptoribus Verona, Comum, Laus Pompeia. *Patarol.*

Pompeianus] Pompeianus scilicet Ruricius. Infr. In Nazarii Paneg. cap. XXV. 'Ipsa autem Verona, freta immanibus copiis, quas in unum adventus tui formido conduxerat,' &c. *Putean.* Certum e Nazarii Panegyrico Ruricium denotari, sed, unde id ei cognomen, nondum repperi. *Livin.* Nazarius Paneg. Constant. cap. XXV. 'Ruricium' vocat. Cognomen igitur alterutrum est. *Cellar.* Ruricius innui creditur, at, unde hic etiam Pompeianus dicatur, ex nullo auctore constat. Mihi olim in mentem venerat, ut Pompeiani nomine intelligerem Constantinum, qui reipublicæ salutem ac libertatem, sicuti olim Pom-

peius, tuebatur; qui ex necessitate belli contra tyrannum conficiendi Veronam erat eversurus. *Patarol.* *Pompeianus* eum notat, qui Pompeio sit similis, ut apud Sueton. Tiber. cap. 57. ' Ex Pompeio Pompeianus fieret, acerba cavillatione simul hominis nomen incessens, veteremque partium fortunam.' Non itaque est Ruricii cognomen, neque intelligitur Constantinus, quamvis id etiam putaverit Burmannus, cum ad Suetonii locum hoc nostri uteretur; sed *Pompeianus* est Maxentius, in quem solum duo illa, quæ notavit Burmannus, conveniunt, ut ita dicatur, tum quod Pompeii instar civile bellum movit, tum vero etiam, quod capite est truncatus. Utrumque de Ruricio non constat, qui, tantum præfectus, civilis belli caussa dici non poterat, ut Pompeio compararetur; de Constantino autem posterius falsum est, neque prius, sive civile bellum, ipsi imperium a tyrannide liberare conanti satis recte tribuitur, præsertim si inlatum fuisse a Maxentio bellum statuas, de quo dixi supra IV. § 2. ubi 'meliorem caussam' Constantino noster tribuit. Qui Constantinum intellexerint, voce *everteret* in errorem videntur ducti; Veronam enim evertit Constantinus; sed nihil impedit, quo minus de Maxentio vocem accipiamus, hoc sensu, tyrannide sua et inlato bello effecit, ut everteretur, quo modo sæpe is agere dicitur, qui suo facto aut jussu caussam præbet. Exempla habet Reitzius Ambig. p. 208. quædam quoque dedi in Specim. Observ. c. I. in fin. Eutropium eodem modo sum interpretatus ad Eumen. pro Instaur. Schol. IV. § 1. adde ad Mamertin. Maximian. XI. § 1. *Arntz.*

§ 2 *Saxis asper*] Cf. Marckland. ad Statii Silv. I. 3. 20. Quod vero addit 'gurgitibus vorticosus' de fluminis celeritate accipiendum monet Cerda ad Virgil. IX. 680. cum ceteroquin fluminis hujus amœnitas maxime sit celebrata. *Idem.*

Evehendis copiis] *In evehendis* Bertin. Primum *invehendis* emendem, deinde *copias* exponam commeatum. Infra: ' Tu Romæ tuæ altor copiis subvehendis,' &c. Eumenius in Constantinum: ' Ut lente et cunctanter itinere confecto, consumptis copiis mansionum, ne quis consequi posset exercitus, repente intra parietes consideret purpuratus,' &c. Seneca de Benef. VI. 7. ' Nec fluminibus gratias agimus, quamvis aut magna navigia patiantur, et ad subvehendas copias largo ac perenni alveo currant, aut piscosa, et amœna pinguibus arvis interfluant.' *Livin.* Forte *invehendis*, ut *copias* commeatum accipias. *Acidal.* Jægerum, Livineii conjecturam in textum admittentem, sequi non sum ausus, neque codd. juvare video, in *evehendis* conspirantes. Præterea si *invehendis* scribas, *copiæ* erunt commeatus: anne vero commeatu regio præstatur ' tuta et defensa?' Mihi res ita videtur capienda: Veronam circumfluebat Athesis, quod probavit Drakenb. ad Silium VIII. 597. a Brixia autem Veronam perrexerat Constantinus: ab ea itaque parte *oppugnationem prohibebat* Athesis; ab altera retro idem fluvius *regionem præstabat tutam evehendis copiis*, quia, urbe oppugnata, et victa, tuto adhuc evehi poterat præsidium, hostique insequenti ab altera iterum parte idem obstabat fluvius urbem ambiens. Male igitur in quibusdam tabulis geographicis pingitur Athesis non Veronam cingere a parte, qua Brixia venitur, sed ab altera, tum enim fluvium prohibuisse oppugnationem noster adfirmare non potuisset. *Arntz.*

§ 3 *Superioribus in locis*] Supra Veronam, et forte intellexit ad Boream, ex usu scriptorum, de quo dixi ad Eumen. Constantin. IX. § 5. *Idem.*

Levior amnis] Lege *lenior:* ante

'saxis asperum,' et 'gurgitibus verticosum' Athesin dixit. *Acidal.* Ita Rhenan. Stephan. Ceteri scripti et editi recte *lenior*. Jæger. *Lenior* jure recepit Gruterus, et sequentes præter Rivinum in pr. Cf. Davies. et Ciaccon. ad Cæsar. B. G. I. 12. 1. De permutata voce dixi ad Mamertin. Maxim. XII. § 7. et Genethl. IX. § 2. Quod de 'ignaris hostibus' addit, exemplis inlustrat Cerda ad Virgil. Æn. IX. 248. *Arntz.*

Projecta, ancipiti periculo] Dele sectionem post *projecta*, ac post *periculo* repone: nam *ancipiti periculo* est fortunæ, et aleæ belli. *Livin.* Probo ingeniosi, et eruditi juvenis, Mich. Virdungi, conjecturam, legentis *trajecta*. Non enim 'projici,' sed 'trajici' dicitur exercitus, cum flumen transmittit. *Ritters.* Lege *trajecta;* itaque Virdungus conjecerat, ut notavit ad oram libri sui Rittershusius, et editum a Goldasto ille. *Acidal.* *Trajecta* habet etiam Schonhov. *provecta* Patarol. Sed vulgata non videtur sollicitanda. 'Projicere' est periculo objicere, fortunæ committere. Sic Tullius Ep. ad Attic. IX. 6. 'Tuas nunc epistolas a primo lego. Hæ me paullum recreant. Primæ monent, et rogant, ne me projiciam. Proximæ te gaudere ostendunt, me remansisse.' Infr. hoc Paneg. cap. X. § 3. 'In quæ nos fata projeceras.' *Jæger.* Non nego 'projicere' sese posse tueri, vix tamen hoc loco; si codd. adesset auctoritas, in *trajecta* ferem pronior, aut *provecta*, quod me latet, unde hauserit Patarolus. Hanc flagitat lectionem ipsa rei indoles. Per flumen oppugnatione inpediebatur Constantinus; exercitus itaque partem, quâ per lenitatem transitum admittebat Athesis, trajecit, ut ita ab altera parte flumen quoque urbem præterfluens tutum non amplius exitum præberet, sed ab omni parte includerentur obsessi, ab altera Constantini exercitu, ab altera flumine. Rittershusii notam, in ed. Paris. omissam, ex ejus Conjecturarum reliquiis post Goldasti Parænetiços revocavi. Cum vero hic scribat Acidalius, sese Rittershusii notas ad marginem Ms. et postea editas, habuisse, hæc quamdam forte lucem iis præbeant, quæ in Præfat. dixi, quamvis tamen in anno, quo mortuus dicatur Acidalius, non tollatur difficultas. *Arntz.*

Pejora experiri] Obscura, si qua alia, scripta lectio, et in qua ungues admordeas, *obsessosque obmissos remora exper.* In Cuspin. quoque editum, *obs. q. omissos pœnora exper.* Sed erui tandem et cum cura, *obsess. q. omissa spe moræ exper.* *Spe moræ*, id est trahendi obsidione diutius belli. Lucanus IV. de Massilia: 'Jam satis hoc Graiæ memorandum contigit urbi Æternumque decus, quod non impulsa, nec ipso Strata metu tenuit flagrantis in omnia belli Præcipitem cursum, raptisque a Cæsare cunctis Vincitur una mora.' Infra: 'Unum jam illud timebatur, ut ille, contentus his viribus, graviter afflictus, et in arctum redactus, boni consuleret, et debitas reip. pœnas obsidione differret.' *Livin.* Vox *pejora* vereor, ne insititia sit a glossatore, qui phrasin 'armis experiri' non concoxerit, nisi quid adderetur. At sic optimi quique auctores. Virgilius: 'Sive fide, seu quis bello est expertus et armis.' Terentius: 'Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.' Nazarius Paneg. Const. 'Cum adversus Parthos armis experiretur.' *Acidal.* Edd. omnes, *obsessosque pejora experiri.* Lectio, quam eruit Livineius ex suo, et Bert. reperitur etiam in Pat. et Mœrl. tantaque veritatis specie commendatur, ut recipiendam esse in contextum judicaverim. *Jægerus.* Optime; ipsa etiam rei natura hoc flagitante. Cum enim ab altera quoque parte, ut dixi, Veronam præterflueret Athesis, moræ

spem habebant obsessi, si, victa urbe, per flumen in regionem retro tutam cedere deberent. Trajecta jam parte exercitus spem illam omittere debebant, cum tantum temporis non daretur spatium, ut in regionem retro tutam concederent, ideoque cum Constantini militibus armis experiri coacti. *Omissos penora* est in Schonhov. excerptis. *Arntz.*

Adeo qua omnis eruptio] Rescribam, *adeoque omnes, qua eruptio tentata erat, cecidisti*; nam *tentaverat*, non *tentaverant*, in omnibus lego. Vir eximie doctus, mihique amicissimus olim correxit, *adeoque omnes, qui erupt. tentaverant, cecidisti*, parvo ac nihili discrimine. Tu elige, mi lector. *Livin.* Ab altera parte urbis per flumen eruptionem tentaverant contra eos milites, quos in superioribus locis per flumen lenius trajecerat Constantinus. *Arntz.*

Ipse etiam dux] Ruricius, ut opinor. Vide infra, Paneg. Nazar. cap. XII. *Patarol.*

Accersenda] *Arcessenda* primus dedit Gruterus, et sequentes præter Rivinum in pr. Recte; quamvis enim utrumque distinxerint veteres grammatici, neglecta tamen distinctione 'arcessere' probavit melior ætas, alterumque posteriori ævo, et librariorum ignorantiæ adscripsit. Vid. Drakenb. ad Livium II. 19. 10. Gebhard. ad eumd. III. 9. 13. et IX. 9. 12. Cortius ad Sallust. Jug. XL. 6. not. patern. ad Victor. Inlustr. IV. 11. Stavern. ad Hygin. Fab. 88. *Arntz.*

Ut majore] *Ut ἐκβατικῶς*, sicut in illo Flori IV. 2. 'Accessit copiis (Pompeianis) rex Juba, ut latius vinceret Cæsar.' *Cellar.*

§ 4 *Redeunti illi*] Ut Græci, ita et non raro Latini verbis pugnandi, contendendi jungunt tertium casum, quod magna exemplorum copia probat Vechner. Hellenolex. I. 2. 25. p. m. 335. sqq. *Jæger.* De hoc tertii casus usu dixi ad Arator. I. 264. et II. 980. ita 'pugnare bestiis' accipiendum in L. 1. § 5. D. de Postul. Cf. Cannegieterum meum ad Fragm. Vet. Jurisprud. p. 220. *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Arma jussisti*] Mirum, ni hic 'armos' pro latera scriptum, quo significatu Lipsius alicubi in Tacito, me licet refellente, voluit reponere. Hic sensui profecto optime quadret. *Acidal.* Superflua est Acidalii cura; *arma* sunt armati, milites. Cf. supr. III. § 1. Rem hanc ita narrat Nazarius Paneg. XXIV. § 2. 'Diducta acie, in inrevocabilem inpetum hostes effundis, dein, quos ludificandos receperas, reductis agminibus inclndis.' *Arntz.*

Animos tuorum omnium] Delet Vet. In Vatican. est spatium aliquod album. *Putean.* Hanc Puteani notam ex excerptis penes me Mss. dedi, neglectam in ed. Paris. si hoc placeret, scribi deberet, *ex tuo animo nimirum metiens, quamvis gravius, inde pondus infringi posse.* Sed non opus hoc remedio; verborumque horum omittendorum caussa fuit, quod putaverit librarius, nihil esse, a quo infinitivus *infringi posse* pendeat, quæ tamen scriptoribus sæpe placuit ellipsis. *Arntz.*

Quamvis gravius] *Quantumvis* schedæ Langii. Apparet glossa. *Livin.* *Quamvis* enim pro quantumvis sæpe occurrit. Schulting. ad Senecæ Controv. II. p. 200. Drakenb. ad Livium II. 51. 7. et cap. 54. 7. et XXII. 8. 3. *Arntz.*

Inde pondus] *Inde*, hoc est ab hostibus. In Langii schedis desideratur; vitiose, ut puto. *Livin.* Non percepit nostri sententiam Livineius. *Inde* ad præcedentia refer, quod ordines explicari, et arma extendi jusserit Constantinus. *Inde*, i. e. per id putabat pauciorum inpetu, sive eorum militum, quos per Athesin trajecerat, posse infringi pondus, quamvis gravius, id est hostium copias sub Ruricio duce, numero quamvis majores. *Arntz.*

Infringi posse] Legerem libenter *infligi*; et fortasse auctor non aliter scripsit. *Patarol.* Male. In pr. Rivinus dedit *posset*, vulgatum infinitivi hujus usum parum cogitans. *Infringi* nihil aliud est quam valde frangi, ut 'infractus armis' apud Vellei. II. 87. 2. et quæ ad Arator. Epist. ad Florian. 17. *Arntz.*

§ 2 *Iterum queror*] Non questus fuit antehac. Itaque legam *quæro*. Quæsierat et supra, cum rationem ab eo reddi vellet suscepti belli. *Acidalius.* Vulgatam tuentur omnes: solus paullulum discedit Mœrl. in quo legitur, *interim queror*. Equidem nihil censeo mutandum. Questus enim fuit jam antea c. II. § 6. et III. § 1. *Jagerus.* Vulgatam habent quoque Schonhovii excerpta, et recte tuetur Jægerus. *Arntz.*

§ 3 *Disposueras universa*] *Disposueras omnia universa* Bertin. *Livineius.* Hæc lectio non mala, qua *universa* referendum ad sequens *officia*. Arntz.

Officia compleveras] Cf. ad Mamertin. Maximian. VI. § 2. *Idem.*

Hostium globis] Multitudine conglobata. Vide Cort. ad Sallust. Jugurth. LXXXV. 10. Drakenb. ad Livium VIII. 32. 12. *Idem.*

Salutem reipublicæ] Quæ pendet a vita tua. *Patarol.* 'In pericula mittere' recte Cerda contulit cum hoc Virgilii Æn. IX. 663. 'Animasque in aperta pericula mittant:' et Acidalius cum illo Taciti Annalium lib. XII. pag. 14. 'rem in casum dare.' *Arntz.*

§ 4 *Quod dum*] Mœrl. *q. cum n.* idque verum puto. Nam vulgata σολοικίζει. Vid. Gronov. ad Livium XXXV. 8. princ. et Cort. ad Sallust. Jugurth. XXII. 1. et LXII. 8. et CI. 5. *Jæger.* Cf. Not. patern. ad Victor. Inlust. VIII. 4. *Arntz.*

Cædibus aperuisses] Contulit cum hoc Cerda illud Virgilianum Æneid. IX. 323. 'Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam:' ubi ejusmodi plura. *Idem.*

§ 5 *Toto quippe*] Usus hac similitudine Virgilius Æneid. II. 'Rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores, Præcipitesque trahit silvas,' &c. *Patarol.* Et Horatius III. Od. penult. vs. 33. 'Cetera fluminis Ritu feruntur, nunc medio alveo Cum pace delabentis Etruscum In mare, nunc lapides adesos Stirpesque raptas, et pecus, et domos Volventis una, non sine montium Clamore, vicinæque silvæ.' Quamvis autem ex Homero aliisque Græcis hoc transtulerint poëtæ Latini, Jægero tamen adsentior, nostrum id ex Latinis magis hausisse, et solo forte Virgilio, cujus quoque locum adhibuit infr. XII. § 3. aut est imitatus Mamertinum Maxim. V. § 2. 'Toto quippe prælio ferebare; non aliter, quam magnus amnis solet hibernis imbribus auctus et nivibus passim fluere, qua campus est:' ubi vide. *Arntz.*

§ 6 *Quid tibi est*] Alieno loco hæc verba leguntur. Trajicienda in inferiorem, atque hoc ordine omnia legenda: *et nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis humani, et vota deceperas. Toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem abrupta radicitus sylvæ, et convulsa funditus saxa sequerentur. Quid tibi est, Imp. cum inferiore fortuna? illos pugnare, &c.* Acidal. Mutavit hic ordinem verborum, recte jubente Acidalio, Bannius. In ceteris omnibus sic leguntur: *vota deceperas? Quid tibi est, Imperator, cum inferiore fortuna? toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem . . . sequerentur. Illos pugnare fas est, &c.* Parum concinne. *Jæger.* Trajectionem probo. *Quid tibi*, et Græcum τί μοι explicuerunt Schulting. ad Senecæ Controv. I. p. 119. Taubman. ad Plautum Epid. II. 2. 112. Burman. ad Phædr. III. 19. 8. *Arntz.*

Inferiore fortuna] Mediocrium est periculis se inferre, non summi Principis, ne cum ipsius salute salus pub-

tica in discrimen trahatur. *Cellarius.* Onosander Strateg. c. 33. Μαχέσθω ὁ στρατηγὸς αὐτὸς προμηθέστερον, ἢ μὴ τολμηρότερον, ἢ καὶ τὸ παράπαν ἀπεχέσθω τοῦ τοῖς πολεμίοις εἰς χεῖρας ἰέναι, κ. τ. λ. *Jæger.*

Aut cadendum] Cf. Pricæum ad Apul. Metam. II. p. 102. *Arntz.*

Fata pendent] Cf. supr. III. § 1. *Idem.*

Hostem ferire] Hac forte est usus locutione, ut Imperatorem decere ostendat ex longinquo, locoque tuto pugnare, eorum instar, qui sagittis feram occidunt; ita de occiso leone est apud Ausonium Epigr. VI. si hoc displiceat, in universum notabit hosti nocere, damno adficere; hoc enim sensu esse verbum bellicum notavit Cortius ad Sallust. Catil. LX. 4. *Idem.*

CAP. X. § 1 *Spectans*] Falsum est; non vicit Xerxes, sed victus fuit, sellaque argentea, in qua sedens spectaverat, in templo Minervæ virginis adservata, in perpetuam rei memoriam. Corrigo ego, *Spectavit ex edito monte.* Meursius, Auctar. Phil. cap. 31. Ita Cuspin. Rhen. Stephan. Livin. At recte ex Lang. *spectavit* reliqui. *Jægerus.* Primus *spectavit* edidit Gruterus, et reliqui præter Rivinum in pr. recte id mutatum, quia ceteroquin *spectans* cum sequenti *vicit* cohærere deberet, quod contra historiæ fidem esse recte monuit Meursius. Cf. historicos, mox citatos. *Arntzenius.*

Edito monte] Xerxes, Persarum rex, dum copiæ suæ navale prælium cum Græcis, duce eorum Themistocle, prope Salaminam committerent, in locum quendam e regione Salaminis se recipit, unde prælii contuitus pateret; hæc Diodor. lib. XI. Montem Ægaleum Xerxem ascendisse scribit Herodotus lib. VIII. Mentionem facit rei hujus etiam Justinus II. 12. *Patarol.*

Aliquid agens] Scribe, *Augustus aliud agens.* Id manifeste ex sententia tota liquebit. Non usque quaque vero tamen hoc dicit. Nam Augustus, etsi alias timidus, tamen Actiaco prœlio dextro cornu ipse præfuit. *Lipsius. Aliud* Vet. Bertin. Langii schedæ: probe. Habueritque, opinor, in mente, quæ Augusto accidisse bello Siculo Suetonius refert cap. XVI. nam Actiaco quidem cornu dextro M. Lurio, lævo Arruntio commissis, Agrippæ omni classici certaminis arbitrio, ipse ubique aderat. Verba sunt Velleii Paterculi e lib. II. *Livin.* Jam olim hic de conjectura emendabat Salomon Pantherus Rysinius, *aliud agens.* Quam postea libenter vidimus etiam Lipsio in Epistolic. probatam, et nunc nuper trium librorum auctoritate confirmatam a Livineio. 'Aliud agere' dicitur, qui non serio, neque cum cura magna in rem incumbit, sed obiter, et velut perfunctorie eam tractat. *Rittersh.* Acidalius de prælio Actiaco auctorem nostrum loqui, et propterea, quod Agrippæ omne classici certaminis arbitrium erat commissum, Augustum aliud agentem vicisse, recte existimat. Sic Paneg. Maximian. et Constant. c. XIII. § 4. 'Si pro Divo Augusto Actiacam victoriam tantummodo gener Agrippa confecit.' *Jæger.* Recte *aliud* recepit Gruterus, omnesque reliqui præter Rivinum. Interpretationem Acidalii probo, quo minus opus sit, ut Rittershusii interpretationi adstipulemur; aliud egit, quam Agrippa, Augustus, unde Agrippæ tribuitur victoria. Cf. supr. ad Incert. Maximian. XIII. § 4. Rittershusii notam, in ed. Paris. neglectam, ex Reliquiis Conjecturarum post Goldasti Paræneticos revocavi. *Arntzenius.*

In scalas] Ingenue fateor, nondum incidi in hanc historiam, nec, qui subjiceret, inveni. Itaque, quod aiunt, trado lampadem. *Livin.* Commentum hoc puto ad rem amplificandam. *Patarol.*

§ 3 *Profunda cædis*] Cf. Wopkens. in Observ. Misc. tom. VII. pag. 326. *Arntz.*

Quid ageras] Imitatur noster locum illum Lucani Pharsal. lib. v. 'Quo te dure tulit virtus temeraria, Cæsar, &c. Cum tot in hac anima populorum vita, salusque Pendeat?' &c. *Paterol.*

Quo tibi] I. e. ad quid. Cicer. Ep. ad Divers. VII. 23. 6. 'Martis signum quo mihi, pacis auctori?' Vid. Cort. ad Ep. ad Divers. VI. 4. 3. Heins. ad Ovid. A. A. I. 303. *Jæger.* Quinctilian. Declam. II. 10. 'quo cæco hereditatem.' Adde Boschium ad Petron. Sat. cap. 55. not. ad Valer. Max. IX. 13. ext. 3. Heins. ad Ovid. Heroid. II. 53. Egregie hic locus ad id pertinet, quod scribit Grotius J. B. et P. I. 5. § 1. quemque sui esse juris vindicem, ideoque manus hominibus datas esse, in quo argutari non debuisset Osiander, recte refutatus a Jægero Observ. ad Grot. pag. 184. *Arntz.*

§ 4 *Neque ab aliis*] Non quod alii dixerint, sed cape, tamquam legatur, et ab aliis non dicta memorarem: ut ita exponam, faciunt, quæ tradidit supra II. § 3. ubi vide. *Idem.*

CAP. XI. § 1 *Aquileiam*] Infra Nazarius c. XXVII. 'Prætereo te, Aquileia, te, Mutina, cæterasque regiones, quibus gratissima fuit ipsius oppugnationis injuria.' *Putean.* Sed ille locus huc non pertinet, cum ne de hac expugnatione, postea demum facta, cogitare quidem potuerit Incertus. *Arntz.*

Tibi dedissent] Aliquando syllabam di omisisse librarios ostendit Schwarzius ad Mamertin. Genethl. III. § 1. apud Ciceron. de Orator. I. 55. vulgo legitur, 'Scævolæ te dedidisti;' recte rescripsit Ernesti ex cod. Erl. 'dedisti,' quod secutus Harlesius, et confirmat Bibliothecæ Trajectinæ cod. et ipse Cicero de Orator. II. 1. 'Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset.' Cum hic de victis agatur, quibusque arma sint adempta, *dedissent* foret melius ex patris mei sententia, 'dare' ad eos, qui arma tradunt, 'dedere' vero ad eos, qui in fidem perveniunt, referentis ad Victor. Inlustr. XXIII. § 2. sed codd. hic sequor, et 'noxios dedere' est apud Livium XXXIX. 50. 9. ubi Drakenb. hinc dubia scriptura apud Ciceron. de Orator. I. 40. 'pater patratus dedidisset:' ubi cod. Trajectin. 'dedisset:' etiam 'deditos' adpellat noster infra XII. § 1. adde Jægerum infra XXV. § 2. *Idem.*

Ignovisti omnibus] Consentiunt verba Zosimi lib. II. 'Oppida quidem, per inducias se dedentia, nullo damno mulctat,' &c. *Paterol.* Conveniunt Ciceronis verba pro Marcell. cap. 7. 'Qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti?' ubi Abram. *Arntz.*

§ 2 *Conscientiæ timore*] Cf. supra V. 3. *Idem.*

Graviterque delinquerent] A te ad hostium partes transeundo. *Paterol.*

§ 3 *Stupere*] Stupebant. *Rhenan.* Cf. supra VII. § 6. et ad Mamertin. Genethl. X. § 5. *Arntz.*

Producendos susceperant] Msrl. *perducendos*, quod probo: sæpius enim de captivis hoc verbum usurpatur. Justin. XII. 5. 10. 'Interea unus ex amicis Darii, Bessus, vinctus perducitur:' ubi vid. Gronov. qui plura hujus usus exempla congerit. *Jæger.* Probo *perducendos* ex iis, quæ habet Drakenb. ad Livium V. 16. 8. Gron. ad eumd. XXX. 12. 2. not. ad Ovid. Amor. III. 12. 11. Apud Cæsarem B. G. VII. 13. 2. 'comprehensos ad Cæsarem perduxerunt,' mavult Oudendorpius 'produxerunt,' quod non probo, neque id confirmant exempla, quæ contulit; apud Hirtium enim B. G. VIII. 38. 4. recte legitur, 'celeriter omnium cura quæsitus in castra perducitur,' quamvis et hoc mutatum mallet vir clariss. in aliis autem agitur de iis, qui in conspectum

ducis veniebant, de quibus, ut et in concionem venientibus frequenter adhibetur. Vid. Fabrum Semestr. I. pag. 138. Cort. ad Sallust. Jugurth. XXXIII. 4. Duker. ad Livium XLV. 2. 6. Pricæum ad Apulei. Met. III. pag. 140. patruum meum ad Caton. Dist. III. 4. De talibus autem non loquitur noster; quamvis enim intelligi possent captivi in militum concionem, ducisve conspectum producti, ut morte adficerentur, tamen accipere malim de iisdem in alium locum contra voluntatem transportandis; 'perducuntur necessitate coacti,' ait Donatus ed Terent. Andr. III. 1. 54. et hinc 'perductores' invitorum in re turpi, de quibus Erhard. ad Petron. Sat. cap. 126. Græv. ad Sueton. Tiber. cap. 45. Casaub. ad eumd. Vesp. cap. 22. Bunem. ad Lactant. Inst. VI. 17. 19. Quam frequenter autem utraque vox permutetur, ostendunt Dukerus ad Livium XXXVIII. 50. 1. Burman. ad Sueton. Claud. cap. 4. ad Lucan. II. 562. Drakenb. ad Sil. XV. 100. not. ad Virgil. Ecl. I. 72. Oudend. ad Sueton. Tiber. c. 45. not. patern. ad Victor. Illustr. II. 6. Cum itaque viderent milites, Constantinum captivos non ad supplicium mortemque destinasse, sed vitam servari voluisse, ideo stupebant, et ipsam etiam custodiæ curam abnuebant. *Arntz.*

Curam abnuere] *Cura* Vet. quod sequor. Incertus in Maximianum et Constantin. 'Quanquam etiamsi totam excusationem ætatis afferres, sic quoque tibi reip. curis non erat abnuendum.' *Livin.* *Cura* nescio, an satis loco allato firmetur; in eo certe τὸ *curis* potest esse tertius casus. Et supra noster c. VI. § 1. 'abnuere obsequium' dixit. *Jæger.* Vulgatum tuitus esse ad Incert. Maximian. IX. § 2. et similia dedit Cortius ad Sallust. Jugurth. LXXXIV. 3. *Arntz.*

CAP. XII. § 1 *Diripere*] *Diripere* non solus Patarolus, sed omnes ante Gruterum: male. 'Deripere spolia' Virgil. Æneid. II. 193. ubi Heins. quem etiam confer ad Ovid. Amor. I. 5. 13. ad Silium IX. 29. Torren. ad Valer. Max. II. 9. 8. Frequenter hæc permutata notant Heyne ad Tibull. I. 2. 82. Brouckh. ad eamd. I. 5. 40. V. D. ad Valer. Flacc. II. 160. VI. 668. Buneman. ad Lactant. M. P. 6. 6. Klotz. Miscell. p. 71. Observ. Miscell. tom. I. p. 187. *Arntz.*

Ad inpunitatem suis armis] Verba *ad impunitatem* videntur significare, 'ut ne amplius nocere possint,' 'ut impune inter nos versentur;' i. e. sine damno nostro; vid. Eumenii Paneg. XVIII. 3. *Jæger.* Non quidem displicet codd. lectio *ad inpunitatem sui alligare*, de quo usu τοῦ *sui* dictum est ad Mamertin. Maxim. IX. § 2. Genethl. II. § 1. et ad loca illic citata; vulgatam tamen tueri malim, quia hoc postulat sententiæ series; opponit enim in 'armis deripiendis potentiam,' et 'humanitatem deditos suis armis alligandi;' deinde cum ex eorum gladiis vincula confici jusserit Constantinus, recte 'sua arma' memorat, cujus locutionis tota periret efficacia, si legeres, *ad inpunitatem sui armis adligare;* ita enim nondum indicat, quæ arma intelligat; aut *inpunitatem sui adligare*, quia tunc non exprimit, quibus fuissent vinculis adligati. *Ad inpunitatem* si cum Jægero capias, longius mihi videtur quæsita interpretatio. Simpliciusne foret exponere, ne morte punirentur? Ipsi de vita desperasse dicuntur, cap. præced. § 1. hos itaque mortis supplicio adficere potuisset Constantinus, sed 'vinciri jussit non ad supplicium, sed vitam,' ibid. § 2. id est, ad inpunitatem, ne morte punirentur; ut apud Eumen. Constantin. VI. § 1. 'culpæ conscios ad pœnitentiam revocaret inpunitas.' *Arntz.*

Atque etiam vincire] *Ita* primus dedit Pauli. Stephanus, et reliqui præter Rivinum; *vincire* vero Henr. Ste-

phanus, cujus lectionem a Livineio, et Paull. Stephano neglectam, restituit Graterus; et recte retinuerunt sequentes; cum enim 'arma' jam essent 'derepta,' non amplius 'vincebantur,' sed ita 'vinciebantur,' adligati, ut armorum suorum pœniteret. Hæc permutari docuit Jæger. ad Mamertin. Maxim. VI. § 3. Statius ad Tibull. II. 4. 14. *Idem.*

§ 2 *Distrinxerat*] Emendabat pater meus *destrinxerat*, et ita Jægerus recte dedit, ut etiam infr. XX. § 4. forte favent codd. quamvis ex iis nihil sit notatum. Mutationis caussa est, quod 'distringere gladios' Latinum non videatur, unde Ernesti Clavi Ciceron. v. 'Destringo' neminem in his litteris paullo versatiorem scribit dubitare, in omnibus, in quibus detrahendi vis est exprimenda, 'distringere' rectum esse; designat enim in diversas partes distrahere, cum contra 'destringere' aliqua re nudare indicet, quod gladio de vagina ducto est proprium, et huic tantum loco conveniens. Cf. Cuperum Obs. IV. 5. Schwarz. ad Plinii Paneg. XXXVII. § 2. Harles. ad Ciceron. de Orator. III. 2. et de propria notione in 'stringere' ex Horatii Scholiaste Heinsius ad Virgil. Georg. II. 300. Burman. ad Anthol. Latin. tom. I. pag. 24. ita 'destricti gladii' recte redditum Valerio Max. III. 2. 1. idemque restitue Sulpicio Sever. Hist. S. I. 19. 6. Male cod. Traject. apud Senec. Agam. 734. 'tela districta;' est quidem 'securis districta' apud Florum II. 2. 17. sed illic etiam 'destricta' dedit Oudend. ad Lucan. VII. 313. alii similiter aliis sunt locis opitulati. Vid. Duker. ad Flor. d. l. Drakenb. ad Livium VIII. 7. 20. Oudend. ad Sueton. Calig. 56. Buneman. ad Lactant. Instit. v. 19. 12. *Idem.*

§ 3 *Magnus poëta*] Cf. ad Mamertin. Genethl. XIV. § 2. *Idem.*

Toto orbe] Primis Octaviani Augusti temporibus. *Paterol.* De voce 'discursu' vide ad Mamertin. Genethl. II. § 4. *Arntz.*

Triste nimium] Vet. *Triste nimirum t. illud aperiens, cum, &c.* Puteau. Vereor, ne explicationis caussa, a correctore, ellipsi verbi *erat* non animadversa, vox *aperiens* intrusa fuerit. Itaque ex hac lectione retinui duntaxat voculam *illud*, aurium gratia, et quia festinatio scribentis litterarum compendium facere amat, facilimeque adeo *id* pro *illud* ponitur, quam inversa vice hoc pro illo. Vid. infra c. XIV. § 2. et § 4. *Jægerus.* Cf. ad Mamertin. Genethl. VI. § 3. Vera lectio vulgata, in qua non opus, ut per ellipsin *erat* subaudiatur; repetendum enim ex præcedenti est *describit*. Arntz.

Cultui pecudum] Ingeniose conjiciebat acutissimus Eldikius, *cultui segetum.* Est tamen, quo vulgatum defendas, inprimis quia quibusdam in locis Virgilium expressit, ut dicam infr. XVI. § 5. 'cultum' itaque illum transtulisse videtur ex Georg. I. 3. 'Qui cultus habendo Sit pecori.' IV. 559. 'Hæc super arvorum cultu, pecorumque canebam.' Calpurn. Ecl. II. 361. 'Me docet ipsa Pales cultum gregis.' Nemesianus Cyneg. vs. 229. 'Cultusque mihi dicendus equorum.' Columella de R. R. VI. Præf. 'Tam pecorum, quam agrorum cultum pernoscere.' Fateor, *falces* non ad hunc cultum, sed segetes, arboresve pertinent, et ad 'pecudes' magis *instrumenta*, at vero Virgilii *falces* tantum oratorio artificio adcommodat. *Idem.*

§ 4 *Obtusique*] *Obtunsique* Bertin. *Livin.* Ita frequenter librarii. Vid. Obs. Miscell. vol. VI. p. 194. et quæ dixi ad Sedul. Epist. ad Macedon. p. 4. *Arntz.*

CAP. XIII. § 2 *Fulmine suo*] Festum consule in 'Manubiæ,' et Senecam Natural. Quæst. II. 12. *Livin.* Præter Festum et Senecam addendus est Cicero de Div. II. 35. 'Ful-

men sinistrum auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia,' &c. Cap. 39. 'Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius, 'Cum tonuit lævum bene tempestate serena.'' Plinius H. N. II. 54. § 55. 'Læva (fulmina) prospera existimentur; quoniam læva parte mundi ortus est. Nec tam adventus spectatur, quam reditus: sive ab ictu resiliit ignis, sive, opere confecto, aut igne consumto, spiritus remeat. In sedecim partes cælum in eo adspectu divisere Tusci. Prima est a Septemtrionibus ad æquinoctialem exortum: secunda ad Meridiem: tertia ad æquinoctialem Occasum: quarta obtinet, quod reliquum est ab Occasu ad Septemtriones. Has iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario adpellavere dextras. Ex his maxime dira, quæ Septemtrionem ab Occasu adtingunt. Itaque plurimum refert, unde venerint fulmina, et quo concesserint. Optimum est in exortivas redire partes. Ideo, cum a prima cæli parte venerint, et in eamdem concesserint, summa felicitas portenditur, quale Syllæ dictatori ostentum datum accepimus. Cetera ipsius mundi portione minus prospera, aut dira.' Cf. Dionys. Halicarnass. lib. II. p. m. 80. sq. *Jæger.*

Nunc tristes] Quando enim ad Septemtrionem tonabat, faustum omen antiquis erat, contra vero, cum ad Meridiem. *Patarol.*

Aut conservatione] Hoc ad *supplices; pernicie* autem ad *inimicos* pertinet. Cf. supr. V. § 6. *Arntz.*

§ 3 *Dolore superasti*] Editiones exoletæ, etiam Viennensis, alia distinctione, *dolore superasti, et eosdem:* ex quo ingeniose finxit Petrus Daniel, *dolore super acie, et eosdem.* Mihi aliquando veniebat in calamum, *ne quis incumberet, dolones separasti, et eosdem, &c.* et sic quidem minimum ibatur a characterum priorum figura: sed an hujusmodi emendatio rei præsenti conveniat, alii examinent. Ego, in hac festinatione, non possum. *Gruter.* Ne quis hostium devictorum doleat nimis, se victum esse, et dolore incitatus ultionem rebellando paret. *Cellar.* Positis ambagibus, veram e cod. Put. et Mœrl. proferamus lectionem, *ne quis incumberet dolore superatus;* cujus sensus hic est: Eripuisti, Imperator, adversariis tuis gladios, ne quis eorum, dolore victus, gladio suo incumberet, sibique adeo necem conscisceret, et eosdem reddidisti manibus eorum, qui illos tractaverant, sed innoxios, i. e. in vincula mutatos, seu manicas, ita, ut illis vim sibi inferre non possint. Quid planius, et certius? *Jæger.*

§ 4 *Diu parta*] Hoc est, lente procurata. Eumenius in Constantinum: 'Diu venturi hominis partus optatur, diu vagitus inconditi locuturam differunt vocem,' &c. *Livin.* Lente procurata: multo labore et cura ad id ætatis perducta. *Cellar.* Cf. supr. ad Eumen. Grat. Act. X. § 4. *Arntz.*

Ideo] Mœrl. *ita:* minus apposite. *Jæger.*

Redivivum] Melius opinor *recidivum.* Virgil. Æneid. VII. 322. 'Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.' *Livin.* Cf. Æneid. IV. 344. et X. 58. itemque infra Paneg. Nazar. XXXV. § 4. *Jæger.* Hic omnino verum est *redivivum;* loquitur enim de vita, quæ semel amissa recipi nequit; *redivivum* itaque est, quod destructum iterum vivit, *recidivum*, quod a casu renascitur, et resurgit. Vid. Heinsius ad Claudian. Idyll. I. 65. et ad Ovidium Fast. IV. 45. *Arntz.*

Reservasti] *Servasti* Bertin. *Livin.* Vide Paneg. XX. § 3. *Jæger.* Non opus scriptura Bertin. ita ex *re* composita pro simplicibus; vid. supr. Jæger. ad Mamertin. Maxim. XI. § 3. Eumen. pro Instaur. Schol. XI. § 3.

Gratiar. Act. xiv. § 4. Cortium ad Sallust. Jug. iv. 9. *Arntz.*

§ 5 *Quid simile*] Nihil ad hæc facit *lætitia*. De locutione 'quid simile' cf. Schwarz. ad Mamertin. Genethl. viii. § 3. *Idem.*

Conversa] Notæ fabulosæ hominum in irrationalia animalia metamorphoses ex Ovidio et aliis. *Patarol.*

In fontes] Dubitabat pater meus, legendumne *frondes*, ut Daphnidis, similiumque exempla noster intellexerit; facillimo librarii errore, quo *frondes* etiam mutatum est in *frontes*, apud Klotzium in Miscell. Crit. p. 77. 'fronte' iterum in 'fonte,' de quo Pierius ad Virgil. Eclog. iii. 97. ipse tamen vulgatum se tueri adscripsit pater ex Ovidio Metam. ix. 663. 'Sic lacrimis consumta suis Phœbeia Byblis Vertitur in fontem.' Geminus nostri loco est alter Minucii Fel. Octav. cap. 20. 'Quid illas aniles fabulas de hominibus aves, et feras homines, et de hominibus arbores, atque flores:' ubi præfero 'de feris homines;' alii aliter. Cf. Observ. Miscell. tom. i. p. 29. tom. iii. p. 177. tom. ix. p. 166. Vonckium Lect. Latin. i. p. 56. *Arntz.*

Degener] *Degener* in fœminino. *Rhenan.* Vix hoc notatu dignum, utrique enim generi poterit jungi, ut fecit Taubman. ad Plautum Mercat. v. 4. 9. *Arntz.*

Quod securitas] *Quod* hoc loco est conjunctio. *Baune.* Mea secus est sententia. Subaudiendum est 'negotium.' Vid. Sanct. et Perizon. p. m. 610. sq. et *quod* est pronomen relativum. *Jæger.* Recte. *Arntz.*

Post calorem] Distingue: *calorem. Splendorem mutatio perdidit, sed aciem retudit.* Acidal. Qui ideo id monet, quia in quibusdam edd. post *calorem* est minus distinguendi signum, et post *perdidit* duo puncta. *Arntz.*

Cap. xiv. § 1 *Hucusque ut*] Nescio, utrum in Vet. ordinem inversum quoque invenerit Livineius; ex eo enim *hucusque*, quod ipse ediderat; ceteroquin notare non erat necesse. *Arntz.*

Verbis eluderet] Damnat plane Livineius, quod est in Viennensi editione, *eluderet*. Verum cur id mihi nondum omnino displiceat, prompsi in Suspicionum libellis. *Gruter.* An fuit *eluderet*, non satis claret in meo libro. Ceterum indubie emendandum, *levioribus luderet.* Nam subdit, *sed jam ad potiora redeamus.* Acidal. Bannius, *verbis illud luderet.* Τὸ *illud* ex cod. Liv. et Lang. petitum est, sed minus opportunum videtur. Acidalio obsequerer, si per libros liceret. *Jæger.* 'Eludere' huc non pertinet; id enim notat alterius conatus astutia quadam frustrari. Nazarius Paneg. xiv. § 1. et xxiv. § 1. *sed verbis ludebat*, dum 'gladium in manicas' mutatum dixerat, mutationemque illam 'splendorem perdidisse, sed aciem retudisse,' cap. præced. in fin. et quæ in princip. ibid. 'tibi vincunt gladii, tibi servant; te pugnante feriunt, te ignoscente custodiunt.' Accipiam itaque 'ludere' jocandi notione, quam confirmavit Burman. ad Sueton. Aug. c. 86. *Arntz.*

Ad potiora] Patri meo placebat, *ad aptiora*. *Potiora* videntur mihi magis seria, res majoris momenti, *verborum lusui* oppositæ. *Idem.*

§ 2 *Cis Padum*] Vide adnotata supra c. 7. *Patarol.*

Portentum id] Utrum scripsit *istud?* quod magis contemtui inservit; ita saltem *ille* et *iste* permutantur, ut apud Arator. ii. 751. adde ad Sedulium a me notata i. 308. Posset tamen in contemtu *ille* auctoritatem capere ex Ovidio Heroid. xii. 175. 'Quos ego servavi, pellex amplectitur artus, Et nostri fructus illa laboris habet.' De voce *portentum* vide supra iii. § 5. *Arntz.*

Conari ausum] Includi enim se Romæ passus est, teste Zosimo lib. ii. *Patarol.*

Degeneres animos] In Mœrl. inepte post *animos* inserta sunt verba, *ut dictum est.* Monere scilicet nos volebat eruditionis ille ostentator, sumtum hoc esse ex Virgilio Æneid. IV. 13. *Jager.* Adde Buneman. ad Lactant. de Ira XX. 3. *Arntz.*

§ 3 *Nequam animal*] *Animal* abest Bertin. plagio. Seneca de Benef. II. c. 16. 'tumidissimum animal (Alexandrum Magnum intelligit) si illum accipere hoc non decet, nec te dare.' Rutilius Itinerario priore: 'Namque loci querulus curam Judæus agebat, Humanis animal dissociale cibis.' *Livin.* Cf. supra III. § 5. Ita Maxentium propter nefarios ipsius mores depingit, in quibus libidinem, et artes magicas præcipue tangunt historici; 'superstitiosa maleficia' dixit supra IV. § 4. *κακοτέχνους καὶ γοητικὰς μαγγανείας* ipsi tribuit Eusebius Vit. Constantin. I. 27. et confisum testatur *ταῖς κατὰ γοητείαν μηχαναῖς*, Hist. Eccles. IX. 9. adde ibid. VIII. 14. et IX. 36. similia contulit Cuperus ad Lactant. M. P. cap. 44. init. *Arntz.*

Extra parietes] Præsertim Romæ portas. Eusebius Hist. Eccles. IX. 9. *προελθεῖν γε μὴν οὐδ᾽ ὅσον πυλῶν τοῦ ἄστεος ἐπιτολμῶντος. Idem.*

Monebatur] Quare et Diis hostias immolabat, et extispices de belli eventu consulebat; Zosimus loc. cit. *Paterol.* Ex iis interpretibus, quorum consulendorum mihi copia fuit, nullus omnino suspicatur, *τὸ monebatur* esse mutandum in *movebatur*, licet hoc præferat cod. Put. et verba illa sæpe numero permisceri satis constet. Mihi, si admitterem scripturam a Baunio commendatam, ejicienda videretur vox *enim*; ut sensus esset, Adeo aut prodigiis, aut metus sui præsagiis, turbabatur, et percellebatur. Sed bene se habet vulgata, cujus sensus (nec eum enim satis adcurate exposuit interpres Delphinicus) hic est: Maxentius non audebat egredi extra parietes. Nam vel prodigia, vel animus ipsius meticulosus, qui mala præsagiebat, quique adeo ipsi instar ostentorum erat, monebat eum, ut palatio se teneret, et omnem periculi bellique umbram, cane pejus et angue, vitaret. *Jæger.* Neque ego interpretem novi, cui *movebatur* placuerit. Jægeri interpretationem adjuvabit Zosimus, qui a Maxentio hostias inmolatas, et consultos de belli eventu haruspices, ipsosque libros Sibyllinos tradit, Histor. II. 16. sed dubito, utrum illa ad hunc locum faciant. In Sibyllinis enim oraculis invenerat, gravi morte periturum *τὸν ἐπὶ βλάβῃ πράττοντα Ῥωμαίων*, eoque se significari putabat, *ὡς δὴ τοὺς ἐπελθόντας τῇ Ῥώμῃ, καὶ ταύτην διανοουμένους ἑλεῖν ἀμυνόμενος*, ut illic Zosimus. Sed ideone monebatur, ne extra parietes egrederetur? de quo monitum fuisse noster adfirmat, eaque videtur ratio, quare hunc locum, illumque Zosimi, tamquam inter se diversos, distinxerit Nourrius Dissert. ad Lactant. p. 297. Mihi itaque aliud hic *monitum* videtur intelligendum, quod habet Lactantius M. P. c. 44. 'quamvis se Maxentius Romæ contineret; quod responsum acceperat, periturum esse, si extra portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos duces gerebatur.' Hoc autem illo Zosimi prius videtur. Lactantii enim sententia est, eum, propter illud responsum, Constantino, in Italiam advenienti, obviam tendere non ausum, rem ducibus peragendam commisisse, atque ita noster etiam tradit egredi non fuisse ausum ad nuncios cladium, in Italia nimirum acceptarum, cum ad portas nondum esset Constantinus. Accepto hoc responso sese urbi inclusisse, et tum demum haruspices de belli eventu consuluisse videtur; ita enim Zosimus, *ἐναποκλείσας ἑαυτὸν* (non *inclusus*, ut interpres, tamquam jam urbem cinxerat Constantinus, sed *se* urbe *includens* prop-

ter acceptum responsum) τῶν ἱερωσυνῶν περὶ τῆς τοῦ πολέμου τύχης ἀνεπυθάνετο. Ex responso enim, ne urbe exiret, nondum scire poterat, quis belli futurus esset exitus. Nihil igitur est, quod de lectionis *monebatur* veritate dubitemus; esse enim hoc verbum Diis et fatidicis proprium, dixi ad Eumenium pro Instaur. Schol. XIX. § 2. et ita 'divinitatis monitus' apud eumd. Constantio XV. § 2. adde Torren. ad Valer. Max. I. 7. ext. 8. Burman. ad Valer. Flacc. I. 29. not. patern. ad Plinii Paneg. XV. § 1. Klotz. Miscell. Critic. p. 74. Burman. Secundum ad Propert. IV. 1. 107. Alterum in Puteaneo est ex vulgata permutatione, quam notavi ad Arator. I. 924. et 1044. II. 519. not. patern. et Schwarz. ad Plinii Paneg. LXVI. § 4. Schott. ad Senec. Suasor. VI. p. 550. ed. Schulting. Burman. ad Lucan. VI. 416. Drakenb. ad Livium XXXV. 25. 5. et in cod. Christii, aliisque, ut etiam 'admonere' et 'admovere,' in Statio apud Klotzium Miscell. Crit. 74. 84. 87. et 88. et Observ. Miscell. Amstel. tom. I. p. 251. 259. et 265. *Arntz.*

§ 4 *Imperator*] Lege, *proh pudor! intra parietum custodias Imperator? Non ille asp.* Acidal. In quibusdam nimirum edd. hæc est interpunctio, *custodias, Imperator.* Arntz.

Adspirare] Aspirabat. *Rhenan.* De hoc infinitivi usu vid. ad Mamertin. Geneth. X. § 5. supra VII. § 6. et XI. § 3. *Arntz.*

Pulverem pati] Quod est fortium, et bellicosorum. Vid. not. ad Plinii Paneg. XIII. § 1. 'sudore, et quasi pulvere sordidum' dixit Eumenius pro Instaur. Schol. II. § 4. et quæ ad eumd. Constantio XVI. § 4. *Idem.*

Ne virorum officia] In utraque Paris. locus hic mancus ac mutilus est. Legitur nempe: *Astutus quidem, ne virorum officia tentantem in illo palatio marmoratis parietibus incedere.* Corruptelæ mederi studet Baunius, inserenda voce *quidem.* Præterea mirificam hanc subjicit interpretationem: 'Ne quidem ut viri saltem officium esset, deambulare in eo palatio, cujus parietes sunt e marmore.' Equidem, cum nec in scriptis libris, nec aliis typis excusis ullum exstet lacunæ vestigium, temperare mihi vix possum, quo minus existimem in ed. Paris. priore, quæ vulgo Puteano tribui solet, operarum incuria, omissum esse versum, et Baunium, inconsultis exemplis aliis, ad emendationem interpretationemque provolasse. Reliqui certe omnes, iisdem verbis, quibus nos, h. l. exhibent. *Jæger.* *Quidem* inserendi nulla foret necessitas, etiamsi id locus postularet, de quo dixi in Miscell. cap. VI. adde ad Mamertin. Genethl. VII. § 6. Aliam esse nostri sententiam mox exponam. *Arntz.*

Contemnerent] Sic legunt geminæ edd. Genevenses; in aliis plerisque deest hoc verbum cum sequentibus, *qui vid. deamb.* Patarol. Hæc ad typothetæ vitium, proxime a Jægero notatum, pertinent. *Arntz.*

Qui viderent deambulare] Lege, et distingue, *qui viderent. Deambulare, &c.* Modis infinitivis sic utitur, ut paullo ante: 'Non exerceri armis, non pulverem pati,' &c. *Acidal.* Non male. In tanta veri similitudine visum est, sequi illius auctoritatem. *Jæger.* Nihil certius. Alii ediderunt, *qui viderent deambulare, et tantum.* In altero exprimendo Jægerum sum secutus, propter interpunctionum naturam, de qua dixi ad Eumenium pro Instaur. Schol. XVII. § 3. In campum adspirare, armis exerceri, pulverem pati, virorum erat fortium et bellicosorum; ab his quadam sese astutia abstinuisse Maxentium dicit, ne, si hæc officia tentaret, illi, qui viderent, ipsius inperitiæ, ignaviæ, animique inbellis forent testes, eumque ideo contemnerent. Egregie igitur *tentare* illi tribuit, qui officia hæc

inplere conabatur, sed ultra conatum nihil poterat. *Virorum* expone hominum fortium, qua notione sæpenumero occurrit. Cf. Drakenb. ad Livium III. 67. 2. apud Claudianum ideo Cons. Honor. IV. 405. ubi de Scævola loquitur, pro 'vel solus' recte 'vir solus' malebat Burmannus, quam conjecturam pluribus confirmavit patrui nepos Secundus ad Anthol. Latin. tom. I. p. 199. ubi est, 'Miratur Porsenna virum.' Adde tom. II. p. 715. Ita 'virile ingenium' apud Sallustium Catilin. cap. 20. *Arntz.*

Deambulare] Deambulabat, ut recte modo Acidalius. *Idem.*

Et tantum] Lege, *Deambulare tantum, et in illo palatio.* Acidal. Acidalius non male. Mœrl. et Patar. conjunctionem *et* plane omittit; quæ si in alio etiam libro defuit, potuit deinde loco non suo inseri, et sic ex alio in aliud exemplum transscribi. Patarol τὸ *tantum* ex auctoritate Ms. D. Marci se addidisse narrat: sed illud jam ante eum prodiderunt alii. *Jæger.* Acidalii transpositionem in textum admisit Jægerus, sed necessitatem non video. Deambulabat Maxentius non per totam urbem, id enim nondum audebat, sed *tantum* in palatio. Omnes, quas consului, edd. *tantum* habent, quare nescio, quem significaverit Patarolus, qui illud omiserit, nisi Parisin. et Baunianam voluerit, sed in iis non sola hæc vox, at vero plura fuisse in hac periodo omissa modo notavit Jægerus. *Arntzen.*

Sallustianos hortos] Quorum Tacitus meminit Ann. XIII. 47. Histor. III. 82. *Cellar.* Fuerunt illi, ut ostendit Ligorius, in colle Quirinali, regione VI. urbis, non procul porta Collina. *Jæger.* Cf. Claver. ad Claudian. in Eutrop. II. 97. Nardinum Rom. Vet. IV. 7. Pancirollum Descript. Rom. Thes. Græv. tom. III. p. 345. hortos illos ad Imperatores pertinuisse patet ex L. 39. § ult. D. de Legat. I. adde Heineccium ad Brissonii Lexicon v. 'Horti,' et inde Vopiscus Aurelian. 49. 'Displicebat ei, cum esset Romæ, habitare in palatio, et magis in hortis Sallustii, vel in Domitiæ vivere.' *Arntz.*

§ 5 *Tanto illo tempore*] Facile ita potuerunt aberrare librarii; apud Eumenium Constantio XVIII. § 6. pro *tanta illa* invenit in Mœrl. Jægerus *tota illa;* vitio typographi illic in nota irrepsit *tacita.* Cf. notas ad Ovid. Met. XV. 254. Burman. ad Lucan. II. 500. Drakenb. ad Liv. II. 57. 8. et supra ad Mamertin. Maxim. V. 3. *Idem.*

Orbem obsederat] Equidem non hoc damnem; non; præferam tamen *urbem.* Nazarius in Constantinum: 'Duci sane omnibus videbantur subacta vitiorum agmina, quæ urbem graviter obsederant.' *Livin.* Livineii sententiam probavit, et recepit Cellarius: nec quisquam dissentiet, qui, quanta litterarum *o* et *u* sit adfinitas, secum reputaverit. *Jæger.* Frequenter hæc permutata. Vid. Drakenb. ad Livium V. 19. 11. Burman. ad Lucan. I. 644. II. 16. Jæger. ad Nazar. Paneg. XXXV. § 1. Apud Martialem Epigr. I. 1. 'Toto notus in orbe Martialis:' in Thuaneo est 'Totus notus in urbe;' scribe 'Tota notus in urbe;' male tamen hic cod. apud eumdem IV. 71. exhibet 'per orbem.' *Arntz.*

Se inbellem] Qualis re vera fuit. Julian. Cæs. p. 24. ed. Heusing. eum ἀπόλεμόν τε καὶ μαλακὸν fuisse indicat. *Jæger.*

§ 6 *Imperatorem*] Vet. *imperatore.* Putean. Ita in ed. Paris. varians lectio notata est, sed in iis, quas Mss. ex eo cod. habeo, legitur *imperare,* quod forte verum, ut sequenti *militare* respondeat. *Arntz.*

Per milites] Cf. supra ad Mamertin. Genethl. III. § 9. et Maximian. VII. § 3. *Idem.*

CAP. XV. § 1 *Ad insistendum*] Potest et hæc *ad resistendum* glossa esse. *Acidal.* Acidalio mox adcedit Jægerus; si abessent, non intercederem, nunc vero glossam esse haud putaverim; *ad resistendum* sequentibus junxisse videtur Acidalius, et ita in textu Jægerus, posita post *conatus est* distinctionis nota, cum tamen una serie præcedentibus essent jungenda, *obviam ire conatus est ad resistendum;* neque aliquid est, in quo hæreas, loco præsertim ad codd. emendato. *Arntz.*

Cum Padi limite] Nescio, quid vitii est, quod nunc non educo, aut tollo. An *quasi Padi limite aut Apennini?* Acidal. Bene vidit Acidalius, his verbis aliquid vitii inesse. Tollitur id lectione cod. Put. et Mœrl. qui pro *cum* exhibent *ut;* sensu aperto, et perspicuo: *Non conatus est obviam ire, ut Padi limitem, et Apennini juga insideret, et hostibus iter intercluderet.* Et hinc claret, verum esse et alterum, quod Acidalius monuit; nimirum glossam esse verba *ad resistendum*, quæ propterea uncis coërcui. Exturbassem ea prorsus, nisi scirem, quam moleste non nulli facinus ejusmodi ferant. *Jæger.*

Qui pridem] Sic legendum: *quæ pridem ad motus exercita, sollicitave erat, jam flagitiis deformatam e sedibus,* &c. Rhenan.

Admotus exercitus sollicitaverat] Probe *admotos*, multitudinis numero; nam primum adversus motum prætorianorum, atque Maxentii Galerius Maximianus A. Severum Cæsarem cum exercitu Romam miserat. Isque cum circum muros ageret, desertus a suis, quos præmiorum illecebris Maxentius conduxerat, fugiens, obsessusque Ravennæ obiit. Ex Aurelio Victore, et Eutropio x. Atque hæc prima expeditio. Addit deinde idem Victor: 'Hoc acrior Galerius, ascito in consilium Jovio, (suspecta hæc mihi) Licinium, vetere cognitum amicitia, Cæsarem, creat Augustum, eoque ad munimentum Illyrici ac Thraciæ relicto, Romam contendit. Ibi cum obsidione distineretur, militibus eadem, qua superiores, via attentatis, metu, ne desereretur, Italia decessit.' Lege reliqua. *Livin.* Sic aiunt legendum: *Quæ pridem ad motus exercita sollicitave erat, jam flagitiis deformatam e sedibus.* Non audio. Lego, *quæ pridem admotos exercitus sollicitaverat, jam flagitiis ipsius deformatam, et sedibus suis pulsam,* &c. Acidal. Lectionem *admotos exercitus* præfero, Livineio, Acidalio, aliisque probatam; at eorum interpretationem sequi non libet. Hi enim intelligunt de exercitibus Severi, Armentarii, et Maximiani Herculei; ast ego nostrum arbitror ad copias hostium alludere, puta Gallorum et Pœnorum, quæ, olim ad portas licet urbis progressæ, Romana tamen virtute fusæ sunt. *Paterol.* *Admotos*, quod etiam est in Schonhovii excerptis, primus dedit Paull. Stephanus, et sequentes præter Rivinum in pr. Rhenanus *ad motus exercita*, quod ex Puteaneo etiam notatum habeo in variantibus penes me Mss. quamvis in Paris. edit. ex eo *admotos* legatur. Cf. præced. Observ. Pataroli interpretatio longius est petita, simplicius alii. Corruptos enim exercitus intelligit, qui in Severum aliosque fuerant perfidi, eosque duces deseruerant, quosque mox opponit iis qui 'præmiis corrumpi' non poterant. Hoc sensu 'sollicitare exercitus' apud Eumenium Constantin. XVI. § 1. atque ita Severi et Maximiani 'exercitus redemtos' dicit Victor Cæs. XL. 16. cum enim 'sollicitare' proprie sit loco suo movere, ut docet Cerda ad Virgil. Æn. XII. 404. frequenter ad eos transfertur, qui præmiis, persuasionibus, mercede a recta via, et constanti mentis proposito dimoventur, et ad alia inducuntur, quales inprimis milites, et exercitus. Vid. Frontin. Strateg. II. 2.

11. III. 2. 2. Cellar. ad Eutrop. Hist. II. 12. Oudend. ad Sueton. Galb. c. 6. Cannegieter. ad Avian. Fab. XXVI. 8. *Arntz.*

Gloriæ] Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 4. *Idem.*

§ 3 *Sentiens, non sine*] Delenda negatio, legendumque *sentiens, sine.* Lipsius. *Non* delevit primum Gruterus, et reliqui præter Rivinum; neque video, quo possit retineri colore; toti enim sententiæ adversatur. Constantini exercitum etiam 'plenis victoriarum conscientia pectoribus ardentem' dicit Nazar. Paneg. VII. § 4. *Arntz.*

Per eos iter] Illud *eos* gentis aliquod nomen, aut regionis fuisse liquet. Quod quærendum. *Lipsius*, Epist. Quæst. I. 22. Gentis, aut regionis, qua transitum, nomen in mendo est. Mihi *Eneti*, seu *Veneti* sunt. Nam Aquileia, quæ superiore narratione postremo dedita, Romam continente solo properanti brevissimum per eos iter est. Docent tabulæ. *Livin.* Dele voces *per eos*, nisi mutari aptius poterunt. *Acidal.* Si vulgata sit sana, *eos* referendum est ad *exercitus*, quod quamvis singulari numero præcesserit, pluralem admittit tamquam collectivum, ut loquuntur grammatici. Quamvis enim aliæ essent viæ, etiam breviores, per eos tamen duci exercitus non poterat, itaque eam elegit Constantinus, qua brevissima per exercitum uti posset. *Per eos* itaque est, quantum illi, sive exercitus patiebantur, propter eos, quam significationem confirmavit Drakenb. ad Livium XXIII. 18. 22. Est tamen magis, ut credam, *per eos* corruptum esse. Livineii *Venetos* admittere nequeo. Ita propter Aquileiam conjecit, quæ in hac Constantini expeditione memoratur supra XI. § 1. et apud Nazarium Paneg. XXVII. § 1. qua certe si Romam perrexisset, Venetos transire debuit. Sed Aquileiam profectum fuisse non puto; hæc enim, audita Constantini victoria, sese magis per legatos missos dedidit, supra XI. § 1. mihi itaque a Verona magis Mutinam videtur profectus, quam Nazarius d. l. memorat, et inde per Apenninum, regionesque Arnum inter et Tiberim Romam perrexisse. Scribendum igitur puto *per Veios*, et hinc intelligi potest, quare ad Saxa Rubra processerit obviam Maxentius, quod testatur Victor, Cæs. XL. 23. qui locus Veios inter et Tiberim erat ad austrum. *Arntz.*

Rapto agmine] Pacatus Panegyricus XXXIX. § 2. 'festinatis itineribus raptus exercitus;' hoc 'raptim agmen agere' dixit Curtius V. 4. in fin. celeritatis notionem in hoc verbo notavi ad Mamertin. Genethl. III. § 5. et in 'castra rapere' Drakenb. ad Livium VI. 23. 5. 'Advolare' promtitudinem in re bellica notat, ut in eo Virgilii Æn. IX. 47. 'Ut antevolans tardum præcesserat agmen:' ubi Cerda. Cf. ad Mamertin. Genethl. VIII. § 1. *Idem.*

In redeundo Scipionis] *Scipionis*, Africani minoris. Meminit Cicero Verrina VII. *Livin.* Exosculer *in re gerenda*, quamvis hæreat tantum in edit. primaria. Nam ei adludunt Mss. in quibus *regendo:* et alterum nauci non est. *Gruter.* De illius celeritate mentionem facit Cicer. in Verrem. De hujus vero Florus IV. 2. Sueton. cap. 57. *Patarol.* *In agendo* edidit Baunius. Nescio, ubi invenerit, et quare receperit. Rhenan. Stephan. Livin. habent *celer. ill. in redeundo*, quod nauci non est. *Regerenda* Mœrl. Schonhov. Probat hoc merito Livineius et Gruterus, et præfert Paris. prior, Cellar. Patar. 'Rem gerere' idem esse ac pugnare, bellare, &c. notissimum est. Vid. Cort. ad Sallust. Jugurth. LVIII. 4. *Jæger.* *Re gerenda* primum recepit Paull. Stephanus, retinuerunt sequentes præter Rivinum. Cf. Jæger. ad Incert. Maxim. XIV. § 1. not. patern. ad Victor.

Inlustr. LXXVII. 6. *Arntz.*

Et Cæsaris] Cicero Epist. ad Att. VIII. 9. in fin. de Julio Cæsare: 'Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.' *Jæger.*

Repræsentans] Cf. ad Mamertin. Genethl. I. § 1. *Arntz.*

§ 4 *Imperatoris invicti*] Talem Constantinum prædicat et nummus cum epigraphe, VBIQVE. VICTOR. *Paterol.* Etiam lapis apud Smetium Inscript. p. 67. n. 4. quo INVICTVS dicitur, aut VICTOR apud Reinesium Inscript. Cl. III. n. 53. et 55. Gudium Inscript. p. 94. n. 10. *Arntz.*

Non dubitare] Lego *non ductare*, ut 'ductare bellum' Sallustius. *Lipsius*, Epist. Quæst. I. 22. Lipsii sententiæ album calculum adjecit Livineius, et Schonhovius. Sed cave ausculteo. Primum Sallustius non dixit 'ductare bellum,' sed 'ductare exercitum:' deinde *dubitare* h. l. idem est, ac differre, moras nectere, et tergiversari. Sic Nepos Agesil. IV. § 1. 'Nuntius ei domo venit, . . . bellum Athenienses, et Bœotios indixisse Lacedæmoniis; quare venire ne dubitaret.' Ovidius Met. II. 460. sq. 'Cunctæ velamina ponunt: Una moras quærit: dubitanti vestis ademta est.' De vi verbi 'trahere' pro ducere bellum, vid. Cort. ad Sallust. Jug. XXIII. § 2. *Jæger.* Vulgatum tuentur præcedentia, 'sine ulla hæsitandi mora.' De verbo 'dubitare' cf. Gronovium ad Senecæ Epist. 114. ad Senecam Thyest. 715. Sallustius Cat. c. 44. 'dubitando, et dies prolatando.' 'Trahere bellum' dixit etiam Velleius II. 11. 2. adde Cellar. ad Curt. III. 8. 8. Drakenb. ad Livium v. 11. 8. *Arntz.*

§ 5 *Utique Maximo*] Lego *uti Q. Maximo.* Elegans et certa emendatio. Non cunctandum tibi, inquit, ut olim Q. Fabio Maximo contra Annibalem. *Lipsius*, Epist. Quæst. I. 22. Vet. *utque.* Fabium illum Cunctatorem dicit, ad quem sequens sententiola respicit: 'Sapientis enim imperatoris est fractis rebus cunctando consulere.' *Acidal.* Q. Maximo, qui a genere belli gerendi cum Hannibale Cunctator dictus est. *Paterol.* Elegans et certa emendatio Lipsii jure meritoque a posterioribus editoribus fuit recepta. *Jæger.* Et primum quidem a Grutero; corruptam vero lectionem retinuit Rivinus. In excerptis adscripta erat Vossii conjectura, *ut e maximo*, quod non satis capio. *Arntz.*

Hannibale victore] De quatuor ducibus Romanorum; Scipione nempe ad Ticinum, Sempronio ad Trebiam, Flaminio ad Trasymenum, Paulo et Varrone simul ad Cannas. Florus II. 6. *Paterol.*

Urgere te successus] Γνώμη. *Rhenan.*

Sed quam primum] Pro *sed* Bertin. habet *et;* quas voculas solere permutari vidimus jam Eumenii Paneg. VI. § 3. et Eumenii Grat. Act. X. § 4. et hoc ipso c. VI. § 2. ideoque auctoritati Acidalii libentissime parui, licet typis exscripti, quos quidem inspicere potui, omnes *sed* præferant. *Jægerus.* Soli Bertiniensi tantum non tribuo, in quo potuit prima in *sed* ex ultima præcedentis *victorias* esse absorpta. Et elegantior videtur ejusdem particulæ repetitio, cum duo significaverit, urgere successus et victorias, et urbi subvenire. *Arntz.*

Urbi debebat] Meliorem habuit lectionem *decebat* Puteolanus, quam expressit Livineius, et reliqui; præcedens *te* id omnino postulat. Permutationem illam jam notavi in Miscell. p. 320. *Idem.*

Imperatoris est] Cunctationem in prudentis Imperatoris laude poni docet pater meus ad Victor. Inlustr. XLIII. § 1. *Idem.*

CAP. XVI. § 1 *Conterritus his rebus*] Lipsius ita rescribit: *ne ille conterritus, suis rebus graviter adflictis, et in arctum redactis, mora consuleret.* Sed nihil videtur mutandum. *Vires* sunt copiæ, exercitus. Florus IV. 2. 66.

'Sparsæ magis, quam oppressæ, vires erant.' Justin. xxx. 1. 5. sq. 'Trepidare igitur Ptolemæus, legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia exercitu conducto, secundum prælium facit.' *Jæger.* De vocis notione pro exercitu cf. not. ad Veler. Maxim. I. 1. 15. Burmann. ad Velleium I. 4. 3. *Arntz.*

In artum] Pro *arctum*, scripsi *artum*, ex sententia virorum doctorum, quos ad Tibull. I. 5. 52. laudat Broeckhusius, quibus etiam addi potest Cort. ad Sallust. Jug. LII. 6. *Jæger.* Scripserat ita jam Cellarius. Cf. quæ dixi ad Mamertin. Maxim. XIV. § 4. ubi 'arctissimos' tamen habet Jægeri editio, et apud Incert. Maxim. I. § 4. *Arntz.*

Redactus, boni consuleret] Proba lectio, nec sollicitem. Incertus in Maximianum et Constantinum: 'Hujus cum fratre rursus, ac sæpius expeditionibus domita Germania boni consulit, ut quiescat.' Ibi vide. Frustra est ergo vir doctus, qui reposuit *mora consuleret*, aliaque nonnulla hic mutavit. *Livin.* Lege *ut debitas.* Sic usurpatur illud 'boni consulere,' de quo Panegyrico Incerti Maxim. egimus. *Acidal.* Cf. Incerti Paneg. Max. et Const. VIII. § 5. et Pacat. XXII. § 4. Particulas *ut* atque *et* permisceri ad Plinii Paneg. LV. § 5. et in Supplement. Not. ad c. XX. p. 596. observat Schwarzius; ad Sil. Ital. III. 78. et Liv. XXI. 28. Drakenb. Eo fidentius igitur, auctore Acidalio, h. l. *ut* restitui. *Jæger.* Huic locum dare conjecturæ non sum ausus; duo enim significat, quæ boni consuleret, id est, judicio et consilio eligeret, quod sibi bonum videretur, ut obsidione Constantinum moraretur, et ita pœnas differret. Notata quoque est utriusque voculæ permutatio ad Mamertin. Maxim. III. § 1. quæ vero dicta sunt ad Incertum Maxim. VIII. § 5. satis Lipsii conjecturam redarguunt. *Arntz.*

Omni Africa] Alexandro, qui tum Pœnos pro præfecto regebat, et imperio imminebat, a Rufo Volusiano, præfecto prætorio, levi certamine oppresso. Lege Sex. Victorem. *Livin.* Sublato Alexandro, et Carthagine etiam direpta, ac incensa. Testes Sext. Aur. Victor, Zosimus lib. II. qui etiam a tyranno in Africanos sævitum scribit, quod Alexandro favissent, ipsiusque Maxentii imaginem circumferri prohibuissent. *Patarol.* Africanos præterea genere vel opibus præstantes, Maxentii jussu vita bonisve fuisse privatos, testatur Zosimus Histor. II. 14. Adde Victor. Cæs. XIV. 18. inde in Africam missum est Maxentii caput, ad eam permulcendam, ut scribit Nazarius Paneg. XXXII. § 6. Adde Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 211. Volusianus, quem ex Zosimo Hist. II. 14. memorat Livineius, dicitur C. Celonius Rufius Volusianus, Procos. Africæ, apud Smetium Inscript. p. 67. n. 4. *Arntzenius.*

Insulis exinanitis] Aliisque, unde uberrima commeatuum copia. *Patarol.* Hæ videntur esse 'Africi maris insulæ,' quas memorat infra XXV. § 3. *Arntz.*

§ 2 *Domina mens*] Bene, estque hic quoque a librariorum compendiis error; admodum enim vicina *dvna*, et *dña*, quorum hoc *divina* in veteribus libris, illud *domina* valet. Adi quæ notamus ad Eumen. pro Restaur. Schol. X. *Livin.*

Æterna majestas] Divina et immortalis, qualis nempe Roma ipsa dicebatur, numinis ad instar culta. Consonat huic loco nummus ejusdem Constantini, in cujus postica parte Roma galeata sedens cernitur, clypeum tenens, circum verba, ROMÆ AETERNAE. *Patarol.* Cf. ad Mamertin. XIV. § 3. *Arntz.*

Subito prorumperet] Geminus est de Maxentio Nazarii locus Paneg. XXVII. § 7. 'Quod illum semper ex-

edendæ urbis visceribus inhærentem ex adsuetis latebris vis Divinitatis excussit.' Prorupit autem ad Saxa Rubra, millia ferme novem ab urbe, Victor Cæsar. XL. § 23. et via quidem Flaminia. Vid. Panvinium Descript. Urb. Rom. tom. III. Thes. Græv. p. 239. Tiberim vero per pontem transiit, quem ipse in eo struxerat, teste Zosimo Histor. II. 16. de quo infra videndum. Cum vero Saxa Rubra dicantur a Victore millia ferme novem urbe afuisse, quærunt nonnulli, qui scribere potuerit Eusebius Hist. Eccles. IX. 9. Deum protraxisse Maxentium πορρωτάτω πυλῶν, ideo Donatus de Urb. Roma I. 17. id accipit de loco ita longissime ab Urbe remoto, ut eidem cædibus et direptionibus nocere haud potuerint Constantini milites. Mihi verius videtur, cum Maxentium urbis portis haud egredi ausum fuisse scripsisset in præcedentibus Eusebius, hæc addidisse, quia in eo homine, cui urbis non exeundæ est consilium, si tamen exeat, spatium IX. millium 'longissimum' recte dici potest. *Idem.*

Per desidias senio] In libris est *senio*, quod non quadrat: *sexennio* substituit Petavius, quia tot annos imperavit Maxentius. Vide mox cap. XIX. § 2. et cap. XX. § 3. *Cellar.* *Sexennio* reposui, ut est in ed. Cellarii, pro *senio*, quæ vox in aliis communis. Et quidem Maxentius non senex obiit. *Patarol.* Necessaria emendatio, quam, post Cellarium et Patarolum, admittere non dubitavi. *Jæger.* Eadem emendatio probata est Gudio ad Phædr. IV. 25. p. 104. Nourrio ad Lactant. Diss. de M. P. p. 301. Confirmat etiam Nazarius Paneg. XXXIII. § 6. 'Nam quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflixerat:' dominationem Maxentii intelligit: etiam Victor Cæs. XL. § 23. 'anno sexto tyrannidis.' Recte hinc in Anonymo post Ammian. Marcell. p. 713. 'Imperavit (Maxentius) ann.....' lacunam supplevit Valesius emendando, 'annis VI.' Plurale *desidias* utrum alibi legatur, alii videant: suspicor in cod. scriptum fuisse *desidiā*, et sequentis vocis primam huic litteram adhæsisse, cum noster scripserit *per desidiam*. Bauldrii aliorumque errorem sequenti observ. notabo. *Arntz.*

Natalis sui] *Natalis* hic non vitæ, sed imperii, quia mox 'septimus' dicitur, post sex annorum imperium. *Cellar.* *Diem natalis sui* (quod legitur etiam in Plin. H. N. XXXVII. 2. § 6. Cod. Theodos. VI. Tit. 29. L. 6. et usurpatur a sequioribus, V. C. Richardo de S. Germano ad annum MCCXXXII.) sic dictum est, ut 'die crastini,' 'die proximi,' 'die noni,' &c. in quibus deesse 'Solis' contendit Sanctius p. m. 640. sed re vera, quamvis durum videatur, subaudiri debet 'diei.' Nec aliter D. Lucas Actor. II. 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, κ. τ. λ. ubi profecto suppleri debet ἡμέρας. Nam ἑορτῆς subintelligere, uti vult Erasm. Schmidius, incongruens est. Præstat, in his abusum quemdam loquendi, ortum ex similium cum genitivo constructionum usu, agnoscere, cum Perizonio ad Sanct. I. 16. 6. p. m. 155. Non plane quidem eadem, nec tamen valde diversa est locutio Matth. XXVIII. 1. τῇ ἐπιφωσκούσῃ (sub. ἡμέρᾳ) εἰς μίαν σαββάτων (scil. ἡμέραν). Vid. Grot. ad h. l. *Jæger.* 'Natalem' recte de suscepto imperio interpretatur Cellarius. Cf. Schwarz. Prolegom. ad Mamertin. Genethl. § 7. p. 73. et ad Genethl. II. § 2. not. ad Plinii Paneg. XCII. § 4. quo etiam pertinet 'oriri,' et 'ortus,' de quo dixi ad Mamertin. Maxim. VI. § 3. Eumenium Constantio II. § 2. et Constantino II. § 5. Incertum Maxim. IV. § 3. Est vero hic locus ex iis qui scrupulum eruditis moverunt. Scilicet imperium accepit Maxentius

VI. Kal. Novembres, anno CCCVI. Lactantius M. P. cap. 44. Baunius supra p. 298. idque per integrum tenuit sexennium, quod ideo 'consummtum' noster adpellat, 'totum' vero infra XX. § 3. et Nazarius Paneg. XXXIII. § 6. ideo sunt, qui contendant, Maxentium victum, Tiberique mersum fuisse pridie quam septimum imperii annum iniret, id est VII. Kal. Novembr. anno CCCXII. præcipue quia imperii natalem cæde sua signasse dicitur, ne septenarium numerum, id est, septimum imperii annum inchoando violaret, quod interpretantur, ne inchoaret, aut priusquam inchoaret. Ita Baunius præced. observ. et supra p. 301. Januar. ad Sigonium de Occid. Imperio, Opp. tom. I. part. II. p. 79. Omnis hæc opinio nostri inprimis solet testimonio confirmari; quam recte autem, mox adparebit. Baluzio ad Lactantium M. P. 44. omnino adsentio, periisse Maxentium ipso imperii suscepti die, id est, VI. Kal. Novembr. CCCXII. id vero, ni fallor, idonea Lactantii d. l. auctoritate confirmari potuisset: 'Imminebat,' inquit, 'dies, quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad VI. Kal. Novembris, et quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus, ut .... prælium committeret. Fecit, ut jussus est.... Quo signo armatus exercitus capit ferrum.' Hæc ita interpretor; ante diem, quo imperium susceperat Maxentius, nocte somno se dedit Constantinus, in quo de prælio committendo monitus, luce exorta, exercitum armat, obviam ipsi processit Maxentius, victusque est; dies autem, qui ante hunc somnum imminebat, erat VI. Kal. Novembr. hoc itaque ipso victus est, adeoque lapso imperii sexennio, ineunte jam septimo, sive primo illius die. Utrumne igitur Noster fallitur, qui septimum annum negat incboatum? ita quidem mavult Baluzius, me tamen invito. Primum enim non ultimo sexennii die Maxentium periisse dicit, ut verba accepit præced. observ. Baunius, sed natalem, sive VI. Kal., primum anni septimi diem, ultima sua cæde signasse; id vero, quid aliud notat, quam eo die periisse? deinde hoc factum addit, *ne septenarium numerum*, sive septimum imperii annum, *vel inchoando violaret*. Hoc explicant, ne inchoaret; sed in eam interpretationem, quod suspicor, prava illarum edd. lectione ducti, quæ *vel* omittunt, quas saltem secutus est Pagius Dissert. Hypat. p. 184. de quo ad eum locum dicam. Mihi potius *vel inchoando* est, etiam inchoando, quamvis, inchoasset: ita apud Eumenium Constantio I. § 2. 'possem tamen vel censere numerando,' id est, etiam, quamvis numeraverim, ubi alia adtuli. Quid igitur? locum hoc modo interpretor, primo septimi anni die periisse Maxentium, ne septenarium numerum violaret, quamvis eum inchoasset. Violare autem prima illius luce non poterat, sed si perfectus fuisset ille numerus, id est, si totum septennium salvus evasisset, quod ne fieret, statim in numeri initio interemtus est. Sed superest alter scrupulus, eo, quem eximas, difficilior, quo viros in rebus historicis peritissimos diu male habuit. Est is in Lactantii verbis, 'qui est ad VI. Kal. Novembris, et quinquennalia terminabantur.' At qui quinquennalia terminari primo septimi post susceptum imperium anni die potuerunt? quæ quinti initio suscepta, in ejusdem fine, aut saltem sexti initio sunt terminata et peracta, propter ea quæ dixi ad Mamertin. Genethl. I. in fin. Ex hac proinde computatione, Maxentiani imperii quinquennalia incipere debuerunt a VI. Kal. Novembr. CCCX. peracta autem esse eodem die anno CCCXI. aut saltem per aliquod tempus postea, a sexti initio; numquam

autem terminari potuerunt vi. Kal. Nov. cccxii. sive septimo ineunte. Nodum senserunt eruditi, nec tamen solvisse videntur. Etenim quod Lactantii 'quinquennalia' de quinto imperii anno nonnulli capiunt, nihil huc facit; ita enim exibit annus cccxi. quo de armis contra Maxentium movendis nondum cogitabat Constantinus. Alii sexto demum anno quinquennalia peracta, et ultimo ejus die, aut septimi principio terminari potuisse statuunt; ita Baluzius, et Cuperus ad Lactant. d. l. et Nourry Dissert. ad Lactant. p. 301. et ad omne quidem dubium removendum, Pagius Dissert. Hypat. p. 134. duplici modo quinquennalia dicit esse consideranda, vel tamquam præcedentium annorum terminum, et ita habita anno quinto ineunte, vel ut sequentium periodum, et tum sexto, aut primo septimi die celebrata: adde etiam Schwarzium ad Mamertin. Genethl. i. § 1. Sed, quæcumque de sexto anno tradunt, parum mihi consentanea videntur iis, quæ habet Eumenius Grat. Act. xiii. § 2. 'Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. Illa enim quinto incipiente suscepta.' Ut brevis sim, quocumque te vertas, nulla mihi patere via videtur, qua Maxentii quinquennalia cum die mortis ipsius recte componantur. Quid igitur? Lactantii 'quinquennalia' non de Maxentii, sed Constantini imperio arbitror accipienda; hoc enim ad annum cccvii. pridie Kal. Apriles, referendum esse docuit Baluzius ad Lactant. M. P. 29. et iate disserui ad Incertum Maximian. i. § 1. ideoque quinto imperii sui anno contra Maxentium movisse Constantinum scribit Eutropius Hist. x. 4. ubi nimium aberrat Glareanus. Constantini itaque quinquennalia a Martio exeunte a. cccxi. initium ceperunt, et sequenti anno, etiam initio sexti, perfecta, et terminata, forte etiam longius protracta, ut nuptiarum Constantini cum Fausta celebraretur memoria, brevi ante mensem Septembrem cccvii. contractarum; cum enim in nuptiis illis sita præsertim fuerit ratio, quare Constantinum fecerit Augustum Maximianus, ut ad Incertum Maximian. i. § 1. ostendi, poterit Augustea Constantini dignitas ab eo tempore repeti, et quinquennalia ad mensem Septembrem anni cccxii. haberi, atque ita brevi ante Maxentium victum terminari. Hoc modo etiam intelligi poterat L. 1. C. Theodos. de Long. Temp. Præscript. data a Constantino anno cccxvi. 'Ex donatione Principum rem ad fiscum pertinentem usque ad nostra decennalia securi possideant.' Suspicatur Pagius Dissert. Hypat. p. 165. hæc in annum cccxvii. fuisse dilata; dilatione ex nostra sententia non erat opus; lex mense Januario est data; initium itaque acceperunt decennalia ab exeunte sequenti Martio, et anno cccxvii. sunt terminata. Similiter annus imperii xv. incidit in annum cccxxi. apud Nazarium Paneg. ii. § 2. Hinc quoque lis componatur de imperii anno, quo sit mortuus Constantinus, cum enim supremum diem obierit xxii. Maii cccxxxvii. adparet mortem illam incidisse ineunte imperii anno tricesimo primo. Cf. Valesium ad Euseb. Vit. Constant. iv. 54. parum adcurate vir eruditus ad eund. i. 5. *Arntz.*

Ultima sua cæde] An *ultimum*? nec tamen mutem. *Acidalius.* Hanc esse conjecturam historiæ contrariam ex iis liquet, quæ modo notabam. *Ultima cædes* idem est, atque 'ultima mors,' de qua Burmannus Secundus ad Anthol. Lat. tom. i. p. 597. atque ita infelicissimum, mortiferum designare potest, ut in 'ultimum vulnus,' 'ultima dimicatio,' 'ultimum exitium,' apud Hegesipp. Excid. Hieros. ii. 8. Cf. not. ad Nemesian. Ecl. iii. 29. Burman. ad Quinctil. Declam. ix.

2. Cannegieter ad Avian. Fab. 2. in fin. cum vero Drakenborchius ad Livium IV. 10. 5. docuerit 'clades' et 'cædes' permisceri, nescio, sitne legendum 'ultima sua clade;' aliæ enim in Maxentii militibus præcesserant ad Veronam, Aquileiam, Mutinam, ultima autem hæc ipsi obtigerat Maxentio; unde 'multis prœliis' Maxentium fusum dicit Eutropius Hist. x. 4. tres acies cæsas numerat Eusebius Hist. Eccles. IX. 9. *Sua cæde* explicuit Wopkens. Obs. Miscell. Nov. tom. ult. p. 69. *Arntz.*

Septenarium numerum] Pronomen *illum* insertum legitur in cod. Livin. Bert. Casp. et reliquis omnibus: optime. Nam τὸ *ille* vel magnitudini vel nobilitati adsignatur. De numeri septenarii dignitate et potentia vid. Gell. III. 10. Macrob. in Somn. Scipion. I. 6. *Jægerus.* De septenarii dignitate vid. Spanhem. ad Callim. in Del. 251. Acidal. ad Velleium II. 10. 2. Lindenbrog. ad Censorin. de Die Natal. 7. Dougtæum Anal. pag. 290. *Arntz.*

Religiosum, inchoando] Non nulli repugnantiam h. l. invenire sibi visi sunt. Si cæsus est, inquiunt, ipso die natalis sui, manifestum est, cæsum ipso die, quo imperium inierat, septimumque annum inchoarat. Sed docet Pagius Diss. Hypat. pag. 134. quinquennalia, et id genus festa dupliciter considerari posse; vel, tamquam terminum et complementum præcedentium annorum, vel, ut quinque sequentium periodum. Orator itaque natalem Maxentii ut præcedentium annorum terminum tantum, non vero ut sequentis periodi initium consideravit. *Jægerus.* Sed de hac Pagii sententia modo monui, hoc statuentis, ut ab errore, quem alii notaverant, nostrum liberaret, quod alia ratione illic sum conatus, ubi et jam ostendi *vel* omnino esse inserendum. *Arntz.*

§ 3 *Vernula purpuratus*] Pacatus in Theodosium, de Maximo tyranno: 'Ille quondam domus tuæ negligentissimus vernula, mensularumque servilium statarius lixa.' *Livin.* Maxentius, qui domi latuerat, ita dictus. *Cellar.* Per ludibrium; sicuti de tyranno Maximo Pacatus cap. XXXI. *Paterol.* Fortasse etiam ideo, quia, teste Aur. Victore Epit. XL. 13. et ipso oratore nostro c. IV. § 3. suppositus ferebatur. *Jæger.* De Maxentio supposito cf. supra III. § 4. *Arntz.*

Prælium posset] Consule Zosimum lib. II. *Paterol.* *Posset* recte primum dedit Livineius, qui in suis illud etiam invenisse videtur, cum variantem non notaverit; alteram lectionem retinuerunt uterque Stephanus et Rivinus in pr. *Arntz.*

Tiberi flumine] Nazarius de hac Maxentii acie Paneg. XXVIII. § 1. 'Ipsa ratio disponendi exercitus docuit illum mente perditum, inplicatoque consilio, cum eum pugnæ locum caperet, ut interclusa fuga moriendi necessitatem inponeret, cum spem victoriæ non haberet.' Et § 4. 'Apud Tiberim igitur suos instruxit, sic ripæ locatos, ut ultimorum vestigia præsagio quodam eventuræ cladis unda fatalis adlueret,' &c. *Idem.*

§ 4 *Ad solatium*] Claudianus in Rufin. II. 17. sqq. 'Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu, Insontesque meæ populos miscere ruinæ? Everso juvat orbe mori. Solatia leto Exitium commune dabit.' *Jæger.*

§ 5 *Sperasse*] I. e. putasse, credidisse, exspectasse, quod ex Græco ἐλπὶς, et ἐλπίζειν, transtulerunt Latini. Lucian. de Conscrib. Histor. pag. 636. ed. Græv. μέγαν ἐλπίσας ἔσεσθαι πόλεμον· et in Contempl. pag. 348. Cf. not. ad Ammian. Marcell. XIV. 7. Burman. ad Claudian. in Rufin. II. 421. unde ipsius loco ex glossa sæpe 'putare' reposuerunt librarii. Oudendorp. ad Hirtium B. Alexandr. LXV. 3. ad Sueton. Cæs. c. 60. Pa-

rum adcurate 'timendi' notionem quidam huic verbo tribuerunt; nihil aliud enim notat, quam putare, et exspectare, sive bona sive mala. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. III. p. 478. not. ad Frontin. Strateg. I. 4. 4. Taubman. et Emmeness. ad Virgil. Æn. I. 543. Duker. ad Flor. III. 1. 1. Cannegieter ad Avian. Fab. XXXIII. 5. Buneman. ad Lactant. de Ira XVI. 8. *Arntz.*

Ac filio] Non potest intelligi Romulus, qui vivo Maxentio jam erat mortuus, quare in numis dicitur 'Divus,' qui vivente adhuc Maxentio cudi debuerunt; hoc enim honoris postea ei non tribuisset Constantinus. Cf. Patarol. et Jæger. infra XVIII. § 1. Cellar. ad Nazarii Paneg. VI. § 6. Alium itaque filium intelligit Cuperus ad Lactant. M. P. p. 219. *Id.*

Ut res est] De hac locutione vide ad Eumen. Constantio init. p. 288. Livin. ad Mamertin. Geneth. IX. § 2. ad Eumen. Constantio VI. § 4. *Idem.*

Omnibus terribilibus] *Ominibus* jam dederat Livineius, qui nullam ex suis diversam notavit lectionem, unde dubium, utrum in iis hoc invenerit. Facile ita librarium aberrare potuisse ostendi ad Mamertin. Genethl. X. § 3. nullum tamen mihi est dubium, quin *Furiis* vera sit Nostri manus, tum quia hoc a librarii perspicientia est remotius, tum vero etiam, quia frequenter Virgilium imitatus est Noster, cujus versum supra adhibuit XII. § 3. et 'degeneres animos timor arguebat' ex eo hausit cap. XIV. § 2. et XXVI. § 2. adde XVII. § 3. similiter τὸ *Furiis* ex eo transtulit, Æneid. III. 331. 'Scelerum Furiis agitatus Orestes:' quod etiam est in Anthol. Latin. tom. I. pag. 170. ubi Burman. Idem Virgilius Æneid. XII. 946. 'Furiis accensus, et ira:' quod hemistichium adhibuit Lactantius Instit. V. 10. 8. 'Inpulsum Furiis' dixit Rutilius Itin. I. 521. 'agitari et perterreri Furiarum tædis ardentibus,' Cicero pro Rosc. Amerin. cap. 24. 'inpulsu Deorum terreri Furiarum tædis ardentibus,' idem in Pison. cap. 20. Apud Pacatum Paneg. XLII. § 3. 'Diris comitatus ultricibus:' ubi quidam codd. 'Furiis,' sed vulgatæ favere posset Victor Epit. XXI. 3. 'Pœnas dedit Dirarum insectatione, quæ non inmerito ultrices vocantur:' ubi not. patern. Adde Barthium ad Statii Theb. XII. 512. Valckenaar. Diatrib. in Euripid. reliquias cap. 18. pag. 186. et quæ dixi ad Arator. II. 414. *Idem.*

§ 6 *Verum sibi*] Eumenius in Constantium Cæsarem: 'Adeo verum sibi dixerat morte vicina, ut interfectum se nollet agnosci.' *Livin.* Quid si rectius? *Id adeo ipse futurum sibi dix.* Sed noli mutare. Panegyrico, quem vulgo Maximiano, nos Constantio tribuimus: 'Et vix unius velaminis repertus indicio, adeo verum sibi dixerat morte vicina, ut interfectum se nollet agnosci.' *Acidal.*

Venturo tibi] Vide ad Mamertin. Maximian. cap. II. *Arntz.*

Excedendo palatio] Notatum hoc quoque Ælio Lampridio, et inter Commodi necis prodigia relatum: 'De palatio ipse ad Cælium montem in Vectilianas ædes migravit, negans se in palatio posse dormire.' *Livin.*

CAP. XVII. § 1 *Totius tui*] Indubie verum *toties.* Supra: 'Quis enim miles, qui, ductu atque auspiciis tuis toties felicissime dimicasset, vulnera illi sua venderet?' *Livin.* Nihil muto. Plura sæpe adjectiva uni substantivo jungi, docui ad Arator. I. 410. De 'exercitu victore' cf. Oudendorp. ad Frontin. Strateg. II. 2. 12. *Arntz.*

Milvii pontis] Eutropius: 'Quinto imperii sui anno Constantinus bellum adversum Maxentium civile commovit, copias ejus multis prœliis fudit, ipsum postremo Romæ apud pontem Milvium vicit, Italiaque est potitus.' Eusebius in Chronic. Zonar. lib. II.

Orosius, et alii. *Puteanus.* Pontem ipsum corruisse scribit Zosimus lib. II. 'Tignis minime sustinentibus eam vim oneris, adeoque ruptis.' *Patarol.* Livineius in margine, et Cellar. *Mulvii;* quæ scriptura verior. Vid. Cort. ad Sallust. Cat. XLV. 1. *Jæger.* *Mulvii* rectum esse docet etiam pater meus ad Victor. Inlustr. LXXII. 8. Heinsius ad Claudian. VI. Consul. Honor. 543. et in Addend. p. 1022. Drakenb. ad Livium XXVII. 51. 2. Hæc tamen nostri verba non sunt accipienda, tamquam in Mulvii pontis angustiis Maxentii clades sit quærenda, sicuti Prudentio, ex Mulvio rupto præcipitatum esse Maxentium scribenti, Nostrum hoc loco jungit Cuperus ad Lactant. M. P. 44. idque secutus est Bergierius de Viis Militar. III. 22. § 7. et IV. 25. § 3. sed male, quia rei gestæ adversatur. Cum enim ad Saxa Rubra Constantino obviam tendere constituisset Maxentius, alium supra Tiberim pontem stravit, et loco quidem Saxis Rubris propiori, unde eum positum fuisse 'paullo superius' a Mulvio tradit Victor, Epit. XL. 7. et 'apud pontem Mulvium' insidias locasse Maxentium ibid. XL. 23. 'apud pontem Mulvium' victus dicitur ab Orosio XII. 28. Eutropio X. 4. Conjicit Cuperus ad Lactantium M. P. 44. Mulvium pontem a Maxentio fuisse scissum, ne eodem uteretur Constantinus, et ita in insidias pelliceretur, quas in suo ponte ipsi paraverat; ita enim, sublato Mulvio, de Constantini per alterum pontem transitu spes erat certior, et insidiis, quæ evitarentur, si per Mulvium transiret. Sed non est opus ut Mulvium ideo scissum statuamus; ex Nostri enim verbis ille fuisse videtur angustior, quam ut exercitui juste transmittendo foret idoneus, præsertim si hostis obviam veniret. Itaque satis certus poterat esse Maxentius, si alium pontem fecisset, et ad transitum aptiorem, eique loco propiorem, quo cum exercitu adveniebat Constantinus, hunc verisimilius eum pontem, quam Mulvium, et remotiorem, et angustiorem, esse transiturum; eo me ducunt Nostri verba, quibus fugatos Maxentii milites tradit 'angustiis Mulvii exclusos,' non quod in Mulvio perierint, quo hunc locum refert Cuperus, sed quod per eum fugere propter angustias non potuerint, adeoque ipsum Maxentii pontem petiverint. Alius itaque fuit pons Mulvius, alius ille Maxentii, et ex quo posteriori hic cum suis ipse est præcipitatus. Cf. etiam Nourrii Dissert. ad Lactant. de M. P. p. 300. De Maxentii ponte ita Eusebius Hist. Eccles. IX. 9. *ὃν (ποταμὸν) αὐτὸς σκάφεσι ζεύξας . . . μηχανὴν ὀλέθρου καθ' ἑαυτοῦ συνεστήσατο . . . . ταύτῃ δῆτα τοῦ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ ζεύγματος διαλυθέντος ὑφιζάνει μὲν ἡ διάβασις, χωρεῖ δ' ἀθρόως ἄντανδρα κατὰ τοῦ βυθοῦ τὰ σκάφη.* Paria fere sunt apud eumd. Vit. Constant. I. 38. Omnium vero adcuratissime Zosimus Histor. II. 15. *Μαξέντιος γέφυραν ἐπὶ τοῦ Θύβριδος ἐπήγνυτο, μὴ συνάψας πᾶσαν ἀπὸ τῆς ὄχθης τῆς πρὸς τῇ πόλει μέχρι τῆς ἄλλης, ἀλλ' εἰς δύο διελόμενος μέρη, ὥστε ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τοῦ ποταμοῦ τὰ πληροῦντα μέρος τῆς γεφύρας ἑκάτερον συναντᾷν πως ἀλλήλοις περόναις σιδηραῖς, ἀνασπωμέναις ἡνίκα ἄν τις βουληθείη ζυγῶσαι τὴν γέφυραν.* Atque addit jussisse Maxentium, revulsis clavis pontem solvi, si Constantinum ei insistentem fabri viderent. Ex his colligo, navigiis palos fuisse impositos, his vero trabes, quæ tabulatum sustinerent, eaque sunt *ξύλα*, quæ habet Zosimus Hist. II. 6. navigiis impositum fuisse ostendit Eusebii *σκάφεσι ζεύξας*, et Aurelii Victoris testimonium Epit. XL. 7. forte eadem forma, quam exhibuit Stewechius ad Veget. de R. M. III. 7. trabes autem clavis ferreis sustinebantur, *περόναις* habet Zosimus, cui voci inest transfigendi notio; Hesychius interpretatur *Πόρπαι*, ubi Albertius; ita de ca-

pillorum acu adhibet Coluthus Rapt. Helen. 81. de tunicarum fibula Ælianus V. H. I. 18. erant autem hi clavi ita transfixi, ut exercitum transeuntem pons sustinere posset; ipsum enim Maxentium per eum transiisse testatur Zosimus Hist. II. 16. τὴν γέφυραν, ἣν αὐτὸς ἔζευξε, διαβάντος· sed tamen ita erant transfixi, ut in quadam pontis parte solvi possent, unde eum in duas partes scissum fuisse scribit Zosimus, quo in flumen omnes, qui insisterent, præcipitarentur, solutam vero partem tota compages sequi debebat, ut vara vibiam sequitur, eoque fieri, ut equi militesque in navigia incidentes efficerent, ut hæc quoque mergerentur, quod factum fuisse testatur Eusebius Hist. Eccles. IX. 9. isque locus facit, quare palis pontem inpositum fuisse suspicer, non autem tabulatum tantum navigiis, qualem in altera forma pontem exhibet Stewechius d. l. id enim si factum fuisset, vix intelligo, quomodo submersa sint navigia, quæ utique ponderi transeuntium sustinendo erant idonea, non autem si superne, palis collabentibus, omnes in ea deciderent. Hunc ita construi jusserat Maxentius, ut, si in eum Constantinus perrexisset, solveretur, et hic ita in flumen præcipitaretur, quas dixit Maxentii 'insidias' Victor Cæs. XL. 23. Ipse interim Maxentius, in fugam actus, neque aliam, qua evaderet, viam habens, per pontem hunc effugere est conatus; sed cum ita confuso ordine in eum irruerent aufugientes, clavi illi ponderi omnium eorum sustinendo non fuerunt pares, ponsque ruptus est. Et forte antea, cum illum transiret Maxentius, sciretque, qua esset arte fabricatus, cauto non omnes simul transmittendo perrexit, quo modo transeuntes facilius sustinere potuit. *Arntz.*

Latrocinii illius] [Vid. Not. Delph.] Posterior ratio tantum est vera. Bellum est inter eos qui legitimum habent imperium; in reliquis est 'latrocinium;' ita 'latrocinia,' et 'bella publica' distinguit Livius XXXVIII. 45. et 'latrones' dicebant Romani, quibus publice bellum non erat decretum, L. 118. D. de V. S. quo etiam pertinet civile bellum, quale hoc fuit cum Maxentio, quod 'civile latrocinium' dixit supra III. § 5. cui belli effectus ratione captivitatis et postliminii negabant. L. 21. § 1. D. de Captiv. et postlim. L. 24. eod. Cf. Balduin. ad Pacat. Paneg. p. 156. *Idem.*

Primis auctoribus] Prætorianis. *Livin.* Hos etiam intelligit Cuperus ad Lactant. M. P. 26. quia Maxentium fecerant Imperatorem, et cædibus in Romanos grassati de venia inpetranda magis, quam alii, desperabant. *Idem.*

Pugnæ sumserant] Sallustiana imitatio est, qui Catilin. 'Quem quisque pugnando vivus locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat.' Ac multi multorum loci similes. Pacatus: 'Gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed vestigio stare, vel cadere.' *Acidal.* Cod. Livineii, pro *sumserant*, exhibet *ceperant:* quod videtur profectum esse a correctore, cui locus Sallustii ante oculos versabatur. *Jæger.* Justinus IX. 8. 10. 'Loca, quæ tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt.' *Arntz.*

Tuorum dexteris] Rectius, et adcuratius: Ut milites tui non necesse haberent, ad perpetrandam omnem hostium cædem dexteris tantum modo suis uti, sed hac in re a fluvio adjuvarentur. Hæc est vis *compendii*, et *ut* non τελικῶς, sed ἐκβατικῶς capiendum est. *Jæger.* Recte. *Arntz.*

Eveniret, cum inpios] Præfero distinctionem Cuspin. Rhenan. Stephan. Patar. qui post *eveniret* interpungunt, et verbis *Cum imp.* initium alterius periodi oriuntur. Ceteri verba ista *cum inpios Tiberis hausisset* ad ante-

cedentia referunt, iisque periodum finiunt. *Jæger.* Verba *cum inpios* ad præcedentia primum retulit Livineius, quem præter Paull. Stephanum, Patarolum, et Jægerum omnes sunt secuti. Hanc interpunctionem revocavi, quia, si alteram sequamur, debuisset Maxentius in Tiberim esse prolapsus, cum mersi jam essent reliqui milites. Hoc Eusebio adversatur Hist. Eccles. IX. 9. *Αὐτός γε πρῶτος, εἶτα δὲ καὶ ἀμφ' αὐτὸν ὑπασπισταὶ . . . ἔδυσαν ὡσεὶ μόλυβδος ἐν ὕδατι σφοδρῷ.* Similiter Vit. Constantin. I. 38. ubi et *δορυφόρους* addit: quamvis tamen diffiteri nolim dubium esse quando perierit Maxentius. Anonymus enim Valesii post Ammian. Marcell. p. 712. inter 'angustias arcentis populi' periisse tradit, Lactantius autem M. P. 44. 'multitudine fugientium pressum.' Ita autem mergi potuisset, cum alii jam ivissent præcipites, quod Jægero faveret. Sed ex altera interpunctione aptius cohærere sententia videtur, ut cædis fieret in iis compendium, qui in Tiberi aquis periissent. A reliquis dissentit Aurelius Victor Epit. XL. 7. qui equi lapsu hoc factum tradit, cum a latere pontem ingredi festinaret. Adde Cuper. ad Lactant. M. P. 44. Descripsit rem Nazarius Paneg. XXX. § 1. 'Non commemorabo tectas continuis stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim, et inter congestas alte cadaverum moles ægro nixu, ac vix eluctantibus gurgitibus exeuntem.' *Arntz.*

§ 2 *Ipsum etiam illum*] Aurelius Victor dicit, Maxentium, paulo superius a ponte Milvio in pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinantem, lapsu equi in profundum demersum esse, voratumque limo, pondere thoracis, corpus vix repertum. Prudentius contra Symmachum: 'Testis Christicolæ ducis adventantis ad urbem Milvius, exceptum Tyberina in stagna tyrannum Præcipitans,' &c. Vid. Euseb. Eccles. Histor. IX. 8. *Putean.* Maxentium. Auctor cit. 'Maxentius cum cætera multitudine etiam fluminis impetu abripiebatur.' *Patarol.* Adde his præcipue Zosimum lib. II. p. m. 676. itemque Lactant. de M. P. 44. 9. et Aur. Vict. de Cæs. XL. 23. *Jæger.* Quantum hac in re discrepent scriptores, modo monui. In tanta fuga, animorumque perturbatione fit verisimile, omnes sine ordine fugientes, mixtumque in iis Maxentium, sese in pontem contulisse, quo turbæ adeo inordinatæ pondus non sustinente, primum solutæ fuerunt trabes, ferreis clavis retentæ, de quibus modo dixi; hoc consentaneum est Zosimo II. 16. fin. *Οὐκ ἐνεγκόντων δὲ τῶν ξύλων τὸ βάρος, ἀλλὰ ῥαγέντων, ἐφέρετο μετὰ πλήθους ἄλλου καὶ αὐτὸς Μαξέντιος κατὰ τοῦ ποταμοῦ.* Ita autem soluta etiam compage, navigiis innixa, hæc quoque pontis pars fuit collapsa, in qua forte ad ripam Romam versus jam erat Maxentius, unde non statim fuit mersus, sed equo insidens *per abrupta ripæ ulterioris*, id est Romam versus, *evadere* est conatus, ut tradit noster, sed obstitit ripa abrupta, ut rem explicuit Cuperus ad Lactant. M. P. 44. qua autem ratione Victoris Epit. XL. 7. in 'lapsu equi,' et Maxentio pontem 'ingrediente,' cum reliquis possit historicis componi, non video; per militum equitumque pondus ruptum esse pontem Zosimo tradenti non obstat Eusebius Hist. Eccles. IX. 9. tamquam id per inpositam fuisset machinam factum, ex verbis, *μηχανὴν ὀλέθρου καθ' ἑαυτοῦ συνεστήσατο·* est enim *μηχανὴ* illic ipse Maxentii pons, sive illius pars clavis ferreis, sed solvendis, conjuncta, unde in Vit. Constantin. I. 38. *τὰς κρυφίους μηχανὰς καθ' ἑαυτοῦ συνίστη*, qui locus vulgatam in Histor. Eccles. loco lectionem tueri potest, quamvis in eo legendum esse *συνεπήξατο* aliquando sim suspicatus, ut est in Vit.

Constantin. I. 38. *Arntz.*

Devoravit] Aurelius Victor Epit. XL. 7. 'Voratumque limo, pondere thoracis, corpus vix repertum.' *Idem.*

§ 3 *Volvendo devexit*] Videtur iterum Virgilium imitatus Æneid. VIII. 538. 'Quam multa per undas Scuta virum, galeasque et fortia corpora volves!' *Idem.*

Quo exstinxerat] Aurelius Victor Epit. XL. 7. hoc thoracis gravitati tribuit, qua corpus statim ita fuit limo immersum, ut flumine non fuerit devectum, in quo postridie repertum est, teste Anonymo Valesii post Ammian. Marcell. p. 712. *Idem.*

Loco tenuit P. R. dubitaret] Ita Livin. *P. Rom.* Rhenanus, Mœri. *loco tenuit, ne diu populus Rom. dub.* Schonhov. *ne diu populus Ro. lætitia dubitaret.* Hinc pronum fuit Grutero et reliquis editoribus, sublato mendo, veram restituere lectionem, *ne diu populi Rom. lætitia dubitaret.* Jæger.

CAP. XVIII. § 1 *Sancte Tibris*] Fluminibus etiam, sicuti et montibus, et silvis suos genios esse, seu numina quædam de minorum genere antiqui crediderunt: hinc illud apud Prudentium lib. II. contra Symmach. 'Geniorum millia multa.' Ex hoc factum, ut flumina ipsa 'sancta' et 'sacra' dicantur. *Patarolus.* Gruteri *Tibri* omnes sunt secuti præter Rivinum in pr. Puteanei cod. scriptura *Tiberis* inde est, quod utraque forma *Tiberis*, et *Tibris* dixerunt; quam habet Vibius Sequester de Flumin. pag. 89. Cerda tamen ad Virgilium Æn. VIII. 72. hic emendandum putat, *Sancte Tiberine;* est enim illud nomen in sacris usitatum, ut 'Tiberine pater' apud Livium II. 10. 11. ubi Drakenb. Virgilium Georg. III. 369. Servius ad eumd. Æn. VIII. 31. 'Bene *Tyberinus*, quia supra dixerat *Deus*.' Alteram tamen Cerdæ conjecturam hic prætulerim, Nostrum, ut solet, imitatum esse Virgilium, qui, neglecta hac distinctione, dixit 'Tibri pater,' Æneid. VIII. 540. et 'o Tibri,' ibid. VII. 72. idque poëtarum more, si vera scripserit Servius d. l. 'in consolezia *Tyberis*, in poëmate *Tybris* vocatur:' a poëtico autem loquendi more Panegyricorum sermo non est alienus, præsertim Nostri, Virgilium sæpe imitati, ut notavi supra XVI. 5. 'Sanctum' adpellat, quia flumina divino honore culta. Tacitus Annal. VI. 37. Justinus XLI. 3. 16. 'Præcipua amnibus veneratio.' Ita recte illic emendatum pro 'omnibus' adde Heinsium ad Ovid. Heroid. II. 14. et quæ dixi Specim. Observ. c. 13. *Arntz.*

Monitor Æneæ] E Virgilii loco Æn. VIII. 31. Tibrim dixisse Nostrum 'monitorem,' notavit Cerda VIII. 31. et heroibus monitores additos Alard. ad Valer. Flacc. I. 475. *Idem.*

Romuli conservator] Vid. Livius I. 4. Dionys. Halicarn. I. 1. p. 66. Wechel. *Jæger.*

Falsum Romulum] Auctor Orationis in Ciceronem, quæ Sallustio tribuitur: 'Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines?' M. Lepidus apud Sallustium Historiar. I. de Sulla: 'Quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet.' Catullus Epigr. in Cæsarem: 'Cinæde Romule, hæc videbis, et feres?' *Livin.* Non Romulum, Maxentii filium, ut quidam, meo judicio, inepte interpretatus est, sed eundem Maxentium intelligit, utpote falsum regem, dissimilemque vero Romulo, de quo modo dixit. Romulum præterea, Maxentii filium, ante patrem obiisse conjectare facile est ex ejusdem nummis, in quorum postica parte signum consecrationis videmus, eosque non nisi a patre cusos credere licet. Quis enim extincti tyranni filio sub Constantino unquam tantum honoris detulisset? Immo Tristanus nummum peculiarem affert, in quo circum Romuli caput legitur, IMP. MAXENTIVS. DIVO ROMVLO. N. V. FILIO. *Patarol.* De

Maxentii filio non est, ut intelligamus. Is enim, teste ipso illo numo, cujus supra c. XVI. § 5. mentio facta, jam ante patris cladem vitam finierat. Vid. Cellar. ad Paneg. Nazar. c. VI. § 6. Haud dubie itaque Maxentius ipse 'falsus Romulus' dicitur. *Jager*. Si 'falsum Romulum' a 'parricida' distinxisse videatur, non intercederem de Maxentii filio, cui et illud *nec diu vivere* conveniret, homini nimirum in ætatis flore exstincto. Nullum tamen mihi est dubium, quin ipse intelligatur Maxentius. Hunc vero Romulo opponit: verum servaverat, Maxentium in flumen delapsum diu vivere non erat passus Tibris. *Arntz*.

Parricidam] Recte de eo, qui urbi interitum parabat. 'Parricidas reip.' dixit Sallustius Catil. LI. 25. ubi Cortius, et ad Ciceron. ad Divers. X. 23. 11. 'patriæ parricidium' Cicero Philipp. II. 7. egregie in metaphora persistit per additum 'enatare,' ad parricidii pœnam, et culeum respiciens, de quo quædam dixi ad Arator. I. 741. et Observ. Syllog. cap. I. in Actis Societatis Trajectinæ tom. I.' atque hic præterea locus refellit Marcilium ad I. § 6. de Public. Judic. in fluminibus propter eorum sanctitatem parricidas esse mersos negantem, de quo nonnulla dixi Specim. Observ. cap. 13. *Idem*.

Altior] In ostia Tiberina appellebant naves frumentariæ, de quo Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. I. 10. qui ad eund. Carm. II. p. 9. explicat quoque 'mœnibus ambiendis,' quod auctor statim addit. *Arntz*.

Particeps esse] Vet. *princeps*. Vatican. ut vulgo. *Putean*. Adnotationem hanc ex variantibus penes me Mss. explevi, in edit. Parisin. hiulcam. *Idem*.

§ 2 *Clœlia virgo*] Livius II. 10. et 13. *Cellar*. 'Una ex obsidibus regi data,' inquit Florus I. 10. 'elapsa custodiam Clœlia per patrium flumen equitabat.' *Patarol*.

Et turbidus] Altum magnumque flumen hoc indicare notat Cerda ad Virgil. Æn. VIII. 63. *Arntz*.

Eructato] Eleganter hoc τῷ *devoravit* opponitur, quo usus est cap. præced. § 2. unde vim quamdam indicare videtur, ut apud Boëthium Consol. Philos. II. Pros. 6. 'Quæ flammis Ætnæ eructantibus:' ubi recte cod. meus, 'quæ incendia,' quod in antiqua Petiti etiam exstat, et in sequentibus, saltem Hackiana, forte per incuriam omissum. *Idem*.

§ 3 *Trucidato corpore*] Quomodo trucidatur Maxentius, jam mortuus, et fluvio mersus? Recte Divæus, historiarum istarum diligens, *truncato corpore*. Abscissum enim caput fuit. *Lipsius* Epist. Quæst. I. 22. Nihil muto: ita enim et Cicero pro P. Sextio: 'A quibus hic, multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore, et contrucidato, se abjecit exanimatus,' &c. *Livin*. Ex Cicerone quidem satis liquet, 'contrucidatum' non semper esse 'necatum,' sed etiam 'saucium modo, et pæne confectum.' Verum id nondum sufficit ad explicandum h. l. Advocandus est nobis Livius XXIX. 18. 'Recreatus deinde legatus ex vulneribus tribunos militum in vincula conjectos, dein verberatos, servilibusque omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit; mortuos deinde prohibuit sepeliri.' Ibi Gronovius: 'Significat non tortos solum, sed omni sævitiæ genere, quod pati corpus humanum potest, truncatis artubus discerptos tandem mortem invenisse.' Hanc esse vim verbi 'trucidare' vir summus et alio loco Livii, et Valer. Maxim. IX. 2. et nobili declarat fragmento de Cicerone, quod M. Seneca nobis servavit: 'Vix attollentes præ lacrimis oculos homines intueri trucidata ejus membra poterant.' Ex his cum manifestum sit, 'trucidatum corpus' h. l. idem esse ac 'truncatum,' conte-

quens est, ut recte se habeat scriptura omnium librorum, nec ulla medicina indigeat. *Jæger.* Apud Tacitum Hist. III. 33. pro 'majore aliorum vi truncabantur,' malebat Ernesti 'trucidabantur;' dubito autem, utrum Wopkensius in notis ad Tacitum penes me Mss. vulgatum illic recte tueatur ex Gregor. Turonens. Hist. Franc. III. 25. et IX. 3. ubi 'truncare' pro 'trucidare' occurrit. *Arntzen.*

In gaudia] Zosimus lib. II. p. m. 677. Ἀγγελθείσης δὲ τοῖς ἐν τῇ πόλει τῆς νίκης, χαίρειν μὲν οὐδεὶς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις ἐθάῤῥει, διὰ τὸ τὴν ἀγγελίαν οἴεσθαι τινὰς εἶναι ψευδῆ. Τῆς δὲ Μαξεντίου κεφαλῆς ἐπὶ δόρατος ἀνενεχθείσης, ἀποθέμενοι τὸν φόβον, εἰς ἡδονὴν τὴν ῥαθυμίαν μετήγαγον. *Jæger.* *Exardere in gaudia* probe Latinitati adseruit Schulting. ad Senecæ Controv. III. p. 209. vox tamen est corrupta apud Vopiscum Aurelian. 26. 'hi cum exarsissent timore,' ubi 'tumore' conjiciebat Trillerus Obs. Crit. I. 1. mihi placet 'expavissent timore.' *Arntz.*

De sicca tota urbe] Melius Vatic. et Pithœan. *nec desiit a tota urbe.* Forte leg. *nec desitum tota urbe, &c.* Putean. Vet. *nec desunt a.* Forte *nec desiit tota fœdare*, vel *nec desitum tota.* Idem. Belle *desiit.* Trebellius Pollio Æmiliano: 'Ictus est lapidibus, petitus est ferro, nec desiit ullum seditionis telum.' *Livin.* Vix dubium est, quin rescribendum veniat, *nec desiit tota urbe, &c.* Gruter. Verissima est cod. Vat. Pithœan. et Mœrl. scriptura, recte inde a Grutero recepta. Puteani notam posteriorem dedi ex variantibus Mss. magis emendatam, quam est in ed. Parisiensi. *Arntz.*

Suffixum hasta] Refert et Zonaras: 'Verum ubi Maxentii caput super summa hasta præfixum in urbem relatum esset,' &c. *Patarol.* Ignominiosum hoc fuisse ostendit Cerda ad Virgil. Æneid. IX. 465. *Arntz.*

Caput id] Vid. supra cap. XII. § 3. et cap. XVI. § 1. *Jæger.*

Joci triumphales] Martialis: 'Constituere jocos vestri quoque ferre triumphi, Materiam dictis nec pudet esse ducem.' *Livin.* Jocos et dicteria in triumphis admissa constat ex Halicarn. lib. VII. ex Livio lib. IV. V. X. et XXXIX. ex Plinio XIX. 8. eorundem quoque legimus exempla apud Velleium II. 63. Sueton. in Cæs. cap. 49. et 51. Dionem lib. XLIII. unde Martialis VII. 73. 'Lusus ipse triumphus amat.' *Patarol.*

Cum alieni] Fuit, cum suspectum mihi *cum*, repetitum tam vicine, ac pro eo *qui* legebam. Nunc idem observo in Nazarii laudatione: 'Cum eam pugnæ locum caperet, ut interclusa fuga moriendi necessitatem imponeret, cum spem victoriæ non haberet.' *Livin.*

CAP. XIX. § 1 *Tecta ipsa*] Romani, Maxentii tyrannide liberati, Constantinum cum maximo gaudio et honore suscipiunt, laudibusque in cœlum ferunt. Vide Eusebium Eccles. Histor. IX. 8. et in Vita Constantini, Prudentium lib. I. contra Symmach., Zonaram, Pauli. Diac. *Putean.* Compara Mamertinum Genethl. XI. § 3. sqq. Plinium Paneg. cap. XXII. § 2. sqq. Magna senatus populique lætitia exceptum fuisse Constantinum testatur etiam Lactantius de M. P. XLIV. 10. *Jægerus.* De simili locutione egi ad Mamertin. Genethl. XI. § 3. cum Cicerone pro Marcell. cap. 3. hunc locum contulit Abramus. De ipsa re vide Nourry Dissert. ad Lactant. de M. P. p. 399. *Arntz.*

Molimine] Vet. *volumine:* Vat. ut vulgo. *Putean.* Notam dedi emendatiorem, quam est in ed. Parisin. ex variantibus penes me Mss. *Arntz.*

Attinebat] Nazarius in Constantinum: 'Semineces vacillare, aut moribundi sedilibus attineri.' Arnobius II. 'Quid est a nobis factum contra sensum judiciumque commune, si

majora et certiora delegimus, nec summus nos passi falsorum religionibus attineri?' *Livin.* Mœrl. *detinebat.* Sed confirmant lectionem vulgatam citati a Livineio, quibus adjungi potest Tacitus Annal. III. 3. 4. 'Facilius crediderim, Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam; et par mæror, et matris exemplo avia quoque et patruus adtineri viderentur.' XIV. 56. 6. 'Seneca .... rarus per urbem, quasi valetudine infensa, aut sapientiæ studiis, domi adtineretur.' *Jæger.*

§ 2 *Propius adspicerent*] Supra in Panegyrico Mamertini Maxim. XI. 'Clamare omnes præ gaudio, et palam manu demonstrare, vides Diocletianum, vides Maximianum,' &c. confer integrum locum. *Putean.* Schenkius admonuit de vitio interpunctionis; sc. post *adspicerent*, loco duorum punctorum, comma reponendum est. *Jæger.* 'Vitium illud in Pataroli et Jægeri erat edit. in reliquis exstat comma. *Arntz.*

Pœnitebat] Quia tam cito ipsos Imperator præterierat. *Patarol.*

Inde dicto adcedere] Non negabis verum esse, *vicissim homines in relicto accedere.* Sic enim fieri solet in ejusmodi spectaculis, alii sua loca deserunt, alii occupant. *Lipsius* Epist. Quæst. I. 22. Varie legitur hic locus; in Ms. Bongars. *inde dicto;* Pulman. *in relicto;* utrique corrupte. Melius Vatican. Pithœan. et Fabr. *in edito accedere,* ex quibus lego, *in edita ascendere.* Puteanus. *Inde discedere* probe est in Vet. Sed *homines in relicto accedere* Lipsius noster ingeniosius quam verius, si introspicias, emendabat. *Livin.* Lipsius, *in relicto.* Nam ita, inquit, fieri solet in ejusmodi spectaculis; alii sua loca deserunt, alii occupant. Recte; sed quis sic loquitur, *in relicto accedere?* Potius *in relicta,* quamquam etiam *succedere* malim. *Acidal.* Lipsium jure reprehendit cum Livineio Acidalius, quia non recte dicitur *in relicto accedere,* et ipse malit *in relicta,* et *succedere* pro *accedere.* Quæ quidem concinniora sunt emendatione Lipsii, sed non certiora. Mœrl. habet *in edito accedere.* Optimam veramque lectionem Livineius protulit e suo cod. eamque Gruter. Paris. Cellar. Patar. receperunt. *Jæger.* Ex Livineii cod. *inde discedere* primum recepit Gruterus, omnesque reliqui præter Rivinum in pr. Utrum tamen hæc vera sit oratoris manus, est quod dubitaverim. Duplex spectantium genus adtingit, et longius et propius conspicientium. Longius positi ex ædibus, sive tectis spectabant, quæ commota fuisse dixit; propius adspicientes in via erant publica; quos cum præteriisset Imperator, hi eumdem iterum sequebantur, sed, qui ex ædibus spectabant, propius adcedere cupiebant, ut simili cum reliquis spectandi voluptate fruerentur. Ex vetusta itaque scriptura, *inde dicto adcedere,* effingo *inde tecto adcedere,* ut hanc explerent voluptatem, qua eadem frui felicitate cuperent, atque illi, qui erant in via. *Inde* igitur pertinet ad longius positos, sive tecta, *hinc* ad eos qui locum in via occupaverant. Videtur Nostro obversatus Mamertini locus Genethl. XI. § 3. 'Ut vero limine egressi per mediam urbem simul vehebamini, tecta ipsa se, ut audio, pene commoverunt; omnibus viris, feminis, parvulis, senibus, aut per fores in publicum proruentibus, aut per superiora ædium limina imminentibus.' Puteani conjectura *in edita adscendere,* quam Grutero perperam tribuit Baunius, menti oratoris videtur contraria, cum ita longius ab intuendo fuissent remoti. *Arntz.*

Insequi] Vet. *hinc sequi:* ita legendum. *Putean.* Ex iis, quæ præcedenti observ. sunt notata, patet satis hujus scripturæ veritas. *Arntz.*

Certare innumerabilis] *Cursare innum.* arbitror verum. *Livin.* Citra

necessitatem. *Jæger.*

Tantum sibi] *Tantum ibi*, Bertin. Non probo. *Livin.* Τὸ *sibi* hic παρέλκειν videtur, ut e. g. in Petron. cap. 111. ' Proxima ergo nocte, quum miles, qui cruces servabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset sibi et lumen inter monimenta clarius fulgens, et gemitum lugentis audisset, vitio gentis humanæ concupiit scire, quis, aut quid faceret.' Vid. de hoc pleonasmo Vechner. Hellenolex. p. m. 175. sqq. *Jæger.*

Hominum animi] Arbitror verum, *omnium animi.* Livin. Mea sententia non est transformandum illud *hominum*, sed magis exturbanda, nisi commode in aliam vocem mutari possit, dictio *animi.* Neque enim mirabantur animos suos, sed multitudinem tantam reliquam post sexcennii cladem. *Gruter.* Ad defendendam sententiam Gruteri, dictionem *animi* exturbantis, possis fortasse fingere, τὸ *hominum* mutatum fuisse in *omnium*, et deinde hoc in *animum*, uti factum est in Plinii Paneg. xciv. § 2. ubi vid. Schwarz. vel potius, ex compendiosa nota *oium*, ortum esse et *omnium* et *animum*, quod cum intelligi nequiret, transformatum fuisse a correctore in *animi*, ut oratio sibi constaret. Sed multo mihi probabilior videtur emendatio Acidalii. *Jægerus.* *Animi* corruptum videtur. Forte scripsit, *tantum sibi hominum, etiam post illam sexennii cladem.* Vulgato errore *etiam* primum transiit in *enim*, et hoc facile in *animi*. Incertus Maxim. vi. § 1. ' etiam ante quam petere posses,' et ad Mamertin. Genethl. ii. § 2. *Arntz.*

Sexennii cladem] Hoc est, est sexennium plenum perniciei, calamitatis, miseriæ. Hæc est vis vocis 'clades.' Sic Ovidius Met. vii. 561. sq. de pestilentia: ' Nec moderator adest; inque ipsos sæva medentes Erumpit clades; obsuntque auctoribus artes.' Livius xxi. 57. ' Postero die deditione facta, præsidium intra mœnia accepere; jussique arma tradere quum dicto paruissent, signum repente victoribus datur, ut tamquam vi captam urbem diriperent. Neque ulla, quæ in tali re memorabilis scribentibus videri solet, prætermissa clades est: adeo omnis libidinis crudelitatisque et inhumanæ superbiæ editum in miseros est exemplum.' Mirabantur itaque, post tot exempla crudelitatis, a Maxentio sexennio illo, quo rerum potitus est, edita, tantum adhuc hominum numerum superesse. *Jæger.*

Memorabant] Omnino legendum *mirabantur.* Vix putabatur, ait, tanta multitudo superesse sævitiæ Maxentii. *Lipsius* Epist. Quæst. i. 22. Cum doctissimo Lipsio pro *memorabant* reponebam *mirabantur.* Supra gemina phrasi: ' Ostentare se omnes, et tripudiare sine ullo de reliquiis belli metu, et auspicium victoriæ tuæ pro consummatione metiebantur.' *Livin.* Labes est in illo *memorabant.* Nec tamen aptius aliquid invenio, quam Lipsii *mirabantur.* Gruter. Lipsius apposite quidem; deest tamen librorum auctoritas. *Patarol.* Ita libri, et editi omnes, et scripti. De synesi *certare multitudo, et tantum sibi hominum admirabundi .... superesse memorabant*, vid. Cortius ad Sallust. Catil. xliii. § 1. ' Cetera multitudo conjurationis suum quisque negotium exsequerentur.' De enallage modorum dictum jam supra c. vii. § 6. *Jæger.* An *numerabant* præstat? ut hæc confusa sunt apud Arator. ii. 619. sed vulgatum tueri malim. *Arntzenius.*

§ 2 *Ut resisteres*] Ut stares; infra xxii. ' dicuntur interdum flumina resistere,' *arrêter.* Putean. Vid. supra c. vii. § 8. et infra xxii. § 2. *Jæger.* Vid. Schwarz. ad Mamertin. Genethl. xi. § 2. et not. ad Eumen. Constantino xi. § 1. *Arntz.*

Oculis sequi] Supra in Mamertini

Panegyr. Maxim. 'neque milites, non dico stipatione atque comitatu, sed saltem oculis sequi possent.' *Putean.* Plinius Paneg. LXXXI. § 4. 'vela aut oculis sequitur.' Addantur, quæ notavi ad Mamertin. Paneg. Maximian. v. § 3. Genethl. XII. § 4. *Arntz.*

Accessisse] Sub. te. Vid. quem jam laudavimus, Cort. ad Sallust. Cat. XXXI. 7. Jugurth. CII. 9. *Jæger.* De palatio Romano, Imperatorum Romæ degentium sede, vid. Gothofred. ad Cod. Theod. tom. VI. pag. 285. *Idem.*

§ 4 *Ut inde excederes*] *Ut* est simulac, quando, quo sensu subjunctivo quoque jungi ostendit Oudendorp. ad Sueton. Aug. cap. 94. Tiber. cap. 65. Livius v. 15. 11. 'ut quando aqua Albana abundasset:' hæret in locutione Dukerus; mihi 'quando,' tamquam glossa, videtur delendum. *Idem.*

§ 5 *Humeris se*] Auctor, quem modo dixi, in Ciceronem: 'Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem, quem Minerva omnes artes edocuit, Juppiter Opt. Max. in consilium Deorum admisit, Italia exulem humeris suis reportavit?' Ipse Cicero extrema Oratione post reditum in Senatu: 'Cum me vestra auctoritas accersierit, populus R. revocarit, resp. implorarit, Italia cuncta pæne suis humeris reportarit,' &c. Q. Haterius apud Senecam Procem. Controv. VII. 2. 'Qui modo Italiæ humeris relatus est, nunc sic a Popillio refertur.' *Livineius.* M. Tullius Cicero potentium odio, P. Clodii præcipue, in exilium actus, mox omnium consensu, curante Cn. Pompeio, in patriam revocatus, magnaque populi frequentia reportatus. Auctor Plutarchus in ejus Vita. *Patarol.*

Et oculis fere gestavit] Vet. et Vatican. *et humeris ferre gestivit.* Omnes libri melius, *ferre gestivit.* Sic supra in Panegyr. Maxim. et Constantin. 'Ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret.' *Puteanus.* *Ferre gestivit* Vet. Bertin. Cuspin. Egregie. Incertus in Maximianum et Constantinum: 'Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia P. R. excepit, ut, cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas urbis admitteret.' *Livin.* Quorsum illud *fere?* Forte, *ferre gestivit;* ut Paneg. Maxim. *Acidal.* Plus hoc et sublimius, quam *humeris.* Hoc est, non tantum humeris, verum etiam oculis. Eadem formula supra Panegyrico nuptiali ad Maximianum et Constantinum cap. VIII. § 7. *Cellar.* Quod depravatum esse vidit Acidalius, et conjectura emendavit *ferre gestivit;* feliciter. Hæc proba lectio reperitur in cod. Liv. et Bert. et ed. Cusp. ac posterioribus. Put. *progressus es, et humeris et oculis ferre gestivit.* Mœrl. *et humeris et oculis semper gestivit:* τὸ *et humeris* ex superioribus inepte repetitum. *Jæger.* Utrum in Cod. Putean. lectum fuerit *et humeris et oculis*, ex variantium libello in ed. Parisiens. non satis liquet, sed excerpta penes me indicant. In *ferre gestivit* codicis Vaticani mentionem eadem omisit editio, quam ex iisdem excerptis addidi. Veram hanc lectionem primus recte dedit Paull. Stephanus, quem secutus est Gruterus, et sequentes præter Rivinum in pr. Ex codd. rescripsi, *et humeris et oculis*, ut dudum feci ad Arator. Epist. ad Vigil. 6. ita enim differentiam Ciceronem inter et Constantinum indicat; ille humeris tantum erat reportatus, hunc et humeris et oculis ferre studebant, quo major indicaretur civium amor. De more Imperatorem humeris gestandi vid. notas ad Plinii Paneg. XXII. § 2. Rittershus. ad Corippum II. 187. *Arntz.*

§ 6 *Sacrorumque ludorum*] Quos mense Decembri fuisse habitos statuit Gothofredus Chronol. Cod. Theodosian. pag. 6. quo Romæ Imperato-

necessitatem. *Jæger.*

Tantum sibi] *Tantum ibi*, Bertin. Non probo. *Livin.* Τὸ *sibi* hic παρέλκειν videtur, ut e. g. in Petron. cap. 111. 'Proxima ergo nocte, quum miles, qui cruces servabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset sibi et lumen inter monimenta clarius fulgens, et gemitum lugentis audisset, vitio gentis humanæ concupiit scire, quis, aut quid faceret.' Vid. de hoc pleonasmo Vechner. Hellenolex. p. m. 175. sqq. *Jæger.*

Hominum animi] Arbitror ve... *omnium animi.* Livin. Mea s... tia non est transformandum ... minum, sed magis exturb... commode in aliam vocem ... sit, dictio *animi.* Neque ... bantur animos suos, sed ... tantam reliquam pos... dem. *Gruter.* Ad d... tentiam Gruteri, ... turbantis, possis ... ad *hominum* mutat... et deinde hoc ... est in Plini... vid. Schwa... diosa no... *...utasti*] Vid. ...uno II. § 5. et ...at. Paneg. XXXIX.

um et e... ...*unt*] Forte *ignota.* Livin. quiret ... et Acidalius judicant lecte... esse *ignota.* Sed in vitium st... jurasse putes, præter Mœrl. v... ...o est, (proxime ad hanc lectio... ...um, sed cum nota lituræ) *inota:* quod tamen, cum manum emendatricem passus sit h. l., genuinum esse non ausim contendere. Mihi sic videtur. Particulam *non* frequenter prætermitti infinita exemplorum copia ostendit Schwarz. ad Plin. Paneg. c. XXIII. § 1. c. XXX. § 4. c. XL. Igitur et hic *no* facile, præsertim cum § 3. cap. LXI. § 6. et alibi passim. eædem sint duæ priores litteræ vocis *nota*, potuit negligi et omitti. Eam itaque particulam, suadente ac postulante sententia, contextui inserui. *Jæger.* Ut *non* inseratur, postulare

deditione facta, ... nia accepere; ... quum dicto ... pente victo... vi captam ... ulla, qu... benti... cla... d...

...itz. ...t alias enim ...felix ferme Roma ...a semper a victoribus ... libertate: at illa Constantini ...oria ipsa quin immo libertati est restituta. *Patarol.*

Olim te] *Te olim* Bertin. *Livin.*

Cinna] *Sylla* Bertin. Falso. *Idem.* Nota historia civilis belli Mariani ex Velleii II. 24. seq. Flori III. 21. Eutropii V. 4. 5. ut de Græcis, Plutarcho, Appiano taceamus. *Cellar.* Quare dictum a Floro IV. 2. 'Mariana quidem, Cinnanaque rabies.' Cinna iratus, quod abrogatus sibi fuisset consulatus, patriæ bellum intulit, Marioque junctus, post disjectum Pompeii senioris exercitum, urbem victor ingressus est, acriterque in cives deseviit. Velleius II. 20. &c. Florus III. 21. Appian. lib. I. *Patarol.* Pacatus Paneg. XLVI. § 1. 'Tu, quæ experta Cinnanos furores:' ubi not. *Arntz.*

Marius iratus] Hic ab Africa, quam exul ab Italia petierat, reversus clade major, vi patriam reposcens, ubi fuerat expulsus, victo Octavio consule, introductoque Romam exercitu, omnia cædibus miscuit. Velleius cit. c. 22. Florus, et Appianus ibid. *Patarol.* Inde 'Marium post exsilia crudelem' dixit Pacatus Paneg. XLVI.

tz.
Velleii loco cit.
eminentissimæ
pliciorum ge-
onsul Octa-
su Cinnæ

Æn.
du-

un
numen-
duces docto-
s civilis lumen,
orumdem interpreta-
nostri locum cogitasse vi-
Pacatus Paneg. XLVI. § 2. ubi
de Syllæ et Marii temporibus: 'Exstincta domi senatus tui lumina, suffixa pilo consulum capita.' *Arntz.*

Toto sexennio] Sex annos Maxentium imperasse tradunt communiter scriptores. *Patarol.*

§ 4 *Collinam*] Romana porta est, ad quam Sulla Marianas partes prostravit. Lege eosdem. *Cellar.* Porta Collina, quæ et prius Agonensis, et posterius Salaria dicta est, in regione quinta, seu Esquilina urbis erat. Ibi a L. Sylla victæ ac fusæ Marianæ partes, quarum duces erant Marius Junior, et Telesinus Samnitum dux. Florus loco cit. Velleius II. 26. Pater De la Baune legit *Collatinam;* sed Collatina alia est a Collina: et, quæ hic a nostro afferuntur, ad Collinam contigere, ut ex adductis historicis satis patet. *Patarol.* Equidem nec in historicis Romanis, qui hanc victoriam Sullæ narrant, e. g. Vell. Pat. II. 27. Floro III. 21. 'Collatinæ' portæ mentionem, nec in ullo alio exemplo hanc scripturam invenio: in omnibus recte legitur *Collinam.* Redonamus itaque Baunio *Collatinam* suam, quam solus tuetur. *Jæger.* Pacatus Paneg. XLVI. § 3. 'Cannis Collina feralior:' ubi not. *Arntz.*

Felix] Sublato Mario Sylla Felicis nomen assumpsit, teste Velleio II. 27. auratam ipsi equestrem statuam pro rostris positam scribit Appianus lib. I. hoc cum titulo: 'Cornelio Syllæ Imperatori Felici.' *Patarol.* Plinius Hist. Nat. VII. 43. § 44. 'Unus hominum ad hoc ævi Felicis sibi cognomen asseruit L. Sylla, civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatum. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia civium, ac trucidare potuisset.' Velleius II. 27. 'Sulla ... Felicis nomen adsumsit: quod quidem usurpasset justissime, si eumdem et vincendi et vivendi finem habuisset.' *Jæger.* Pacatus Paneg. XLVI. § 1. 'Syllam tua clade Felicem:' ubi alia pater meus.' Auson. Grat. Act. XVI. 2. 'Sylla Felix, qui felicior ante, quam vocaretur.' Savar. ad Sidon. Epist. II. 13. Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXVIII. § 5. *Arntz.*

Sed multis] Cod. Liv. *enim vero;* unde Livineius recte judicavit, utramque scripturam, per se indigentem, et mancam, alteram alterius auxilio egere. Lectionem ab eo in margine propositam *sed enim vero* reliqui omnes tenent. Mœrl. exhibet *etenim,* sollemni illa vocularum *sed* atque *et* permutatione. *Jægerus.* Dedi Bertin. scripturam, maxime se commendantem. Ovidius Amor. III. 2. 73. 'Sed enim revocate Quirites.' Statius Theb. V. 699. 'Alipedum curru sed enim sublimis Adrastus.' Severus Fragm. VI. 1. 'Oraque magnanimum spirantia pene virorum In rostris jacuere suis; sed enim abstulit omnes.' Cf. Buneman. ad Lactant. Epit. 67. *Arntz.*

Rostra] Capita occisorum pro ros-

tris, ad incutiendum aliis terrorem, sæpius fuisse exposita satis constat. Vid. Schwarz. Dissert. de Rostris Fori Romani § 18. *Jæger*. Cf. Florus IV. 6. 5. *Arntz*.

Fine prælii] Sic Tullius pro M. Marcello c. 6. de Cæsare: 'Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ, ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest.' *Jæger*.

Distringi] Jubentibus viris doctis, Drakenb. inprimis ad Livium VIII. 7. rescripsi *destringi*. Idem. Recte: cf. supra XII. § 2. *Arntz*.

Poscebas] Hoc ex edd. antiquioribus restituo. *Poscebat*, forte typographi errore, dedit Baunius, quem præter Patarolum reliqui sunt secuti. Cum ex codd. nihil monuerit Puteanus, et Livineius, in illis quoque *poscebas* exstitit, et vere; in altera enim scriptura est, quod sibi sit adversarium. Gladios ne destringi quidem patiebatur Constantinus, et tamen ad supplicia poscebat; hæc sane non cohærent. *Poscebas* ad Romam pertinet, quam in præcedentibus adlocutus est auctor, quæque victos, quibus parcere maluit Constantinus, ad supplicia poscebat. Hunc quoque locum ita cepit Abram. ad Ciceron. pro Marcell. cap. 6. *Idem*.

CAP. XXI. § 1 *In villa publica*] Florus dicto loco: 'Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici jussit.' *Cellar*. De crudelitate Syllæ post victoriam, vide, sis, præter historicos a Cellario laudatos, Valer. Max. IX. 2. 1. Senec. de Benef. V. 16. Lucan. I. 139. sqq. *Jæger*. Non omnes fuisse cives, quod tradit Florus, sed maximam partem Samnites, probat Dukerus ad Flor. III. 21. 24. ubi etiam de quorumdam historicorum dissensu agit, quibusdam ovilia, aliis villam publicam, aliumve locum memorantibus; adde notas ad Senec. de Benef. V. 16. *Arntz*.

Morientium] Id est, qui jam jam essent morituri, de quo Cortius ad Sallust. Jugurth. XIV. § 1. *Idem*.

§ 2 *Victoriæ suæ*] Pacatus in Theodosium: 'Clementia, Imperator, tua quo cælo, quo pigmento, quo ære aureve ducetur, qua tu ipsius victoriæ victor ita omnem cum armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum, certe nemo post Maximum?' Cicero pro M. Marcello: 'Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ erat adepta, victis remisisti,' &c. *Livin*. Ad Ciceronis locum cap. 4. alia adtulit Abramus, nostri etiam non inmemor. *Arntz*.

Armis Imperator] Vet. *armis impiis*. Recte: alloquitur enim Romam. *Puteam*. Quia pro tyranno contra patriam decertabant. *Paterol*. Ex vocis *impiis* compendio nata esse videtur vox *Imperator*, quæ, cum in Mss. haud compareat, non hic retineri, sed ex superioribus *victor* repeti debet. *Jæger*. Recte *Imperator* delevit Jægerus, codd. ita jubentibus. 'Inpius' bellis est civilibus proprium. Horatius Od. II. I. 29. 'Quis non Latino sanguine pinguior Campus sepulcris inpia prælia Testatur?' Cicero Catilin. I. 13. 'Proficiscere ad inpium bellum.' *Arntz*.

§ 3 *Deliciarum circi*] Spectaculorum, aliarumque voluptatum, quibus prætoriani, in urbe excubantes, deditissimi erant, πομπῆς μᾶλλον ἢ ἀνδρείας ἐμπείρους, Herodian. II. 10. *Cellarius*. Alii erant Romæ circi minores. Maximus hic, ita dictus, seu quod in ipso magni ludi Circenses agerentur, seu quod major cæteris gyro esset, situs erat inter Aventinum et Palatinum, a Tarquinio Prisco inchoatus, teste Halicarnas. lib. IV. a Julio Cæsare productus est, referente Suetonio c.

39. inde ab Augusto, Caligula, Domitiano ornatus, mox a Trajano immenso latere auctus, ut dictum Plinii Paneg. c. LI. tandem ab Heliogabalo etiam columnis, aliisque ornatibus illustratus. *Patarol.*

Pompeiani theatri] Theatrum cum sedibus fixis primus extruxit Cn. Pompeius, anno U. C. DCXCIX. prius enim loca illa ad spectandum subito construebantur, et plerunque censorum jussu disjiciebantur. Innuit utrumque Tertull. de Spectac. I. 10. Pompeianum theatrum erat in regione urbis nona, qua Circus Flaminius. *Patarol.* Scriptum nimirum fuit *Pompeiam th.* quod, inserta syllaba *ph*, sanare voluit corrector. Idem error etiam contaminavit Plinium Hist. Nat. XXXVI. 15. 24. sublatus ab Harduino, quem vide in Not. et Emendat. n. XV. *Jæger.*

Rheno Danubioque] Contra Gallos, Germanos, et Dacos. *Patarol.*

Prætenduntur] Castra habent hostibus prætenta ad custodiendum limitem. *Cellar.* Sic legit editio Parisiensis, cum multis aliis; at non male in quibusdam legitur *prætendunt*, ut et in Ms. Divi Marci, quod verbum sic ab auctoribus usurpari notat Turnebus Advers. IV. 7. 'Prætendere' autem est ante tendere, et 'prætenturæ' sunt præsidia quædam, quæ pro castris, sive aliis munimentis ad majorem securitatem consistunt. Utitur hac voce in hoc significatu Ammian. Marcell. XIV. 3. *Patarol.* Sic omnes omnino, excepto cod. Liv. et Ms. D. Marci, in quo legitur *prætendunt.* Probat hanc lectionem Livineius, et firmat loco Pacati c. X. § 2. et Virgilii Æn. II. 29. His addi potest Frontin. Strateg. II. 3. 14. 'Cn. Pompeius in Albania, quia hostes innumero equitatu prævalebant, juxta collem in angustiis protegere galeas, ne fulgore earum conspicui fierent, jussit milites; equites deinde in æquum procedere, ac velut prætendere militibus,' &c. ad quem locum Schwebel. ostendit, *prætendere* dici militum stationes, quæ ad defendenda castra, civitatem, regionem, provinciam hic illic disponuntur, ne inopinatis hostium incursionibus locus relinquatur. Cf. etiam, sis, Turneb. Advers. IV. 7. Lectionem illam, a Livineio proditam, in contextum admisit Cellarius, quem sequor. *Jægerus.* Recte Cellarius, neque aliter locum exhibuit Valesius ad Ammian. XIV. 3. et ex suo cod. Schwarzius ad Pacati Paneg. X. § 2. ubi de hujus verbi usu plura eruditi, quod per longe lateque ad regionum latera porrigi explicat Schulting. ad Senecæ Suasor. VII. p. 48. cui addantur Barthius ad Claudian. in Rufin. I. 124. Gothofredus ad cod. Theodos. tom. II. p. 369. Cortius ad Plinium Epist. VII. 27. 8. 'Danubii oram prætexere' dixit Ausonius Grat. Act. XVIII. 1. Patet autem ex hoc loco, devictum Maxentii exercitum, maxima ex parte, in Galliam, aut ad Danubium a Constantino fuisse traductum, qui suis eumdem copiis adjunxit, quod etiam vidit Schœpflin. Alsat. Inlustr. tom. I. p. 394. *Arntz.*

Hostibus comparentur] Antea desides et ignavi sub Maxentio, ideoque victi; jam in limite tam fortes, et victoriarum æmuli, ut cum ferocissimis hostium, Germanis, componi possint. *Cellar.* Miror, Cellarium, deserta optima interpretatione Baunii, aliam commentum esse, nullo modo probabilem. Nihil verisimilius est emendatione Acidalii. Nam *hostibus* et *hostilibus* permisceri ostendit Schwarz. ad Plin. Paneg. XVII. § 2. et bellum civile *hostilibus* opponit etiam Cicero pro Rege Deiotaro c. 5. 'Ad eum igitur (Cn. Pompeium) rex Deiotarus venit, hoc misero fatalique bello, quem antea justis hostilibusque bellis adjuverat.' *Jægerus.* Habet quidem, quo blandiatur Acidalii conjectura; non tamen ideo de-

serenda est vulgata, quam servant codd. Neque video, quare 'civili bello' opponi haud possent 'hostes,' id est, bellum justum et sollemne gerentes. *Arntz.*

§ 5 *Magna enim intercapedine*] Addi volunt, *non magna intercap.* At videre debebant, ironice hæc efferri: cui figuræ aptissimum illud *enim*, quod iidem expungunt. *Acidal.* Brevissimo tempore. Ironia. *Cellar.* *Magna scilicet*] Sic legunt omnes: sed, aut ironice hæc intelligenda cum Cellario, quod credidisse videtur etiam Acidalius; aut sane ita legendum, *brevi scilicet intercapedine temporis, ac magna locorum distantia, &c.* alioquin vis orationis sibi non constet, necesse est. *Non magna intercapedine temporis, ac brevi locorum, &c.* cogitavit olim legendum Casaubonus in margine editionis Genev. an. 1638. *Patarol.*

Magna enim] Equidem non nego, hanc conjunctionem, æque atque γὰρ Græcorum, ironice interdum sumi. Vid. Heuman. ad Orat. Cic. pro Archia c. 5. n. 6. verum cum, loco ejus, codd. Liv. Bert. Put. Mœrl. Schonhov. Cusp. cum reliquis omnibus præferant *scilicet*, nolui testium tam integrorum fidem spernere; quamquam facile concedam, fieri potuisse, ut vox *scilicet*, interpretamentum τῆς *enim*, extrusa hac, locum ejus occupaverit. *Jæger.* *Magna scilicet*] Hæc vera lectio; brevi enim tempore longum locorum erat intervallum emensus Constantinus; ironice autem longum tempus itineri, breve locis intervallum tribuit. Quam cito autem Mediolano ad Germaniæ limitem sit profectus, ex historia docui supra p. 464. et Gothofredus Chronol. Cod. Theodos. p. 7. *Arntz.*

Annuam expeditionem] Hoc vulgo capiunt, expeditionem contra Maxentium per annum durasse, et cum victus fuerit VI. Kal. Novembr. anno CCCXII. illius initium, hujus loci auctoritate, ad annum præcedentem referunt. Vid. notæ ad Lactant. M. P. 43. Sigonius de Occid. Imp. Opp. tom. I. Part. II. p. 75. ubi Januar. sed historicæ veritati hæc parum convenire, cum per mensem, et amplius, duraverit tantum expeditio, probatum dedi supr. ad init. *Annuam* igitur potius dici puto, quia post victum Maxentium annus erat elapsus, cum hic haberetur Panegyricus, quem ideo post VI. Kalend. Novemb. anni CCCXIII. dictum fuisse suspicabar ibid. ita 'annua exceptio' est, quæ anno præterlapso datur. L. 1. § 10. D. Quand. de pecul. act. annal. *Idem.*

Bello auspicatus] *Bella* videtur esse ex sola conjectura, quæ satis haberet, quo commendaretur, nisi obstaret pluralis, cujus numeri rationem vix de uno bello videre me fateor. Obstat quoque codd. omniumque edd. ante Cellarium, et post eum Pataroli consensus. Priscam itaque scripturam restitui. 'Bellum,' id est verum et legitimum contra Francos, 'expeditioni,' sive Maxentii latrocinio opponit. *Bello auspicatus* idem est atque a bello, per bellum. Incert. Maximian. IV. § 2. 'Ab ipsis eorum regibus auspicatus es.' Si tamen placeret conjectura, quam proposui, *post annum*, vulgata notione foret accipienda 'expeditio.' *Idem.*

Nominis sit et tua] Alii deletum eunt illud *sit*, sed pudentius Daniel, qui inde facit *sic*, quod valde probem, dummodo interpunctione mutata fiat, *nominis, sic et tua*, etc. *Gruter.* Malo obtemperare P. Danieli et Grutero, rescribentibus *sic*: quia litteræ *c* et *t*, in scriptura Longobardica plane similes, a librariis sæpe permutantur. Vid. Drakenb. ad Livium VI. 34. Non erit mihi, spero, fraudi necessaria hæc discessio a scriptura omnium, quos vidi, librorum. *Jæger.* Recte necessariam dicit vir clariss. quia in vulgata haud est, quod construas. Et fere hæc

in codd. non dignoscuntur, unde frequens eorum permutatio, ut in Mamertini Paneg. cap. I. apud Eumenium pro Instaur. Schol. XVIII. § 1. 'sit animo' Vet. Puteani habet, alii 'sic.' *Arntz.*

Germanicum Albim] De Albi, Germaniæ flumine, dixi ad Mamert. Paneg. cap. XVI. *Patarol.* Παρανομασία, de qua vid. Voss. Instit. Orat. V. 5. 1. *Jæger.*

CAP. XXII. § 1 *Vigens*] Sic Virgil. Æneid. IV. 175. de Fama: 'Mobilitate viget, viresque adquirit eundo.' *Jæger.* *Vigens*] Nihil verius. Pacatus Paneg. X. § 1. 'Jugi agitatione se vegetat æternitas:' ubi Putean. Mamertinus Genethl. III. § 2. 'Quidquid inmortale est, stare nescit; sempiternoque motu se servat æternitas:' ubi not. *Arntz.*

§ 2. *Novalibus*] 'Novale est,' inquit Plinius XVIII. 19. 'quod alternis annis seritur.' Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Qui intermittitur a novando novalis ager.' *Patarol.* Infr. ad Mamertin. Grat. Act. XXII. 1. et Opuscul. de Latin. Vet. Jurisconsult. p. 89. seq. *Arntz.*

Resistere] Doceat me, qui novit. Ego fabulose dictum puto. *Patarol.* Si ad fabulas retuleris, huc pertinebunt flumina, quæ cantu sæpe sisti poëtæ narrant; sed eo non est opus, neque locus adeo difficilis, ut multa doctrina ejus indigeat interpretatio. *Resistere* est stare, gelu concrescere. Ita Rhenus 'gelu' dicitur 'resistere' apud Eumen. Constantino XI. § 1. eamque hoc esse loco significationem, addiscere jam potuisset Patarolus a Puteano supr. XI. § 3. ubi loca citata vide. Cum enim sua sint rebus intervalla, sive vices, in iis hoc quoque est, ut flumina, quæ jam fluant, alio tempore concreta consistant. *Arntz.*

Et ipse dies] Mihi hic quoque videtur sollemnis illa permutatio vocum *sed* atque *et* fieri, de qua jam sæpe diximus. *Jæger.* Mirifice *sol* placet, cui egregie convenit *adquiescit*, quod veterum de solis equis opinionem exprimit, eique magis quam *diei* est congruum. Codd. tamen reliquorum in alteram lectionem consensus me retinuit, quo minus quid mutaverim. *Arntz.*

Bellis bella] Ita passim alii. Ovidius ex Pont. I. 3. 69. 'Arma Neoclides qui Persica contudit armis:' ubi 'contudit astu' emendare non debuisset Wacker. Amœn. Litter. cap. 13. Lucanus VII. 573. 'Confractique ensibus enses.' Joannes Sarisber. VI. 6. 'Sic fugientium vestigiis inhærebat, ut premeretur 'Pede pes, et cuspide cuspis,' et umbo umbone repelleretur.' Parem elegantiam Martiali Epigr. I. 104. reddere studuit erud. de Rooy Conject. Crit. p. 12. ut legatur, 'Explicat et mensas unica mensa duas:' pro 'cœnas.' Mihi non est dubium, quin Lucano sit restituenda, Pharsal. I. 6. 'Infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis:' dudum mihi placuit, 'Signa, aquilis aquilas;' idem postea Clercquio, transpositis tamen vocibus, in mentem venisse deprehendi, Specim. I. Observ. in Lucanum p. 4. qui antithesin ex Virgilio confirmat: sed ex ipso Lucano, præter citatum modo locum, confirmetur emendationis veritas; ita III. 444. 'Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra.' v. 783. 'Frangitur armatum conliso pectore pectus.' Alia exempla petantur ex Emmeness. ad Virgil. Æn. I. 239. *Arntz.*

Cumulas] Cf. Buneman. ad Lactant. Instit. V. 1. 7. *Arntz.*

Nisi vincas] Similiter de Cæsare Lucanus II. 656. sq. 'Cæsar in omnia præceps, Nil credens acti, si quid superaret agendum.' *Jæger.*

§ 3 *Gens levis*] Fortasse Bructeros intelligit, ob ea quæ dicuntur cap. XXIII. 'ut ingrati et perfidi.' *Putean.* De Francorum perfidia vid. Salvian. de Gubern. Dei I. 4. 123. ibique Rittershus. Vopisc. Procul. in fin. et ibi

Casaubon. p. m. 762. *Jæger*. Bructeris quidem tribuitur perfidia apud Eumenium Constantio. XII. § 3. sed generaliter etiam Francis, iis locis, quæ contulit Livineius ad Mamertin. Paneg. lib. XI. § 4. iisque familiare esse ridendo fidem frangere testatur Vopiscus a Jægero adhibitus. *Arntz*.

Audacia, lectis] Apparet aliquid excidisse; forte *audaciæ instincti*. Livin. Mihi locus sanus videtur et integer, modo incisio tollatur, qua in ed. Livin. et Cellar. (in aliis recte omissa est,) voces *audacia* et *lectis* sejunguntur. Verba auctoris haud dubie significant, barbaros in legendis ducibus roboris atque audaciæ habuisse rationem. Sic Plinius Hist. Nat. XVI. 44. § 89. 'Platanus ostenditur, ex qua pependerit Marsyas, victus ab Apolline, quæ jam tum magnitudine electa est.' Hoc est, in qua eligenda jam tum magnitudo spectata, vel quæ jam tum ob magnitudinem præ aliis electa fuit. *Jæger*. Nihil hac interpunctione est verius. *Arntz*.

Eruptionis auctoribus] Auctores h. l. sunt duces. Sic Tullius 'auctoritatem' tribuit Cæsari Octaviano, ut imperatori, Ep. ad Divers. X. 28. 8. 'Hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset, legionesque duæ de exercitu Antonii ad ejus se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuisse.' Philipp. III. 3. 'Hujusce legionis virtutem imitata quarta legio ... Cæsaris auctoritatem, atque exercitum persecuta est.' h. e. Cæsarem imperatorem, ejusque castra est secuta, et, quæ jussit, quorumque adeo auctor fuit, fecit. De cetero pro *eruptionis* hic, et *eruptione* § 4. legendum puto *irruptionis*, et *irruptione*. Nam 'eruptionem facere' dicuntur clausi et obsessi, 'irruptionem' vero, qui adoriuntur, et obstantia perrumpunt, ut in aliquem locum penetraturi. Sic Cicero pro Lege Manilia 6. 'Nam cum hostium copiæ non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit; tamen pecora relinquuntur,' &c. Litteræ *e* et *i* quam facile permutentur, nemo est, qui ignoret. Hinc verba 'erumpere' et 'irrumpere' etiam confusa sunt in Ovid. Trist. II. 305. ubi vid. Heins. *Jæger*. 'Auctores' mihi malo sensu magis sunt suasores, concitatores, ut 'facineris auctor,' Velle]. Paterc. II. 46. 5. 'conjurationis,' Eumenius Constantio XVI. § 2. 'latrocinii,' supr. XVII. § 1. Forte præterea Francis recte tribuatur 'eruptio,' qui Rheno, copiisque ad illam limitem positis ita erant clausi, ut velut obsessi essent, adeoque 'erumpere' deberent Rhenum transituri. Historiam tangit Schœpflin. Alsat. Inlustr. tom. I. p. 394. hoc quoque loco utitur Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 228. sed in rerum gestarum serie non statim post Constantii mortem fuisset reponendus; quod enim hic tradit noster, serius contigit. *Arntz*.

Terruisti] De simili terrore vide ad Mamertin. Maximian. V. § 4. Genethl. XIV. § 1. Wopkens Observ. Miscell. Nov. tom. ult. p. 70. *Arntz*.

§ 4 *Etiam videbaris*] Livineii conjecturam, *Et jam*, recepit Jægerus, qualis etiam varietas in Schonhovii excerptis est apud Mamertin. Genethl. III. § 2. alterum hic magis placet; duo enim tradit, et præsentia sua barbaros terruisse Constantinum, præterea etiam tali strategemate fuisse usum, quod votis suis magis contrarium videbatur. *Arntz*.

§ 5 *Abeundo enim*] Forte *abeundo scilicet*, ut cap. præced. § 5. *Livineius*. Deesse paucula quædam puto. Nec enim parenthesin fero: qua sublata melius reliqua oratio nectitur: *sed inopinato consilio usus * Abeundo enim, simulato nuntio majoris in superiore limite tumultus, occasionem stolidis ac feris mentibus obtulisti, &c.* Acidal. Fortasse nihil deest præter verbum

substantivum *es*. Gruterus, et Paris. prior, et Cellarius post *usus* ponunt ταλαιωστεγμὴν, quos sequor. Non possum non fateri, multo commodiorem fore lectionem, si liceat Livineium sequi, et cod. Mœrl. atque ita rescribere: *sed inopinato consilio usus, abeundi scilicet, simulato nuntio, &c.* Ceterum vitiosa est interpunctio in edd. Grut. Paris. utraque, et Cellar. in quibus comma, post *nuntio* positum, post *tumultus* emissum est, qua ratione sensus verborum prorsus turbatur. Nec melius Patarol. *sed inop. cons. usus, abeundo simulato, &c.* Jæger. Forte ita legendum: *sed inopinato consilio usus abeundi. Scilicet simulato nuncio;* nisi *Enim simulato* malles, quod periodi initio aliquando poni docuerunt V. D. ad Livium XXIII. 45. 10. et XXXIV. 32. 13. Van Dorp Observ. p. 58. *Arntz.*

Secutos] Mœrl. stat pro lectione nostra, *securos*, quæ, nescio, cur alteri cedere debeat. *Jæger.* Neque hoc, *secutos*, absonum, quatenus abeuntem Constantinum sequebantur. *Securos* tamen magis placet, quod etiam probat Brouwer Annal. Trever. III. p. 206. positarum erant enim insidiarum inscii, sive ejusmodi nihil cogitabant, ut hæc vertit Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 280. hoc in suo etiam invenisse videtur Puteanus, cum de varia lectione ad edit. Rhenan. marginem nihil monuerit. *Arntz.*

§ 6 *Mœstas*] Maxime mihi *funestas* placet, quia *mœstas lugentesque* parum apte junguntur; quare illud probavi ad Arator I. 809. Vulgatum tamen tuetur, qui huic geminus est Sedulii locus Carm. III. 129. 'Ventum erat ad mœsti lugentia culmina tecti, Deflentemque domum:' vix tamen hoc ad prædicandam Constantini fortitudinem satis aptum videatur, ut turbam *inermem*, qualem hanc adpellat Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 281. fuerit adgressus, nisi eo id consilio fecisse dicatur, ut totam gentem deleret, quo etiam colore noster est usus. *Idem.*

Post illud nomen] 'Perjuri' scilicet nomen, qua interpretatione admissa, nihil opus erit recurrere ad conjecturas. *Gruterus.* Valide hanc formam auxit, quam alii sic efferunt, ut nihil reliqui factum præter nomen dicant. At hic ne nomen quidem idem posthac esse vult. Panegyr. Maximiano dicto: 'Illa gens prope omnis exstincta est, et pæne cum solo nomine relicta, quo serviat.' Plura exempla Juretus notis ad Symmachum. *Acidalius.* Ut vix postea, seu post eam cladem, hoc *perjuræ gentis* nomen habitura sit, numquam rebellatura, sed perpetuo servitura Romanis. *Cellar.* Tò *ullum* facile mutari potuisse in *illum* nemo negabit. Vid. Brouckhus. ad Propert. III. 7. 8. Quo facto, ut cum *nomen* congrueret, repositum fuit *illud;* et transpositæ particulæ *post vix.* Rescribo itaque hunc locum ad ductum Mss. nec dubito, sententiam, quæ inde exsistit, quamque jam proposuit Acidalius, planiorem esse et veriorem illa, quam excogitavit Gruterus, Cellarius probavit. *Jæger.* Recte codd. est obsecutus Jægerus. *Nomen* dignitatem aut honorem indicat, que inter gentes non amplius enumeraretur, locumque tenere posset. Not. ad Pacati Paneg. XLV. § 1. *Arntz.*

CAP. XXIII. § 1 *Ita nunc*] *Ite* legendum. *Acidal.* *Ite* recte jam dedit Livineius, quamvis aliæ posteriores, Rhenanam secutæ, mendum retinuerint, ex antiqua Puteolana expressum, ut etiam in pr. Rivinus. Elegantiorem scripturam adseruit Schwarz. ad Mamertin. Genethl. IX. § 4. *Arntz.*

Conatus exemplum] Vocem *habetis*, quam vitiosa licet aliquantulum scriptura, præfert etiam Put. cum Mœrl. merito editores reliqui admiserunt. *Jæger.* *Habetis* recte primus inseruit Gruterus. Quod de vitiosa in Puteani cod. scriptura memorat Jægerus, est

typographi error in Paris. ed. *habens* exprimentis, in excerptis enim Mss. penes me enotatum est *habetis*. *Arntz.*

§ 3 *Quod cædibus*] Ita edd. omnes: quæ lectio, si tuenda esset, ante *hoc triumpho* subaudiri *in*, et post *pulchrius* inseri deberet *quam*. Sed meliorem suggerunt codd. Livin. Bert. Put. Mœrl. in quibus est *quo*, i. e. in quo, de qua ellipsi frequentissima vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 6. n. 7. p. m. 676. *Jæger.*

Nostrum omnium] *Nostram* citat Pontanus Orig. Franc. IV. 4. quod in nulla ed. inveni, neque est necesse. Vid. supra ad Eumen. Grat. Act. XIV. § 4. *Arntz.*

Pompam munerum] Spectaculorum, in quibus variis productis belluis dilacerandi captivi objiciebantur, quibus tamen facultas dabatur, ut contra illas pugnarent, quas, si vicissent, liberabantur. 'Ferrum voluptati satis non faciebat, nisi et feris humana corpora dissiparentur.' Tertullianus libr. de Spectac. *Patarol.* 'Munera' hic non sunt largitiones, sed spectacula, ut sequentia satis aperte demonstrant. *Jæger.*

Reliquiis] Vid. ad Eumen. Constantino VI. in fin. *Arntz.*

Barbaricæ] Vid. ad Eumen. Constantino VI. § 2. *Idem.*

Tantam captivorum] Frustra Acidalius ex conjectura *tantamque*. Nihil enim opus esse videtur, ut copulam *que* intrudamus, si punctum ponatur ante *tantum*, novamque hisce inchoëmus periodum. *Van Hoven*, Otiis Litter. part. I. p. 53. Acidalii conjecturam receperunt Cellarius et Patarolus, et retinuit Jægerus; priorem scripturam restitui, quam Puteani, et Livineii codd. quoque confirmant, quia nihil ex iis notarunt, rectumque est hoc de loco Hovenii judicium. Vid. quæ mox notabuntur. *Arntz.*

Bestiis] Incertus Auctor ad Constantinum de iisdem populis: 'Puberes,' inquit, 'qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati, sævientes bestias multitudine sua fatigarunt.' *Puteam.* Supra Panegyrico ad Maximianum et Constantinum in nuptiis cap. 4. de regibus captivis traditur, in spectaculo bestiis objectos fuisse: nunc idem fatum multitudinis captivæ refertur. *Cellar.* Cf. Eutrop. X. 2. 9. ibique Cellarius. *Jæger.* Ad reges illos hunc quoque locum referunt Pontanus Orig. Franc. IV. 4. et Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 230. sed propter locum, a Baunio citatum, ad plures alios referri quoque cum Cellario potest, ex more captivos bestiis objiciendi, de quo vid. ad Eumen. Constantino XII. § 3. et Faber Semestr. II. 3. de regibus illis dixi ad Eumen. d. l. II. § 6. Mitiora deinde Constantino placuerunt, cum ludos gladiatorios abrogaverit in L. unic. C. de Gladiator. quæ lex cum eodem fuerit anno lata, quo habita Nicæna synodus, ideo ab ejusdem adsessoribus laudatum maxime fuisse Constantinum suspicatur Balduinus de Legib. Constantin. II. pag. 118. quamvis tamen in aliis non satis mite ipsius videatur ingenium, de quo quædam disseruit de Rhoer de Effect. Relig. Christ. in Jurisprud. Diss. II. § 13. *Arntz.*

Objici ingrati] Non cohærent hæc. Leniter emendata cum superioribus committo: *et pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat, tantamque captivorum mult. b. objicit, ut ingrati et perfidi, &c.* Acidal. Acidalii emendationem jure meritoque recepit in contextum Cellarius. *Objicit*, *ut* legitur expresse in Put. et Mœrl. *ut* habet etiam Lang. pro quo in Bert. et Cusp. est *et*, quas particulas sæpe permutari in confesso est. In Rhenan. Stephan. Livin. post *objici* nulla invenitur conjunctio: cetera exemplaria typis excusa præferunt

ut. Particulam ἐγκλιτικὴν *que*, quam voci *tantam* adjunxit Acidalius, sæpe perperam omitti, satis abundeque ad Plin. Paneg. ostendit Schwarzius. *Jæger.* *Objici ingrati* est in Puteol. et aliis, donec Paull. Stephanus *et*, quod etiam est in Schonhovii excerptis, Gruterus autem *ut* inseruerit, quod iterum negligere non debuisset Rivinus, Rhenanum secutus. *Objici* omnes habent Cellarium usque, qui recte dedit *objicit*, quod codd. confirmant. *Que* tamen inseri non debuisset; Hovenii enim interpunctionem probo, et, quia jam in Paull. Stephani ed. exstat, restitui. *Arntz.*

§ 4 *Exitum*] Pugnando cum bestiis, quia θηριομαχίας spectacula erant: sed ludibrii vitandi caussa mortem parum repugnantes admiserunt. *Cellar.* Ita omnes libri. Acidalius rescribit *exitium;* idque optimo jure, ut mihi quidem videtur. Vid. quæ de permutatione harum vocum adfert Cort. ad Sallust. Cat. LV. 6. *Jæger.* Nihil muta. 'Exitus' est mors, de quo dixi ad Eumen. Constantin. VIII. § 2. Adde Observ. Miscell. Nov. tom. II. p. 78. eodem sensu 'limen vitæ,' quatenus limen quoque est exeuntium. Vide me ad Sedulium III. 290. pari notione 'finis,' ut τέλος explicui ad Arator. I. 670. addo, ita capiendum esse hoc vocabulum Epist. Petri I. 4. 7. ut vertatur, 'mors omnium in propinquo est.' *Arntz.*

Prodigos sui] De Hispanis Sil. Ital. I. 225. 'Prodiga gens animæ, et properare facillima mortem:' ubi vid. Drakenb. *Jæger.* Horatius Od. I. 12. 37. 'Animæque magnæ Prodigum, Pœno superante, Paullum.' Prudentius Peristeph. 3. 66. 'Quis furor est Perdere præcipites animas, Et male prodiga corda sui.' *Arntz.*

Cap. XXIV. § 1 *Amœna Græcia*] Sic omnes, excepto Mærl. qui exhibet *amœna Græciæ*, quod sine controversia melius est. Vid. de hoc Atticismi genere Vechner. Hellenolex. I. 2. 9. p. m. 205. sqq. Exemplis ibi prolatis addo Valer. Flacc. Argon. I. 841. sqq. 'Lucet via late Igne Dei, donec silvas et amœna piorum Deveniant, camposque, ubi sol, totumque per annum Durat aprica dies, thiasique chorique virorum, Carminaque, et quorum populis jam nulla cupido.' Tacitus Hist. III. 76. 3. 'Non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi, et amœna littorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur.' Annal. III. 7. 1. 'Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis petendæ e Pisone ultionis; et crebro questu, quod vagus interim per amœna Asiæ atque Achaiæ, adroganti et subdola mora, scelerum probationes subverteret.' *Jæger.* Nihil certius: ita 'adversa cæli' explicat Schwarzius ad Mamertin. Geneth. III. § 4. similia dedi ad Sedul. I. 120. et 285. *Arntz.*

Deliciæ Orientis] Quæ enervant animos et corpora. Dixi et cap. V. Lentulus apud Lucanum lib. IV. 'Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia cæli.' *Patarol.* Cf. etiam Veget. de R. M. I. 2. *Jæger.* 'Educere' loci natales indicare notavit ex h. l. Cerda ad Virgil. Æn. IX. 584. *Arntz.*

Vitanda sole] Vet. *vitando*. Sic Pacatus cap. XXXIII. 'Illos tenero perlucentes amictu vix leve carbasum vitando sole tolerantes.' *Putean.* Lego *vitando soli;* ita scripsi, quod optimos quosque scriptores sic loqui viderem, nisi sæpe in similibus phrasibus a sciolis injuriam acciperent, nominatim Latinus Drepanus Pacatus Panegyrico, quem Theodosio Aug. dixit: 'Illos tenero pellucentes amictu, et vix leve carbasum vitando sole tolerantes, alterno concussa tinnitu sistra ducebant.' Scribo 'vi-

tando soli tolerantes.' *Modius*. *Vitanda* vitio typographi erat in Rhenan. quare illud ex suis codd. emendarunt Puteanus et Schonhovii excerpta. *Vitandi solis* divinabat Colvius ad Apuleium Metam. IV. p. 68. *sole* antiquum esse dativum putabat Schulting. ad Senecæ Controv. I. p. 76. in Pacati Panegyrico de vera lectione certi etiam non sunt satis eruditi. Vid. illic notæ. Potius explicuerim propter vitandum solem, quem ablativi usum probavi ad Sedulium III. 134. De vestibus his, adeo tenuibus, ut iisdem amicti magis nudi viderentur, vid. Orleans ad Taciti Annal. II. p. 231. Savaro ad Sidonium Epist. II. 2. *Arntz.*

§ 2 *Qualemque ordinatur*] *Ordinat* Vet. Cuspin. Rhenan. Probe, sed et *quem qualemcunque ord.* emendem. Supra, 'Cum qualemcumque militem fortissimum facias tuo, Imperator, exemplo.' *Livin.* *Ur* in verbis librarios sæpe addere, sæpe negligere, dictum est ad Mamertin. Genethl. VI. § 2. ita 'construerent,' et 'construerentur' est apud Eumenium pro Instaur. Schol. XV. § 2. 'tegerent' et 'tegeretur,' ibid. XIX. § 3. Adde apud eumd. Constantio IV. § 3. et ad cap. X. § 3. 'Qualem' tuetur Cicero de Invent. II. 59. 'et quæ, et qualia sint.' *Arntz.*

Sacramenti] De sacramento, quo milites obstringebantur, mentio fit apud multos ex historicis, puta Livium libb. III. VI. et XXII. Halicarnass. libb. VI. X. et XI. aliosque; nemo tamen clarius Polybio rem tractat: 'Finita conscriptione, &c. tribuni militum suæ cujusque legionis eos congregantes, et unum maxime idoneum ex omnibus eligentes sacramento adigunt, obtemperaturum se, et facturum, quidquid mandabitur ab imperatoribus juxta vires,' &c. Alterius sacramenti militaris mentio fit apud Gellium XVI. 4. *Paterol.*

Trucem Francum] Si memini, alibi jam dictum, sub Francis nomine Germaniam ipsam olim contentam. *Idem.*

Ferina] Germaniæ nonnullos populos, præcipue septentrionales, tradunt auctores cruda ferina, ut ait Plinius VIII. 10. vesci solitos. Sic et Martialis Spect. Epigr. 3. 'Venit et epoto Sarmata pastus equo.' Lucanus lib. III. 'Longaque Sarmatici solvens jejunia belli Massagetes, quo fugit equo.' *Paterol.* Argumentum victus asperi. Sallust. Jug. XVIII. § 1. 'Africam initio habuere Gætuli et Libyes, asperi, inculti, quis cibus erat caro ferina,' &c. Cf. quoque c. LXXXIX. 7. Pomp. Mela I. 8. 24. ed. Gron. de Africæ populis: 'Victus asper, et munditiis carens......Cibus est caro, plurimum ferina.' *Jægerus.*

Provectus sui utilitate] Lego *pro victus sui vilitate*. *Victus sui* hic legendum etiam ab Henrico Stephano animadversum est: *vilitate* autem ex *utilitate* faciendum, idem quod aliud agens fortasse hæc tractavit, aut non vidit, aut operis suis persuadere non potuit. Conveniunt autem hæc verba cum eo, quod ait alibi Vegetius, contemnere maxime vitam eos potissimum, qui quam minimum in illa noverint deliciarum. *Modius.* *Pro victus sui* recte emendant alii; pro *utilitate* lego *vilitate*. Acidal. Ita Rhenan. Stephan. et ex parte Livin. Hoc vitium sine ope codd. jam Rhenan. et Acidal. sustulerunt, rescribendo *pro victus*, uti in Mss. Livin. Put. Mœrl. Schonh. et edd. accuratioribus invenitur. Τὸ *utilitate*, quod Rhen. Stephan. et Cuspin. exhibent, itidem jam emendavit Acidalius, reponens *vilitate*, ut in reliquis deinceps edd. legitur. Ceterum de re ipsa Veget. de R. M. I. 3. in fin. 'Ex agris ergo supplendum robur præcipue videtur exercitus. Nescio enim, quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum novit in vita.' *Jæger.* Henr.

Stephano, qui ad edit. suæ marginem Rhenani conjecturas tantum adlevit, male tribuit Modius, quod erat Rhenani. Præterea *vilitate* jam dedit Rhenanus. Depravata lectio *provectus* est in omnibus ante Gruterum, et post eum in Rivini utraque. *Vilitate* hoc quoque loco probat Ramos Comment. ad L. 1. § ult. D. Depos. tom. VII. Thes. Meerman. p. 85. ubi frequentem utriusque vocis permutationem latius persequitur, de qua etiam pater meus ad Plin. Paneg. VII. § 1. *Arntz.*

Et Imp. in Italia] Livineius optimam medicinam adfert ex ed. Cusp. et cod. suo, et Lang. cum quibus Schonh. et Mœrl. conspirant ad tuendam veram lectionem, *Quod tu, Imp. et nuper in Italia, &c.* quam edd. reliqui sequuntur. Voces *imperator* et *nuper* iterum permutantur cap. seq. § 4. *Jægerus.* *Nuper* primus dedit Paull. Stephanus, quem secutus Gruterus, et reliqui præter Rivinum: hoc flagitat sequens oppositum *paullo ante.* Arntz.

§ 4 *Rectissima*] Consentiunt codices; placet tamen *lectissima;* nam alterum illud exile mihi, et suspectum. *Livin.* Forte *recentissima.* Nam præcedebat, *nec vero tantummodo vetera dictatorum, &c.* Acidalius. Pro corrupta hac voce emendatio Acidalii in textum erat recipienda, recte indicante Bibl. Philologica. *Jæger.* Secundum suam emendationem hunc locum excitavit etiam Livineius ad Nazarii Paneg. XIV. § 6. Sequens 'ex proximo tempore' Acidalii favet conjecturæ; sed vulgatum non desero. *Rectissima facta* sunt illius, qui bene de rep. sentit, quo modo 'rectus' est apud Ciceron. ad Divers. XII. 5. 7. ubi Cortius; et 'rectissima voluntas' apud Velleium Paterc. II. 18. 5. 'rectissime sentire' ibid. II. 125. 5. ab his 'pulcerrima' distingui possunt, quæ ad bellicam magis virtutem referunt. *Arntz.*

CAP. XXV. § 1 *Et pridem*] Septennii spatium intellige; VIII. enim Kal. Augusti anno CCCVI. mortuus erat Constantius. Vid. ad Incertum Maximian. init. quod longius spatium *pridem* quoque indicat. Cf. ad Mamertin. Genethl. I. § 2. et V. § 6. *Arntz.*

Gloriarum] Vid. ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 4. *Idem.*

§ 2 *Batavum advenam*] Incertus Paneg. Max. et Constant. 'Multa ille Francorum millia, qui Bataviam, aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit.' Et in altero, dicto Constantino: 'Terram,' inquit, 'Bataviam, a diversis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgavit.' *Putean.*

Advena hoste] Franco. *Livin.* Carausium inprimis intelligit, de quo vid. ad Mamertin. Maxim. XII. § 1. Eumenium Constantio VI. § 1. *Arntz.*

Depulso] Post *depulso*, bene monente Schenckio, pro commate duo puncta collocari debent. *Jæger.* In plerisque edd. non est comma. *Arntzenius.*

Ultima barbaria] De voce 'ultimus' vid. ad Mamertin. Maximian. V. § 1. *Idem.*

Populi dedere] *Dedidere* conjicit Livineius, idque reliqui merito præferunt. Solent enim hæc verba frequenter confundi. Vid. ad Cornel. Nep. Themistocl. I. § 2. et X. § 1. Lysandr. I. § 2. Datam. IV. § 5. Heusingerus, qui negat, audiendum esse Cortium, defendentem 'dederant' in Sallust. Jug. LXXV. 5. *Jægerus.* Cf. supra XI. § 1. *Arntz.*

Classe transmisit] Cum pergeret scilicet in Britanniam, in qua obiit. *Pa tarol.* Historiam adtigi ad Eumen. Constantio VI. § 1. *Transmisit* jam dederant Livineius et Paull. Stephanus: hinc sequentes præter Rivinum. *Arntz.*

Britanniam] Cf. ad Eumen. Constantino V. § 4. *Idem.*

Africi maris] Sardiniam, puto, et Corsicam innuit, ideo *Africi maris* dictas, quod e regione Africæ sunt in Mediterraneo, qua etiam Africam alluit. *Patarol.* Gellius XIII. 29. 5. 'Sallustii verba sunt ex Historia secunda: Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in orientem, quam in occidentem, latior prominet.' Pomponius Mela II. 7. 170. de Himera, amne Siciliæ: 'Alio ore in Libycum, alio in Tuscum mare devenit:' et lin. 188. 'Sardinia Africum pelagus attingens.' Plinius H. N. III. 6. § 13. 'Pelagus Africum attingens Sardinia,' &c. Haud dubie itaque nobilissimæ illæ Africi maris insulæ, quæ populi Rom. fuere provinciæ, Sardinia sunt et Sicilia. *Jægerus.* Has quoque insulas significasse videtur supra XVI. § 1. *Arntz.*

Fuere provinciæ] Has in provinciæ formam redactas, et in easdem colonias deductas a Romanis novimus ex Solino, Velleio, et Livio. Vide, sis, Sigonium de Jure Provinc. I. 4. *Patarol.*

§ 3 *Ignoscat, inquam*] Scilicet, quod ejus rebus gestis tuas præfero, cum Italiam, Africam, Romam, ille Batαviam, ac Britanniam liberarit. *Livin.* Vitium hic. Forte, *Ignoscat tandem ipse Constantius: quid habet, quod comparet, &c.* Nisi verba postrema ipsum Constantium pronunciare facit, quod quomodo apte fiat, nondum video. *Acidal.* Verba postrema pronuntiat non Constantius, sed orator; et sensus est, Ignoscat mihi Constantius præferenti ipsius rebus gestis tuas. Quid enim in illis, quæ fortiter ac prospere administravit, invenio, quod comparare possim recuperationi Italiæ, Africæ, Romæ? Hic nihil vitii, nihil obscuritatis. *Jæger.*

Italiæ] Recuperatæ, ut Noster idem supra c. XIV. *Patarol.*

Africæ] Quid in Africa meriti Constantino fuerit, peti potest ex iis quæ dicuntur a Nazario Paneg. seq. cap. XXXII. *Idem.*

Romæ] Vindicatæ a Maxentii tyrannide. *Idem.* Quod *Romæ*, ultimo loco posuit, majestatem urbis æternæ Italiæ, et Africæ non modo æquasse, verum etiam magnifice præposuisse videtur. *Jæger.*

§ 4 *Constantine, et Imp.*] Deleat copulam *et*. Ego hanc relinquo, sed ex decurtato *Imp.* facio *pridem*, ut paulo superius. *Acidalius.* Acidalius non satis feliciter. Confunduntur nimirum hic rursus, quod jam monuimus cap. præced. § 2. *Imp.* et *nuper*. Schonhov. utramque hanc vocem enotavit. Livineius cum reliquis omnibus, *et nuper Sen.* recte, omissa voce *Imperator*, orta ex compendio litterarum. *Jæger.*

Signum dedit] Sequor *Dei*, nam mox subjicit, 'debetur et divinitati tuæ simulacrum aureum,' &c. *Livin.* Simulacrum Constantini aureum, radiato forsan capite, quod Deorum fuit. Plinius Panegyr. cap. LII. 'Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput, et media inter Deos sedes auro staret, aut ebore.' *Cellar.* An nomen *Dei*, ut 'Divum' appellaverit ante mortem? An *signi* nomine templum intelligit, quod Constantino sacrum cernimus in postica nummi Constantiniani parte, quem exhibeo:



Figura pro foribus sedens Roma creditur ab antiquariis: at cur non et Imperatoris ipsius, pari habitu sedentis, simulacrum dici possit? *Patarol.*

Sic Livin. et Baun. s. *Dea*, d. Mœrl. Probat merito Livineius *Dei*, eamque scripturam edd. reliquæ exhibent. *Jæger*. In Puteolan. Rhen. Henr. Stephan. et pr. Rivini est *signum Dei*, omissa voce *dedit*; in his igitur *signum* a sequenti *dedicarunt* pendet: *signum dedit*, præter citatos a Jægero, habet etiam Paull. Stephanus. *Dei* inseruit Gruterus, quem post Baunium secuti sunt novissimi. Cum nihil pro varia lectione monuerint Puteanus et Schonhovii excerpta, certum est in eorum codd. *signum Dei*, omissa voce *dedit*, exstitisse. Unde illud *dedit* hauserit Livineius, nescio, in Jægeri tamen Mœrliano legi videtur; sed est ex *Dei* corruptum, et extrudendum, quod recte mox suspicatur Jægerus. Vix enim cohærere videntur, *Senatus signum dedit, et Italia scutum . . . . dedicarunt*. Offendit maxime *Italia dedicarunt*, et vix est, ut ex collectivo hoc tuearis. Quanto planius est, *Senatus signum, et Italia scutum dedicarunt*, præsertim cum eo ducant codd. De Christi signo hunc locum accepit Baronius, quem refutavit Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. IV. pag. 648. recte monens hic *signum* esse, quod mox 'simulacrum aureum' adpellat. Quod de 'radiato capite' habet Cellarius, si huc referas, oratoris adulationi foret tribuendum, qua *signum Dei* coronam diceret, quæ Imperatoriæ magis dignitatis, quam divinæ erat insigne, de quo copiose dixi ad Mamertini Paneg. Maxim. III. § 2. neque Patarolo in *Divi* nomine adsentiri possum, quod vivis Imperatoribus haud fuisse datum monui in Observ. Specim. cap. 12. in fin. in quo consentientem habeo Herm. Cannegieter. Obs. Jur. II. 1. neque aliter Ritterhus. ad Oppian. Cyneg. I. 8. et Goldastus ad Eginhart. Vit. Carol. 27. *Arntz*.

Scutum] Mos hic Imperatores honorandi. Novimus ex Eutrop. l. IX. ubi ait de Claudio: 'Senatus ingenti eum honore decoravit, scilicet ut in curia clypeus ipsi aureus, item in Capitolio statua aurea poneretur.' Refert et Aurel. Victor. *Patarol.* Imaginem clypeatam, usitatissimum genus honoris. Trebell. Pollio Claud. cap. 3. 'Illi clypeus aureus, vel, ut grammatici loquuntur, clypeum aureum senatus totius judicio in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur, expressa thorace vultus ejus.' Ita eum locum emendat Salmasius, docetque, thoracem esse imaginem thorace tenus expressam, qualem Græci προτομὴν appellant. Vid. illum et l. c. et ad ejusdem Trig. Tyrann. c. 25. p. m. 322. add. Lips. ad Tacit. Annal. II. 83. Sueton. Calig. cap. 16. 'Inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus: quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente, nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus.' Ad eum locum adfert Casaubonus locum Ciceronis ex Macrob. Sat. I. 3. 'Cum in ea provincia, quam Q. Cicero frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem ejus, ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictum, (erat autem Quintus ipse staturæ parvæ) ait, Frater meus dimidius major est, quam totus.' Idemque ostendit, scuta et coronas, ut hic a nostro auctore, sic etiam jungi a Philone in Legat. ad Caium, his verbis: Σιωπῶ τὰς συμπρησθείσας τῶν αὐτοκρατόρων τιμὰς ἀσπίδων καὶ στεφάνων ἐπιχρύσων. *Jæger*. Trebellius Pollio Claud. 7. 'Rogo, quantum pretium est clypeus in curia tantæ victoriæ, quantum una aurea statua?' *Arntz*.

Coronam] Quales coronæ gratulationis caussa sæpe ab aliis, præsertim exteris, mittebantur. Livius XXXII. 37. 'Legati ab rege Attalo coronam auream . . . . in Capitolio posuerunt.' Cf. Bernecc. ad Justin. XI. 10. 10. Cerda ad Virgil. Æn. VIII. 721. Tho-

masin. de Donar. 20. Græv. ad Ciceron. pro Flacc. c. 31. *Arntz.*

Dedicarunt] Nota, *Italiæ*, ut nomini collectivo, numerum multitudinis adjungi: nisi malis abjicere *dedit*, quod ex *Dei* natum esse videtur. *Jæger.* Ex nostra loci secundum codd. et posteriorem Jægeri sententiam emendatione, collectivo non est opus. *Arntz.*

Sæpe enim et sæpe debetur] Nescio an non fuerit *debebitur*. Cuspiniani codex, verbis inversis, præfert *Debetur enim, et sæpe debetur*, quod commode transformetur in *debetur enim et sæpe debebitur, &c.* Gruterus. Τὸ *sæpe*, tot tantisque auctoritatibus munitum, omnino revocandum fuit: quo facto verbum *debetur* repetendum, vel potius, ut Gruterus voluit, *debebitur* necessario scribendum videbatur. *Jæger.*

Divinitati simulacrum] Petrus Divæus, *tuæ:* vere. *Livin.* Sed potest etiam *tuæ*, citra obscuritatem, subaudiri. *Jæger.*

Virtuti] Quam a *pietate* distinguit vulgato more, cujus exempla habet Wopkens ad Pacati Paneg. c. XXIV. *Arntz.*

Cap. XXVI. § 1 *Rerum sator*] Ita Cicero appellat mundum, de Nat. Deor. II. 34. pr. Jovem Silius Ital. IV. 451. *Jæger.*

Gentium linguas] Nam suo quæque vocabulo gens Deum nominat. *Patarol.* Inde πολυώνυμον Jovem adpellat Lucianus Timon. init. *Arntz.*

Quæ toto infusa] Vide pulcherrimam Dei circumscriptionem apud Georg. Pisid. Mundi opificio n. 857. et seqq. *Patarol.* Cicero de Nat. Deor. I. 15. 'Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, ... ait, vim divinam in ratione esse positam, et universæ naturæ animo atque mente: ipsumque mundum Deum dicit esse, et ejus animi fusionem universam.' Seneca de Benef. IV. 7. 'Quid aliud est Natura, quam Deus, et divina ratio, toti mundo et partibus ejus inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare.' Cf. Paneg. Genethl. XIV. § 2. et Lips. Physiolog. Stoicor. Diss. I. 8. *Jæger.* *Infusa* est in omnibus edd. ante Gruterum, qui unde *infusus* dederit, me latet: hoc scio, id contra codd. factum esse, cum de varia lectione nihil monuerint Puteanus, Schonhovius, aut Livineius; quamvis itaque præter Rivinum omnes deinde Gruterum sint secuti, *infusa* restitui, quod sexto casu ad *mentem* referas. Ita Mamertin. Genethl. XIV. § 3. 'mentem toto infusam esse mundo:' ubi vide. *Arntz.*

Potestas est] Geminam hanc Dei circumscriptionem oratorie ab Ethnico concinnatam adverte, et caute lege; nam, licet hæc de Deo dici possint, non sic tamen debet idem definiri. *Patarol.* Jam Livineius in margine indicavit legendum videri *es;* eamque emendationem reliqui editores recte sunt secuti. *Es* et *est* confundi ostendit, præter alios, Schwarz. ad Plin. Paneg. IX. § 1. *Jæger.* Livineium movisse videtur, quod in Puteolani ed. est, et ipse quoque edidit, *potestas est, quæ:* ita aptius erit *es.* Sed in Rhenan. utriusque Stephani, Rivini, aliisque legitur, *potestas est, qua*, quod servant codd. quia de varia lectione nihil monuit Puteanus, aliique. Primus Livineii conjecturam, *potestas es, quæ*, recepit Gruterus, quem Baunius ceterique sunt secuti: cui conjecturæ tantum non tribuo, ut codd. deseram. Opponit enim *vim mentemque*, quæ *in rerum satore* erat, et *potestatem*, quæ non in eo, sed supra omne cælum erat, quaque opus suum adspiceret. *Arntz.*

Despicias] Lucretius V. 147. sq. 'Illud item non est, ut possis credere, sedes Esse Deum sanctas in mundi partibus ullis.' Potest tamen, quia

debet, citra Epicuri disciplinam, h. l. de Olympo, sede Jovis et Deorum, intelligi, qui superior cælo. Vid. Brouckh. Tibull. IV. 1. 131. et Cl. Volborth. Disp. de Olympo § 22. *Jæger.*

§ 2 *Longissimum habet*] Elegantius illud *habeat* restitui pro vulgato *habet*. De simili voto Mamertin. Paneg. II. § 7. 'Secula sibi optare debet, et innumerabiles annos, et, quantam tu mereris, ætatem.' Adde Cerdam ad Virgil. Æn. IX. 255. *Arntz.*

Progressum] Cicero Philipp. V. 17. 'C. Cæsar ineunte ætate docuit, ab excellenti, eximiaque virtute progressum ætatis expectari non oportere.' Florus Procem. I. 4. 'Si quis populum Rom. quasi hominem consideret, totamque ejus ætatem percenseat, ... quatuor gradus, processusque ejus inveniet.' 'Gradus' et 'processus' jungit etiam Cicer. Brut. c. 65. 'Gradus tuos et quasi processus dicendi studeo cognoscere.' Ovidius Trist. IV. 5. 25. 'Sic tua processus habeat fortuna perennes.' Cicer. de Nat. Deor. I. 6. 'Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur.' Tuscul. IV. 19. 'Philosophiæ ipsius principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent.' Idem in Bruto c. 78. 'Nullum tempus illi umquam vacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur.' Sueton. de Illustr. Gramm. c. 10. 'Ipse ad Lucium Hermam scripsit, se in Græcis litteris magnum processum habere, et in Latinis non nullum.' In his omnibus 'progressus' et 'processus' geminæ sunt significationis. *Jæger.* Ideoque meliores codd. secutus 'processum' dedi, cum et Noster supra VI. § 4. hanc vocem adhibuerit. Mamertin. Genethl. XIX. § 2. 'processu ætatis eveniunt.' *Arntz.*

§ 3 *Bonitas est*] *Bonitas, est et* Cuspin. *Livin.*

Est et pietas] Quemadmodum principes sunt 'pii' ob clementiam, et amorem erga cives: vid. Auson. Paneg. c. IX. § 3. et XVIII. § 3. Claudian. de Cons. Honor. IV. 276. ibique Gesner. item de Cons. Stilich. III. 110. sqq. et de Laude Serenæ Reg. 55. ita hic pietas numini ipsi inesse dicitur. Videtur tamen vox *pietas* aut male e superioribus repetita, aut nata esse ex compendio scripturæ *ptas*, h. e. *potestas*. Melius omnino procedit argumentatio sic instituta: Est in te summa bonitas, et potestas. Ideo, quia bonus es, justa velle debes, et quia potens es, non debes abnuere merentibus; alioquin aut potestas, aut bonitas defuisse videtur. Forsan etiam verba *cum possis* ab explanatore addita, ac proinde sunt abjicienda. *Jægerus.* Mirifice hæc blanditur conjectura, quam confirmant sequentia, 'aut potestas cessavit, aut bonitas.' *Arntz.*

Potestas cessavit] Forte, inquit Daniel, *cessabit*, et ita scribendum, quod et monuit Livineius. Scitur enim solitum *V* poni vice *B*, et contra. *Gruter.* Mihi vero hic nihil mutandum videtur. *Cessare* est h. l. vice sua non fungi, non facere, quod fieri solitum erat. Supra c. XXII. § 2. 'cessat terra novalibus.' Justinus XXXI. 4. 9. 'Antiochus tam assiduo colloquio reconciliatam ejus cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum, (Hannibalem) sicuti solebat, referre, expertemque totius consilii velut hostem, proditoremque suum, odisse cœpit. Quæ res tantum apparatum belli, cessante imperatoria arte, corrupit.' Seneca Octav. III. 671. sqq. 'Cessit thalamis Claudia diri Pulsa Neronis, Quos jam victrix Poppæa tenet, Cessat pietas dum nostra, gra-

vi Compressa metu, segnisque dolor.' Sive igitur *cessavit*, h. l. præterito tempore, sive potius ἀορίστως intelligas, constabit sua huic lectioni veritas et perspicuitas. *Jæger*. *Cessavit* tantum probo; prius enim cessare debuit potestas, quam sua bene meritis negarentur, quamvis *cessabit* magis placeat Schultingio ad Senecæ Controv. II. p. 150. *Arntz*.

§ 5 *Successerit*] Constantinus, credo, filiorum e Fausta, qui ei successere, natu maximus. Fausta, inquam, non illa Maximianæa, sed altera, quam adulterii insimulatam Constantinus morte affecit. Auctor Zosimus II. Sed ambigo, an vere. Nam geminam Faustam, Constantino Magno conjugem, apud cæteros historiços non invenio. *Livin*. Si Imperatorum filii ad publica vota non accesserunt antequam Cæsares creati essent; ut Nazarius cap. 26. refert; sequitur hunc Panegyricum dictum esse, postquam Crispus, et infans Constantinus jam Cæsares facti essent: hoc est, non ante Constantini decimum annum, Christi CCCXVII. Adde Nazarii Paneg. c. I. et II. *Cellar*. Constantinum juniorem innui putat P. De la Baune: at ego Crispum intelligo, nec tunc temporis alios Constantino fuisse filios credo. Hæc enim oratio, ut ille notat, dicta est anno circiter CCCXIII. post Maxentii necem; at Constantinum juniorem natum biennio post, hoc est, a. CCCXV. circiter conjicio: obiit enim, ut tradunt chronologi, anno CCCXL. tertio nempe imperii, ætatis autem vigesimo quinto. In re minus erravit Livineius, quamvis in nominibus magis; intelligit enim Constantinum pariter, Faustæ filium, non illius Maximianææ, ut ipse loquitur, sed alterius. De duplici vero Fausta, Constantini uxore, nulla, quod sciam, apud historicos mentio est. Intellexit igitur ipse Livineius Crispum, Minervinæ, primæ uxoris, filium, at, cum nomina reddidit, dormitavit. *Paterol*. Solus intelligi potest Crispus: nondum enim natus erat ex Fausta Constantinus, in lucem demum editus Arelate, mense Augusto, anno CCCXVI. Vid. Gothofredus Chronol. Cod. Theodos. p. 12. et tamen supra ad init. ostendi, dictum jam ante fuisse hunc Panegyricum in fine anni CCCXIII. aut sequentis initio, quo annorum circiter XV. esse potuit Crispus secundum ea, quæ tradit Baune supra, qui quidem Constantino primum ex Fausta filium esse natum anno CCCXII. scripsit, at vero sibi parum constans, cum eum paucis ante annum CCCXVII. mensibus natum referat. In Crispo tamen manet difficultas, qua dici possit ratione 'successisse,' quod Cæsari foret proprium, et tamen Cæsar demum una cum Constantino fratre factus est Kal. Mart. CCCXVII. Vid. Pagius Dissert. Hypat. p. 348. Gothofredus Chronol. Cod. Theodos. p. 14. not. ad Nazarium Paneg. I. § 1. Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 40. post quod tempus dictum demum fuisse hunc Panegyricum male suspicatur Cellarius, nondum enim Cæsarem fuisse Crispum, cum diceretur, indicant sequentia mox verba, 'cum liberos tuos gubernaculis orbis admoveris,' nondum itaque erant admoti; proinde 'succedere' non de Cæsarea dignitate accipio, sed vulgata notione, qua natus etiam infans dici potest 'in vota reip. succedere,' et verbum illud iis est proprium, quibus eadem atque priori fortuna et sors obtingit. Cf. Burman. ad Calpurn. Declam. 20. quod Imperatoris filio tribui potest. Utrum vero potius scribendum? *succreverit*. Apud Livium XXI. 3. 2. in quibusdam est, 'In paternas succresceret opes;' editur 'succederet.' Cicero de Orat. III. 6. fin. 'Ille mediocris orator vestræ quasi succrescit ætati.' Tibullus I. 7. 55. 'At tibi succrescat proles, quæ facta parentis Augeat, et circa stet

veneranda senem.' *Arntz.*

Ut, cum liberos] Hæc male cohærent, videnturque nonnulla excidisse; nec tamen ullus interpretum de hac re monuit, nec libri, qua scripti, qua excusi, quidquam suppetiarum ferunt. Liceat igitur mihi conjecturam proferre, si minus εὔστοχον, at certe non nimis temerariam. Legendum puto: *Quamvis enim, Imp. invicte, jam divina suboles tua ad reipublicæ vota successerit, et adhuc speretur numerosior: ita tamen erit vere beata posteritas, si, cum liberos tuos gubernaculis orbis admoveris, tu sis omnium maximus Imperator.* Videamus nunc de singulis. *Ita* cum *illa* potuisse commutari facile patet. Ex *si* factum *sit*, quemadmodum in Propert. III. 3. 53. ubi vid. Brouckhus. ex hoc, omissa littera prima, (quæ et ultima est vocis præcedentis, adeoque errori valde oppertuna) *it*; et hoc denique mutatum est in *ut*; sicut in Nepot. Eumen. VIII. 1. observat Heusingerus, *ut*, *it*, *id*, turbari. Sensus itaque erit: Posteritas erit vere beata hac ratione, et lege, si tu, &c. Ita Plinius H. N. XXVII. 10. § 62. 'Valere non diutius anno, et ita, si terram non attigerint.' Idem XXXI. 6. § 32. 'Utuntur et cœno fontium ipsorum utiliter: sed ita, si illitum sole inarescat.' Mitto alios, ipsumque Tullium, qui hoc genus loquendi sæpe usurpat. *Jæger.* Schenckio auctore, *ut* mutandum est in *ubi*; quod vestigiis lectionis vulgatæ propius est, quam emendatio a me proposita. *Idem.* Mihi quoque inpense placet Schenckii conjectura. Nescio tamen, utrumne scripserit, *illo tamen erit vere beata posteritas, ut, &c.* ita cohærent apte omnia. *Arntz.*

PANEGYRICUS X.

Nazarii] Constantinus Aug. quem Magnum appellant, Crispum, Constantinum, Constantium, et Constantem filios Cæsares designavit. In horum quinquennalibus hunc Panegyricum Nazarius dixit, Constantini patris laudes continentem, non filiorum. Porro historiam occisi per Constantinum Maxentii sic oculis subjicit, ut haud plus visurus fueris, si ipsi interfuisses pugnæ. Meminit exercituum divinitus missorum, at historia tripertita refert vexillum crucis in sublimi conspectum. *Rhenan.* Nazarius rhetor insignis Hujus meminit Eusebius in Chron. in fine, Ausonius in Profess. Burdigal. et Epigramm. ad Censor. Attic. Habuit filiam Eunomiam nomine, de qua Hieron. in Chron. in principio. *Putean.* De Nazario vid. Vinet. ad Ausonii Profess. 14. Brouwer Annal. Trev. tom. III. p. 211. Tillemont Histor. Imper. tom. IV. p. 385. Fabric. Bibl. Lat. tom. II. p. 771. Walchius Parerg. Acad. p. 802. Saxe Onomast. tom. I. p. 395. Quamvis autem filiam habuerit Christianam, utrum tamen ipse hanc fuerit religionem professus, mihi non constat. 'Dei' quidem singulari numero meminit infr. cap. VII. § 3. et 4. cap. XVI. § 2. cap. XVIII. § 4. cap. XXVI. § 1. cap. XXVIII. § 1. sed id fecerunt quoque alii. Cf. Burman. ad Lucan. I. 128. patruum meum ad Catonis Distich. I. 1. et socerum Rescript. Boxhornio cap. VIII. ita et more Romano Constantium dixisse 'Divum' videtur cap. XIV. § 6. de eo enim illic loquitur tamquam Im-

peratore, per apotheosin inter Deos relato, quamvis, si Christianum fuisse constaret, hoc facere potuisset eadem ratione, qua alii Christiani Constantinum 'Divum' dixerunt, non propter apotheosin, sed usu magis communi; de quo de Rhoer de Effect. Relig. Christ. in Jurispr. Diss. II. § 6. Dictus autem est, in quo consentiunt omnes, hic Panegyricus anno CCCXXI. quamvis ad præcedentem referat Brouwer. d. l. de quo Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 40. Cf. præter citatos, Gothofredum Chronol. Cod. Theodos. tom. I. p. 291. 412. et 466. tom. III. p. 291. et 293. Valesium ad Ammian. Marcell. XXI. 15. et quidem dictum esse Kal. Martiis scribit Norisius de Num. Dioclet. Diss. I. cap. 1. et 4. quia 'primis Cæsarum,' Crispi et Constantini, quinquenniis sese dicere tradit Noster cap. I. § 1. hi autem eo die, anno CCCXVII. facti erant Cæsares, vid. ad Paneg. præced. XXVI. § 5. quam tamen rationem ad diem determinandum parum certam arbitror, quia per totum annum festivitates, adeoque etiam publici sermones, habebantur, vid. ad Mamertin. Genethl. I. § 3. Romæ dictum esse tradit d. l. Brouwerus, absente autem Constantino, ut patet infr. cap. III. init. ubi cf. Cellarium. Ordo est varius. Quartus est in Guelferb. quocum conspirant edd. Rhenani et Henr. Stephani, qui, computato Plinio, habent quintum; quo loco est in Puteanei cod. variantibus penes me Mss. ut etiam in ed. Paulli Stephani et Rivini, quæ, addito Plinio, sextum ponunt; septimum Livineius et Patarol, sextum Gruterus, omisso Plinio: Baunii, Cellarii, et Jægeri ordinem, quem secutus sum, postulat temporis series. *Arntz.*

CAP. I. § 1 *Beatissimorum Cæsarum*] Crispi, et Constantini pueri. Anno enim Christiano CCCXVII. Crispus juvenis, et superiore anno Arelate natus Constantinus, ambo filii Constantini Augusti, una cum Licinio puero creati sunt Cæsares, uti est in Chronico Alexandrino, et Idacii Fastis, et Excerptis Anonymi de Constantino, ab Valesio vulgatis, quo anno decennalia pater Constantinus agebat. Eusebius de Vita Const. IV. 40. ἀμφὶ τὴν τοῦ πατρὸς δεκαετηρίδα, *circa patris decennalia.* Adde nostri cap. II. § 2. 3. *Cellar.* Crispi, et Constantini junioris; non etiam Constantii, et Constantis, ut puto. Nam, si hæc oratio dicta a. circiter CCCXXI. ut conjectavit P. De la Baune, Constans, qui primus erat post Constantinum juniorem, eo anno aut nondum natus, aut vix natus erat; obiit enim anno circiter CCCL. cum trigesimum circiter ageret ætatis. Hujus meæ opinionis non me fallit fuisse etiam Jo. Le Clerc Biblioth. tom. III. *Patarol.* Titulus tribui solitus Principibus. Gruter. Inscript. p. CCLXXXIII.

D. N. FL. CONSTANTI-
NO. MAXIMO. BEATISSIMO.

et pag. seq.

CONSTANTINI. ET. CON-
STANTI. BEATISSIMO-
RVM. AC. FLORENTISSI-
MORVM. PRINCIPVM.

Jæger. Recte Baunio oblocutus est Patarolus, Constantium tamen et Constantem huc referenti, quia ante hunc Panegyricum eosdem jam fuisse natos tradiderat supr. in vit. Constantini. Confer ad Paneg. præced. XXVI. § 5. *Beatissimorum* titulus est quoque infr. II. § 3. et V. § 5. et XXXVIII. in fin. et apud Incert. Constantin. XIV. § 7. de quo vide Cuperum ad Lactant. M. P. cap. 8. *Arntz.*

Primo fecerunt] Mos signandi tempus imperii per quinquennia, decennia, &c. sub Augusto natus, teste Dione. Et ea quidem ludis ac muneribus celebrabantur, et eorum memoria nummis etiam signabatur. Hoc tamen observo, frequenter fieri non cœpisse, nisi temporibus circiter Con-

stantini: ante ipsum vero non nisi raro factum: ut in aliquibus nummis Alexandri Severi, Balbini, et Philippi videas. In nummis Theodosii legitur etiam VOTIS. XXX. MVLTIS. XXXX. Imitatus est omnino periodi hujus sententiam Politianus Præfat. in Homer. *Paterol.*

Facultatem] Ministerium, libertatem, aut stimulos vestris affectibus. *Idem.*

§ 2 *Nunc cum maxime*] I. e. ita, ut jactare se solet, cum se maxime jactat, vehementissime. De hac forma loquendi vid. Ernesti Clav. Ciceron. Schwarz. ad Paneg. I. 2. 1. *Jæger.* Ad illum Mamertini locum latius monui; *nunc* aliquando addi ostendit Cuperus ad Lactant. M. P. 45. *Arntzenius.*

Alacris omnium] Post *omnium* Mœrl. inserit *studium:* quod si locum tueri deberet, legendum esset *alacre;* sed glossema esse vocis *devotio*, et ex margine in textum irrepsisse videtur. *Jæger.*

Operta mentium] Cf. ad Mamertin. Genethl. XVI. § 4. ad Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 4. 'latebras et recessus in animis' dixit Cicero pro Marcell. cap. 7. *Arntz.*

Rimari] Vid. Weitz. ad Salvian. Gub. Dei II. p. 191. *Idem.*

Judicia prælegantur] Cuspin. Rhenan. Stephan. cum Mss. Livin. Gud. et Mœrl. *animorum indicia perleguntur;* quod verum puto; nam 'prælegere' quomodo huc quadret, non video, nisi novam hujus verbi comminiscamur significationem: 'perlegere' vero est spectare. Virgil. Æn. VI. 33. 'Quin protinus omnia Perlegerent oculis: ni jam præmissus Achates Adforet, atque una Phœbi, Triviæque sacerdos.' De fronte Plinius H. N. XI. 37. § 51. 'Frons et aliis, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In animo sensus ejus,' i. e. ut interpretatur Harduinus, 'hac parte se maxime animus prodit, hic animi vis sentitur, hic se totum exserit.' Infra h. Paneg. c. XIII. § 1. 'Male clausi signa mœroris per vultus indices exierunt.' *Jæger. Judicia prælegantur* ex antiquissima Puteolana secutus est Livineius, et retinuerunt sequentes, præter Henr. Stephanum et Rivinum, qui Rhenani *indicia perleguntur* exhibuerunt, nisi quod in sec. habeat *judicia* Rivinus, ex frequenti utriusque vocis permutatione, de qua dixi ad Arator. I. 88. *judicia perleguntur* probavit Barthius ad Statium Theb. IV. 746. Jægero adsentior. Confudit hæc vulgata *per* et *præ* permutatio, de qua dixi Specim. Observ. cap. VIII. ad Mamertin. Genethl. II. § 1. et quædam feliciter sanavit de Rooy Spicil. Crit. cap. 4. Geminus est Pacati locus Paneg. XXXVII. § 2. 'Intimos mentis adfectus proditor vultus enuntiat, ut in speculo frontium imago exstet animorum:' ubi not. aliorum similia congessit Barthius Advers. XXXI. 4. ad Claudian. Cons. Manl. 118. Nupt. Honor. 9. ad Statium Theb. I. 186. ad Rutil. Itin. I. 547. Schulting. ad Senecæ Contr. I. p. 73. *Arntz.*

§ 3 *Se capit*] Cf. Barth. ad Statii Theb. II. 611. *Idem.*

Quam verior] Possit aliquis suspicari legendum esse, *non verior esse quam ingentior*, i. e. æque ingens ac vera. Ita Livius XXXI. 35. 'Turbavit hunc ordinem pugnandi non acrior, quam pertinacior impetus Romanorum.' (i. e. impetus Romanorum æque pertinax atque acer.) 'Nam haud secus quam si tota acie dimicarent, et velites, emissis hastis, cominus gladiis rem gerebant, et equites, ut semel in hostem evecti sunt, stantibus equis . . . . pugnabant. Ita nec eques regius equiti par erat, insuetus ad stabilem pugnam,' &c. Verum enim vero hypallagen esse malo existimare, de qua vid. Vossius Instit. Or. IV. 12. p. m. 254. *Jæger.*

Si *sed* pro particula adversandi, non transeundi; et *ita* non pro particula intendendi, sed restringendi, habeatur, evanescit hypallage, et sensus hic exsistit: Attamen ita foris prominet, ut ferventioris lætitiæ impetus non egrediatur veritatem. *Idem.* Hypallage non opus est: quo verior est lætitia, eo ingentior. Pacatus Paneg. XXXVII. § 2. 'Tanta se et tam simplici exsultatione jactabat, ut, si esset vera lætitia, nimia videretur:' æque igitur erat ingens, atque vera. Infr. III. § 4. 'Non flos lætior quam uberior adparet:' et XXVI. § 1. 'Non intutior tempore, quam Deo tectior.' *Arntz.*

Gaudent] Guelferb. *gauderet:* male. *Idem.*

Qui exsultandi] Mœrl. *sed exs.* minus recte. *Jæger.*

CAP. II. § 1 *Lenocinatur*] Commendat ea, et jucundiora reddit. Plinius Epist. I. 8. 6. 'Anceps hic et lubricus locus est, (laus propria) etiam quum illi necessitas lenocinatur.' II. 19. 7. 'Potest tamen fieri, ut, quamquam in his difficultatibus, libro isti novitas lenocinetur.' *Jæger.* Quinctil. Declam. XII. 19. 'Infelicitas mea negotianti tibi lenocinata est.' Adde Schulting. ad Senec. Controv. I. p. 74. *Arntz.*

Disseparata] Non absimili ratione in Quinctil. Instit. Or. V. 11. 31. 'disparata' et 'separata' turbantur. *Jæger.* Firmat hanc lectionem etiam Ammian. XIV. 8. ubi Batne ab Euphrate brevi spatio 'disparari,' XXI. 12. ubi amnis civitatem 'brevi disparatione' præterlabi dicitur. Accedit locus Cæsaris B. G. VII. 28. ubi vid. S. V. Morus, et Gell. N. A. XI. 11. *Idem.* Plautus Rud. Prol. X. 'alia aliam disparat.' Taubman. ad eumd. Amphitr. I. 3. 51. Sulpicius Sever. Dial. III. 16. 'tam crudeliter disparatus.' Stephanus ad Saxon. Gramm. Præf. p. 21. *Arntz.*

Præsumtione] Anticipato fructu. Plinius Epist. IV. 15. 11. 'Rerum, quas adsequi cupias, præsumtio ipsa jucunda est.' IX. 3. 1. 'Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bonæ mansuræque famæ præsumtione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit.' Vid. supra Paneg. VII. 12. 2. *Jæger.* Ubi ipse etiam alia addidi. *Arntz.*

§ 2 *Quintum decimum annum*] Nam Imperator dictus anno CCCVI. mortuo patre. Quinquennia autem ista celebrabantur, ut jam dictum, a. CCCXXI. *Paterol.* Cf. Pagii Dissert. Hypat. p. 167. ubi de ratione temporis accurate inquirit. *Jæger.* Et Norisius de Num. Diocl. Diss. II. cap. 3. et 4. Gothofred. Chronol. Cod. Theodos. p. 14. *Arntz.*

Auguramur] Explicant hoc nummi, in quibus legitur, VOTIS. V. MVLT. (hoc est 'multis') X. *Paterol.* Cf. Morellum Specim. Rei Numar. p. 80. *Arntz.*

Venturi] Vid. ad Eumen. Grat. Act. VIII. § 3. *Idem.*

Felicitate sentimus] Liber alius *sanximus*, alter *sancimus*, quod ultimum cum et repræsentet Cuspiniani editio, id non intrepide admiserim. *Gruter.* Sic 'sentire' et 'sancire' etiam permixta fuerunt in Propert. IV. 9. 73. Sensus est: Felicitas præteritorum nobis quasi pignus est, et jubet, nos non solum sperare, sed etiam confidere, fore, ut et posthac, quæ auguramur, eveniant. *Jægerus.* Alteram lectionem confirmat præcedens *auguramur.* Livius VIII. 7. 19. 'morte tua sancienda sunt consulum imperia:' ubi in Voss. eadem varietas. *Arntz.*

§ 3 *Quinquennalia*] Imperatorum quinquennalia, decennalia, vicennalia novimus: hinc vero discimus, per eosdem gradus temporum etiam pro Cæsaribus, qui distincti ab Augustis Imperatoribus minoresque erant, et vota suscepta, et festos dies illorum nomine celebratos. *Cellarius.* Cf. ad

Mamertin. Genethl. I. § 1. *Arntz.*

Sed in destinatis] Mutato ordine Guelferb. *sed jam in d. d. vota.* Arntzenius.

Volucres constituerunt] Consimili ratione hæc verba miscentur in Sallust. Jug. XLIX. 5. ubi vid. Cortius. *Jæger.* De his permutatis agit Drakenb. ad Livium II. 12. 6. et XXVII. 16. 11. *Arntz.*

Propagabimus] Vid. ad Eumenium Constantio III. § 2. et Gratiar. Act. VIII. § 2. *Arntz.*

§ 6 *Est quia immo immensus*] Sic reposui juxta Genevensem editionem an. 1638. cui favet etiam, quod adnotat Acidalius. In aliis legitur, *est in immensum.* Patarol. *In immensum* tuentur notata a Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 16. 2. *Arntz.*

Terminos curant] Bene *curet*, ac *meditatur*, ut in Cusp. est. Nam Constantinum indicari docet, quod mox sequitur, 'propter cælestem in illo favorem.' *Livin.* Non repugno, sed potuit etiam sententia hæc ab oratore indefinite, et generaliter, ut sæpissime fieri solet, efferri. *Jæger.* Quibus in præcedente periodo *est* placuit, necessario hic *curant* scribere debuerunt. Codd. stat auctoritate nostra lectio. *Arntz.*

Cupitorum irriti] Curtius VI. 5. 31. 'irritam spei.' Tacitus Histor. IV. 32. 'irritus legationis.' Cf. Drakenb. ad Silium XII. 51. *Idem.*

Id faciamus] Τὸ *faciamus* ut mutetur in *facimus*, non necesse est, quoniam pronomen *qui*, positum pro *quia*, subjunctivum sibi adsciscit. Ita Cicero Epist. ad Divers. II. 3. 4. 'Sed aliter, atque ostenderam, facio, qui ingredior ad explicandam rationem sententiæ meæ.' VII. 28. 2. 'Nunc contra et vidisse mihi multum videris, cum, prope desperatis his rebus, te in Græciam contulisti; et hoc tempore non solum sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus.' Itemque XVI. 1. 1. 'Peccasse mihi videor, qui a te discesserim.' *Jæger.*

Benignius quam securius] Negatio immittenda, *non benignius quam securius;* et sequentia his tali distinctione nectenda; '*quam securius: quod propter cælestem in illo favorem tam certa adipiscendi spes est, quam optandi soluta libertas.* Acidalius. Necessaria videtur Acidalii emendatio, eoque facilius admittenda, quo crebrioribus exemplis constat, particulam *non* a librariis negligenter fuisse omissam: inclusam itaque uncis contextui ausus sum inserere. Ad Baunii interpretationem quod adtinet, τὸ *benignius* non puto hic significare, ex propensa in Principem voluntate, sed potius largius. Quemadmodum enim *maligne* valet nimis parce et tenuiter, ita e contrario *benigne* significat large et liberaliter. Livius IX. 32. pr. 'Advenientibus Romanis, Sutrini commeatus benigne in castra ante urbem posita advexere.' Mela III. 6. p. 276. A. Gron. de Britannia: 'Siciliæ maxime similis, plana, ingens, fecunda, verum his, quæ pecora quam homines benignius alant.' Idem in Proœm. p. 2. 'longa est magis, quam benigna materia:' ubi vid. Jac. Gronov. *Jæger.* Textum dedi secundum codd. Forte per interrogationem hæc capienda, *id faciamus benignius, quam securius? quod, &c.* Recte *benigne* explicuit Jægerus. Horatius Od. II. 18. 9. 'At fides, et ingeni Benigna vena est.' Ovidius Amor. I. 10. 56. 'Præbeat Alcinoi poma benignus ager.' Tibullus III. 3. 6. 'Et magnas messes terra benigna daret.' Contra Mela II. 2. 6. 'maligne admodum patiens.' Adde Drakenb. ad Livium lib. IX. 32. 2. *Arntzenius.*

Soluta libertas] Quia nec cogimur vota nuncupare, ut olim sub malis Imperatoribus; qua de re dictum ad Plinii Paneg. non semel. *Patarol.* Non impedita. Cicero ad Divers. Ep. I. 9. 61. 'Si essent omnia mihi

solutissima, tamen in republica non alius essem, atque nunc sum.' III. 5. 3. 'Animadverti enim, et didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres, restitueresque et præparares quodam modo omnia, quo mea ratio facilior et solutior esse posset.' Tacitus Annal. IV. 35. 1. 'Non adtingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita, aut si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum, et sine obtrectatore fuit, prodere de iis, quos mors odio, aut gratiæ exemisset.' Idem XIII. 47. 2. 'Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat, ventitabatque illuc Nero, quo solutius urbem extra lasciveret.' Τὸ *tam* ante *certa* omittit Patarol, vitio forte operarum, et *solutam libertatem* interpretatur non coactam. Hoc vero alienum h. l. videtur. *Jægerus*. Valer. Maxim. VIII. 7. ext. 1. 'quo vacuum promtius esset, ac solutius :' ubi Torren. *Arntz*.

§ 7 *Has igitur gratulationes*] Pro accusativo absolute posito haberi possit, per Græcismum, et ellipsin verborum, 'quod adtinet ad,' &c. Vid. Illustr. Harlesius ad Cicer. de Orat. I. 12. § 53. *Schenckius*. Mox vide. *Arntz*.

Aut quasi] Non dubito, quin sit legendum, *redundaturas*. Patarol. Rhenanus et Livineius feliciter emendant, *quas in posterum redundaturas:* quæ emendatio, Patarolo etiam probata adeo certa est et indubitabilis, ut eam non potuerim non recipere. *Jæger*. Idem judicium sequor; ex sequenti potuit voce in *quasi* ultima adhæsisse littera. De voce 'redundare' vide ad Eumen. Constantio XXI. § 2. *Arntz*.

Quis omnium] Forte *quis hominum*. Livin. Non necessarium; quamquam satis constet, eas voces haud raro misceri. Vid. Gronov. ad Livium IX. 8. *Jæger*. Gronovio adde notata ad Mamertin. Maxim. XII. § 2. Genethl. XVIII. § 4. ad Eumen. pro Instaur. Schol. XVII. § 3. *Arntz*.

Dicendo] Marl. et Gud. habet *in dic.* non male; ita enim Cœl. in Epist. Cicer. ad Divers. VIII. 12. 4. 'quod mihi in pecunia minus satis fecisset.' Cf. Sanctius, et Perizon. in Minerv. p. m. 456. et 676. Denique verba (nisi quid forte excidit) ita sunt ordinanda: *Quis omnium queat satisfacere studiis flagr. audientium dicendo has gratulationes, quæ, &c.* Jægerus. Aliter modo Schenckius, sed vera est Jægeri expositio. *Arntz*.

§ 8 *Tremebunda*] Forte *et tremeb.* Livin. Ita conjecisse videtur, propter *proferatur*, quod per copulam τῷ *cogitet* junxerit. *Arntz*.

Proferatur] Magna hic est varietas interpunctionis, et lectionis. Rhenan. et Stephan. hunc in modum: *Jam vero quum publ. t. ut. ampl. velim, et unusquisque priv. suas cogitet, tremebunda proferatur oratio, quæ t. r. vincenda est: in ipsis etiam publicis gestorum ingentium prof. laud. quam augendi cup. præ se ferat? non injuria, &c.* Livineius ita: *Jam vero cum p. t. ut. am. velim, et un. pr. s. cogitet, tremeb. proferatur oratio: quæ t. r. vincenda est, in ips. et p. g. i. p. laudatio quam augendi c. p. s. ferat, non injuria, &c.* Acidalius τὸ *proferatur* mutandum censet in *proferetur*, (quod factum est a Cellario) aut addendum, *necesse est, tremeb. proferatur oratio;* post *vincenda est* στιγμὴν ponit, pro *quam augendi* legit *quum augendi;* post *ferat*, sublato interrogationis signo, incidit; et sic locum hunc exhibet Cellarius, itemque Baunius, et Patarol, excepto, quod hi τὸ *proferatur* retinent. Gruter. et Paris. prior Acidalii interpunctionem præferunt, voces autem *proferatur* et *quam* non immutant. Aliam emendandi viam iniit Livineius, qui post *cogitet* inserendam esse judicat conjunctionem *et*, (postremas nimirum verbi *cogitet* litteras, quæ

facillime omitti potuerunt,) deinde post *laudatio* ponendum verbum *nescio*, ut sit *nescio quam*, vel expellendam voculam *quam*, (quæ scilicet, teste ipso, in suo et Bert. itemque Cusp. quibus et Put. cum Mœrl. accedit, non reperitur;) quo facto hæc exsistit verborum constructio: *Jam vero, cum publicas tantum utilitates amplecti velim, et unusquisque privatim suas cogitet, et tremebunda proferatur oratio, quæ tacita reputatione vincenda est, in ipsis etiam publicis gestorum ingentium professa laudatio augendi cupiditatem præ se ferat: non injuria minuendi metum faciunt, quæ spem amplificationis ex magnitudine sustulerunt.* Scriptura non inconcinna in speciem: sed tamen, si totam orationis seriem consideres, non satis apte cohærens. Sequor itaque Acidalium et Cellarium. Orator metuit, ne exspectationi auditorum non satisfaciat, quia publicas tantum utilitates, et merita Principis in rempublicam universam exponens singulis ea male prætermittere videbitur, quæ cuique eorum privatim obvenerunt, et gratissima carissimaque sunt; ideoque timide profertur oratio, tamquam impar rei tractandæ, et quæ tantæ auditorum cogitationi multa relinquit supplenda et addenda. Deinde, quia, qui profitetur, se laudaturum publica præclare facta, exspectare quodam modo jubet auditores laudum et illustrium facinorum amplificationem; veretur, ne, cum magnitudo rerum amplificationem non admittat, ipse laudes Principis, ingenii culpa, detrivisse, et facta dictis nequaquam exæquasse videatur. *Jæger. Proferatur* revocavi, omnium codd. et edd. ante Cellarium auctoritate munitum. Præsens subjunctivi passim futuri indicativi vim habet, de quo ad Mamertin. Maximian. XIII. § 3. Eumenium Constantio I. § 6. *Arntz.*

Tacita reputatione] Secreta consideratione eorum, qui secum advertent, parum me pro rerum merito dixisse. *Palarel.* Cf. modo Jægerum. *Arntz.*

Vincenda est: in ipsis] Lege *est. In ipsis.* Acidal. Ita primus interpunxit Gruterus, et sequentes. *Arntz.*

§ 9 *Professa laudatio*] Hoc est, suscepta e professo. Geminumque illud Statii Silvar. I. Stellæ et Violantillæ Epithal. 'Ergo dies aderat Parcarum conditus albo Vellere, quo Stellæ Violantillæque professus Clamaretur Hymen.' *Livineius.* Cf. Burman. ad Phædr. IV. 6. 8. Bunneman. ad Lactant. Instit. VI. 15. 15. *Arntz.*

Non injuria] Lege *non injuriam.* Acidal. Non video, qui sententiæ conveniat hæc conjectura: quæ enim sint tanta, ut verbis amplificari nequeant, dicit non injuria, id est, recte efficere, ut metus minuatur, qui ex augendi cupiditate oratori quandoque oboriri possit. *Arntz.*

Ex magnitudine] Ob magnitudinem. Sic Tullius Epist. ad Divers. XIII. 6. 13. 'Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quam maximas, quam primum, quam sæpissime, gratias agat.' Cf. Schwarz. ad Plinii Paneg. XC. § 2. et XCIII. § 1. *Jæger.* Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. I. § 2. *Arntz.*

CAP. III. § 1 *Conspectu abes*] Habita oratio Kal. Martiis, qui natalis erat Cæsarum, uti ex Fastis Idacii, et Chron. Alexandrinæ liquet. Quo tempore Constantinus pater agebat Serdicæ in Dacia nova, ubi L. 1. C. Theodos. de Bon. proscriptor. data est. Nazarius autem videtur tum Romæ fuisse. Vide clausulam hujus orationis. *Cellar.*

Æquiparandi] De 'æquiparare' vide infra IV. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Obterat magnitudinem*] Non integrum hic membrum. Forte fuit, *aut obruta* (vel *obtrita*) *magnitudine magnitudinem obterat.* Acidal. Conjecit, et bene, meo judicio, Puteanus legendum *obteratur magnitudine.* Lec-

tionem tamen mutare nolui, cum desit librorum fides. *Patarol.* Ex ingenio ita emendabat Barthius Advers. XIX. 13. et XXXIII. 4. cujus verba dedit emendatiora Drakenb. ad Silium VII. 247. De neglecta syllaba *ur* dixi supra ad Incertum Constantin. XXIV. § 2. *Arntz.*

§ 3 *Cujus enim divina*] *Cum divina* Guelf. quod primus dedit Gruterus, quem reliqui præter Rivinum in pr. sunt secuti. Confirmat mox repetitum *cumque.* Idem.

Ejus mira comes] Egregia *misericordia.* Estque hic quoque fons et origo, quod non temere jam sæpius inculco, curta scriptura *mia.* Quam qui non assequeretur, amicus noster, Franc. Modius, *indivisa* legendum arbitrabatur. At non ego ei plauser et subscripter. *Livin.* Similis erroris, ex curta scriptura orti, exemplum habemus mox c. VI. § 2. et Paneg. Eumen. Flaviens. nomine dicti c. IX. § 5. Veram lectionem, a Livineio commendatam, tuentur reliqui omnes. *Jæger.* *Misericordia* tuitus est Livineius supra ad Eum. Grat. Act. IX. § 5. *Arntz.*

Præcipitantem] De victoria velut Romæ adsignata egit Barthius ad Claudian. Cons. Honor. VI. 598. *Idem.*

Exceperit, adflictam] Hæc est inquinata scriptura Rhen. et Stephan. quam Acidalius, conjunctione *sed* in suum locum vocata, emendavit; eamque emendationem libri ceteri editi et scripti confirmant. *Jæger.*

Expeditiones] Puta Francos, Germanos, Gothos, aliosque. *Patarol.* Sensus est: Cum, ceteris tuis antea et postea expeditionibus, res haud minores gesseris, quam Roma ex ore et faucibus exitii, et crudelitatis Maxentianæ eripienda, et servanda. *Jæger.*

Faucibus fati] Tullianum ex Catilin. III. 1. ‘Ex flamma, atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam.’ Pro Archia cap. 9. ‘Totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam.’ Adde Barthium ad Claudian. Cons. Honor. IV. 58. ad Statium Theb. II. 698. VIII. 378. *Arntz.*

Primarium est] Roma. *Livin.*

§ 4 *Nobilissimorum*] Cf. infra cap. XXXVIII. § 2. *Arntz.*

Eruptione virtutis] *Eruptione* est ex Puteolani antiquissima, quod etiam placuisse videtur Havercampo ad Tertullian. Apol. 39. in fin. *Idem.*

Uberior] Ad hunc locum pertinet Cicero pro Cæl. cap. 31. ‘In adolescentia vero tamquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, et quantæ fruges industriæ sint futuræ.’ *Idem.*

Grandifera] ‘Grandiferæ’ pro vulgato ‘grandi fenore’ in Ciceronis Philip. II. 39. habent codd. non nulli. *Jæger.* Utrum *grandifer,* quod sola hujus habent loci auctoritate lexicographi, alibi legatur, me ignorare nullus diffiteor; in Cicerone enim apud Jægerum est ex librarii vitio. Neque satis capio, quid sit *grandifer.* Vix dubito, quin legendum sit *glandifera,* id est, jam fructus ferens, ut ‘glandem’ pro quovis fructu accipiant jurisconsulti in L. 1. D. de Gland. legend. L. 236. § ult. de V. S. ‘glandifera robora’ angustiori sensu sunt apud Columell. de R. R. IX. 4. 3. et ‘quercus glandifera’ apud Ciceron. de Legib. I. 1. Nisi potius sit legendum *grandifica.* Ammian. Marcell. XVII. 6. ‘Ætate quidem media, rugosisque membris, sed mente quidem grandifica.’ Inde ‘grandificare’ apud Reinesium Epist. ad Daumium 97. ‘grandescere’ dixit Claudian. Rapt. Proserp. III. 24. ‘Incultis ne forte seges grandesceret arvis.’ *Arntz.*

Et contra rationem] Nescio. Non integrum locum dicam potius, an vocibus etiam aliquot abundantem. Illa quidem *contra rationem ætatis* glossam sapere videntur, et rectius oratio constat una copula *et* deleta. *Acidal.*

Maximorumque fructuum] In Vet. Cuspin. Rhenan. *maximorumque fr.* Quis addubitet, quin verum sit, *maximorum quoque fr?* nam *q'* in veteribus libris explanate *quoque* est. Idem vitium est in Gallien. Trebellii Pollionis: 'Galli Postumum ad imperium vocarunt, exercitibusque consentientibus, qui occupatum Imperatorem libidinibus querebantur.' Repone audacter, 'exercitibus quoque consent.' *Livin.* Non averser Bongarsianum, *maximorum quoque fructuum.* Gruter. Possumus vulgatam lectionem tueri jungendo *contra rationem ætatis, maximorumque fructuum;* ut sensus sit: perceptio fructuum jam grandifera et matura, contra rationem ætatis teneræ, quæ fructus magnos et maturos ferre non solet, et contra rationem maximorum fructuum, qui præcoquam maturitatem non contrahunt. In ea, quam Livineius proponit, lectione τὸ *grandifera,* et *maximorum quoque fructuum* ταυτολογεῖν videtur: in vulgata fructus grandes, et simul maturi ostenduntur. *Jæger.* Livineii emendationem non esse necessariam, docent a me notata ad Mamertin. Maximian. cap. I. et Genethl. III. § 4. Vulgatum recte interpretatus est Jægerus, et tuetur etiam Marcilius ad Catull. p. 638. *Arntz.*

§ 5 *Quorum alter*] Crispus e Minervina. Infra: 'Quanquam ad gloriam vestram fecunda malis suis natio ita raptim adolevit, robusteque recreata est, ut fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret.' Rursum: 'Declarant ecce rationem cupiditatemque votorum facta Crispi, Cæsarum maximi, in quo velox virtus ætatis mora non retardata, pueriles annos gloriis triumphalibus occupavit.' *Livin.* Crispus, qui major. *Paterol.*

Quo semper] Apud Silium Ital. XVI. 606. in quibusdam legitur, 'Annibalem ecce senectus Intremit:' sed ex aliis codd. jam editur 'Annibali.' *Arntz.*

Derivare ad nomen] Ut ad auditum ejus nomen æque, atque ad illud patris ipsius, intremiscere inceperit barbaria. Eumenius Constantino XI. § 1. 'nominis tui terrore munimur.' Cf. supr. ad Incert. Constantin. XXIII. § 3. *Idem.*

Alter jam] Constantinus e Fausta. Infra: 'Te vero, Constantine Cæsar, incrementum boni publici, quibus votis amplectitur Romana felicitas, quæ de te tantum expectat, quantum nomine polliceris.' Lege reliqua. *Livin.* Hic Constantinus puer est, sextum jam ætatis annum agens, eodemque consul cum Crispo fratre: neque hic primus illius consulatus, sed superiore etiam anno cum patre consul fuerat, sicut Crispus tribus ante annis cum Licinio Augusto. *Cellarius.* Cf. supr. ad Incert. Constantin. XXVI. § 5. *Arntz.*

Venerationem sui sentiens] *Patrem sentit,* qui intelligit, quo, qualique patre sit generatus. *Jæger.* In interpretatione Jægero vix adstipulor. *Patrem sentiebat,* quia eadem se veneratione, qua pater, coli videbat, et sentiebat. Ita utriusque idonea est fratris comparatio. In suo nomine *terrorem paternum* videbat Crispus, ob majorem ætatem jam hostibus gravis, *venerationem paternam* in se sentiebat Constantinus, ob minorem ætatem bello gerendo, et terrori incutiendo adhuc inpar, sed veneratione patri æqualis. *Arntz.*

Vincit ætatem] 'Superare annos,' et similia contulit Drakenb. ad Silium IV. 424. *Idem.*

§ 6 *Similitudinem suorum*] Justinus XXIX. 1. 8. 'In suorum quibusque majorum vestigia nitentibus magna indoles virtutis enituit:' ubi Bernec. et Gebhardus ad Nepot. Eumen. I. § 4. *Idem.*

Vividum rumpit] Forte *rumpat,* uti Livineius conjicit, aut *rupit.* Jæger. Vulgatum sequor. De 'vivido inge-

nio' egit pater meus ad Plinii Paneg. XLIV. § 6. *Arntz.*

CAP. IV. § 1 *Ductæ lineæ*] Malim intelligere circumscriptionem figuræ, seu extremas lineas, quibus media includuntur. Gall. *le contour.* Jæger.

§ 2 *Ingenerata*] Bona naturalia, quæ ab ortu nobiscum trahimus, non studio parta, aut per educationem acquisita. *Patarol.* Incertus Constantin. I. § 2. 'Illis ingeneratum est,' ubi Bannius. Eumenius pro Instaur. Schol. VII. § 2. 'Magnis hominibus ingeneratus ardor:' alii 'ingenitus,' de quo dixi ad Mamertin. Genethl. II. § 2. *Arntz.*

Æquiparandi] Cf. notas ad Virgil. Ecl. V. 48. Oudend. ad Sueton. Ner. cap. 53. alterum probat Dausquius Orthogr. part. II. p. 20. *Idem.*

Indole similes] Possis etiam legere, *quippe indole simili*, proxime scripturam Mœrl. Littera *s*, prima vocum sequentium, facile potuit voci 'indole' et 'simili' adhærescere. *Jæger.* Guelf. etiam *indoles similis*, quod restitui: in altera lectione hæret construendi ratio; scribi enim debuisset, *quibus .... indole similibus.* Mihi per parenthesin interpunctio visa est mutanda. *Arntz.*

§ 3 *Contemplatione*] Adspectu. Cf. ad Eumenium Constantio XV. § 2. *Arntz.*

Nisi quod] Infra mox: 'Nisi quod recte factorum contemplator acerrimus,' &c. Iterum: 'Nisi quod te ipsa vis tua cogit agnosci.' Rursum: 'Nisi quod indulgentissimus Princeps eo rariorem habet, quo majore labore servavit.' *Livin.* *Nisi, quod;* lege *nisi quod.* Acidal. Vid. Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXVI. § 5. *Jæger.* Et quæ ibi notarunt Cellarius, et pater meus, cum Dukero ad Florum I. 22. 3. Burman. ad Sueton. Vitell. cap. 7. *Arntz.*

§ 5 *In erudiendo*] Videtur impersonaliter vel passive intelligendum. Vid. Sanctii Minerv. III. 8. ibique Perizonius, et supra Eumenii Grat. Act. XII. 2. *Jæger.*

Secus fieret] 'Recte factis' hoc opponi docent not. patern. ad Plinii Paneg. LXII. § 6. *Arntz.*

Audaciorem] Imitatus videtur Incertum Maximian. VII. 7. 'Ita dicam, ut forte quibusdam videar audacior; veritas tamen meæ erga te devotionis adpareat.' *Idem.*

CAP. V. § 1 *Nemini fas est*] Nimirum sit Bucolicis Bion, Κρίνειν οὐκ ἐπέοικε θεήϊα ἔργα βροτοῖσιν. *Haud fas cernere facta Deum mortalibus ægris.* Pacatus in Theodosium: 'Si fas piumque mortalibus existimare cælestia.' *Livin.* Corippus IV. 166. 'Divina referre, Nec virtus hominum, nec sensus sufficit unus:' ubi plura Rittershus. et Savaro ad Sidon. Apollin. Epist. V. 17. 'Existimare' per loqui, sermocinari recte explicat Abramus ad Cicer. Philipp. II. 4. quo sensu passim judicare designat. Vid. Bosii Index in Nepot. in v. Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. V. 10. p. 404. et quæ dixi ad Sedulium Epist. ad Maced. p. 8. 'existimatio' pro sententia, opinione, et judicio adscruerunt eruditi ad Curtium IV. 12. 21. Oudend. ad Sueton. Tiber. cap. 58. et pater meus ad Plinii Paneg. LXXX. § 1. *Arntz.*

Se contendentibus] Addendum hoc exemplis ellipseos suppletæ, prolatis a Sanctio III. 3. p. m. 324. et 388. *Jæger.*

Præstricta acie] Guelf. *perstricta:* male, propter ea, quæ dicta sunt ad Mamertin. Genethl. II. § 1. et a Jægero ad Eumen. Constantin. XVII. § 1. *Arntz.*

Extrinsecus latent] Aperte falsum: qui enim possunt, quæ extrinsecus posita, latere? Scribe ergo *intrinsecus.* Livin. Cum omnibus quoque codd. Guelf. *extrinsecus latent.* Bannium in recipienda Livineii conjectura cum aliis secutus etiam est Jægerus. Conjiciebat pater meus *extrinsecus*

patent, quod commendare videtur oppositum *occultandis*. Potius tamen hoc non mutaverim, quare *extrinsecus* ex codd. revocavi, sententiæ magis consentaneum. Livineio largior *extrinsecus* posita non 'latere,' sed *extrinsecus* quid 'positum esse.' non adfirmat noster, at vero *extrinsecus* aliquid posse latere, ea nempe, quæ 'operta mentium' dixit supra I. § 2. Plerumque *extrinsecus*, id est, in vultu latent animi virtutes et vitia, quæ adspiciendo non ita statim cognoscantur. 'Occultare' igitur, *quæ extrinsecus latent*, est occultare animi virtutes et vitia, eave, quæ quis mente agitet: cum tamen hæc ex vultu aliquando etiam cognosci queant, ideo in iis erant principibus 'obstructa,' ut dicit § 2. aut 'operta,' ut § 5. quos propter 'objectam venerationem,' aut 'terrorem' adspicere adeuntibus non licebat; in Constantino autem, ita facili, ut omnes eum sine ulla trepidatione adspicere possent, hæc 'patere' videbantur, et erant 'reserata.' Sententia itaque est, ostentatio, sive objecta veneratio non perhibetur speciosa occultandis animi virtutibus, quæ plerumque ex vultu cognosci nequeunt, aut moræ adspectui inferendæ, sed in facili Constantini adspectu omnia patent, cum in reliquis principibus verum fuisset, quod scribit Tacitus Annal. VI. 8. 'Abditos Principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps, nec ideo adsequare.' Si verum foret, *extrinsecus* notare præterea, ut Eutropium IX. 25. exponit Anna Fabri, hoc quoque sensu capi posset, sed apud Eutropium designat extra regis familiam, de qua in præcedentibus erat locutus. *Arntz*.

Speciosa perhibetur] Aperte ineptum est *prohibetur*; sequor itaque Cellarium et socios. 'Perhibere' interdum idem est, quod exhibere, ostendere. Plinius H. N. VII. 25. § 26. 'Idem magnanimitatis perhibuit exemplum;' quo tamen loco Harduinus in aliis 'præbuit' legi testatur, quod confirmat emendationem Livineii. Significat etiam adtribuere. Idem Plinius XVIII. 11. § 26. 'Cum apud veteres ponderosissimo cuique tritico præcipua salubritas perhibita sit.' XIX. 1. § 1. 'Miramur quosdam .... tam multa præteriisse, nulla mentione habita tot rerum sponte curave provenientium, præsertim cum plerisque earum ... major etiam, quam frugibus, perhibeatur auctoritas.' XIX. 29. § 39. 'Magnam auctoritatem huic animali (gryllo) perhibet Nigidius.' XIX. 25. § 55. 'Morsibus imponitur vettonica præcipue: cui vis tanta perhibetur, ut inclusæ circulo ejus serpentes ipsæ sese interimant flagellando.' XIX. 31. § 39. 'In Hispania (sal) cæditur, ... cui jam pridem palma a plerisque medicis, inter omnia salis genera, perhibetur.' *Ostentatio speciosa* est majestas, quemadmodum 'apud Persas persona regia sub specie majestatis occulitur,' ut Justinus ait I. 9. 11. ubi vid. Bernecc. Pacatus in Theodos. XXI. § 3. 'At, quam aliter illorum Principum mos fuit, (quos loquar, notum est) qui majestatem regiam imminui, et vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos, tamquam aliquod Vestale secretum, veneratio occulta consuluisset; nisi intra domesticam umbram jacentes solitudo provisa, et silentia late conciliata vallassent.' *Jæger*. Sententia est, non magnam majestatis speciem, velut quadam ostentatione, ostendere Constantinum, qua ab adspectu adeuntes deterreret. 'Perhibere' itaque est ostendere, exhibere, quo sensu 'perhibere testimonium,' Plinius Paneg. LXXI. § 7. quod ibid. XCV. § 1. in 'pertribuere' mutabat pater meus, invito Schwarzio, quem vide. Ex hac significatione facile quibusdam locis defendi potest scriptura, quæ emendanda putabat Burmann. ad Quinc-

til. Instit. Orat. I. 1. p. 17. *Arntz.*

§ 4 *Iniquus fulgor retundit*] Augustus 'gaudebat, si quis sibi acrius intuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum submitteret.' Auctor Suetonius cap. 79. *Patarol.* Guelf. *iniquum fulgur recondit.* Restitui illud *iniquum fulgur*: boc jubet sequens *serenum lumen*, quod melius 'fulguri,' quam solis 'fulgori' opponitur, quamvis ceteroquin *fulgor* ad præcedentia referri posset § 1. 'oculis in solem se contendentibus præstricta acie,' sed hæc quoque *fulgur* tuentur. Livius XI. 58. 4. 'Fulguribus præstringentibus aciem oculorum.' Suetonius Aug. cap. 29. 'Lecticam ejus fulgur præstrinxisset:' ubi Oudendorp. *Arntz.*

Ad serenum] Hoc in *at* facile mutari posset, sed prævalent codd. *Idem.*

§ 6 *Nulli erroris anfractus*] Singularem tuentur codd. et adpositum *erroris*, cum ceteroquin adcuratius *errorum* scripsisset. Vocem Arnobio advers. Gent. II. p. 57. in meæ edit. margine restituit vir doctus, ut pro 'adeatur inflexibus flexuosis' legatur 'anfractibus flex.' *Idem.*

§ 8 *Semper paria*] *Specie* Guelf. id est, externo habitu, quem 'faciem' alii dicunt. Cf. Cortium ad Sallust. Jugurth. LXXVIII. 4. et LXXIX. 3. *Idem.*

CAP. VI. § 1 *Vestibula*] Pindarus. *'Αρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. Opere vero inchoando illustre ponendum frontispicium est.* Livin. Sermonis exordium vestibulo, ipsis autem ædibus sermonem comparari ex hoc quoque loco notavit Abramus ad Ciceron. pro Cœl. cap. 2. *Arntz.*

Stupenda penetralia] Activam in *stupenda* significationem notavit Heusinger ad Vechner. Hellenol. I. p. 95. *Arntz.*

§ 2 *Tyrannidis impiæ*] Maxentium notat. *Rhenan.* Ex hoc loco bellum contra Maxentium non alia ex caussa suscepisse Constantinum, quam ut ab ipsius tyrannide Italiam liberaret, ostendit Nourry ad Lactant. M. P. p. 296. Cf. supr. ad Incertum Constantino IV. § 2. *Arntz.*

Misericordiæ ambitum] Sententia est: Majestatis pristinæ decus convertebat, et adhibebat ad ambiendam, i. e. quærendam implorandamque misericordiam. Ita Cicero pro Ligar. c. 1. 'Omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est.' *Jæger.*

Sui sorte] Sollemni illa permutatione pronominis possessivi cum primitivo, de qua vid. Mamert. Genethl. II. § 1. *Jæger.* Cf. ad Panegyricorum loca illic citata. *Arntz.*

Fortuna delapsa] Simplex *lapsa* melius hic credam. Mamertin. Julian. 'Paullo ante in laceratis Galliæ provinciis lapsus.' Lego tamen *dilapsa est: et in abject.* Acidal. Acidalius legit *dilapsa*, quod tuetur cod. Bert. cum edd. reliquis. Quod autem, inserenda copula *et*, verbum *dilapsa est* cum sequentibus vult connectere, in eo adsentientem sibi habet neminem. *Jæger.*

In abjectos] De 'abjectis' pro contemtis cf. Barthium Advers. XXV. 5. *Arntz.*

Ex minima] Vid. supr. c. III. § 3. *Jæger.* *Ex minima* solus Livineius, quod unde habuerit, ignoro; videtur tamen ita in Bertin. fuisse. Mendum hoc ipse jam notavit ad Eumen. Grat. Act. IX. § 5. *Arntz.*

§ 3 *A sapientibus*] Plinius in Trajanum: 'Didicimus quidem, cui virtus aliqua contingat, omnes inesse,' et quæ sequuntur. *Livin.* Multi ex antiquis philosophis, ut Aristo, Zeno, aliique, virtutem moralem unam esse, pluribus nominibus appellatam, crediderunt, ita ut, qui unam habet, omnes habeat. Videantur Plutarchus de Virt. Moral. et de Contr. Stoicor. Cicero pluribus in locis, Seneca Epist. 45. ac de Vit. Beat. Consentit D. Ambros. cap. 6. in Lucam: 'Connexæ sibi sunt, concatenatæque vir-

tutes, ut, qui unam habet, plures habere videatur.' *Patarol.* Decretum Stoicorum. Diogen. Laërt. VII. 1. § 65. in Zenonis Vita: Τὰς δὲ ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. *Jæger.* Barth. ad Claudian. Laud. Stilic. II. 101. *Arntz.*

Apta] I. e. juncta, ita ut aliæ virtutes aliarum poscant opem, et conjurent amice. *Jæger.*

Opera juvat] Corruptus hic locus, quem ita restituo: *Sic enim mutua se opera juvant;* vel, *se enim mutuo et opera juvant, &c.* τὸ *juvant* in Pulm. cod. inveni. *Putean.*

Onus urbis] Legendum *honos:* præcessit enim, 'In subjectos officia gratiora sunt, quæ non ex misericordia, sed ex honore venerunt:' ut ibi 'honorem' et 'misericordiam,' ita hic 'ærumnam' et 'honorem' inter se opponit. *Ritters.* *Honos*, dignitas veteris Romæ. Ita Acidalius et Rittershusius legendum censent. Vulgatum est *onus urbis.* Cellar. Postulant illud præcedentia, § 2. ubi de Roma, 'quo major, eo miserabilior.' Voci 'major' hic 'honos;' 'miserabilior' autem τῷ 'ærumna' respondet. Rittershusii notam, in ed. Paris. neglectam, ex ipsius conjecturis post Goldasti Paræneticos huc revocavi. *Arntz.*

§ 6 *Cum stirpe*] Maxentio cum filio Romulo, qui ante patris cladem fataliter erat mortuus. Fasti Idaciani bis consulem cum Maxentio Romulum memorarunt, quem filium Maxentii et Cæsarem, et post mortem consecratum fuisse nummi documento sunt ita inscripti: IMP. MAXENTIVS DIVO. ROMVLO. NV. FILIO. et alius Golzii: M. AVR. ROMVLVS. NOB. CAES. COS. Tristanus nummum habet, quo IMP. ROMVLVS. id est, 'Imperator' vocatur, quasi ex Cæsare Augustus tandem factus. *Cellar.* Cf. supra ad Incertum Constant. VI. § 5. et XVIII. § 1. *Arntz.*

CAP. VII. § 1 *Solet esse*] Recte *solent:* eventus enim hic non significat exitum, et finem, sed quæ eveniunt. Ita Virgil. Æneid. X. 159. sq. 'Magnus sedet Æneas, secumque volutat Eventus belli varios.' *Jægerus.* Cf. Oudend. ad Cæsar. B. G. VI. 41. 1. *Arntz.*

Mars dubius] 'Martem dubium' dixit Ovidius Amor. I. 9. 29. et III. 11. 47.' Adde Drakenb. ad Silium XV. 326. Convenit hic locus Ovidii Trist. V. 8. 15. 'Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat.' *Idem.*

Triste aliquid] Belle Quintilianus Declam. VII. 'O tristis, indigniorque semper mensura calamitatum magna felicitas!' *Patarol.*

Lætitiam vulneravit] Infra: 'Illa armorum ostentatio, et operti ferro exercitus, qui imbelles oculos vulnerassent, invictas mentes incitaverunt.' *Livin.* Vid. Buneman. ad Lactant. Instit. VII. 1. 14. *Arntz.*

Ampla cædes] At, si tam ampla cædes, quomodo itaque incruenta victoria fuerit? Scribo, *tanta hostium et tam ampla seges.* Et ita sensisse, ac scripsisse innuunt etiam illa paulo inferius: 'Incrementum quidem adeptæ felicitatis est malorum commemorata depulsio: verum ut in segetibus, etiam si multa, quæ humum obsederant, industria relevanda sunt, laborem tamen purgati soli nesciunt, qui fructus editos intuentur; sic Constantini laudibus satis est, dum efflorescentia bona cernimus, ut mala excisa reputemus.' *Pontanus,* ad Macrobii Saturn. V. 15. Miseret me adolescentis, qui Macrobium nuper edidit, et hic *seges,* non *cædes,* rescribi jubet, amplamque hostium cædem cum incruenta victoria non conciliat. Acumen correctoris! *Livin.* Pontani emendatione certe non est opus: in *ampla* cæde victoria potest esse *incruenta,* si victis parcatur, quo hunc recte locum refert pater meus ad Pacati Paneg. XXIV. § 2. neque aliud

suadent sequentia. *Arntz.*

§ 2 *Bona conscientia*] Propertius meus, 'Frangit, et attollit vires in milite causa, Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.' *Livin.* Vid. supra Incerti Paneg. Const. Aug. IV. § 5. *Jæger.* Adtulit hæc Grotius J. B. et P. II. 26. § 4. n. 6. ut ostendat, milites eo felicius esse pugnaturos, quo de belli justitia sunt certiores. *Arntz.*

Virtutis magis] 'Virtus' heic fortitudo est bellica, consueta synecdoche. *Cellar.*

§ 3 *Arbiter Deus*] Plautus Capt. II. 2. 63. 'Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque et videt.' Vid. ibi Taubmann. Cf. etiam Gataker. ad Antonin. III. § 16. p. m. 119. sq. et XII. § 2. p. 413. *Jæger.* Cf. Rittershus. ad Salvian. de Gubern. Dei p. 171. *Arntz.*

Cogitationum recessus] Cicero pro Marcell. c. 7. 'In animis hominum tantæ latebræ sunt, tantique recessus.' Supr. c. 1. § 2. dixit 'operta mentium,' ubi vide, et § 3. 'pectorum latebras.' Adde Catan. ad Plinii Epist. III. 3. 6. *Idem.*

Servata divinitas] Præferam *servatura*: sic enim infra: 'Sævissimo hosti multus instares, et libertate cædis exultans donum noctis duceres, quod pugnantem nemo servaret.' Alterum illud, mihi quidem, glossema sapit. *Livineius. Servata* suspectum. *Acidal. Servatura* est scriptura Francof. utriusque Parisin. Patar. et Cellar. concordans cod. Livin. et Lang. eamque tuetur Bannius, prolato jam a Livineio loco Paneg. hujus cap. XXVI. § 1. 'quod pugnantem nemo servaret,' i. e. observaret, intueretur. Sic etiam Nonius 4. 411. p. m. 703. 'Servare, sollicite et suspiciose observare.' Exempla aliorum, qui 'servare' hac significatione dixerunt, adeo sunt in promtu, ut iis adferendis merito supersedeam. In edit. Rhenan. Stephan. Livin. legitur *servata*, manifesto errore. Cuspin. cum Mss. Bert. Gud. et Put. *scrutatura*, a quibus non abludit Schonhov. *serviatura*, totidem quippe constans ductibus. Mœrl. *scrutata*. Jægerus. Elegans illud *scrutatura* eruditos neglexisse miror, quo nihil est auctoris sententiæ convenientius, et placuit Pricæo, hunc locum ita excitanti, ad Act. Apost. I. 24. et cum Lucæ καρδιογνώστα πάντων componenti. Probavit quoque ad edit. suæ marginem Cortius. *Servatura* est languidius; ad recessus enim profundos adcommodatius est 'scrutari,' quam 'servare,' sive 'observare.' Valer. Max. III. 4. ext. 1. 'Intima conditionis humanæ, ac in secessu pectoris repositos adfectus scrutari.' Hoc 'operta mentium rimari' dixerat noster c. I. § 2. *Arntz.*

Nobis lumen] Frequenter ita fuit peccatum. Cf. ad Eumen. Constantio XIII. § 2. Oudend. ad Lucan. VII. 199. Burman. ad Anthol. Lat. IV. 13. vs. 18. *Idem.*

§ 4 *Igitur vis*] Sæpe ita *vis* et *majestas* de Deo junguntur. Cf. ad Mamertin. Genethl. VI. § 2. *Idem.*

Fandi ac nefandi] Virgilius Æneid. I. 546. sq. 'Si genus humanum et mortalia temnitis arma, At sperate Deos, memores fandi, atque nefandi.' *Jæger.* Vocem *discriminatrix* hujus loci auctoritate Fabro addidit Falsterus Supplem. p. 98. *Arntz.*

Illa majestas] Cf. late Abram. ad Ciceron. pro Milon. c. 31. *Idem.*

Meritorum] Valet in utramque partem. Sic Lactantius VII. 21. 7. 8. 'Nec quisquam putet, animas post mortem protinus judicari. Nam omnes in una, communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum, quorum fuerit probata justitia, ii præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata et scelera detecta, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia desti-

nati.' *Jæger.*

Illa nefariam] *Illa piet. t. t. illa nefar.* Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Hæc verba desunt in ed. Livineii. *Jæger.* Non illic desunt, sed hoc ordine posita: *illa nefariam illius t. f. amentiam, illa piet. t. texit:* et ita Paull. Stephanus. Vulgatum ordinem habet Guelf. *Arntz.*

Felici congressione] Vox 'diuturni,' et 'longa,' quæ paulo ante extat, monet me, ut suspicer legendum hic potius, *facili congressione;* nam et statim sequitur, 'qui tam facile vincebas.' *Juretus.* Nec fallitur Juretus, ut puto. *Paterol.* Vix de hujus emendationis veritate dubito; præsertim cum frequenter ita aberraverint librarii, de quo dixi ad Mamertin. Genethl. IX. § 3. sed contra codd. in *felici* conspirantes, nihil immutare sum ausus. *Arntz.*

CAP. VIII. § 1 *Gravate*] Gud. et Mœrl. mendose exhibet *graviter. Jæger.*

Etiam apud animum tuum male] Ita Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Sed jam in ora ed. Rhenan. et Stephan. adnotatur, in aliis legi *mali*, idque ex Bert. profert quoque Livineius, quibus accedit Mœrl. Ceterum visa est concinnior collocatio verborum in cod. Bert. ubi *etiam* ante *mali* ponitur: eam igitur amplector. *Jægerus. Male* omnes ante Gruterum, et post in pr. Rivinus. In verborum ordine Jægero adsentior. *Arntz.*

§ 2 *Imperando habilem*] *Hominem* per contemtum dixit, ut infr. IX. § 1. et eumdem Maxentium Incertus Constant. XIV. § 2. 'vilissimum hominem.' *Idem.*

Animi angustias] Cicero in Pison. c. 11. 'non capiunt angustiæ pectoris tui.' *Idem.*

Quod qui] Lege simpliciter *quod*, ablata virgula a posteriori. *Acidalius. Quam* ex codd. etiam Guelf. consensu restitui: refer ad præcedens 'magnitudo,' aut 'majestatis.' *Arntz.*

§ 3 *Indignissimos*] Eorum, qui nihil tale meruerant, quam vocis notionem explicuit Bunemann. ad Lactant. Instit. III. 17. 10. De ipsa re cf. ad Incertum Constantin. III. § 6. *Idem.*

Libidinum] Cf. ad Incertum d. l. et IV. § 4. *Idem.*

Patrimoniorum] Innocentium capita cum bonis donasse Maxentium dicit Incert. Constantin. III. § 6. ubi vide. *Idem.*

§ 5 *Adeptæ felicitatis*] Tacitus Annal. I. 7. 'adepto principatu.' *Cellar.* Cf. Drakenb. ad Livium II. 16. 6. Supra II. 9. 'professa laudatio,' ubi vide; et de passivo deponentium usu ad Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 4. *Arntz.*

CAP. IX. § 1 *Illum*] Maxentium. *Paterol.* Cf. ad Incert. Constant. XIV. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Experiebaris*] 'Experiri' est uti, de quo Cortius ad Sallust. Jugurth. XXXI. § 5. *Idem.*

Remedia meliora] Fœderis nempe conditiones offerre volens, quam statim arma capessere, ut sic vulnus lenires, non resecares. *Paterol. Molliora* primus dedit Gruterus, et sequentes præter Rivinum, quod etiam habet Guelf. et proximum 'leniri,' et 'mitior medicina' satis confirmat, eoque pertinet 'mollis' medicorum 'manus,' de qua Gronovius Observ. II. 1. Emendandus hinc Hegesippus Excid. Hieros. I. 12. in fin. 'Ab executione præcepti severioris ad meliora inflecteret.' Egregie ex Ms. dedit 'molliora' Gronovius Observ. in Eccles. c. 6. hoc enim oppositum 'severioris' postulat. Apud eumd. V. 13. 'Ad mutandum in melius servitium,' alii 'mollius,' ut I. 16. princ. 'verbisque in mollius suppliciter inflexis,' ut recte pro 'mollibus,' quod editur, exstat in ed. 1544. et ex Mss. emendat Wasse ad Sallust. Fragm. Hist. VI. 22. apud Tacitum Hist. I. 69. 'meliora constantius postulando,' emendat Acidalius 'mol-

suadent sequentia. *Arntz.*

§ 2 *Bona conscientia*] Propertius meus, 'Frangit, et attollit vires in milite causa, Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.' *Livin.* Vid. supra Incerti Paneg. Const. Aug. IV. § 5. *Jæger.* Adtulit hæc Grotius J. B. et P. II. 26. § 4. n. 6. ut ostendat, milites eo felicius esse pugnaturos, quo de belli justitia sunt certiores. *Arntz.*

Virtutis magis] 'Virtus' heic fr... titudo est bellica, consueta syne... che. *Cellar.*

§ 3 *Arbiter Deus*] Plautus ... 2. 63. 'Est profecto Deus ... nos gerimus, auditque et ... ibi Taubmann. Cf. etiam ... Antonin. III. § 16. p. ... eni- XII. § 2. p. 413. *Jæ...* ... oas, ad- ... shus. ad Salvian. d... ...mpetrabas, 171. *Arntz.* ... antumvis con-

Cogitationum ... conveniendi copiam ... Marcell. c. 7 ... que ad concordiam, et tantæ lateb... ...cares. *Jægerus.* Minus sus.' Sur... ... Acidalii conjecturam mentiun... ... Baunii, et Jægeri interpre- rum in ... quem in tollenda post *voluntatem* ... nii F... ...rrogatione sum secutus. Hæc ... Constantini studium indicant, ... Italiam a tyrannide liberaret, ita ...men, ut, cum bellum meditaretur, prius quævis tentare voluerit, quibus illius calamitates averteret. Parum enim hunc locum facere puto ad probandum, illud primum a Maxentio inlatum esse, ut putavit Bauldri ad Lactant. de M. P. 43. in fin. nisi hoc sensu, quod, cum illa Constantini remedia sperneret, inde caussam bello dedisse dici possit: quædam dixi ad Incertum Constant. cap. IV. § 2. *Arntz.*

Conveniendi] *Et* inseruit Gruterus cum sequentibus præter Rivinum; abest vero in Guelf. retinui tamen, quamvis sola Bert. et Mœrl. modo apud Jægerum, auctoritate nitatur; in suis enim id invenisse non videtur Puteanus, quia pro varia lectione nicum Mss. Ber... ...ura, a quibu... ...serviatura, ... ductibus ... ...nsem- Elegan... ...Observ. lexi... ... de commentatione se... ... eo Jæge- ... ... risimilius: ... ... v. 6. ext. ... ... quem 'con- ... ... XXXI. 4. 3. ... ... e' dixit Ma- ... ... § 4. *Idem.*

...*atem*] Lege *voluntatem* ... Recte Acidalii inter- ... recepit Jægerus, quem ...de. *Arntz.*

... concordiam, quam] Deest post *concordiam* vocula *magis*, vel *potius*; cujus ellipseos multa exempla Cort. ad Sallust. Catil. IX. § 5. et XX. § 17. et viri docti, quos ad priorem locum laudat, proferunt. Cf. etiam Bos Ellips. v. μᾶλλον, pag. 555. sqq. ed. Schwebel. et Vechner. Hellenolex. I. 1. 5. p. 138. sq. *Jæger.* Eamdem hoc loco ellipsin notavit Livineius ad Plinii Paneg. XLV. § 1. plura dedi exempla ad Sedulium Carm. v. 76. recte hinc Haloandro obloquitur Duker. ad Livium XXV. 29. 6. in L. 1. D. de Mort. causa. donat. emendanti, 'magis quam;' neque opus fuisset, ut in L. 2. § 1. D. de Reb. credit. a quibusdam insereretur, ut docet Bynckersh. Obs. Jur. R. I. 10. *Arntzenius.*

Duxerit] Id spectaverit, cogitaverit. Cic. in Verr. I. 48. 'Debere eum quoque aiebat suam rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet.' *Jæger.* Rationibus 'ducere' proprium esse docuit Cortius ad Cicer. ad Divers. VII. 3. 4. Inde fluxit significatio spectandi, rationem alicujus habendi, quo modo 'rationem deducere' est apud Sueton. Aug. cap. 42. de quo Gronovius Observ. II. 10. *Arntz.*

§ 4 *Non capiat*] *Capiat* pro vincat. *Rhenan.* Ita Horatius Epist. II. 1. 156. 'Græcia capta ferum victorem

...cnt enim 'malig-
...ndido et simpli-
...vicuit,' juxta
...nverso vir-
...i non ex-
Pata-
...n-

...ap.
...r Con-
...d sane τῷ
est oppositum.
...*nda* hic valet impe-
...ordiæ, vel si concordiam
...es. Hanc itaque emenda-
...em, cui etiam codicis Mœrl. auctoritas suffragatur, recipiendam judicavi. *Jæger.* Nullus diffiteor, *impetranda* sese quadam veri specie commendare, et satis convenire 'concordiæ voluntati,' quam § 3. laudavit. Sed cum præcedat 'Imperator,' mihi Imperatoris dignitati minus consentaneum videtur, ut ab homine, qui imperium occupavisset, rogando concordiam 'inpetraret;' quanto autem fortius est, si pro imperio suo, quod habebat legitimum, Constantinus eamdem ipsi 'imperasse' dicatur; atque hinc 'negata concordia' infra XIII. § 5. majorem habet emphasin; quod enim ab alio 'inpetrare' debemus, huic sua est negandi facultas; sed qui negat, quod a legitima, et summa potestate ipsi imperatur, is id agit, quod in suo non est arbitrio, majorisque se criminis reum facit. Neque video, quare *concordia* ab eo non possit civibus 'imperari,' res novas et dissensiones molientibus: non dissimili ratione 'clementiam victoribus imperare' dixit Incertus Constantin. VI. § 1. *Arntz.*

Urbis daturum] Forte *urbis fuisse daturum*. Livin. *Fuisse* debet certe subaudiri. Frequens tamen est ellipsis hujus verbi, tum alibi, tum in hocce Panegyrico. Sic infra cap. XI. § 1. 'te laturum putavit:' § 2. 'An credidit, conserenda manu non inferiorem?' et § 4. 'quem eadem vetustas locuta est conspicari solitum naves.' cap. XII. § 1. 'quis dubitet, divinitus armis tuis deditum?' cap. XIV. § 1. 'In ore denique est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos præ se ferebant.' cap. XV. § 4. 'Romano quodam in bello ferunt,... juvenes... ad remunerandam industriam requisitos.' *Jæger.*

CAP. X. § 1. *Possunt coire*] Hæc eo pertinent, quod propter diversos in Constantino et Maxentio mores, diversamque indolem, nulla potuerit ratione fieri, ut inter eos coleretur concordia, et amicitia: 'in amicitia' enim 'valere similitudinem morum' recte scribit Nepos Attic. v. § 3. Suetonius Othon. cap. 2. 'summum inter amicos locum tenuit congruentia morum:' quibuscum nostri verba illic recte contulit Gruterus: adde Rittershus. ad Salvian. Gub. Dei VIII. p. 109. *Arntz.*

Copula, quæ] De *copula* vid. Gebhard. ad Nepot. Attic. v. § 4. *Idem.* 'In diversa tendere' explicuit Priceus ad Apul. Met. II. p. 127. *Idem.*

§ 2 *Bonorum civium*] Patri meo *civium* magis placebat; ut 'seminarium reipublicæ,' Cicero de Offic. I. 17. 'Catilinarium,' idem in Catil. II. 10. 'juventutis' apud Incertum Maximian. II. § 4. *civilium* tamen habet quoque Gueiferb. et 'bona' magis 'otio,' 'quieti,' 'paci' conjungi videntur, quam ipsi 'cives.' Ita 'seminarium triumphorum,' Cicero in Pison. cap. 40. 'malorum,' Apuleius Apol. p. m. 522. *Idem.*

§ 3 *Quam æger*] Seneca, 'Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.' *Patarol.*

His] Guelf. *iis*, ex frequenti in hoc cod. permutatione. Vid. Jæger. infra XVII. § 1. *Arntz.*

liora:' ubi cf. Ernesti. Apud eund. Hist. IV. 32. recte emendatur, 'molliora referre jussum.' *Arntz.*

§ 3 *Quin extorques animo*] Lege, *itaque extorques inimico tuo.* Probat, quod infra: 'Sed profecto nulla vi possunt coire, quæ naturali divortio dissident.' *Acidalius.* Tollendum est, quod omnia exempla, typis excusa, (excepto Cuspin.) obsedit, signum interrogationis, et *quin* intelligendum ita, ut adseveret, et vicem τῆς *imo* expleat. Sensus itaque erit: Poteras juste arma capere, quamquam nondum a Maxentio lacessitus. Suadebant tibi id vota hominum, suadebat et odium, quod in vitia ejus conceperas. Sed, quæ tua est clementia, vulnus non ense recidere, sed lenioribus remediis sanare cupiebas, adeoque ab animo ipse tuo impetrabas, ut hominis istius, quantumvis contaminati vitiis, conveniendi copiam quæreres, eumque ad concordiam, et societatem vocares. *Jægerus.* Minus veri similem Acidalii conjecturam facit vera Baunii, et Jægeri interpretatio, quem in tollenda post *voluntatem* interrogatione sum secutus. Hæc autem Constantini studium indicant, quo Italiam a tyrannide liberaret, ita tamen, ut, cum bellum meditaretur, prius quævis tentare voluerit, quibus illius calamitates averteret. Parum enim hunc locum facere puto ad probandum, illud primum a Maxentio inlatum esse, ut putavit Bauldri ad Lactant. de M. P. 43. in fin. nisi hoc sensu, quod, cum illa Constantini remedia sperneret, inde caussam bello dedisse dici possit: quædam dixi ad Incertum Constant. cap. IV. § 2. *Arntz.*

Conveniendi] *Et* inseruit Gruterus cum sequentibus præter Rivinum; abest vero in Guelf. retinui tamen, quamvis sola Bert. et Mœrl. modo apud Jægerum, auctoritate nitatur; in suis enim id invenisse non videtur Puteanus, quia pro varia lectione nihil notavit. 'Convenire' per consentire exponit Wopkens in Observ. Miscell. Nov. tom. X. p. 157. de congressu tamen in sua interpretatione magis cepit Baune, et cum eo Jægerus, quod mihi etiam verisimilius: ita usus est Valer. Maxim. V. 6. ext. 4. et legati dicuntur ad aliquem 'convenire' apud Justinum XXXI. 4. 3. id 'in unum convenire' dixit Mamertin. Genethl. XIII. § 4. *Idem.*

Concordiæ voluntatem] Lege *voluntatem.* Acidal. Recte Acidalii interpunctionem recepit Jægerus, quem modo vide. *Arntz.*

Si concordiam, quam] Deest post *concordiam* vocula *magis,* vel *potius;* cujus ellipseos multa exempla Cort. ad Sallust. Catil. IX. § 5. et XX. § 17. et viri docti, quos ad priorem locum laudat, proferunt. Cf. etiam Bos Ellips. v. μᾶλλον, pag. 555. sqq. ed. Schwebel. et Vechner. Hellenolex. I. 1. 5. p. 138. sq. *Jæger.* Eamdem hoc loco ellipsin notavit Livineius ad Plinii Paneg. XLV. § 1. plura dedi exempla ad Sedulium Carm. V. 76. recte hinc Haloandro obloquitur Duker. ad Livium XXV. 29. 6. in L. 1. D. de Mort. causa. donat. emendanti, 'magis quam;' neque opus fuisset, ut in L. 2. § 1. D. de Reb. credit. a quibusdam insereretur, ut docet Bynckersh. Obs. Jur. R. I. 10. *Arntzenius.*

Duxerit] Id spectaverit, cogitaverit. Cic. in Verr. I. 48. 'Debere eum quoque aiebat suam rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet.' *Jæger.* Rationibus 'ducere' proprium esse docuit Cortius ad Cicer. ad Divers. VII. 3. 4. inde fluxit significatio spectandi, rationem alicujus habendi, quo modo 'rationem deducere' est apud Sueton. Aug. cap. 42. de quo Gronovius Observ. II. 10. *Arntz.*

§ 4 *Non capiat*] *Capiat* pro vincat. *Rhenan.* Ita Horatius Epist. II. 1. 156. 'Græcia capta ferum victorem

cepit.' *Jægerus.*

In consortium] Sicut enim 'malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit,' juxta Senecam Epist. 7. sic e converso virtutis consortium vitiorum, si non extinctio, saltem repressio est. *Patarol.*

§ 5 *Concordia imperanda*] Forte *impetranda.* Livin. Bene, ut mihi quidem videtur. Concordia enim 'impetrari' potest, 'imperari' vix ac ne vix quidem potest. Infra cap. XIII. § 5. 'negata esse' dicitur Constantino 'concordia,' quod sane τῷ 'impetrare' directe est oppositum. *Concordia impetranda* hic valet impetratione concordiæ, vel si concordiam impetrasses. Hanc itaque emendationem, cui etiam codicis Mœrl. auctoritas suffragatur, recipiendam judicavi. *Jæger.* Nullus diffiteor, *impetranda* sese quadam veri specie commendare, et satis convenire 'concordiæ voluntati,' quam § 3. laudavit. Sed cum præcedat 'Imperator,' mihi Imperatoris dignitati minus consentaneum videtur, ut ab homine, qui imperium occupavisset, rogando concordiam 'inpetraret;' quanto autem fortius est, si pro imperio suo, quod habebat legitimum, Constantinus eamdem ipsi 'imperasse' dicatur; atque hinc 'negata concordia' infra XIII. § 5. majorem habet emphasin; quod enim ab alio 'inpetrare' debemus, huic sua est negandi facultas; sed qui negat, quod a legitima, et summa potestate ipsi imperatur, is id agit, quod in suo non est arbitrio, majorisque se criminis reum facit. Neque video, quare *concordia* ab eo non possit civibus 'imperari,' res novas et dissensiones molientibus: non dissimili ratione 'clementiam victoribus imperare' dixit Incertus Constantin. VI. § 1. *Arntz.*

Urbis daturum] Forte *urbis fuisse daturum.* Livin. *Fuisse* debet certe subaudiri. Frequens tamen est ellipsis hujus verbi, tum alibi, tum in hocce Panegyrico. Sic infra cap. XI. § 1. 'te laturum putavit:' § 2. 'An credidit, conserenda manu non inferiorem?' et § 4. 'quem eadem vetustas locuta est conspicari solitum naves.' cap. XII. § 1. 'quis dubitet, divinitus armis tuis deditum?' cap. XIV. § 1. 'In ore denique est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos præ se ferebant.' cap. XV. § 4. 'Romano quodam in bello ferunt,... juvenes... ad remunerandam industriam requisitos.' *Jæger.*

CAP. X. § 1. *Possunt coire*] Hæc eo pertinent, quod propter diversos in Constantino et Maxentio mores, diversamque indolem, nulla potuerit ratione fieri, ut inter eos coleretur concordia, et amicitia: 'in amicitia' enim 'valere similitudinem morum' recte scribit Nepos Attic. V. § 3. Suetonius Othon. cap. 2. 'summum inter amicos locum tenuit congruentia morum:' quibuscum nostri verba illic recte contulit Gruterus: adde Rittershus. ad Salvian. Gub. Dei VIII. p. 109. *Arntz.*

Copula, quæ] De *copula* vid. Gebhard. ad Nepot. Attic. V. § 4. *Idem.* 'In diversa tendere' explicuit Pricæus ad Apul. Met. II. p. 127. *Idem.*

§ 2 *Bonorum civium*] Patri meo *civium* magis placebat; ut 'seminarium reipublicæ,' Cicero de Offic. I. 17. 'Catilinarium,' idem in Catil. II. 10. 'juventutis' apud Incertum Maximian. II. § 4. *civilium* tamen habet quoque Gueiferb. et 'bona' magis 'otio,' 'quieti,' 'paci' conjungi videntur, quam ipsi 'cives.' Ita 'seminarium triumphorum,' Cicero in Pison. cap. 40. 'malorum,' Apuleius Apol. p. m. 522. *Idem.*

§ 3 *Quam æger*] Seneca, 'Difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.' *Patarol.*

His] Guelf. *iis*, ex frequenti in hoc cod. permutatione. Vid. Jæger. infra XVII. § 1. *Arntz.*

Ex nequitia protulerunt] Hanc locutionem cum similibus aliorum locis contulit Pricæus ad Pauli Epist. II. Timoth. IV. 13. *Idem.*

Appetitum tuum refugit] *Amicum tuum* Vet. Injecit mihi manum scriptæ lectio, ac de insigni aliqua menda suspicionem fecit. Et fallor? an germanum est? *affectum tuum*. Idque qui non assecuti librarii, ignotæ et insolenti voci non unum interpretamentum dederunt, et alii *appetitum*, alii *amicum* (quod vero propius) interpolarunt. Propius dixi. Non enim sane hoc 'affectus' est, quod 'amicus,' sed necessarius, ac propinquus. Capitolinus M. Antonino Philosopho: 'Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii, nec in ejus affectus sæviit, sed per senatum hostis est judicatus.' Volcatius Gallicanus Avidio Cassio: 'Nec tamen Antoninus graviter est iratus rebellione cognita, nec in ejus liberos, aut affectus sæviit.' Iterum: 'Denique cum quidam diceret reprehendendum Antoninum, quod tam mitis esset in hostem suum, ejusque liberos, et affectus, atque omnes, quos conscios tyrannidis repperisset,' &c. Idem Capitolinus Maximinis: 'Quare timentes milites, quorum affectus in Albano monte erant, medio forte die, cum a prœlio quiesceretur, et Maximinum, et filium ejus in tentorio positos occiderunt.' Rursum Gordianis: 'Affectus suos unice dilexit, filium et nepotem ultra morem, filiam et neptem religiose.' Ipse Antoninus Epistola, quam Capitolinus refert Clodio Albino: 'Quod interim a te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad ejus affectus perveniat, nosque videamur in locum viventis consulem surrogasse.' Jam (quod superest) quæ necessitudo Constantino, Faustam, Maximiani Herculii privignam, in matrimonio habenti, cum Maxentio, Herculii ejusdem filio, saltem ut vulgo creditum est, cui dubium? *Livin.* Reponere *affectum* gestit Livineius, et gloriantur emendationem tuetur. At, meo judicio, tanti ea non est; nec video, quantum distet vox hæc ab illa. *Patavol.* Livineius exemplis quidem satis luculentis docet, 'affectus' dici propinquos: sed propterea non videtur sollicitanda lectio, quam libri omnes, excepto ipsius Livin. codice, tuentur. Gruterus friget. 'Appetitus' est actio appetendi, desiderium, ut 'petitus,' Lucret. III. 173. 'Attamen insequitur languor, terræque petitus.' *Jægerus.* Livineii conjecturam non capio. Largier 'affectus' designare propinquos, sed quid tum erit *affectum tuum refugit?* utrumne, te propinquum suum refugit? sed ea insolens locutio. Præterea per nuptias cum Fausta, Maximiani filia, Maxentii erat adfinis Constantinus; dubito autem, utrum de adfinitate 'adfectus' dici queat; est enim vox ea magis liberis, et sanguine junctis propria. Vid. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. IV. p. 387. in Not. V. D. ad Juvenc. Hist. Evang. III. 547. Cannegieter ad Fragm. Vet. Jurispr. pag. 185. et quæ dixi ad Incertum Maxim. VII. § 2. 'Adpetitus' Constantini fortius studium, animumque indicat, ad promovendam remediis mollioribus concordiam, ut apud Ciceron. de Offic. I. 29. 'Adpetitus rationi obediant.' 'Adpetere societatem' dixit Sallust. Jug. cap. 15. fin. unde hoc simplici 'petitum' prætulerim, quod viro cl. placebat. *Arntz.*

Adversatur] Forte *aversatur*. *Livin.* Recte, si referri debet hoc verbum ad *appetitum*; nam loci Plauti et Taciti, in quibus 'adversari' quarto casui junctum videtur, sunt admodum incerti. Vid. Ernesti ad Tacit. Hist. I. 1. Sed potest τὸ 'adversari' etiam absolute intelligi, ut in Terent. Ad. I. 2. 64. 'Cum placo, adversor sedulo, et deterreo.' Phorm. I. 2. 25. 'Cœpi adversari primo.' *Jæger.* A-

versatur etiam conjecit pater meus ad Plinii Paneg. XLVI. § 4. ut hæc confundi docent not. ad Curtium V. 8. 16. et VII. 1. 29. Drakenb. ad Livium VIII. 7. 14. Klotz. Miscell. pag. 89. Codd. tamen omnes *adversatur* tuentur, quod retinendum puto. Non tantum id concordiæ et societatis studium refugiebat Maxentius, sed etiam eidem adversabatur, hostili animo Constantino resistens, et quævis inpedimenta obmovens, quo minus salutaria Constantini consilia ad effectum perducerentur. Neque video, quare necessario legendum sit *aversatur*, si ad *adpetitum* referas. Quid enim inpedit, quo minus *adpetitum* subaudiatur eo casu, qui τῷ *adversatur* vulgo jungi solet? *Arntz.*

Simile est] Confer Constantini et Maxentii comparationem apud Incertum Constantino IV. § 3. *Idem.*

§ 4 *Concordiæ ratio*] I. e. concordia. Periphrasis non infrequens Ciceroni, v. g. in Verrem I. 2. 'Neque tanta fortunis omnium pernicies potest accidere, quam opinione populi Rom. rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis, ab hoc ordine abjudicari.' III. 98. 'Dixi jam antea, judices, ut has omnes injurias tollatis, tamen ipsam rationem arandi spe magis, et jucunditate quadam, quam fructu, atque emolumento teneri.' Idem de Invent. I. 2. 'Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur.' Et ad Divers. Epist. II. 3. in fin. 'Sed aliter, atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiæ meæ.' *Jæger.* Periphrasin hanc inprimis amat noster. cap. II. § 1. 'futuri ratio:' cap. XV. § 7. 'negotiorum ratio:' cap. XX. § 2. 'ratio certaminis:' c. XXV. § 7. 'considerati ratio:' cap. XXVIII. § 1. 'ratio disponendi exercitus:' c. XXXVIII. § 6. 'reip. ratio.' *Arntz.*

CAP. XI. § 1 *Tamen nequeo*] An excidit negativa, scripsitque? *mirari tamen non nequeo*: certe simile aliquid requirit orationis nexus. *Gruter.* Legendum sane, *non nequeo.* Patarol. Nil muto. Inpudens fuisset Maxentius, si ausus fuisset optare, ut sibi pax a Constantino offerretur; ideo mirari noster non poterat, quod eam non esset amplexus. Si enim inpudens sit aliquid optare, æque inpudens est, si quis id oblatum amplectatur; nil itaque mirum est, si hoc repudiet. *Arntz.*

§ 2 *Natura adfert*] *Natura fert.* Puteanus. Sed pro *affert* stat Cicero Orat. pro Murena c. 2. 'Natura adfert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur.' Verum non est dissimulandum, Lambinum, Muretum, et Grævium etiam hoc in loco repositum velle 'fert,' et sic legi in Quinctil. Instit. Or. V. 11. 23. dissentiente tamen cod. Gothano, in quo 'affert' reperitur. *Jæger.*

Injuria ejus] Quia potius illatæ *ei*, quem ames. Gellius IX. 12. 16. 'Injurias dicimus tam illorum, qui patiuntur, quam qui faciunt.' Sic in passiva significatione dicitur Plin. Paneg. XXXVII. § 1. 'Onera imperii, pleraque vectigalia instituí, ut pro utilitate communi, ita singulorum injuriis, coëgerunt.' Ita et hic debere intelligi, satis superque claret. *Jæger.* Recte Jægerus; de hoc genitivi usu dixi ad Arator. I. 51. *Arntz.*

Amore graviores] Cf. Rittershus. ad Salvian. p. 179. *Idem.*

Conferenda manu] Vet. *conserenda.* Sic incertus author Constantino: 'Manu cum hostibus conserenda.' *Putean.*

Non inferiorem] Sc. se futurum esse. *Jæger.*

§ 3 *Tam sæpe*] Videtur noster plura innuere Maxentii prælia cum Constantino; ast ab historicis nonnisi illius ad Milvium pontem fieri mentionem observo. Nam si pugnam cum Severo Cæsare intelligas, ipse quin-

immo victor fuit, capto, occisoque ipso Severo, testibus Sex. Aur. Victor. Eutrop. lib. x. Orosio vii. 25. et 28. in illiusque victoriæ memoriam credo cusum etiam nummum Maxentii cum Victoria. *Patarol.* Frustra solam ad Mulvium cladem historicos memorare adfirmat Patarolus; contrarium docent loca quæ contuli ad Incertum Constantin. xvi. § 2. *Arntzenius.*

Quod aut spes] Videatur delendum *quod.* Etsi ego sane non deleo, et formam loquendi agnosco, quæ in Suetonio creberrima, ut Nerone cap. 48. 'Inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum.' Domitian. c. 3. 'Nec quidquam amplius, quam muscas captare.' *Acidal.* Hæc exempla vereor, ut huc quadrent. Tollitur omnis difficultas inserto verbo *fuerit.* Jæger. Spes dici potest 'aucupari,' id est, studiose quærere, et petere, ut apud Ovidium Her. xiii. 107. 'Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos.' Adde Gronov. ad Senecæ Contr. iii. p. 275. sed in Guelf. est *auruspes,* pro *aut spes,* in quo forte latet *aruspex,* qui 'aucupari' non male diceretur, ut apud Senecam Herc. Œt. 482. 'Circumspice, agedum, ne quis arcana aucupet:' aut legi posset *aruspex auspicaretur,* cui hoc verbum tribui posset, quoniam 'auspicium' de quocumque omine adhiberi solet, ut apud Justinum xv. 3. 14. et de omine ex luctu, et lacrimis vocem restituit Senecæ Gronovius, Hippol. 853. Aruspices vero in præliis consultos fuisse patet ex Incerto Constantin. ii. § 4. ubi vide. *Arntz.*

Credo] Per ironiam, de qua Buneman. ad Lactant. Instit. i. 7. 1. *Idem.*

§ 5 *Hinc tecum*] Livineius conjicit *hic,* id est, hac in re. *Jæger.* Nihil muto. *Arntz.*

Lynceus] *Lynceus* disyllabum. Λυγκεὺς, unus ex Argonautis, fingitur tantæ perspicacitatis fuisse, ut per quasvis duras et opacas res oculorum acie penetraret: de quo Valerius Flaccus Argonaut. i. 468. 'Possit qui rumpere terras, Et Styga transmisso tacitam deprendere visu.' Plutarchus de Notitiis communibus adversus Stoicos, sub finem: Καί τοι λέγεται μὲν ὁ Λυγκεὺς ἐκεῖνος διὰ πέτρας, καὶ διὰ δρυὸς ὁρᾷν. *Sane Lynceus ille dicitur per saxum et quercum perspexisse.* Fabulæ interpretamentum est, rerum naturalium scientia fuisse instructissimum. *Cellar.* De Lynceo vid. Weitz. ad Val. Flac. i. 463. Hinc de eo occurrit, qui acerrimo oculorum sensu est præditus. Gronov. ad Ciceron. ad Divers. ix. 2. *Arntz.*

Poëtæ] Immo etiam et Strabo et Plutarchus referunt, ille Geograph. lib. vi. hic libr. adversus Stoicos: item et Solinus cap. 6. *Patarol.*

Etiam ille] Adi Plinium Natur. Hist. vii. cap. 21. Strabo Geographic. Ἔστι δὲ καὶ ἀπὸ Λιλυβαίου τοὐλάχιστον δίαρμα ἐπὶ Λιβύην χίλιοι καὶ πεντακόσιοι περὶ Καρχηδόνα, καθ' ὃ δὴ λέγεταί τις τῶν ὀξυδορκούντων ἀπό τινος σκοπῆς ἀπαγγέλλειν τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀναγομένων ἐκ Καρχηδόνος σκαφῶν τοῖς ἐν Λιλυβαίῳ. *Est autem et a Lilybæo ad Carthaginem brevissimus in Africam trajectus stadiorum mille et quingentorum. Atque inibi fama est, quendam acie insignem oculorum e specula quadam Lilybæis navium numerum, quæ Carthagine solverent, nunciasse.* Idem et Æliano narratum Variæ Histor. xi. cap. 13. Plutarchus περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωικούς. Καί τοι λέγεται μὲν ὁ Λυγκεὺς ἐκεῖνος διὰ πέτρας, καὶ διὰ δρυὸς ὁρᾷν, ἑώρα δή τις ἀπὸ σκοπῆς ἐν Σικελίᾳ καθεζόμενος τὰς Καρχηδονίων ἐκ τοῦ λιμένος ναῦς ἐκπλεούσας, ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἀπεχούσας δρόμον. *At enim vero Lynceus ille trans saxum, transque quercum vidisse fertur, et e specula in Sicilia sedens quispiam Carthaginiensium naves, quæ e portu solve-*

rent, spectabat, diei noctisque cursu distantes. Livin. Hæc fere ad unguem e Plutarcho videntur expressa. *Patarol.* Plinius Hist. Nat. VII. 21. 'Huic et nomen M. Varro reddidit, Strabonem vocatum. Solitum autem, Punico bello, a Lilybæo, Siciliæ promontorio, exeunte classe e Carthaginis portu, etiam numerum navium dicere.' *Jæger.* Etiam Valer. Maxim. I. 8. ext. 14. quem tamen Lynceum, et hunc Strabonem confundi notat Perizon. ad Ælian. Var. Hist. XI. 13. *Arntz.*

Locuta est] Ποιητικώτερον dictum. Virgilius: 'Quam fama locuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates.' Minucius Felix Octavio: 'Loquitur Plato partes orbis nunc inundare, nunc alternis vicibus ardescere.' *Livin.* 'Loqui' poëtis etiam narrare est: quos et alii imitantur. Virgilius Eclog. VI. 74. 'Quid loquar aut Scyllam Nisi?' Martialis I. 25. 'Qui loquitur Curios.' *Cellar.* Cicero Acad. Quæst. II. 2. 'loquuntur historiæ.' Columella de R. R. IV. 2. Sulpic. Sever. I. 26. 7. 'fama loquitur,' Justinus XVIII. 4. 7. Minucius Fel. 9. et c. 34. 'loquitur Plato,' quem locum defendit Wopkens ad Hygin. Fab. 130. adde Duker. ad Florum IV. 10. 7. *Arntz.*

Cum Siciliensi] Ex Lilybæo. Rem plures referunt. Strabo VI. p. 184. Ælianus Var. Hist. XI. 13. Valer. Max. I. 8. ext. 15. et Plutarchus loco jam prædicto. *Cellar.* Ita plane etiam Plutarchus l. c. p. m. 1989. ἀπὸ σκοπῆς ἐν Σικελίᾳ. Eam fuisse Lilybæum, indicat cum Plinio et aliis Ælianus, qui ἐκ τοῦ Λιλυβαίου dicit. *Jæger.* Facile in ultima præcedentis vocis littera latere potuit hæc præpositio, vulgato in codd. more. *Arntz.*

Africæ portum] Esse Carthaginiensem produnt omnes: loquuntur etiam omnes de navibus portu egredientibus; eas nimirum potius, quam subeuntes portum, observari oportuit: sed hoc parvi interest ad scopum oratoris, qui ex memoria, puto, hæc exposuit. *Jæger.* Omnium certe historicorum, quos supra contulerunt eruditi, testimonio hic locus est contrarius, cujus tamen scripturam cuncti codd. tuentur. Si memoria non lapsus fuerit Nazarius, legi posset *portu solverent.* Arntz.

Aër offusus] *Effusus* Guelferb. et ita legitur in ed. Puteolan. Rhenan. Henr. Stephani, et pr. Rivini: cum ad Rhenani ed. nihil notaverit Puteanus, in suis quoque codd. *effusus* invenisse videtur. Huic lectioni favere posset Seneca Nat. Quæst. V. 3. ubi de aëre: 'Interdum vero tanta caligo effunditur, ut conspectum e vicino stantium eripiat.' Sed illic etiam recte 'offunditur' tentabat Gronovius, quo pacto, *offusus* hoc loco recte primus dedit Livineius. Est enim vox tenebris, aliisque propria, quibus visus impeditur. Valer. Max. VII. 3. ex. 9. 'oculis tenebras offudit:' et 'luminibus cæcitatem offundere' dixit Sulpic. Sever. Histor. I. 6. 5. Tacitus Histor. II. 80. Plura exempla dabunt Heinsius ad Valer. Flacc. IV. 482. Gronov. ad Senec. Epist. 82. Burman. ad Phædr. II. 4. 11. Bunem. ad Lactant. Instit. II. 1. 13. Drakenb. ad Livium XXXIII. 7. 8. Mencken. Observ. L. L. p. 690. in aliis autem locis cum 'effundere' quoque permisceri notant Drakenb. ad Silium X. 366. Oudend. ad Obseq. de Prodig. c. 124. Cannegiet. ad Avian. Fab. 41. 3. Heins. ad Claudian. Rapt. Proserp. III. 177. *Arntz.*

Non tantum] *Tam* edidit Patarol. Possit fortasse etiam *non* ante *aër* deleri, ut sensus sit: Cum non tantum disjunctarum regionum longinquitas, *sed etiam* aër offusus, et exhalatione maris crassior factus, luminibus hominis officere videretur. Ita *sed etiam* omittitur. Seneca Herc. Fur. vs. 15. 'Nec ipse tantum Bacchus, aut

Bacchi parens, Adiere superos; ne qua pars probro vacet, Mundus puellæ serta Cnossiacæ gerit.' Plenum erat: Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens, adiere superos; sed, ne qua pars probro vacet, mundus etiam puellæ serta Cnossiacæ gerit. Phædrus Prol. I. 5. sq. 'Calumniari si quis autem voluerit, Quod arbores loquantur, non tantum feræ:' i. e. non tantum feræ, *sed etiam* arbores. Verum non prorsus necesse est, ut deseratur lectio vulgata, siquidem τὸ *tantum* cum *disjunctarum* jungi, adeoque sententia hunc in modum explicari potest: Non aër effusus, non longinquitas regionum, quæ *tantum*, i. e. tanto intervallo, a se invicem erant disjunctæ. *Jæger.* *Tam* quoque placuit Casaubono ad Strabon. Geogr. VI. p. 409. *Tantum* tuentur reliqui codd. præter Puteani veterem, cujus solius auctoritate receptam movere lectionem non fui ausus, ex posteriori Jægeri explicatione satis certam. *Arntz.*

Longinquitas] Quæ a Siciliæ promontorio Lilybæo, nunc *Capo Cocco*, quod Africam spectat, ad Africæ ejusdem littus centum circiter milliarium est. *Patarol.*

CAP. XII. § 1 *Cum spes*] Cf. ad Eumen. Constantin. XXI. § 5. *Arntz.*

Dementia processerit] Sulpic. Sever. Hist. Sacr. II. 54. 3. 'stultitiæ eo usque processerat.' Adde Cortium ad Sallust. Jug. I. § 5. *Idem.*

Ultro etiam] Ipse enim ad bellum acriter se accinxit; pontem supra Tiberim struxit; copias eduxit ex urbe, teste Zosimo lib. II. *Patarol.* Ex hoc loco belli culpam in Maxentium transfert Baluzius ad Lactant. M. P. 43. Cf. supra IV. 2. *Arntz.*

§ 2 *Habes dolorum*] *Habet* deinde edidit Patarol; licet languere videatur. In Mœrl. τὸ *habes* omissum est. De cetero, duce libro Bert. et judicio aurium, verbum *habes* post *aculeos* collocavi; antea legebatur, *O quam aceres habes, &c.* Jæger. Reliquis codd. ordinem servantibus vulgatum, solum Bertin. sequi vix audeo; est quidem auribus suavior illa transpositio, sed forte ad dolorem fortius exprimendum placere potuit sonus durior et ingratior. *Arntz.*

A contumelia] Vocandi casus *contumelia*, ad quam se vertit Panegyrista. *Cellar.* Schonhov. ex conjectura reponit *ex continentia*, quod non intelligo, nisi forte σφάλμα est *continentia*. Acidalius delet præpositionem *a*, quia nimirum contumeliam ipsam, tamquam personam, vocandi casu alloquitur Panegyrista; et hanc rationem ceteri omnes recte tenent, Bauzio quadamtenus excepto, qui pro *habes* conjicit *habet*. Jægerus.

Inponit inferior] 'Inponere contumeliam' dixit quoque Cicero in Verr. IV. 9. et Sallustius Catil. XLVIII. 9. ubi Cortius, et Wasseus. Adde Drakenb. ad Livium IV. 32. 7. non alio modo 'inponere vulnera' Cicero de Finib. IV. 24. 'plagas' alii. Cf. Vossium ad Cæsar. B. G. VIII. 48. 3. Burman. ad Petron. Satyr. 105. Ceterum ad majorem injuriæ æstimationem pro majori illius, cui infertur, dignitate recte hunc locum refert Rittershus. ad Salvian. Gubern. Dei VIII. p. 110. *Arntz.*

Ecce] Vid. ad Eumenium Constantin. XXI. § 2. *Idem.*

Acerba dejectio] Mos fuit, novi Imperatoris imaginem laureatam in civitates dimittere, suamque Constantinus et Romam misit, ubi Maxentius agebat, et Nicomediam ad Maximianum Galerium. Zosimus II. 9. de illo: Ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ δειχθείσης κατὰ τὸ σύνηθες. Lactantius Mort. Persec. c. 25. 'Laureata imago ejus adlata est ad malam bestiam.' Hanc, et alias ad illam expressas, Maxentius dejecit, orto dissidio, ac fœde deturpavit. *Cellarius.* Constantini imagine, qui Imperator salutatus fuerat, in urbem delata,

Maxentius imperium occupandi libidine arsit. Auctor Zosimus, qui tamen ejusdem jussu ipsam dejectam non refert. *Patarol.* Utrum caussam bello præbuerit inlata his imaginibus injuria, vide supra IV. § 2. *Arntz.*

Divini vultus litura] Luto obliti, credo. Lampridius Elagabalo: 'Misit, qui in castris statuarum ejus (sermo est de Alexandro Severo, qui proxime imperavit) titulos luto tegerent, ut fieri solet de tyrannis.' Ceterum quod attinet ad historiam, imaginem Constantini Romæ ostensam de more narrat Zosimus II. sed hujus a Maxentianis injuriæ non meminit. *Livin.* Guelf. vitiose *divina.* Arntz.

§ 3 *In quo*] Purus putus Græcismus; *ἐν ᾧ ἠμαυρῶτε, dum obscuratis.* Exempla obvia. *Livin.* De Græcismo vid. Hegeveen ad Vigeri Idiotism. cap. 2. sect. 3. § 11. *Arntz.*

Lumen mundi] Cf. supra ad Incert. Constantin. XX. § 3. *Idem.*

Non licebat] Qui in ipsum Constantinum sævire non poterat, in ejusdem imagines grassabatur, quod unum poterat. *Patarol.*

§ 4 *Hic vultus*] 'Vultum' memorat propter expressas ora principum imagines, quas postea 'labratas' dixisse videntur, de quibus late Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. II. p. 637. *Arntz.*

Commendatione ceræ] Cera expressas fuisse istiusmodi imagines docet Pancirollus Notit. Dignit. Orient. cap. 24. de encaustica tamen pictura, quæ resolutis igne ceris fiebat, exponit Valesius ad Euseb. Vit. Constant. I. 3. Plinius H. N. XXXV. 7. 'Ceræ tinguntur, iisdem his coloribus ad eas picturas, quæ inuruntur.' *Idem.*

Aut pigmentorum fuci] *Fuci* hoc sensu etiam est mentio in L. 17. C. Theodos. de Pœn. ubi in notis Gothofredus. *Idem.*

Renitet] *Renitet* recte in margine ed. suæ probavit Cortius. *Retinet*, ex typographi vitio, per incuriam in sequentes edd. etiam Baunii, irrepsit; alterum tamen habet Rivinus, plerumque Rhenanum secutus. Ante conjecerat *renidet* acutissimus Eldikius, ut infra XXXIV. § 4. 'Vultum ipsum . . . venerandum quiddam, et amabile renidentem:' sed postea verius ipsi videbatur *indiget.* 'Renitere' hic mihi picturæ, præsertim si cum Valesio ad Euseb. Vit. Constant. I. 3. encausticam accipias, et pigmentis videtur convenientius. Juvencus Hist. Euang. I. 205. 'Radiisque renitet:' ita est in variantibus cod. Lipsiens. penes me; sed contra metrum: in aliis est 'renidet,' aut 'refulget.' Hegesippus V. 46. 'Aquarum rutilo decepti renitentium ad solis exortum:' et cap. 53. 'argento renitentes.' Hoc autem loco facile 'renitens' in 'retinens' abire potuit, vulgato librariorum errore, passim litterarum ordinem invertentium, cujus exempla dedi ad Mamertin. Genethl. III. § 9. *Arntz.*

§ 5 *Commendabiliorem*] Hujus comparativi usum, quem ex hoc loco confirmant Lexica, aliis stabilivit Falsterus Supplem. Fabri pag. 62. *Idem.*

Injuria tua] I. e. injuria, quam tu, cæca dementia, (nam adhuc προσωποποιεῖ) intulisti. *Jæger.* Quem vid. supr. XI. § 2. *Arntz.*

Flagrantiora] Talia, ab igne desumta, summum studium indicare, hoc aliisque locis ostendit Barthius ad Claudian. Cons. Honor. III. 73. *Idem.*

CAP. XIII. § 1 *Recondita alte magis*] *Recondite alte* Vet. Sequor *recondite*, et *alte* ut glossam deleo. *Livin.* In contextu Jægerum secutus sum; forte tamen *recondite*, tamquam notius, est glossa τοῦ *alte*, ut 'alta suspiria' dicunt poëtæ, de quibus Heinsius ad Claudian. in Eutrop. II. 533. *Arntz.*

Callo quodam] Cicero pro Milon.

c. 28. 'Nescio, quomodo jam usu obduruerat, et percalluerat civitatis incredibilis patientia.' *Idem.*

Inconsultior] Comparativi hujus exempla vide apud Falster. Supplem. Fabr. p. 163. per mœrorem sese prodentem explicat in interpretatione Baunius. *Idem.*

Male clausi] Hemistichium nota, quod, nisi forte cujusdam sit poëtæ, nostro excidit eadem ratione, qua aliis, de quibus dixi in Miscell. c. 17. *Idem.*

Per vultus indices exierunt] Vet. delet *per*, et pro *exierunt*, Vet. *extiterunt*. Si cui Ms. cod. lectio magis probatur, sic est legendus hic locus, *et male clausi mœroris vultus indices extiterunt*, deleto τῷ *signa*, quod τοῦ *indices* glossema esse existimari potest. Sic loquitur alius auctor in Panegyr. Flaviens. nomine: 'Cum lacrymæ illæ pietatis essent indices, non doloris.' *Putean.* Sic Pacatus Panegyr. c. XXXVII. 'proditor vultus.' *Patarol.* Valde adridet scriptura cod. Put. Gud. et Mœrl. *mœroris vultus indices extiterunt.* Quod si eam admittamus, delendum est, ut jam Puteanus monuit, τὸ *signa*. Jæger. Si illa codd. scriptura placeat, nullum est dubium, quin *signa* sit delendum. Vulgatam tamen præfero, cum neque *exstiterunt* probaverim. *Exierunt* elegantius opponitur 'recondito gemitui,' et 'clauso dolori.' *Vultus indices* est, quod apud Curtium VIII. 6. 22. 'vultus animi index,' quomodo 'color index' apud Ovidium ex Pont. IV. 13. 3. et 'index modestiæ rubor,' Eumen. Constantin. IV. § 4. inde 'vultus loqui' dicitur a Seneca Hercul. Œt. 705. 'sensus animi indicare,' a Cicerone de Orat. II. 35. quare eum 'sermonem tacitum mentis' adpellat, Orat. in Pison. c. I. et quis 'e vultu intelligere' dicitur apud Nepot. Paus. V. 1. adde Barth. ad Statium Silv. I. 1. 25. Theb. I. 188. et IV. 746. Jæger. supr. I. § 1. forte etiam pluralis *vultus* de oculis possit capi, qui 'animi indices' dicuntur, de qua notione Idem ad Theb. IV. 542. XI. 504. et 615. *Arntz.*

§ 2 *Vulneribus saucia*] Hanc locutionem inlustravit Weitzius ad Sever. Sanct. de Mort. Boum vs. 73. desumta est a vulneribus, quomodo dixit Cicero de Finib. IV. 24. 'Quæ hic reip. vulnera inponebat, eadem illa sanabat.' *Idem.*

Tam præstantissimus] *Tamen* est in Guelf. quod ex Cuspin. recte revocavit Gruterus, quem reliqui sequuntur præter Rivinum in pr. ita sæpe peccatum fuisse jam notavi ad Eumen. Grat. Act. II. § 3. ceteroquin *tam* recte superlativo posset jungi, quomodo ex cod. Trajectino restituendum puto apud Ciceron. de Orator. II. 89. 'de tam suavissimo homine,' pro vulgato 'suavi.' *Idem.*

§ 3 *Ratiocinatores officiorum*] In subducenda officiorum ratione liberales, qui alterum magis, quam se ipsi, respiciunt. Ita Tullius Offic. I. 18. 'bonos ratiocinatores officiorum' vocat ἀκριβεῖς, qui adcuratissima diligentia utuntur, et addendo, deducendoque vident, quæ reliqui summa fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, possit intelligi. *Jæger.*

Paria fecisti] Formula loquendi petita ab arte numerorum, et rationum. Significat autem 'efficere, ut rationes accepti et expensi pares sint, et congruant;' ac proinde idem quoque valet, quod compensare, rependere, par pari referre. Plinius Paneg. VI. § 5. 'Solus ergo ad hoc ævi pro munere tanto paria accipiendo fecisti; immo, ultro dantem obligasti.' Idem LXXXI. § 1. 'Quod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti,' &c. Vid. ad hunc posteriorem locum Schwarz. qui festiva exemplorum copia formulam eam illustrat. *Jægerus.* Et pater meus ad Plinii Paneg. loco priori, Cortius ad Plinii Epist. VII. 19. 10. Burman. ad Quinctil. Decl.

IX. c. 16. cui adsentior ibid. Declam. 355. emendanti, 'pares acceptasque facis rationes,' pro vulgato 'actiones.' *Arntz.*

Valebas] Nil, nisi solo voto, valebat oppressa a Maxentio Roma. *Idem.*

Tribueret] *Retribueret* Vet. *Livin.* Vid. de compositis ex *re* adnot. ad Paneg. Mamert. XI. 3. *Jæger.* Et ad Eumen. pro Instaur. Schol. XII. § 3. Constantin. XX. § 3. *Arntz.*

Recognosceret] *Recognoscere* hic est, ante jam nota diligentius excutere, quam verbi vim notavit Burman. ad Virgil. Æn. VIII. 721. Pacatus Paneg. XXIV. § 3. 'Tu quoque mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas.' Plinius Paneg. IV. § 1. 'Boni Principes, quæ facerent, recognoscerent.' Valer. Max. VI. 6. init. 'exemplis recognoscere,' et ibid. ext. 5. 'recognoscere fidem:' adde Drakenb. ad Livium v. 16. 7. et XXXV. 1. 12. et quæ dixi in Miscell. c. 15. *Idem.*

§ 4 *Optasti pacem*] Distingue: *Quia non desiderabas: optasti pacem, sed ignosc.* Acidal.

Vota valuerunt] Belli, ut tyrannus cum asseclis suis penitus exscinderetur. *Patarol.*

§ 5 *Pro meritis iniret*] Scripturæ nulla est varietas: locus autem quin vitio laboret, dubitari non potest: auxilium itaque ab ingenio petendum. Qua in re felicissime versatus esse videtur Acidalius: nam Livineii emendatio, facilis illa quidem et plana, nequit probari. 'Inire' simpliciter pro consequi non adhibetur; et, si retinetur 'cedit,' sequi debet 'ineas.' Gruteri ratio mihi quidem prorsus ignorabilis est, et obscura. Sententiam satis dilucide explicat Bannius. *Jægerus.* Nullus dubito, quin legendum sit, *ut plus promeriti iniret.* Divinitas efficiebat, ut ex sententia non cederet pax Maxentio oblata, quo majus Constantino præstaret beneficium; ita enim virtutem ostendere, et victoria potiri poterat, cujus occasio defuisset, si pacem amplexus fuisset Maxentius. Ut enim 'inire beneficium' dixit Terentius Andr. v. 1. 9. æque etiam recte dicatur 'inire meritum,' et 'promeritum,' quo sensu 'inire gratiam' ab aliquo pro mereri apud aliquem est apud Nepot. Alcib. cap. 9. in fin. Terentium Adelph. v. 7. 16. Curtium v. 12. 1. VII. 11. 23. VIII. 12. 3. adde Bosium Ind. in Nepot. v. 'Gratia.' Voce 'promeriti' ita usus est Ovidius Fast. IV. 394. 'Sponte Deæ munus, promeritumque patent.' Cicero ad Quirit. Post Red. c. 4. 'Majus est vestrum in nos promeritum:' et post Red. in Senat. cap. 1. 'vestra in nos universa promerita.' proxime ad Nostri verba Lactant. de Ira v. 7. 'Deum par est .... divinis, et cælestibus beneficiis omne genus hominum promereri:' ubi Buneman. Forte etiam per illud Dei *promeritum* indicavit exercitus divinitus missos, de quibus mox cap. seq. unde illic § 2. 'ubi meritum tuum testificati sunt.' De 'negata concordia' vide supr. IX. § 5. *Arntz.*

CAP. XIV. § 1 *In ore*] Mamertinus Genethl. XVIII. § 3. 'Omnium hominum ore circumfertur.' Eumenius pro Instaur. Schol. IX. § 1. 'In publica ostentatione, et in ipso urbis istius ore.' Adde not. patern. ad Plinii Paneg. LXIX. § 6. *Arntz.*

Divinitus missos] Labari alii meminerunt, nec mentionem faciunt horum exercituum, cœlitus missorum, non omissuri, si id verum foret, sed nimirum, quod Romæ de Labaro increbruerat, fama apud alias nationes in majus auxit, ut solet eundo vires acquirere. *Putean.* Proni mortales ad credenda sunt prodigia: nec vero alius forsan, præsertim superstitum auctorum, de his cælo missis auxiliaribus Constantini mentionem fecit: quam rem tamen 'in ore omnium' provinciarum Galliæ fuisse Nazarius

tradit. *Cellarius.* Quæ ad hujus loci lucem pertineant, copiose persecutus sum ad Incertum Constantin. III. § 3. neque est, quod nunc addam. *Arntz.*

§ 2 *Sub oculis*] *Oculis* est ex antiquissima Puteolana, quod Gruterum usque retentum est, quem in *oculos* reliqui recte propter codd. consensum sunt secuti præter Rivinum; sæpe autem hæc occurrit varietas; utrumque enim in usu est de iis quæ sunt in conspectu ante oculos. Cf. Acidal. ad Velleium II. 21. 3. et c. 79. 4. Drakenb. ad Livium IV. 28. 1. Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. IX. 1. et Declam. XVI. 9. Duker. ad Florum II. 15. 7. Buneman. ad Lactant. Instit. III. 9. 12. et c. 17. 24. ita 'sub ora' et 'ore:' not. ad Claudian. B. Get. 259. 'sub manum' et 'manu,' Oudend. ad Sueton. Aug. cap. 49. *Idem.*

Simplex et inconcreta] Post *simplex* Bert. cum Cusp. inserit *illa*, voculam admodum emphaticam, quæ contextum (admisi enim) non dedecorabit. *Jæger.* Cujus judicium etiam sequor, quamvis Guelf. et reliqui ignorent. Vocem *inconcreta* ex hoc loco tuetur Falsterus Suppl. Fabri p. 162. per corporis expertem explicat in interpretatione Baunius. *Arntz.*

Eludat] Id est, frustretur, ut conspici nequeat. Cf. ad Incert. Constantin. XIV. § 1. *Idem.*

Illi tamen] *Ibi* etiam Guelf. nescio, utrum hoc ita sit damnandum; ad Gallias enim, quod præcessit, referri potest. *Idem.*

Audirique patientis] Pacatus in Theodosium: 'Nec videri modo patiens, sed facilis audiri,' &c. Horatius: 'Sive mutata juvenem figura Ales in terris imitaris, almæ Filius Maiæ, patiens vocari Cæsaris ultor.' *Livin.* Œconomia quadam permittentes, ut conspicerentur audirenturque: ut solent phasmata, seu spectra. Græcismus notus est 'patientes adspici.' *Cellar.* Etiam in excerptis Schonhovius; alteram Rhenani, quæ est ex Puteolana, præter Stephanum retinuit Rivinus; meliorem primus dedit Livineius. Seneca Herc. Fur. 810. 'Componit aures timidus, et patiens trahi.' *Arntz.*

Versus contagium] Addendam esse negationem censet Acidalius, sc. *mort. vis. contag. non refugerunt.* Sed potest vulgata, sine mutatione, retineri, et ita explicari: Quamvis cælestia omnino non soleant venire sub oculos hominum, illi tamen auxiliatores tui aliquamdiu se adspici, et audiri passi sunt, et tunc demum, cum tui caussa se venisse satis declaraverant, mortalium adspectui se subduxerunt. *Contagium*, vox poëtica, anceps est, et utroque versus potest dici. Vid. Gellius XII. 9. 2. Hic fortasse contactum, et quasi commercium rei, etsi non in se malæ, multo tamen inferioris significat, et cælestes illas substantias mortalium adspectu quasi pollui ostendit: nisi potius, (quod malim) simpliciter, ut infra c. XVI. § 2. intelligendum esse videatur. In malam partem usus est hac locutione Cicero pro Cluent. c. 68. 'Nemo erat illorum, ... quin expiandum illum locum esse arbitraretur, quacumque illa iter fecisset: nemo, quin terram ipsam violari, quæ mater est omnium, vestigiis consceleratæ matris putaret. Itaque nullo in oppido consistendi potestas ei fuit: nemo ex tot hospitibus inventus est, qui non contagionem adspectus fugeret.' Cum nostro hoc loco potest non inepte comparari Virgilius Æn. IV. 276. sqq. 'Tali Cyllenius ore locutus Mortales visus medio sermone reliquit, Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.' *Jægerus.* Recte Acidalii negationem rejecit Jægerus, locum ex Baunii sententia interpretatus. Postulat illud ipsa species, in nubibus sole ad Occasum vergente visa, quæ sensim debuit evanescere.

Cf. ad Incertum Constantin. III. § 3. In voce *contagium* non opus est, ut multum laboremus; nihil enim aliud notat, quam oculorum tactum, visum, quod 'oculis contrectare' dixit Lactantius Opif. Dei I. 15. ubi hunc locum recte cepit Bunemannus. Statius Silv. v. 3. 275. 'Patrios contingere vultus.' 'Radiis' solis 'contingere' est apud Sueton. Ner. cap. 6. Est enim 'contagio' nihil aliud, quam adfectio omnis, quæ alteri per alterum, præsertim tactu, communicatur, ut explicat Gothofredus in Dissert. ad L. 8. C. de Testam. § 6. ita 'contagio' et 'contactus' proprio sensu occurrit, apud Sallust. Catil. x. 6. Adde Cortium ad Plinii Epist. IV. 11. 9. Drakenb. ad Livium IV. 30. 8. *Arntz.*

§ 3 *Verendum*] Ἐν τούτῳ νίκᾳ. *Rhenan.* Sigonius de Imp. Occid. Opp. tom. I. part. II. p. 76. citat *horrendum*, quod tamen nec in scriptis, neque editis inveni, et præstat vulgata pro reverendum, venerandum. Vid. ad Eumenium Constantio XIX. § 1. *Arntz.*

Umbone corusci] Lege *n. quid umbones corusci, et cælest. arm.* Acidalius. Huic monito paruit Cellarius, parebimus et nos. *Jæger.* Emendavit ita Acidalius, ut pravam in antiquioribus edd. interpunctionem tolleret, in quibus est, *Flagr. verendum nescio quid: umbone corusci et cælest.* Cum *umbone* tueantur omnes codd. emendationem in textum admittere Cellarii auctoritate non sum ausus, inprimis quia, si *umbones* legatur, vix præcessit, ad quod sequentia *tales venerant* referas. Recte in interpretatione Baunius, 'Emicabat in iis majestas nescio quæ, clypeis effulgentibus.' *Idem.*

§ 4 *Sermocinatio*] Cf. Elmenhorst. ad Arnob. adv. Gent. I. p. 55. *Idem.*

§ 5 *Tangit ambitio*] De illa cælestium ambitione agit Gronovius Diatrib. Statian. c. 26. *Idem.*

§ 6 *Credo*] Abest a Mœrl. *Jæger.* Male; est enim, ut credo. Mamertin. Maximian. VII. § 5. 'Credo, itidem opimam illam, fertilemque Syriam ... tegebat Euphrates.' Ibid. XIV. § 4. 'Credo enim, hoc idem Diocletianum Oriens rogat.' Eumenius pro Instaur. Schol. XX. § 3. 'Ut ipse vidisti, credo, instruendæ pueritiæ caussa.' Idem Constantin. XXI. § 4. 'Vidisti enim, credo, Constantine, Apollinem:' et XXII. § 5. 'Video Circum maximum, æmulum, credo, Romano.' *Arntz.*

Altiori] *Altiori*, id est, majori, scilicet se. Incertus in Constantinum: 'Lectissima et pulcherrima Divi patris tui facta superasti; ipsum, inquam, Divum Constantium jam primis imperii tui lustris rerum gestarum laude cumulasti.' *Livin.* Equidem non prorsus repudio hanc lectionem, et interpretationem: id tamen non possum non profiteri, magis placere scripturam codd. Put. Gud. et Mœrl. qui *altior* præferunt, ut sensus sit: qui altior et major triumphis terræ tibi eos agendos permiserat, et divinas expeditiones, &c. Quodsi non metuendum esset interdictum de vi, ejicerem verba *tibi cesserat*, legeremque *qui terr. triumph. altior div. exp. jam div. agitabat.* Jæger. Nazarii scopo non satisfacit Livineii interpretatio, qui non de eo agit, utrum rebus gestis patre major fuerit Constantinus, sed rationem visorum exercituum dat; inter Divos receptus, sive altior, in terris triumphos agere non poterat Constantius, iisque filio Constantino cesserat, sed divinas expeditiones ipse agere poterat. De 'Divi' adpellatione dixi supra ad princip. *Arntz.*

§ 7 *Cujus munera*] Utpote Dei. *Livineius.*

Influere jam possint] *Influere* est copiose redundare, de quo Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXI. § 1. *Arntz.*

CAP. XV. § 1 *Totius memoriæ*] Legendum videtur *tot. memoria vetusta-*

tis. Quæ enim est *vetustas recentium seculorum?* Jægerus. Non inelegans est Jægeri conjectura, sed *totius memoriæ vetustas* mihi ad præcedentia tempora, *recentium seculorum* ad futura pertinere videtur, ad quæ 'vetustatem' sæpe scriptores referunt. Ovidius Metam. xv. 872. 'Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.' Cicero pro Milon. c. 35. 'Nulla umquam obmutescet vetustas.' Conf. Burman. ad Claudian. Cons. Prob. 33. *Arntz.*

Nullo umquam] Vet. *nulla vi umquam.* Putean.

§ 2 *Nec leguntur*] Subscripserim emendationi Livineianæ, *sed negliguntur præconia.* Ortus error a ratione scripturæ antiquæ *negleguntur.* Gruter. Unam vocem fac *neclegun-tur*, id est negliguntur. Etiam, quæ præcedunt, sic distinguantur, ut illud *quamvis*, et hoc *sed* inter se appareat referri. Ita enim est etiam Pacat. 'Alta licet vulnera proximus nobis Italus, contiguus ostendat Hispanus: sed in dolore suo habet suum uterque solatium.' *Acidal.* Cf. notas ad Caton. Distich. Præfat. lib. i. et ad iv. 9. Cannegieter Rescript. de Caton. c. 33. *Arntz.*

Judicia divina] Cf. not. patern. ad Plinii Paneg. viii. § 1. *Idem.*

§ 3 *Illi igitur*] Romanorum exercituum antiqui illi imperatores, puta, Curii, Coruncanii, Fabritii, et his similes. *Patarol.*

Restricte] Recte per parce explicat Buneman. ad Lactant. de Ira xx. 1. et oportune confert Pacatum Paneg. xiii. § 3. 'Parce contenteque viventem.' *Arntz.*

Compteque vixerunt] Placet *restricte contenteque.* Pacatus in Theodosium: 'Cum videret Imperatorem, rerum parentem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque viventem.' Plautus Asinaria: 'Mater illum arcte contenteque habet.' Alioqui *compte* in veteri scriptura est *composite.* Livin. Alteram lectionem satis confirmat Pacati locus, qui nostrum videtur imitatus; ex quo etiam adparet, male Guelf. *vicerunt* exhibere. *Arntz.*

§ 4 *In bello*] Adversum Latinos. Dionysium Halicarnassæum lege Antiquitatum lib. vi. *Livin.* Adversus Latinos, duce Postumio. Lege Dionysium Halicarnassæum lib. vi. pag. 350. seq. et Florum i. 11. Ipse Cicero Nat. Deor. ii. 2. 'Apud Regillum bello Latinorum, quum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano prœlio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt.' *Cellar.*

Duos] Quos credidere Romani Castorem et Pollucem. *Patarol.*

Cum equis] H. e. in equis, plane ut Florus de hac re ipsa, i. 11. 4. 'Ea demum atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit; duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem nemo dubitarit.' *Jæger.* *In* etiam Guelferb. quod recepi, probante pariter in ed. suæ margine Cortio. Adde Davies. ad Ciceron. Nat. Deor. ii. 2. contra quem tamen *cum equis* tuetur Wopkens ad Justinum, in Observ. Miscell. Nov. tom. x. p. 188. *Arntz.*

Juvenes exstitisse] Ita Cuspin. Rhenan. Stephan. Verbum hoc *extitisse* abest a Livin. Gruter. et reliquis edd. Legitur vero in Ms. Gud. quoque, ac Mœrl. *Jæger.* In suis etiam hoc verbum invenisse videtur Puteanus, quia variam lectionem non notavit. Ex codd. itaque suo loco, quo erat extrusum, reddidi, a Rivino quoque retentum. Forte tamen ex ultima littera legendum, *exstitisse, et spectatos,* faciliori sententia. *Arntz.*

Quia in] Satis bene Bert. *qui.* Jæger. Mihi vulgata ad reddendam rationem videtur aptior, quare fuerint requisiti. *Arntz.*

Imperatoris] Auli Postumii dictatoris. Dionysius tamen loco citato,

non ab imperatore quæsitos in castris refert, sed Romæ ab urbis præfecto: ibi etiam post pugnam dicuntur apparuisse, et victoriam nunciasse. *Patarol.*

Ad remunerandum requisitos] Vid. Eumenii Grat. Act. XII. § 2. et, quem jam laudavi, Cort. ad Sallust. Jug. LXII. 8. *Jæger.*

Nullus inveniebatur] *Nulli* est non. Cf. Schulting. ad Senecæ Controv. I. pag. 90. patruum meum ad Caton. Distich. I. 24. Cannegi. ad Avian. Fab. XL. 3. *Arntz.*

Divinos fuisse] Jam a Cicerone dictum, pro Castore et Polluce habitos. Florus dicto loco: 'Duos in candidis equis, Castorem et Pollucem (fuisse) nemo dubitavit.' *Cellar.*

Quod laborem] *Quod cum lab.* Bertin. Cuspin. *Livin.* Cum vero nullius cod., nisi Bertin. auctoritate hæc nitatur vocula, quam in suis quoque non invenit Puteanus, cum nihil notaverit, neque in Vet. Livineius, horum, sicut etiam Mœrl. et Guelf. fide potius ejiciendam duxi; præterea ex Guelf. pro *quod* elegantius *qui* rescripsi. Simile asyndeton hic est, ut in præcedenti, 'spectatos .... requisitos.' *Arntz.*

§ 5 *Tenenda*] Guelf. *tuenda.* Vulgatum per dicenda, censenda, explicat Acidalius ad Pacati Paneg. XI. § 2. et XL. § 1. nec male; de iis enim dicitur, quæ pro veris sunt habenda, ut 'tenendum est' apud Lactant. Instit. VI. 12. 2. namque indicat argumentis vincere et efficere, ut verum putetur, de quo Mencken. Obs. L. L. p. 965. unde etiam pro obtinere sæpe occurrit. Manut. ad Cicer. ad Divers. I. 7. et 9. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. p. 603. Burman. ad Quinctil. Declam. 263. ad Sueton. Vespas. c. 8. ad Ovidium Met. II. 328. Drakenb. ad Livium XXIII. 20. 10. et Epit. 54. not. patern. ad Pacat. Paneg. XL. § 1. *Veri* autem *interpolatrix* est, quæ non nudam et simplicem, sed mendaciis vitiatam exhibet veritatem, interprete Gronovio Lect. Plautin. p. 193. quare vetustatem propter fabulas 'sui ostentatricem' dixit Pacatus Paneg. XVII. 1. *Idem.*

Tamen illi] Vitiose Guelf. *illa.* Idem.

Illigaverunt] Cicero de Orat. III. 44. 'Orator sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et adstricto, et soluto.' Idem Orat. ad M. Brutum c. 27. 'Est quoddam insigne et florens orationis, pictum, et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores.' Acad. Quæst. IV. 2. 'Restat, ut iis respondeam, qui sermonibus ejusmodi nolint personas tam graves illigari.' *Jægerus.* Cf. Mencken. Obs. L. L. p. 46. *Arntz.*

Fides claudicaret] Pacatus Paneg. XXXIII. 1. 'Apud posteros videtur facti fides laboratura.' Joan. Saresb. IV. 11. 'In absolutione parricidii fides laborat.' *Idem.*

§ 7 *Metienda est*] H. e. momentum, et magnitudo negotiorum ex magnitudine auxilii æstimari debet. *Jæger.*

Sat argumento] Vet. *stat.* Putean. *Stat* Bertin. Cuspin. Præclare. Ac memini equidem (quod nunc commodum mihi venit in mentem) observare etiam tum puer in Propertio III. 16. emendandum videri: 'Occidit, et misero sat erat vicesimus annus:' non, ut circumfertur, 'steterat:' vicissimque ejusdem operis tertia, ubi vulgatur: 'Stant mihi cum domina prœlia dura mea:' de sententia legendum, 'Sat mihi,' &c. hoc enim ait, satis sibi esse cum domina bellum, ut quærendus non sit externus hostis, præsertim qui fortunæ splendorem, et opes non ambiat. Tu judica, mi lector. *Livin.* Quemadmodum 'fides claudicare,' 'vacillare,' ita et 'stare' dicitur. Sic Plaut. Pseud. I. 5. 61. sq. 'Merito esse iratum arbitror, Cum apud te parum stet fides.' Claudian. de Laud. Stilich. II. 295. 'Opprobrii

stat nulla fides.' Verbum 'stare' pro esse, cum aliqua vel exempli, vel diuturnitatis significatione, poni observat Brouckhus. ad Tibull. I. 7. 92. *Jæger.* 'Stare' per certum esse explicuit Servius ad Virgil. Æn. XII. 678. De locutione 'stat fides' vid. Barthius ad Claud. Laud. Stilicon. II. 86. Bell. Gildon. 56. Burman. ad eumd. Laud. Stilic. II. 291. ad Valer. Flacc. VIII. 249. Vlitius ad Gratii Cyneg. 100. *Arntz.*

Ratione servari] Depravata Livineii lectio, quam quoque habet Paull. Stephanus, unde sit hausta, ignoro, cum in meliorem conspirent codd. et edd. etiam antiquæ. *Idem.*

CAP. XVI. § 1 *Mirum, adesse tibi*] Lege *mirum. Adesse tibi, &c.* Acidal.

Circumflexa] Forte *circumplexa.* Livin. Eadem quoque conjectura patri meo in mentem venerat, et, ut verum fatear, haud displicet. Virgilius Æneid. v. 312. 'Lato quem circumplectitur auro Balteus.' Apuleius de Habit. Doctr. p. m. 589. 'ventrem gyris intestinorum circumplexum.' Adde Oudendorp. ad Sueton. Tiber. cap. 6. An vero scripsit *circumfusa:* ut apud Incertum Constantin. XIX. § 6. 'quæ totius corporis circumfusa majestas.' *Arntz.*

Ad fidem] Hunc præpositionis τῷ *patere* additæ usum probavit Wopkens. ad Pacat. Paneg. cap. XXI. *Idem.*

§ 2 *Mortali contagione*] 'Contagio' hic est idem, quod commercium, influxus, vis. Ita Cicero Tuscul. I. 30. 'Qui se integros, castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.' Idem de Divinat. I. 30. 'Cum ergo est somno sevocatus animus e societate, et a contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui: viget autem et vivit animus.' Vid. infra c. XXV. § 4. et supra c. XIV. § 2. Ammian. Marcellin. XIV. 11. 'Solutus . . . corporeis nexibus animus, semper vigens motibus indefessis, et cogitationibus subjectus,' &c. *Jæger.*

Promerendo Deo] Recte Baunius, ut mihi quidem videtur. 'Præstare se promerendo Deo' sic dicitur, ut Pacatus c. XIII. § 1. 'Ubi primum te imperio præstitisti:' et 'Deum promerere' idem videtur esse, ac 'demerere.' Ita vero Pedo Consol. ad Liv. vs. 131. sq. 'Nam quid ego admisi? quæ non ego Numina cultu, Quos ego non potui demeruisse Deos?' Quare non probandam puto, speciosam quamvis, Acidalii conjecturam posteriorem: priorem ipse merito repudiavit. *Jæger.* Acidalii conjecturas minus esse necessarias ostendunt notata a Bunemanno ad Lactant. Instit. VI. 9. in fin. *Arntz.*

Quis est hominum] Possit fortassis hoc ferri: sed melius, et a Nazario, scriptum puto, *quis est omnium.* Quis nescit, quam crebro invicem hæc duo nomina sese extruserint? sic in L. 9. Leges sacratis. C. de Legib. nimis diu perperam vulgatur in omnibus libris *hominum,* cum legi debeat *omnium:* 'Leges sacratissimæ, quæ constringunt omnium vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi, præscripto earum manifestius cognito,' &c. Jam diu est, cum hoc in codice meo annotaram, cum tandem diserte ita scriptam vidi hanc legem apud Joan. Saresberiensem lib. IV. Polycr. cap. 6. sic Livin. apud Pacat. c. XXI. 'hominum tuorum' reponit 'omnium.' *Ritters.* De hac vocum permutatione, vide supr. II. § 7. *Arntz.*

Quin opitulari] *Quin* valet qui non. Cicero in Verr. v. 22. 'Quis est vestrum, judices, quin intelligat?' Ibid. cap. 46. 'Ecquis fuit, quin lacrimare-

tur?' Et cap. 54. 'nemo Lilybæi fuit, quin viderit.' *Idem.*

Rerum gestarum] Abest a libris quibusdam *gestarum*. Cellar. *Rerum magnitudo* Baunius. At cod. Mœrl. cum edd. omnibus inserunt *gestarum*, quam vocem, uncis a se inclusam, abesse a libris quibusdam testatur Cellarius: sed, quinam sint isti libri, nec ille indicat, nec ego invenio. *Jæger.* Guelf. etiam *gestarum*. Quare hoc uncis incluserit Cellarius, quod omnes codd. tuentur, rationem non video. *Arntz.*

§ 3 *Inhumane de ceteris*] Per *cetera* potuit intelligere ab *instantibus* diversa; maxime tamen placet Marcklandi conjectura Epist. Crit. p. 142. *de præteritis*, qualia erunt, quæ mox sequuntur, diu ante a Constantino gesta. Tacit. Hist. III. 36. 'præterita, instantia, futura.' *Idem.*

De instantibus] 'Instantia' sunt præsentia. Nepos Themistocl. I. 4. 'Quod et de instantibus verissime judicabat . . . et de futuris callidissime conjiciebat.' Tacitus Hist. III. 36. 'præterita, instantia, futura?' et 'instans metus' apud eumd. Hist. I. 42. inde 'instare' dicitur, de quo disputatur et agitur. Mencken. Observ. L. L. p. 523. qui etiam p. 674. vocem 'obloqui,' aliis neglectam, pluribus adstruit. *Idem.*

§ 4 *Ævi immaturus*] Locum hunc oportune explicabit geminus Incerti Maximian. et Constant. V. 3. ubi de Constantino: 'Sentias, necesse est, tanta auspicia fortunæ, Imperator adolescens. Quamquam quid ego in te ætatis tuæ potius, quam gravitatis nomen usurpo? cujus tanta maturitas est, ut, cum tibi pater imperium reliquisset,' &c. *ævi* itaque *immaturum* hic adpellat, quem 'adolescentem' Incertus. Cf. de tempore imperii in Constantino ad eumd. I. § 1. 'Ævi maturus' est quoque de Imperatore apud Pacat. Paneg. VIII. § 3. ubi Puteam. *Idem.*

Festinationæ virtutis] Cf. de hac re alia veterum testimonia, quibus ab honoribus propter ætatem quosdam non esse removendos, iidem sentiunt, quos contulit Stephan. ad Saxon. Grammat. Hist. Dan. V. p. 116. *Idem.*

§ 5 *Juxta bonus*] I. e. æque, simul domi, et militiæ. Vid. Cort. ad Sallust. Catil. LVI. 5. *Idem.*

Et comite captis] Incertus Auctor Constantino cap. X. 'Reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant, non dubitasti ultimis punire cruciatibus.' Et cap. XI. 'Hæc est tua, Constantine, de Ascarici, Regaisique supplicio quotidiana, atque æterna victoria.' *Putean.* Comes Ascarici in illo bello Regaisus. Uterque captus a Constantino, ut dictum cap. XI. *Cellar.* *Comite ejus capto*, ut citat Pontanus Orig. Francic. IV. 4. in nullo cod. aut ed. inveni, neque est necesse, cum 'suus' sæpe pro 'ejus' reperiatur; dixi ad Sedulium III. 320. neque tamen dissimulo, illa *comite suo* mihi videri corrupta, in quibus forte nomen latet proprium: apud Eumenium Constantin. XI. § 6. pro 'Regaisi' nomine in codd. est 'Cymero,' ex quo facile hic fieri potuit *comite suo*; illic tamen jam monui, ob historiarum silentium verum nomen haud erui posse: retinui igitur, quod codd. exhibent, donec alii in eruenda vera lectione feliciori esse contingat. *Arntz.*

Ut jam inaudita] *Eam inaud.* Bertin. Cuspin. ita bene scribitur, scilicet laudem, quod præcessit. *Famam inaud.* vir doctus temere, nec necessario emendavit. *Livin.* Illud *eam*, quod veritatis specie commendatur, in contextum recipere non dubitavimus. In Mœrl. lacuna hoc loco est; legitur scilicet, *auspicatus es, ut Herculem ferunt, &c.* omissis interjectis. *Jæger.* Eadem est lacuna in Guelf. qui error ex repetita voce *ut* ortus

est, ut sæpe parum advertentes librarii intermedia in tali vocis repetitione omittere solent, quale exemplum in cod. Havercamp. est apud Livium II. 45. 5. alia dedit clariss. Bondam, collega amicissimus, Var. Lect. pag. 214. et ad Diplom. Gelriæ tom. I. p. 597. *Jam* retinui, quod referendum est ad præcedentia 'inito principatu,' et 'ævi inmaturus;' eo jam tempore inauditæ magnitudinis obsidem tenebamus, cum ipse adolescens, et ævi adhuc inmaturus, tanta laude bella gereres. *Arntz.*

Obsidem] Signum certum, et quasi pignus. Cicero Catil. IV. 5. 'Habemus a C. Cæsare .... sententiam, tamquam obsidem perpetuæ in rem publicam voluntatis.' Idem pro M. Cœlio c. 32. 'Habet a M. Cœlio res publica duas accusationes, vel obsides periculi, vel pignora voluntatis.' Infra Paneg. Mamertin. Julian. c. III. § 3. 'Convincerem, eas .... odii fuisse caussas, quæ .... fidei obsides esse debuerint.' *Jæger. Obsides* citat Pontanus Orig. Francic. IV. 4. quod in nullo cod. inveni. Hoc sensu 'conjugii obsidem' dixit Ovidius Heroid. II. 42. et 'fratrum sanguinem dare obsidem,' Hegesippus Excid. Hieros. II. 18. *Arntz.*

§ 6 *Atque lactentem*] Guelf. *atque adhuc lactentem:* quæ minus est necessaria repetitio. Recte *lactentem* de eo, cui lac præbetur, quæ vero præbet, est 'lactans.' Burman. ad Samonic. de Medic. 349. Not. ad Ovid. Met. VII. 321. Drakenb. ad Livium XXVII. 4. 11. et XXXVII. 3. 6. Bolt. Silv. Crit. p. 38. De Rooy Animad. Crit. p. 7. *Idem.*

Duos angues] Dracones duos immodicæ magnitudinis, juxta Apollodorum lib. II. Hos Juno immiserat, ut infantulum necarent. *Patarol.*

Jam infantulo] *In* quoque ignorat Guelf. recte est insertum; neque adversantur codd. in quibus in præcedent. litera *m*, aut sequenti syllaba, latere potuit. *Arntz.*

Inmicaret] Verum est *emicaret*, quod codd. confirmant, et demum post Baunium fuit receptum. Cf. ad Sedulium II. 71. Observ. Miscell. vol. I. p. 171. Priorem scripturam *immicaret* vix Latinam esse recte judicat Cellarius, quamvis, hujus loci auctoritate, pro *emicare* Fabri Lexico addiderit Falsterus Supplem. pag. 151. *Idem.*

Famosa] Videtur 'famosus' recentiorum usu pro celebri posuisse, quo in malam partem usi fuerunt veteres, de quo Barthius ad Claudian. Laud. Stilic. IV. 385. Omeisius ad Juvenc. IV. 602. Duker. ad Flor. III. 7. 6. Burman. ad Anthol. Lat. T. I. p. 366. Cortius ad Sallust. Jugurth. XV. 5. Pacatus Paneg. XXII. § 4. 'Romanorum ducum famosa funeribus.' Withof. Specim. Gunther. p. 42. Cum vero hæc ad laudandam Constantini virtutem commemoret, magis adulationi sunt tribuenda, quam ut Romanis moribus, et animo excelso conveniant, de quo tractat Grotius de J. B. II. 11. § 7. n. 1. ubi Gronovius de simili agit loco Eumenii Constantin. X. § 4. quo pro 'calcat iratos' emendat 'stratos,' quod illic monere neglexi, quamvis Eumenii menti contraria sit hæc conjectura, cum utique fortior sit, qui iratos adhuc hostes, quam stratos calcat. Præterea 'reges' illic Grotius accipit de iis quibus regium est nomen, unde colligit, quæ de Romanorum severitate narrat Josephus Bell. Jud. VII. pag. 979. ad duces esse referenda, qui passim leguntur occisi, cum contra reges, summosque Imperantes, bello captos, servaverint, quare cum de regibus etiam adfirmaverit Eumenius, eos esse occisos, hunc nimis laxe esse locutum contendit. Dubito tamen, an recte de Eumenio sentiat Grotius. Hi enim Francorum reges non alii erant, quam summi duces, inter cives suos virtute præstantes, non autem

veri nominis reges, de quo dixi ad Mamertin. Genethl. v. § 4. Incertum Maximian. IV. § 2. Eumenium Constantin. XI. § 6. æquali igitur, atque alii duces, sorte adfici potuerunt. *Idem.*

Supplicia ludebas] Forte *præludebas*. Nam 'præiusiones' istas omnino respicit, de quibus ad Tragœdias Senecæ. *Acidal.* In locis Senecæ, quos demonstrare videtur, rectius legitur 'proludere.' Cf. supra Paneg. Eumenii pro Restaur. Schol. II. § 4. et Gronov. ad Tragici Hercul. Fur. vs. 222. Repetam paullo altius, ut orationis series melius perspiciatur. Vs. 214. sqq. Megara loquitur de Hercule: 'Numquid immunis fuit Infantis ætas? monstra superavit prius, Quam nosse posset. Gemina cristati caput Angues ferebant ora, quos contra obvius Reptavit infans; igneos serpentium Oculos remisso lumine ac placido intuens, Artos serenis vultibus nodos tulit, Et, tumida tenera guttura elidens manu, Prolusit hydræ.' Addit eum Delrio Gronovius Hippolyt. vs. 1061. sq. ubi sermo est de monstro marino, equos Hippolyti consternaturo: 'Ut cepit animos, seque præsentans satis Prolusit iræ, præpeti cursu evolat.' Cf. etiam Troad. vs. 181. sqq. Med. vs. 1095. sqq. Verum enim vero hæc non eo valent, ut lectionem vulgatam mutare cogamur: nam et simplex 'ludere' significat exerceri ad graviora, προγυμνάζεσθαι. Tibullus I. 4. 45. 'Si volet arma, levi tentabis ludere dextra:' ubi vid. Brouckhus. *Jæger.* Dixit 'ludere,' quia de imperii incunabulis, primaque velut ejus infantia loquitur, cui 'lusus' est proprius. Cf. ad Sedulium Epist. ad Macedon. p. 10. De ipso horum regum supplicio dixi ad Eumenium Constantin. XI. § 3. et XII. § 3. *Arntz.*

CAP. XVII. § 1 *Franci*] Potest hoc intelligi vel de Francis iis qui, Gallieno Imperatore, 'direpta Gallia, Hispaniam possederunt, vastato, ac pene direpto Tarraconensium oppido, nactisque in tempore navigiis pars in Africam permearunt.' Verba sunt Sext. Aurel. Vict. de Cæsar. in Gallieno; vel de iis qui sub Probo, ut refert Zosimus lib. I. in Græciam, Siciliam, et Africam usque delati sunt, ubi incendiis et cædibus varie grassati. De hisce mentio fit etiam Paneg. Eumenii Constantio cap. 18. *Patarol.* Mihi in universum Francos ab eorum expeditionibus descripsisse videtur, eamque in primis adtigisse, quam narrat Eumenius Constantio XVIII. § 3. aliique illic citati. *Arntz.*

Ad bellum] Gallieni imperium notat: 'Tum Francorum gentes, spoliata Gallia, Hispaniam possederunt, vastato, ac pæne direpto Tarraconensium oppido, nactisque in tempore navigiis, pars in usque Africam permeavit.' Verba sunt Sex. Victoris. *Livin.* In suis *bellum* invenisse videtur Puteanus, cum ad Rhenani ed. nihil adnotaverit. *Arntz.*

Ipsum Oceanum] Cf. Matthæum de Nobil. I. 21. Betouw Annal. Noviom. pag. 18. et quæ dixi ad Eumen. Constantio XVIII. § 3. *Idem.*

Hispaniarum] Sub Gallieno, ignavo Imperatore. Eutropius IX. 6. sub illo 'Germani usque ad Hispanias penetraverunt, et civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt.' *Cellar.* De Gallieni ignavia vid. ad Eumen. Constantio X. § 1. *Arntz.*

Ii igitur] Mœrl. *hi;* quæ sæpius permutari observat Heusinger ad Cornel. Nep. Præf. § 2. et Epaminond. VII. § 3. itemque Schwarz. ad Plin. Paneg. XXXIX. § 2. LVIII. § 1. *Jæger. Hi* quoque Guelf. quod propter codd. consensum restitui: similis permutatio est apud Mamertin. Maxim. XIII. § 2. Genethl. III. § 8. Eumen. pro Instaur. Schol. IV. § 3. Constantio I. § 6. et IV. § 3. et XII. § 1. *Arntz.*

Adfeceras] Langii *affixeras* receperunt Gruter. Paris. Cellar. Patar.

Equidem non ineptum judico illud *affixeras*, sed verum esse ac sincerum ut credam, a me impetrare nequeo. 'Adficere' valet h. l. frangere, minuere, debilitare. Sic Livius XXVIII. 15. 'æstus, labor, fames, sitisque adficit corpora,' i. e. debilitat. Videtur itaque Nazarius acute et eleganter opposuisse sibi invicem illud verbum, et *conficere*; quemadmodum Cicero de Provinc. Consular. cap. 8. 'Bellum adfectum videmus, et, vere ut dicam, pæne confectum.' Revocavimus itaque lectionem Cuspin. immerito spretam adhuc, et neglectam. *Jæger*. *Affixeras*, si sit ex cod. glossam sapit; mihi tamen in Langii sched. ex conjectura esse videtur, quam adripere non debuisset Gruterus. *Adfeceras* tuentur notata ad Mamertin. Maxim. XI. § 4. Eumen. Grat. Act. II. § 2. adde Gronov. Obs. IV. 8. *Arntz*.

Adficiendos filio] Crispo Cæsari, qui mox 'fortissimus Cæsar' laudatur. *Cellar*. Alterum, *conficiendos*, ex oppositione τοῦ 'adficere,' recte tuitus est modo Jægerus, et probant a me notata ad Eumen. pro Instaur. Schol. XX. § 2. *Arntz*.

§ 2 *Gloriam nostram*] Bene cod. Mœrl. cum edd. ceteris *vestram*, quæ pronomina non raro confunduntur. Vid. e. g. Cort. ad Sallust. Catil. XXXIII. 2. *Jæger*. Citavit etiam ita Brouwer. Annal. Trever. III. p. 211. sed in margine *nostram* notavit. Quod de permutatione habet Jægerus, in his Panegyricis est frequens, ut in Mamertin. Maximian. VII. § 5. Genethl. III. § 1. et IV. § 1. *Arntz*.

Adolevit] Cf. Cort. ad Sallust. Cat. LI. 40. *Idem*.

Cæsari] Victi enim a Constantino Franci inferiorem iterum Rheni limitem invaserant, quare alio occupatus bello Constantinus adversus eos Crispum filium misit, addito ipsius præceptore Lactantio. Cf. Pontanum Orig. Franc. IV. 4. et amicissimum In de Betouw Annal. Noviom. pag. 19. ab hac distinguenda est alia Constantini junioris expeditio, de qua Spanhem. ad Juliani Orat. I. p. 117. *Idem*.

Infracta] Notat Francos a Constantino maxime fractos, et, ut supra dixit, adfectos, de quo vocis apud meliores usu dixi ad Arator. Epist. ad Florian. 17. *Idem*.

§ 3 *Segusiensium*] Præsidio Maxentii firmatam. Vide superiorem Anonymi Panegyricum de eodem argumento, cap. 5. ubi 'munitissimo muro ac situ oppidum' dicitur: quod hodie *Susa* nominatur. *Cellarius*. De Segusio civitate dictum est Paneg. antecedent. c. 5. *Patarol*.

Cum vi et virtute] 'Vi capere' est idem, quod Græci dicunt κατὰ κράτος ἑλεῖν, Galli *emporter d'emblée*, vel *prendre d'assaut*. Cicero pro Murena cap. 9. 'Urbes partim vi, partim obsidione cepit.' Cæsar B. C. II. 13. 'Cæsar per litteras Trebonio magnopere mandaverat, ne per vim oppidum expugnari pateretur.' Ita vero expugnatam fuisse Segusiensium civitatem, ostendit Auctor Paneg. Constantino Aug. 5. 6. 'Neque enim vallo, fossaque obsessio inchoata est, nec cuniculis agendis, nec machinis admovendis, nec incutiendo ariete tentati, quassatique sunt muri: sed statim injectæ faces portis, scalæ propugnaculis.' De hac expugnandi ratione Auctor ipse cap. VII. § 8. 'Muros vi ceperas.' *Jæger*. Livius XXI. 57. 'tamquam vi captam urbem diriperent.' Drak. ad eumd. XXVI. 39. 11. *Arntz*.

CAP. XVIII. § 1 *Bructeros*] Incertus Constantino cap. XII. 'Ut,' inquit, 'omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur, nec hostes regum suorum supplicia mœrerent, immissa Bructeris vastatione fecisti.' *Putean*. *Bructeri* Germaniæ populus inter Lupiam, et Amisiam, inde ab Rheno, de quibus ad Plinii Epist. II. 7. diximus. *Cellar*. Germaniæ populos, qui olim Frisiam incoluere, post in regionem illam, ubi nunc fere Westphalia, se-

des transtulerunt. Horum mentionem, nec non et Tubantum, vide apud Tacitum Annal. lib. I. non uno loco. *Patarol.* *Bruteros* Guelf. et edd. Puteol. et Rhenan. eodem modo, quo apud Eumen. Constantin. XII. § 1. alterum jam dedit Livineius, et probat Wesseling. Observ. I. 20. Quæ ad h. l. pertinent, jam monui ad Eumen. d. l. hos populos, rupto fœdere, quod cum Francis pepigerat Constantius, Gallias invasisse ducibus Ascarico et Regaiso statuit Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 230. Van Hattum Hist. Zwollan. tom. I. p. 49. et 64. sed magis bellum movisse propter supplicium, quo Ascaricum adfecerat Constantinus, putat Sigonius de Occid. Imper. p. 70. Opp. tom. I. part. II. ubi p. 66. de Bructeris latius in Not. Januarius; hoc tamen verum non videtur de iis quos hic memorat, cum demum post victoriam illud supplicium sit sumtum, ut patet ex Eumenio Constantin. XI. § 3. quamvis in eo possit quæri ratio motuum Francorum, quos cap. præced. Crispum coërcuisse tradidit. Bellum vero cum Francis, h. l. memoratis, prius fuit, et quidem circa annum CCCVIII. gestum fuisse, cum in Galliis vitæ Constantini insidiaretur Maximianus, scribit Schœpflinus Alsat. Inlustr. tom. I. p. 392. et parum discrepat d. l. Sigonius. *Arntz.*

Clamosos] Pithœan. legit *Chamavos.* Sic et Pulman. et Lips. Eorum meminit inter alios Ausonius in Mosella: 'Accedent vires, quas Francia, quasque Chamavus, Germanique tremant.' *Putean.* Chamavi, inter Amisiam et Visurgim intus. *Cellar.* *Chamavos*, seu *Chamaves*, ut aliis placet. Populi hi dicuntur a nonnullis Transilvaniæ, a nonnullis Pomeraniæ. Ego, cum melioribus sentiens, gentem puto Bructeris finitimam, in tractu ipso Westphaliæ non longe a Monasterio. Videtur consentire Ausonius in Mosella: 'Accedant vires, quas Franci, quasque Chamaves, Germanique timent:' ubi vides, Chamaves inter Francos et Germanos poni, ubi ferme regio, quam adnotavimus. *Patarol.* In Guelf. legitur *Clamosos.* In excerptis Schonhovius quoque habet *Chamavos*, quod hic restituendum esse censent Colerus ad Tacit. M. G. cap. 33. Rittershus. ad Guntheri Ligurin. VI. 57. Wesseling. Observ. I. 20. idemque secutus Wagenaar Hist. Patr. tom. I. p. 229. Vere *Chamavos* est restitutum, de quibus plura notavi ad Eumenium Constantio IX. § 3. *Arntz.*

Eruscos] Puto legendum *Etruscos.* Rhen. Lego *Erulos* pro *Eruscos.* De his supr. Mamertinus Maximian. 'Ita cuncti Chaibones Herulique:' et in Genethl. c. 7. 'Itidem hic gens Chabionum Herulorumque deleta.' *Putean.* Arbitror verum, quod in Langii schedis, *Cheruscos.* Livin. Cherusci inter Visurgim, et Albim intus. *Cellarius.* Cherusci populi Ducatus Brunsvicensis et Luneburgensis, ubi nunc fere Alberstadium, Hildesheimia, et Magdeburgum. *Patarol.* *Etruscos* ex Guelf. notatum habeo, forte tamen in eo quoque est *Eruscos.* *Cheruscos* placuit Rittershusio ad Guntheri Ligurin. VI. 57. Colero ad Tacit. de M. G. cap. 33. Wesselingio Observ. I. 20. eamdemque sunt lectionem secuti Sigonius de Occid. Imp. II. p. 70. Opp. tom. II. part. II. ubi Januarius, et Wagenaar Hist. Patr. tom. I. pag. 229. neque nego, quamvis de Constantini in Francos victoria loquatur Nazarius, Cheruscos, Germaniæ populum, ad eos referri posse, cum Francorum nomine aliquando Germaniam intelligi dixerim ad Eumenium Constantino VI. § 2. unde etiam Schœpflinus Alsat. Inlustr. tom. I. p. 392. Nazarium, oratorum more, hoc loco rem auxisse statuit, tot gentes enumerando, quos uno nomine Francos dicere potuisset, historicorum exemplo, qui Constantinum Francos et Alemannos vicisse tradunt, quo Constantini numum apud

Spanhem. Usu Numism. Diss. VIII. p. 750. recte refert ampliss. In de Betouw Annal. Noviomag. pag. 19. Sed tamen de lectionis *Cheruscos* veritate dubito; est quidem ea in Langii schedis, sed sola mihi videtur esse conjectura, quam adripuit Livineius, in qua tamen mihi scrupulum movet rei gestæ series. Nimirum ad Constantini de Francis victoriam pertinent Nazarii verba, quam descripsit Eumenius Constantin. cap. X. sqq. postquam enim patri morienti in Britannia adfuisset Constantinus, in Galliam revertit, ut Francos coërceret, qui interea, rupto fœdere, et trajecto Rheno, eam regionem invaserant. His victis, sumtoque de eorum regibus supplicio, Bructeros inopinantes trajecto Rheno est adortus, teste Eumenio ibid. XII. § 1. facto mox etiam Agrippinensi ponte, quo victis metum incuteret, jam consciis, quam facile per eum sese adoriri posset Constantinus, si quid iterum tentarent. ibid. c. XIII. Hæc igitur omnia sunt ad Rhenum gesta, unde ripam cisrhenanam juxta Vahalis et Rheni divortia hos Francos occupasse tradit ampliss. In de Betouw Annal. Noviomag. p. 19. a Rheno autem longius remoti erant Cherusci, Visurgim inter et Albim habitantes. Quod si a victis Chamavis, ad Amisiam habitantibus, ad Cheruscos perrexisset Constantinus, Visurgim transire debuisset, at vero tunc æque hunc transitum, atque eumdem per Rhenum memorasset Eumenius, quo modo apud Velleium Paterc. legimus II. 105. 'Intrata protinus Germania, subacti Attuarii, Bructeri; recepti Cherusci; transitus Visurgis.' Adcedit, Chamavos videri cum reliquis Francis devictos in Gallia, post quam victoriam Rhenum transiisse Imperatorem tradit Eumenius ad Bructeros coërcendos; nihil vero de aliis addit, quos haud dubie memorasset. Si itaque *Cheruscos* tueamur, nihil aliud superest, quam ut dicamus, eos cum Chamavis, sibi vicinis, Rhenum trajecisse, atque cum iis victos. A vero autem quam longissime abit Puteani *Erulos*, ad Vistulam et Oceanum adhuc remotiores, de quibus vide ad Mamertin. Maximian. v. § 2. Mihi hæc cogitanti nata est suspicio, utrum in codd. lectione *Eruscos* lateat *Frisios;* majusculæ enim litteræ, quibus olim exarati sunt codd., *E* et *F* passim permutabantur. Vid. Drakenb. ad Livium IV. 45. 11. et XLI. 2. 3. ex *Frisios* itaque natum *Erisios* quam facillime in *Eruscos* abire potuit, præcipue si frequentissimos librariorum in nominibus propriis errores cogitemus. Frisii autem, Chamavis et Bructeris vicini, Francorum se sæpe motibus inmiscuerunt, et una cum iis victi leguntur. Ita Eumenius Constantio IX. § 3. 'Arat ergo nunc mihi Chamavus, et Frisius:' ubi vide; hinc 'Francorum' quoque nomine aliquando fuisse comprehensos docet Matthæus de Nobilit. I. 20. in fin. et cap. 21. *Arntz.*

Vangionas] In Langii schedis scriptum *Chabionas*, errore, ut puto. Sunt enim Franci, non Germani, quorum hic mentio. Vid. ad Mamertin. Maximian. cap. v. *Lancianus* est in Lang. Juvem ego, et *Logionas* rescribam, gentem Germanicam Zosimo lib. I. *Livin.* Sic recte, credo, Rhenanus. *Acidal.* *Vangiones* in Germania Prima soli Gallici erant. *Cellar.* Quid vero sibi velit duplex lectio, quam ex Langii schedis protulit Livineius, haud capio, nisi pro *Lancianus* ex quodam cod. per conjecturam sit positum *Chaibonas*. In excerptis habet Schonhovius *Chabiones*, quod placet quoque Pontano Orig. Francic. I. 5. qui *Chabionas* a Livineio male mutatum scribit in *Vangionas*. Sed *Vangionas* non est Livineii; exstat enim jam in antiquissima Puteolani et Rhenani. Quinam *Vangiones* hic sint intelligendi, disserit Schœpflinus Alsat. Inlustr. tom. I. p. 392. adde Januar. ad Sigonium de Occid. Imp.

Opp. tom. II. part. II. p. 70. *Arntz.*

Alamanos] Alamani inter Danubium, et Acronium lacum. *Cellar.* Qui et Alemani regionem, quæ modo Suevia dicitur, tenuere, universæ inde Germaniæ nomine suo indito. *Patarol.* Male Nazarium *Vangionas*, et *Alamanos* distinxisse putat Schœpflinus Alsat. Inlustr. tom. I. pag. 392. quia ipsi verisimile videtur, Vangionas esse intelligendos, qui antiquam in Germania sedem retinuerant, aut a Vangionibus relictam occupaverant, quique adeo ad Alemaniam pertinebant, quo nomine seculo quarto omnem regionem Mœnum inter, Rhenum, et Danubium intellectam tradit. Sed mihi verisimile est, *Vangionas* esse, qui ad sinistram Rheni ripam inhabitabant, de quibus Cellarius Geogr. Antiq. II. 5. p. m. 299. hi itaque vel ab universa Germania, vel Alemanis veri nominis distingui poterant, de quibus dictum est ad Mamertin. Maximian. V. § 1. Eumenium Constantio II. § 1. *Arntz.*

Tubantes] *Tubantes* erant Chamavis vicini. Vide Geograph. *Cellar.* Juxta quosdam auctores Frisiæ hodiernæ fuere populi, juxta alios Westphaliæ. *Patarol.* *Tribantes* est in Guelf. Hi Twentiam vulgo incoluisse creduntur, quamvis ideo in nominis origine nugari nolim cum Piccarto Antiq. pag. 149. jungit eos cum Bructeris Tacitus Annal. I. 51. neque tamen semper easdem habuisse sedes patet ex eodem XIII. 55. Cf. Wagenaar Hist. Patr. tom. I. pag. 229. Van Hattum Hist. Zwollan. tom. I. p. 48. *Arntz.*

Et immanitas] Quare Lucanus lib. I. 'Vangiones, Batavique truces.' *Patarol.*

Adhibet horrorem] De voce *adhibet* videtur etiam dubitare socer meus in Postum. c. 10. ideo præsertim, quia Isidorus Orig. IX. 2. hæc Nazarii ita descripsit: *quorum immanitas barbariæ etiam in ipsis vocabulis horrorem quemdam significat:* recte ibi cod. Groningan. *barbariæ*, non *barbarie*, quod dedit Gothofredus. τῷ *significat* magis congrua est Acidalii conjectura *exhibet;* neque tamen vulgatam damnaverim. 'Adhibere' est adcommodare, addere, hoc sensu; gentium illarum inmanitas horrorem quoque barbariæ in ipsis vocabulis adcommodat; si tamen *in* cum Acidalio deleas, nihil intercedo. Ita Tacitus Dial. de Orator. cap. 35. 'Materiæ abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur.' Infr. XXX. 3. 'adhiberem omnes flosculos.' Paneg. XIX. § 1. 'adhibere muneribus artem difficultatis:' quod idem Mamertinus Grat. Act. XVIII. § 2. dixit 'liberalitati artificium aliquod addere.' De isto nominum horrore recte Flori locum III. 10. contulit d. l. Cannegieterus, et ita Ovidius Trist. V. 12. 55. 'Omnia barbariæ loca sunt, vocisque ferinæ, Omnia sunt Getici plena timore soni.' *Arntz.*

Singillatim] Ita ex Guelf. rescripsi, pro inepto *sigillatim*, quod est in omnibus, judicium secutus Oudendorpii ad Sueton. Aug. cap. 9. *Idem.*

§ 2 *Timuisti*] Pacatus in Theodosium: 'Quo quidem maxime tuus gaudebat exercitus, cum se ultro videret lacessi, qui nihil magis timuerat, quam timeri.' Claudianus de Laudib. Stilicon. I. 'Res mira relatu, Ne timeare, times, et, quem vindicta manebat,' Desperare vetas.' *Livin.*

Ne timereris] Inclinant nonnulli legere, *quam ut timereris*; non necessario, nam et sic quoque Pacatus Paneg. Theodosiano: 'Quo quidem maxime tuus gaudebat exercitus, cum se ultro videret lacessi, qui nihil magis timuerat, quam timeri.' Quem locum adnotavit Daniel. et alioqui sic omnino locutus Claudianus lib. I. de Laudib. Stilicon. vs. 340. 'Res mira relatu, Ne timeare, times; et, quem vindicta manebat, Desperare vetas. Quantum fiducia nobis Profuit hostilis!' *Gruter.* Qui sint, quos *ut* legere monet Gruterus, ignoro. Cf. etiam not. patern. ad Pacat. Pa-

neg. xxxv. 2. et Barthium ad Claudian. d. l. *Arntz.*

§ 3 *Crudelitatem*] Cum ad ed. Cellar. nihil habeam notatum, in Guelf. quoque *credulitatem* lectum videtur; facilis illa est litterarum transpositio, cujus quoque est exemplum in codd. Livii VI. 14. 3. 'Versare credulitatem' est conspicientes ita flectere, ut non crederent sese eum videre, quem re vera videbant. Est enim 'versare' in aliam, et contrariam partem vertere; ita quis 'urbem arbitrio versare' dicitur apud Valer. Max. VIII. 9. ext. 2. et fortuna 'versare mortalium negotia,' ibid. V. 1. 10. *Idem.*

§ 4 *Nec sic quid est*] Non sperno rationem Acidalii, τὸ *quem* in *quæ* mutantis: facile enim hæ voces, propter compendium scripturæ, permiscentur. Vid. Schwarz. ad Plinii Paneg. LXXXVIII. § 8. *Jæger.* Cf. ad Mamertin. Genethl. VII. § 6. Acidalii conjecturam *quæ* minus necessariam puto. *Arntz.*

Intra jactum] Cf. ad Eumen. Constantin. VIII. § 1. *Idem.*

Dubitare quidquam potes] *Quisquam potest* Cuspin. *Livin.* Lege, *qui hoc poterat non timere, dubitare quicquam potes, per omnia subnixum Deo vadere?* Quamquam sane haud admodum placet, ad barbaros etiam hæc dirigi. Ac forte scribendum generaliter, *qui hoc poterat non timere, dubitare quisquam potest,* vel *dubitari quicquam potest.* Acidal. Sic habent edd. omnes, excepto Cuspin. qui legit, *dubitare quisquam potest;* a quo haud multum abludit Schonhov. *dubitare quisquam potes.* Recepi hanc lectionem, quam Puteanus et Acidalius jam ex ingenio protulerunt. Ineptum scilicet est, verba *dubitare potes* ad barbaros respicere; et statim, quæ sequuntur, *Invictos ducis,* ad Constantinum. *Jæger.* In Guelf. est *dubitare quidquam potes,* idque in suis haud dubie invenit Livineius, quia ex iis nihil notavit. Justa est Jægeri ratio, qua *potes* præferendum ducat. Sed in admittenda Cuspiniani lectione virum clarissimum sequi non audeo, ideo etiam, quia mox codd. *te* inserentibus, obtemperandum mihi videtur. Locum corrupit prava interpunctio, quæ tamen neque in omnibus est eadem: Rhenanus et Henr. Stephanus dederunt, *cum intra jactum teli securus sui staret. Constantinum esse, qui hoc poterat non timere, dubitare quicquam potes, per omnia, &c.* at vero Livineius, *cum intra j. t. securus sui staret, Constantinum esse! Qui hoc poterat non timere, &c.* hanc interpunctionem reliqui sunt secuti, nisi quod Rivinus, *intra jactum teli securus sui staret! Constantinum esse! Qui hoc poterat, &c.* Mihi certum est, novam periodum male a verbis *Qui hoc poterat non timere* fuisse inchoatam, quod a verbis *dubitare quidquam potes* fieri debuisset, idque effecit, ut verba paullulum obscuriora conjecturis locum dederint, quæ ceteroquin satis essent clara. Itaque interpungo, *cum intra jactum teli securus sui staret, Constantinum esse, qui hoc poterat non timere. Dubitare quidquam potès, te per omnia, &c.* hoc dedi in contextu, neque audaciæ me reum fecerit, qui interpungendi rationem in codd. antiquissimis ignoratam, ideoque arbitrio cujusque, secundum auctoris mentem, relictam cogitaverit. Cæci erant barbari, qui non sentiebant Constantinum esse, qui *hoc,* id est jactum teli, intra quem securus stabat, *non poterat timere.* Hæc itaque postquam in parenthesi memorasset, revertitur ad Constantinum, quem in præcedentibus jam fuerat adlocutus, *Dubitare quidquam potes, &c.* Arntz.

Invictos duces] Non necesse est quidquam mutari. Vulgatam recte Livineius in margine exempli sui explanavit, *invictos* scil. *milites ducis;* et tamen, quamvis illi sint fortissimi, et invicti, tu solus timeris. *Jæger.*

§ 5 *Indignam*] Οὐκ ἀξιόχρεων, imparem. *Livin.* Possit fortasse et signi-

ficatu solito sic explicari: tot, tantæque nationes congregatæ putant, se haud dignas esse, adversus quas ipse præsens viribus, et virtute tua utaris, creduntque adeo, te expeditioni non interesse. *Jæger.* Mihi sensisse videtur; illi populi te ideo abesse crediderunt, quia sese parum a te dignos haberi putant, contra quos ipse præsens pugnares. *Arntz.*

Credit absentem] Scilicet alioquin nihil tentatura præsente. *Livin.*

§ 6 *Collatinam vim*] Collaticiam. *Rhenan.* Vet. *collativam.* Puteanus. Recte, consentientibus Mss. et edd. ceteris, Acidalius corrigit *collativam,* advocatque Plautum Curcul. II. 1. 16. 'qui hic est homo cum collativo ventre?' *Jæger.* 'Collativum' dicitur in L. 3. C. Theodos. de Proxim. Comit. quod 'collationem,' sive collectam pecuniam Sulpicius Sever. Hist. Sacr. II. 41. 3. *Arntz.*

CAP. XIX. § 1 *Hoc bello*] Mœrl. *uno ex bello.* Jæger. Etiam Guelf. Si placeret hæc scriptura, *ex* foret propter, ut 'ex utilitate,' Tacit. Annal. XV. 43. 'odor ex multitudine cadaverum,' Cæsar B. C. III. 49. 4. quod alii non recte ceperunt. Cf. Cortium ad Sallust. Catil. XII. 2. Jugurth. VII. 5. Burman. ad Vell. II. 118. 4. ad Gratium Cyneg. 323. ad Ovid. Met. III. p. 180. et me ad Arator. Epist. ad Florian. 4. *Arntz.*

Integer conderetur] Plinius in Trajanum: 'Cum tibi dies omnis summa cum utilitate nostra, summa cum tua laude condatur.' Epist. IX. 36. 'Ita variis sermonibus vespera extenditur, et quamquam longissimus dies cito conditur.' *Livin.* Non solum poëta Eclog. IX. 'longos cantando soles,' id est, dies, dixit 'condere,' sed soluta etiam oratione Plinius Epist. IX. 36. *Cellar.* Cf. ad Eumen. Constantio IV. § 3. *Arntz.*

Cecidit oratio] Necessaria, et vera est Acidalii emendatio, quam jure laudat Bibliotheca Philologica, et addit: 'Evolvere' est explicare, cui opponitur 'summa' cum verbo 'monstrare,' hoc est, brevi oratione tangere. *Jæger.* Necessariam esse Acidalii emendationem vix puto. *Cecidit oratio* est languet, et veluti vacillat, quia omnia prætervolando, neque ea enumerando, quæ enumerari debuissent, nervis suis veluti destituta videtur. Petronius Sat. cap. 2. 'corpus orationis enervaretur, et caderet.' Conf. Barthium ad Claudian. Rapt. Pros. III. 275. *Arntz.*

§ 2 *Felicitas claudicarit*] Supra: 'Verebatur, ne apud posteros miraculi fides claudicaret.' *Putean.*

Cælestes exercitus] Supra cap. 14. *Cellar.*

Tunc primo] Forte *primum.* Livin. Livineio favet cum Gud. Mœrl. qui habet *primum tunc.* Jæger. Ex utroque cod. hoc restitui. *Arntz.*

Tum demum] Guelf. *tunc demum.* Ita edidit Patarol, et Jægerus, quamvis de mutata lectione nihil monuerint. *Idem.*

§ 3 *Liberandam Italiam*] *Liberandum* Vet. *Livin.* Quæ cod. lectio ex iis commendatur, quæ dixi ad Mamertin. Genethl. V. § 4. *Arntz.*

Tam tutus] *Et tantus,* quod valde placet, legitur in Mœrl. et Gud. *Jæger.* Elegans certe est *tantus,* sed sequentia magis congruunt τῷ *tutus,* et in *talis* inest jam tanti significatio, de quo Schwarz. ad Mamertin. Genethl. II. § 2. *Arntz.*

Accedis, ut] Forte *accedis. Et quum res bellica, &c.* Acidal. Particula *ut* mutanda esset in *et,* si cum Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. legeremus infra *tenebas:* sed ex Bertin. *teneres* recepit jam Gruterus, consentientibus ceteris. *Jæger.*

Cæcos habeat eventus] Cicero ad Divers. Ep. VI. 4. 4. 'Omnis belli Mars communis, et semper incerti exitus præliorum sunt.' Ad quem locum vid. Manut. p. 257. ed. Græv. Adde, sis, eumdem Epist. ad Attic. VII. 7. 'Nemini est exploratum, cum ad arma ventum est, quid futurum sit.'

Seneca Phœniss. vs. 625. sqq. 'Nunc belli mala Propone; dubias Martis incerti vices. Licet omne tecum Græciæ robur trahas; Licet arma longe et late miles explicet; Fortuna belli semper ancipiti in loco est, Quodcumque Mars decernit. Exæquat duos, Licet impares sint, gladius: et spes, et metus Sors cæca versat.' *Jæger.*

Pignore tenebas] Recte supra monuit Jægerus, si *ut* retineatur, potiorem esse cod. Bertin. auctoritatem. *Arntz.*

Etsi abessent] Stabilitam tot codd. lectionem revocavi; *etsi* enim adhuc retinuerat Jægerus. *Idem.*

§ 4 *Militiæ munera*] *Munia* Vet. Cuspin. Rhenan. *Livin.* Sæpe hæ voces permutantur. Ovidius Met. XIII. 296. sq. 'Quid? quod me, duri fugientem munera belli, Arguit incepto serum accessisse labori?' Eo loco libri complures 'munia' habent, teste N. Heinsio, quem vide. *Jæger.* Eumenius pro Instaur. Schol. VIII. § 2. 'militiæ, atque castrorum munia convalescunt:' et XIX. 2. 'belli munia,' ubi in aliis quoque 'munera.' Idem Constantio XII. § 1. 'munia nautica.' Burman. ad Gratium Cyneg. 260. res a codd. pendet, cum 'munera' et 'munia' hac in parte nihil distent. Vid. Vlitius ad Nemes. Cyneg. 194. Burman. ad Ovid. Art. I. 691. Drakenb. ad Livium XXXVI. 31. 12. *Arntzenius.*

Significo victorias] De eodem Constantino Euseb. VI. 6. 'Deus ipsum remuneraturus dominum, ac victorem, solumque ex omnibus, qui unquam fuerint, Imperatoribus semper invictum, atque insuperabilem præstitit.' *Patarol.* Verba *cum dico p. s. victorias* parenthesi includunt Patarolus et Jægerus; alii aliter interpunxerunt, sed ita, ut hæreas, quo sequens *amans*, et *carus* referatur. Mihi, lectoris commodo, a *quippe* inchoanda est visa parenthesis. *Arntz.*

§ 5 *Militem fortiorem*] Guelf. *principem fortiorem.* Posset quidem hæc lectio ita exponi, amorem, quem erga Principem habent milites, eumdem facere fortiorem: propter præcedentia tamen 'tibi carus, amorem Principis' magis interpretor, quo ipse in milites ducatur Princeps. *Idem.*

CAP. XX. § 1 *Illyrici quondam*] *Illyrii* Vet. in quo asscriptum margini, 'lege Justinum.' Vere. Est enim hæc historia apud eum lib. VII. Meminit et Ammian. Marcellinus lib. XXVI. *Livin.* Recte *Illyrii* de ipso populo, *Illyricus* de eo, quod ad Illyrios pertinet. Duker. ad Florum II. 5. 1. Oudend. ad Frontin. II. 5. 10. ad Sueton. August. cap. 19. Burman. Addend. ad Claudian. p. 1018. *Arntzenius.*

Aëropi regis] Veram nominis scripturam tradit Diodorus Siculus XIV. 38. 'Αέροπος. *Cellar.* 'Europus' dicitur a Justino. *Patarol.* Non nulli scilicet *Eropi* vitiose exhibent. *Jæger.* *Europi* male hic emendat Berneggen. ad Justin. VII. 2. 5. prava Justini lectione deceptus, quæ etiam est in uno Franeq. et duobus D'Orvillii. *Eropi* hic scribunt omnes, etiam Baunius et Patarolus; id ex antiquis edd. manavit, in quibus primam syllabam diphthongum *æ* habuerunt, in codd. per *e* expressam, nisi Romanorum mori id tribuere velis cum Ruperto ad Besoldi Synops. p. 155. Veram orthographiam *Aëropi* restituendam esse jam vidit Vorstius ad Justin. VII. 2. 5. idque præter Diodorum Siculum confirmat quoque 'Αέροπος apud Herodotum VIII. 139. quare hoc in contextu recte primus dedit Cellarius, eumque secutus Jægerus. *Arntz.*

Lacesserunt] Forte legendum *lacessierunt.* Cf. Buneman. ad Lactant. Instit. V. 2. 2. *Idem.*

Secundum illos] H. e. illis secunda fuit, et prospere cessit. Sic Tacitus Hist. III. 7. 1. 'Principia belli secundum Flavianos.' *Jæger.* 'Secundum Messenios' decretum dare, apud

eumd. Annal. IV. 43. 'secundum aliquem litem dare' explicuit Drakenb. ad Livium XXIII. 4. 3. *Arntz.*

Bellum reficerent] Renovarent. Sic Aurel. Vict. Cæs. XXIX. 5. 'Ita refecto bello cum impigre decertaret, interiisse pari modo.' *Jæger.* Est enim nihil aliud, quam iterum facere. Cort. ad Sallust. Jugurth. LXVI. 1. Gebhard. ad Livium III. 14. 6. Drakenb. ad eumd. IV. 57. 12. hoc pacto 'Satrapen refecisset Curtio' reddit Freinshemius VI. 6. 20. *Arntz.*

In cunis] Ne forte aliquis tempus terat, anxie historiam huic rei congruam vestigans, et ne commentitium, vel fabulosum hoc putet, quamvis præsentem rerum statum præ oculis habeat, Faventinos videlicet, Galliæ togatæ populos, miseratione Asturis pueri, reguli sui, commotos regi Galliarum, Romano Pontifici, marisque regnatoribus Venetis, quibus totus orbis cedebat, restitisse viriliter: ponam tamen, quæ, Nazario concinentia, tradit Justinus in Epitome Pompeii Trogi lib. VII. 'Argeus moderate, et cum amore populi administrato regno, successorem suum Philippum reliquit, qui, immatura morte raptus, Europum, filium parvulum admodum, instituit heredem, et Macedonibus assidua certamina cum Thracibus, et Illyriis fuere, quorum armis veluti quotidiano exercitio indurati gloria bellicæ laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrii, infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur, qui prælio pulsi, rege suo in cunis prolato, et pugnæ ante aciem posito, acrius certamen repetivere, tanquam ideo antea victi fuissent, quod bellantibus sibi regis auspicia defuissent, futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant, simul et miseratio eos infantis tenebat, quem, si victi forent, captivum de rege facturi videbantur. Conserto itaque prælio, magna cæde Illyrios fudere, hostibusque suis ostenderunt, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse.' Hoc idem Polybius, gravissimus scriptor, asserit. *Baptista Pius,* Adnotat. Poster. Syllog. III. cap. 46. Lindenbrog. ad Ammian. XXVI. 9. Rupertus ad Besoldum p. 155. Justini locum descripsit Joan. Saresber. Policr. VI. 24. *Arntz.*

§ 2 *Amore pugnabant*] Ammianus citatus: 'Ostenderuntque hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse.' *Patarol.* Hæc non sunt Ammiani, sed Justini. *Arntz.*

§ 3 *Præsumtione*] I. e. spe. Cf. ad Eumen. Grat. Act. XII. § 2. *Idem.*

Munerabantur] 'Munerari' significat quidem largiri: uti Cic. de Inv. II. 1. in fin. 'Itaque (natura) tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adjuncto incommodo, muneratur.' Hoc tamen loco videtur idem valere, ac remunerari, gratiam referre. Ita Plautus Captiv. V. 1. 11. sqq. 'H. fecisti, ut tibi, Philocrates, numquam referre gratiam possim satis, Proinde, ut tu promeritus de me et filio. PH. Imo potes, Pater, et poteris, et ego potero: et Di eam potestatem dabunt, Ut beneficium bene merenti nostro merito muneres.' Sententia igitur erit: Tui fortiter dimicando non spem gratiæ pueri sibi conciliandæ compensabant, sed, Principis benignissimi meritis, quod debitum erat, reddebant. Ceterum pro *munerabantur*, habet Mœrl. *numerabant*, corrupte, ut apparet, pro *munerabant*. Jæger. Etiam Gnelf. *numerabant:* ita 'numero' et 'munere' sunt confusa in Aratore I. 781. *Arntz.*

CAP. XXI. § 1 *Primam*] In Baunii exemplo legitur *Prima*, ut ad *victoria* referatur; in omnibus reliquis *Primam*. Nequeo autem dissimulare, verba *quam primam iter dederat* expli-

cationis caussa in margine adscripta fuisse, et inde in contextum irrepsisse mihi videri. His ejectis, *Primam* sine controversia verum est. *Jæger.* Mihi ad augendam Constantini laudem addita videntur, qui jam statim ad primam in itinere urbem victoriam reportasset, cui 'primam obstinationem' tribuit Incertus Constantin. v. § 4. Et vocis *Primam* repetitio nescio quid elegantiæ habet, prætorquam quod ejusmodi repetitionum exempla dedi ad Mamertin. Genethl. II. § 1. et x. § 1. et xv. § 3. *Arntz.*

Segusiensium] Hujus urbis obsidionem narrat quoque Incertus Constantin. v. § 4. et latius Sigonius de Occid. Imper. Opp. tom. II. part. II. p. 78. Guelferb. *Segusiensium*, ut supr. XVII. § 3. *Idem.*

Iter dederat] Iter ex Gallia per Alpes in Italiam ad Maxentium debellandum. *Cellar.* Confer cum hoc loco Incertum Constantin. v. § 4. *Arntz.*

Resistendi pertinacia] Vid. ad Incertum Constantin. VIII. § 1. qui cap. v. § 4. hanc Segusiensium 'obstinationem' dixit. *Idem.*

Pietatem] I. e. clementiam. Vid. Paneg. Constantino Aug. XXVI. § 3. *Jæger.*

§ 2 *Vi, manu*] Malim, *cum intr. manu quæreretur*, inducto *vi*, quod ex glossemate irrepsisse videtur. Scio tamen apud Virgilium esse, 'Fit via vi.' *Ritters.* Vocula *vi* nata est ab interprete, adscriptaque illi *manu*: itaque deleverim. *Gruter.* Puto *vi* servari incisione posse, *vi, manu*, hoc est, *vi et manu*, quum et numerus sic rotundius decurrat in periodo. *Cellar.* Schonhov. et, Puteano teste, Pulm. legunt *vi manuque*. Recte, puto. Jungit eas voces etiam Cicero Philipp. II. 36. 'Tu illos impetus perditorum hominum .... quos nos vi, manuque repulimus, in nostras domos immisisti.' Idem Catilin. I. 8. 'Jam mihi consuli, hoc ipso in templo, jure optimo, senatus vim et manus intulisset.' Sallustius Jugurth. XXXI. 18. 'Quid igitur censes? vindicandum in eos, qui hosti prodidere rem publicam: non manu, neque vi, quod magis fecisse, quam illis accidisse indignum; verum quæstionibus, et indicio ipsius Jugurthæ.' Vid. ad h. l. Cort. et supra c. XVII. § 3. Sic Tacitus jungit 'vim' et 'arma,' Histor. IV. 23. 2. 'Inde non loco, neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant;' et IV. 68. 3. 'Varus, prætorianis præpositus, vim atque arma retinebat.' Lectionem itaque Schonhov. et Pulmann. recipimus: nec potest obstare *δυσφωνία*, ex sequenti *quæreretur* orta: eam enim scriptores non semper curant vitare. Vid. quem jam hac de re laudavi, Hensinger. ad Nepot. Lysandr. I. 6. *Jæger.* Veri specie se commendat Jægeri sententia, unde et Sallustius Jugurth. XXXI. 18. 'non manu, neque vi,' et Ciceronem plerumque copulam addere docet Wasse ad Sallust. Jugurth. c. 5. qui tamen hic *vi manu* tuetur, estque vulgatum asyndeton. Frustra autem Orleans ad Taciti Annal. III. p. 429. emendabat *vi immani*, quod inconsulto factum ab eo, neque atque ab aliis, qui *vi* delent, recte judicat Gronovius Diatrib. Statian. c. 3. p. 18. *Arntz.*

Distulisset] Mœri. et Gud. mendose *detulisset*. Jæger. Incertus Constantin. v. § 6. 'statim injectæ faces portis.' *Arntz.*

Partu pestifero] Forte *pastu*. Sic idem Nazarius c. 8. vocat 'pastus libidinum.' *Juretus.* Sed hoc nihil ad rem. Quæritur, num aliquid 'partu valescere' dici possit? quod mihi quidem non videtur. Ignis, ut cetera omnia, valescit alimentis, et pastu. Sic Quinctilian. Instit. Orat. v. 13. 13. 'Si singula quæque dissolveris, jam illa flamma, quæ magna congerie convaluerat, diductis, quibus alebatur, concidet.' Porro verbum 'pas-

ei' de igne frequenter, a poëtis præcipue, adhibetur. Seneca Herc. Œt. vs. 576. 'Non ante vestes induat conjux, jube, Quam ture flammas pascat, et placet Deos.' Hac ratione etiam Oceanus 'sidera pascere' dicitur Plin. H. N. II. 68. (Oceanus) 'toto circumdatus medio, et omnes ceteras fundens recipiensque aquas, et quidquid exit in nubes, ac sidera ipsa tot et tantæ magnitudinis pascens.' Secutus igitur exemplum Cellarii et Pataroli vocem *pastu*, ut unice veram, in contextum admisi. *Jæger.* Vera est Jægeri sententia. Seneca Herc. Œt. 351. 'Quid ipsa flammas pascis?' Lucanus v. 525. 'Scintillam tenuem commotos pavit in ignes.' Burman. ad Valer. Flacc. II. 450. ita etiam 'alere,' et 'alimenta.' Curtius IV. 3. 4. 'quidquid alendo igni aptum erat.' VIII. 10. 8. 'quæ (flamma) igni alita.' Tennul. ad Frontin. IV. 7. 9. De voce 'contagionis' vid. supr. XIV. § 2. *Arntzenius.*

Non adjutum senesceret] Colvius in notis ad Apuleium corrigit *non adultum*, quod fortasse non debuit hic reticere Livineius. Simili conjectura apud Symmachum VII. 18. rescribendum aliquando putabam, *adulti caloris pabulum.* Ritters. Ferri quidem potest, ut dicatur 'adjuvare incendium,' qui illud manu auget, conjeci tamen olim, *non adultum senesc.* ut loquatur de incendio, veluti de homine, qui adolescit, senescit, moritur. Verum, ne quid dissimulem, potest retineri lectio vulgata. *Grut.* Colvius, *adultum.* Consideretur. *Acidal.* Retineri non modo potest, sed etiam debet vulgata, quæ sensum satis commodum præbet, et apertum; sc. maxima Imperatoris cura fuit, non modo, ut incendium, quod nemini militum augere licebat, per se ipsum elanguesceret, sed etiam omnino, ferenda ope, exstingueretur. 'Adjuvare incendium' recte dicitur, quicumque promovet illud augetque. Sic Silius Italic. VII. 363. sqq. de bubus, quorum cornibus sarmenta illigari jusserat Hannibal: 'Hic vero ut gliscente malo, et quassantibus ægra Armentis capita, adjutæ pinguescere flammæ Cœpere.' Vides hic, 'flammas adjuvari' capitibus quassandis. *Jæger.* Colvii locus est ad Apuleium XI. Met. p. 159. ejusque emendationem probavit quoque Rittershusius apud Scioppium Verisim. III. 17. et Stephanus ad Saxon. Grammat. Hist. Dan. v. p. 127. recte tamen *adjutum* tuetur Drakenb. ad Silium VII. 354. ubi hujus locutionis plura habet exempla Heinsius. Seneca Med. 412. 'Aut vis ignium Adjuta flatu.' Hoc quoque postulat sequens *oppressum*, quod quidem τῷ *adjutum*, non autem *adultum* opponi potest. Ideo quoque male Guelf. *non victum senesceret.* Arntz.

Senesceret] 'Senescere' idem est, quod elanguescere, debilitari, minui. Vid. Cort. ad Sallust. Catil. XX. 10. *Jæger.* Et ad eumd. Jugurth. XXXV. 3. Velleius I. 17. 6. 'studium cum spe senescit.' II. 11. 3. 'fortunam nunc senescere;' 'dies senescens' apud Sedulium III. 219. ubi not. 'forma senescit,' Ovidius Amor. I. 8. 53. Cf. Gebhard. ad Livium XXIX. 22. 8. Gronov. ad Senec. Nat. Quæst. III. 27. Drakenb. ad Silium XVI. 135. *Arntz.*

Sed oppressum] Quod vox *etiam* post *sed* omittitur, sententiæ augendæ caussa, et ad exemplum optimorum id fieri constat. Cicero de Legib. III. 14. 'Quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem.' Idem Cat. c. 1. 'Te non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo.' Et ad Divers. Ep. I. 6. pr. 'Quæ gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed præfuit.' Vid. ibi Manut. itemque Burmann. ad Phædri Prolog. lib. I. vs. 6. et Heusinger. ad Nepot. Cimon. IV

§ 1. *Jæger.*

Emori posset] *Mori*, vel *emori*, recte de incendio et igne usurpatur. Sic Plinius H. N. xvi. 6. 8. 'Carbo in ærariorum tantum officinis compendio: quoniam desinente flatu protinus emoriens sæpius recoquitur:' et paucis interpositis: 'Hoc quoque inter reliqua neglectæ religionis est, quod emortuo carbone sacrificatur.' Idem lib. ii. 106. montem Chimæram flagrare dicit diebus ac noctibus *flamma immortali*, i. e. quæ numquam exstinguitur. Comparatio illa incendii cum ætate hominum enixa est 'partum,' et 'adolescentiam' ignis: sed minus favente Lucina. Nam, quo modo, quod non adolevit, senescere possit, exputare ego quidem nequeo. *Jæger.* Cf. Oudendorp. ad Lucan. iv. 78. Burman. ad Quintil. Instit. Orat. v. 12. et quæ dixi ad Sedulium i. 247. *Arntz.*

Operosior] Guelf. *oppressior*, quod plane sententiæ adversatur. *Operosior clementia* est, in qua, ut mox dicit, 'plus erat laboris.' Cf. Burman. ad Ovid. Amor. ii. 16. 33. et Art. i. 399. Comparativo additum 'longe' adtigi ad Eumen. pro Instaur. Schol. v. § 3. *Idem.*

Clementia quam fortitudo] Victoribus inde laus maxima. Quare Eunomes ille apud Tacitum Annal. lib. xii. 'bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigatur.' Lege Ciceron. Orat. pro M. Marcello. *Pataroius.*

Perfecta est] Mamertin. Genethl. xix. § 2. 'perspectis omnium moribus:' infr. xxv. § 5. 'in illa obsidione perspectum est.' Adde Burmann. ad Propert. i. 11. 17. utraque vox etiam permutata est apud Valer. Maxim. iv. 3. 5. *Arntz.*

§ 3 *Sic cupiditatem sui fecit*] Cuspin. voci *cupidam* præponit *civitatem* ex ingenio, ut videtur, correctoris, qui nolebat *cupidam* referri ad antecedens *urbe*, quia fortassis ex Nonio c. v. 27. didicerat, 'urbem' ædificia, 'civitatem' incolas significare. Sed satis certo constat, 'urbem' *μετωνυμικῶς* pro civitate poni. Silius Ital. ii. 256. sq. 'Incutit umbonem fesso, adsultatque ruenti Pœnus, et obtestans spectantem e mœnibus urbem,' &c. Tacitus Annal. xiii. 6. 2. 'urbem' dicit 'sermonum avidam,' Histor. i. 50. 1. 'trepidam,' et i. 89. 1. 'securam..' *Jægerus.* 'Cupidam sui facere' notat sui studiosam, sibique faventem, suarumque partium facere, de quo Grævius, et Oudend. ad Sueton. Cæs. cap. 12. Cannegieter ad Fragment. Jurispr. p. 61. *Arntz.*

Cap. xxii. § 1 *Dilectum boni*] Ex Guelf. scripsi *delectum*, quod etiam est in Puteol. Rhenan. Henr. Stephani, et utraque Rivini: primus in *dilectum* mutavit Livineius, quod probat pater meus ad Plinii Paneg. ii. § 1. quia hanc vocis scripturam, si substantive ponatur, præferendam judicat, ad Victor. Inlustr. xlviii. 2. potius tamen hic codd. sequor. Cf. ad Eumen. pro Instaur. Schol. v. § 3. et xvii. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Apud Taurinos*] Supra in Panegyr. Constantino, quem Nazarii esse puto: 'Tibi paulo post in Taurinatibus campis pugna pugnata est, non trepidantibus ex victoria tua rebellibus, sed iratis, incensisque ad ulciscendum animis,' &c. *Pataroius.* Cf. ad Incert. Constantin. vi. § 5. *Arntz.*

Monet] *Movet* Vet. *Livin.* Vulgata melior; sæpe hæc permutantur. Vid. supr. ad Incert. Constantin. xiv. § 3. *Arntz.*

Cogitant, quod] Forte, *cogitant, quo cum Pr.* Livineius. Quæ emendatio, cum et per se ipsa probabilis sit, imo necessaria, et præterea quoque cod. Mœrl. suffragio commendetur, sine dubitatione in contextum, ad exemplum Pataroli et Cellarii, admittenda fuit. *Jæger.* Accedit suffragium cod. Guelf. Terentius Eunuch. iv. 6. 21. 'Imo hoc cogitato, quicum res tibi est.' *Arntz.*

Mansuetudo rationem] Quia ea est benignitate, ut victis parcat, ideo quilibet, sanus mente, optime sibi consulit non resistendo. *Patarol.*

§ 3 *Late jacentem*] Lucanus VII. 566. 'Latis projecta cadavera campis.' Oudend. ad Cæsar. B. C. II. 24. 4. *Arntz.*

§ 4 *Illa fuisse*] Guelf. *ista fuisse.* Vulgata ad sententiam augendam, et speciei excellentiam melior. *Idem.*

Formidolosa] Pro formidabilis. Usus et Sallustius: 'Regibus boni, quam mali, suspectiores sunt, semperque iis aliena virtus formidolosa est.' Cicero Tuscul. IV. 'Conservatio stabilis judicii in iis rebus, quæ formidolosæ sunt.' *Livin.* Quam formidabilis. Est enim 'formidolosus' et qui formidat, et qui formidatur. Cicero pro Leg. Manil. c. 21. 'Bellum maximum, formidolosissimumque.' *Cellar.* Vid. Reitzius Ambig. p. 229. *Arntz.*

Operimento ferri] Male Guelf. *ferro.* De his vide mox notata. *Idem.*

Clibanariis] Ita Persis dicti, qui Græcis κατάφρακτοι. Alexander Severus oratione ad senatum, quam Ælius Lampridius recitat: 'Cataphractarios, quos illi (sermo est de Persis) Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.' Ammian. Marcellinus: 'Sparsique cataphracti equites, quos Clibanarios Persæ dictitant, thoracum muniti tegminibus, et limbis ferreis cincti,' &c. *Livin.* *Cataphractos* Græci dicunt, quos eodem modo, aut clariore, Ammianus XVI. 16. descripsit. Adde, sis, quæ ad Eutropii VI. 7. notavimus. *Cellar.* Vox hæc Persica, ut patet ex Lampridio in Alex. Sever. et Ammiano XVI. 10. qua similis armaturæ genus appellant, cujus descriptionem hic habes a Nostro. Græci vocant 'Cataphractos;' aliis dicuntur etiam 'Cataphractarii;' Tacito Annal. lib. III. 'Crupellarii.' *Patarolus.* 'Clibanariorum' nomen Græcum esse, non Persicum, ostendere laborat Salmasius ad locum Lampridii supra prolatum, contradicente tamen Casaubono. Cf. quoque Lipsium de Milit. lib. III. Dial. 6. *Jæger.* Egregia horum inter alios est descriptio apud Julianum Orat. I. p. 37. 'Clibanarii' itaque erant ipsi, eorumque equi, ferro tecti, quo a scutariis, solo scuto tectis, distingui docet Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. V. p. 279. horumque, quod ad hunc locum facit, præcipuum in campestri prælio usum fuisse docet Spanhem. ad Juliani Orat. d. l. p. 246. ex Persico fonte derivat quoque Lipsius ad Taciti Annal. III. 28. ex Græco Baptista Pius Adnot. Poster. Syll. III. cap. 81. cum dictos tradat, quia, testudinis more, arcuatis muniuntur armis, ad clibani formam. In Glossis Nomicis est: Κλιβανάριοι· ὁλοσίδηροι; κλίβανα γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σιδηρὰ καλύμματα καλοῦσι ἀντὶ τοῦ καλαμῆνα· ubi ex Du Cangio recte καλύμματα emendat Reverus ad Gloss. Nomic. cap. 14. melius etiam καλαμῖνα habet Vales. ad Ammian. XVI. 10. p. 142. 'Cataphracti equites' dicuntur a Nostro cap. seq. § 4. qui 'cataphractarii' sunt apud Trebell. Poll. Claud. 16. Vopiscum Aurel. 34. quamvis hos a *Clibanariis* parumper differre conjiciat Gutherius de Offic. Dom. Aug. III. 12. Plura de his habent V. D. ad Ammian. XVII. 12. Alardus ad Valer. Flacc. VI. 234. Cerda ad Virgil. Æneid. XI. 770. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. V. p. 279. Notæ ad Rufi Breviar. c. 15. et inprimis Brissonius de Regn. Pers. III. § 5. *Arntz.*

Tectis] Tacitus Annal. lib. III. 'continuum ferri tegmen,' &c. *Patarol.*

CAP. XXIII. § 2 *Quod ex se rerum captum*] Locus perdifficilis, ac plane depositus sine libris, in queis nulla hic mihi varietas reperta. Erroebam tamen, *quod ex rerum se captu*

in usum temperat. *Captu*, hoc est, conditione et modo, ut Adelphis Terentii Donatus exposuit hoc versu: 'Hic Geta Præterea, ut captu' est servorum, non malus, Neque iners, alit illas.' Addit Afranium Simulante: 'Is, ut servorum est captus, facillime Domo atque nostra familia provenditur.' *In usum*, id est, in rem gerendam, ac, quod in manibus sit, patrandum. *Livin.* Lege, *quod ex serie rerum.* Imo potius, *quod ex rerum captu suum temperat.* Acidal. Desperatus Livineio locus, nisi quod *captum* : conditionem interpretatur. Ex iis autem, quæ sequuntur, satis apertus sensus est. *Cellar.* Libri Mss. nihil variant, aut juvant. Doctissim. Livineius mire æstuat in difficili, ac deposito, ut vocat, loco; tentabat tamen, *quod ex rerum se captu in usum temperat.* Quod non modo longius a vulgatis recedit, sed et verba nimium contorquet. Ob similitudinem inter voces *se rerum* tres literæ perierunt. Sine controversia scribendum est, *quod ex serie rerum captum suum temperat.* Tres literæ *rie* vocis *serie*, ob sequens τὸ *rerum*, neglectæ fuerunt scribi. *Rerum* vero *series* notissima locutio. Lucanus lib. III. vs. 75. 'Quam seriem rerum longa præmittere pompa, Quas potuit belli facies?' Idem lib. V. vs. 179. 'Tanta patet rerum series.' Ovidius Fast. I. 62. 'Ne seriem rerum scindere cogar.' Seneca Epist. 66. 'Ex hoc autem rerum ordo seriesque contexitur.' Mart. Capella lib. I. p. 22. 'Ut quædam repente prorumpentia velut rerum seriem perturbarent.' Gellius VI. 2. 'Fatum est,' inquit, 'sempiterna quædam, et indeclinabilis series rerum, et catena.' Cicero Nat. Deor. lib. I. p. m. 4. 'Est enim admirabilis quædam continuatio, seriesque rerum.' Prosper Aquitan. Epigr. 57. 'Artifice in summo sine tempore temporis ordo est, Inque Deo rerum non variat series.' Salvianus Præfat. de Gubern. Dei: 'Seriem tantum rerum nitore verborum illustrarent.' Et mille hujusmodi. Alia vide apud Barth. ad Phœbad. not. p. 98. Weitzium not. ad Hortil. Hymnor. p. 272. ibi Barthium compilantem, deque voce 'series' Burman. ad Valer. Flac. lib. II. vs. 218. Virgilius Æneid. I. 645. 'Fortia facta patrum, series longissima rerum.' *Withof.* Specim. Gunther. cap. 3. p. 82. *Ex serie rerum* diserte legitur in cod. Put. et Mœrl. itemque Gud. quorum auctoritatem hic necessario sequor. Nam conjecturam Livineii, contortam illam, et infausto sidere natam, quis lectioni tam planæ, et apertæ anteponat? Acidalius, vi ingenii, verum vidit, sed in ea, qua utebatur, mutandi libertate rursus deseruit. 'Captus virtutis' est modus, ac mensura ejus. Sic Gellius I. 9. 3. (Pythagoras) 'qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat, et tempus certum tacere: non omnes idem, sed aliud aliis tempus, pro æstimato captu sollertiæ.' *Jæger.* Eldikio nostro legendum videbatur, *quod degenerum captum superat.* Codd. lectionem probo, in exprimendo textu Jægerum secutus. De virtute etiam 'captum bonorum suorum' dixit Valer. Maxim. III. 3. ext. 7. *Arntz.*

Juxta magnitudinem] Id est, secundum, quod tamen apud antiquos non inveniri probat Cellar. Cur. Poster. p. 249. *Arntz.*

Exantlandi] Sic Rhenan. Stephan. Baun. Patar. Cellar. At Cuspin. Livin. Gruter. Put. *exanclandi.* Vid. Ernesti Clav. Ciceron. h. v. cod. Mœrl. *audendi*; a manu correctoris, vel interpretis, ut videtur. *Jæger.* *Exanclare* nonnulli præferunt, ab *ancla*, sive instrumento, quo aqua de puteo hauritur. Cf. Burman. ad Quinctil. Instit. Orat. I. 6. p. 83. alterum tamen recte tuetur Burman. Secundus ad Anthol. Latin. tom. II.

p. 460. *Arntz.*

§ 3 *Imbelles oculos*] Cf. Coler. ad Tacit. Mor. Germ. 38. in fin. et supr. VII. § 1. *Idem.*

Quod inbutus] Posset etiam legi, *quo imbutus:* imo posset, sine damno periodi, vocula illa prima deleri pro spuria. *Gruter.* *Quo* locum vix ac ne vix quidem potest habere. Si quid mutandum, deletum vellem τὸ *quod;* et mox pro *deceret* rescriptum *deceat*, vel *decet*. Jæger. *Quod* rationem indicat, quare mentes incitaverit armorum ostentatio. Jægero in *decet* adsentior. *Arntz.*

Totis] Additur efficaciæ caussa. Cf. ad Mamertin. Geneth. x. § 5. *Idem.*

§ 4 *Cataphractos*] Cf. cap. præced. n. 4. *Idem.*

Pugnandi est] Conjunctionem *ut* debere adesse, monitu vix opus est. *Jæger.* Potest *ut* subaudiri, sed forte illud absorpsit *est*, aut latet in ultima syllaba τοῦ *arietaverint*. Arntz.

Aciem arctaverint] Vet. *arietaverint*. Ita legendum. Verbum Senecæ familiare. *Putean.* Livineius particulam *in* ante *aciem* ponendam esse suspicatur: et verum est, sæpe eam cum verbo *arietare* jungi. Ita Cicero de Divinat. I. 22. ex Bruto Accii, de Tarquinii somnio: 'Cum jam quieti corpus nocturno impetu Dedi, sopore placans artus languidos: Visu' st in somnis pastor ad me adpellere, Duos consanguineos arietes inde eligi, Pecus lanigerum eximia pulcritudine; Præclariorem que alterum immolare me; Deinde ejus germanum cornibus connitier In me arietare, eoque ictu me ad casum dari.' Virgilius Æn. XI. 889. sq. 'Pars cæca, et concita frenis Arietat in portas.' Sed et sine illa verbum hoc, tamquam activum, quartum sibi casum adsciscit. Plautus Truculent. II. 2. 1. 'Quis illic est, qui tam proterve nostras ædis arietat?' Curtius IX. 7. 22. 'Amisso utroque telo Macedo gladium cœperat stringere, quem, occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxippus arietavit in terram.' Seneca de Tranquill. c. 1. 'Ubi aliquid animum, insolitum arietari, percussit.' Sic ex libris scriptis Lipsius. *Jæger.* 'Arietare fores,' et similia dedit Gronov. Lection. Plautin. p. 358. *Arntz.*

CAP. XXIV. § 1 *Tutissimum est eludere*] Quia tutissimum est eludere id, quod ad sustinendum est difficile. *Cellar.* Quoniam genus hoc militum tutissimum est eludere, difficillimum autem sustinere. Ipsi enim vulneribus fere impervii; ideo præstat in eos arte uti, et ferri pondere prægraves distrahere, ac delassare, mox in ipsos motui, ac celeritati impares irruere. Locum hunc sic interpreter, aliis aliud dicentibus. *Patarol.* *Eludere* rectum est. Vid. ad Incert. Constantin. XIII. § 1. sed de interpunctionis veritate dubito; in omnibus enim edd. *eludere* refertur ad *tutissimum est;* hoc sensu, illud eludere est tutissimum, quod sustinere est difficillimum. Sed in ed. suæ margine Cortius ita distinguit, *quod tutissimum est: eludere, quod est difficillimum,* ut *tutissimum est* referatur ad *opem ex ingenio;* hac sententia, tutissimum est opem ex ingenio reperire, nimirum illud eludere, quod est sustinere difficillimum. *Arntz.*

§ 2 *Deducta acie*] *Diducta* Cuspin. Bene: nam contra sequitur, 'reductis agminibus.' Infra iterum: 'Nam, quæ diducta ferre nequeas, his congregatis subire spei importunioris est, quam fiduciæ promptioris.' *Livin.* Legendum omnino, *diducta acie*, non *deducta:* extatque nostrum illud in editione Cuspiniani. *Gruter.* *Diducta acies* est, quam Incertus Constantin. IX. § 1. ita describit: 'Explicari in frontem ordines, et extendi latius arma jussisti.' In hac autem pugna, de qua loquitur Noster, hostes sese in cunei formam struxisse testatur idem cap. VI. 3. descenden-

tibus retro in altitudinem lateribus, ut, si cum cunei facie pugnarent Constantini milites, hos posterior cunei pars circuiret. Hanc cunei aciem sustinere cum Constantino videretur difficillimum, *opem ex ingenio reperit*, ut suam aciem diduceret, quo cum Constantinum cedere putarent hostes, et sese in inpetum effunderent, a reductis Constantini agminibus cingebantur. Nihil tamen hac de re habet Incertus d. l. tantum memorans a Constantino præmissos, qui obviam irent, et insidias excuterent, ab ipso autem Constantino cuneum aciemque fuisse dejectam. *Arntz.*

In revocabilem inpetum] Alias *revoc. imperium in hostes*. Rhenan. Vet. *irrevocabili impetu*. Putean. Forte, *in irrevocabilem impetum*. Livin. *In irrevocabilem impetum* edidi, urgente sententia. Nam lectio prior *in revocabilem* nullo pacto tolerari poterat. Vitiata est ob geminam similitudinem literarum, *in inrevocabilem*. Gruter. Vitiosum *revocabilem* omnes ante Gruterum editiones insedit. Livineius in margine emendationem ex conjectura proposuit, quam deinde et Gruterus admisit, et codd. Put. ac Mœrl. tuentur, in quibus *irrevocabili impetu* legitur. Pessimum est, quod in ora ed. Rhenan. adnotatur: *al. revocab. imperium in hostes*. Jæger. *Irrevocabili impetu* etiam Guelf. *in revocabilem* ex Puteolana dederunt edd. ante Gruterum, et post eum in pr. Rivinus. Livineii conjecturam ex Gruteri auctoritate nimis secure sequentes admiserunt, præsertim cum in aliam, eamque veriorem, consentiant tres codd. *irrevocabili impetu*, quam restitui. *Irrevocabilis inpetus* est, qui mutari non potest, sed est eo modo servandus, quo instituebatur, quo sensu 'irrevocabilem mentis ardorem' militibus 'injicere' dixit Eumen. Constantio XIV. § 4. 'irrevocabile vulgus,' Lucanus I. 509. adde Burman. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 131. jam vero cataphracti equites, ad quos hic locus pertinet, servabant 'inpressionis tenorem,' ut dixit cap. præced. in fin. id est, eumdem adgrediendi modum, quem instituerant, ita ut eum mutare non possent, quia, ut mox dicit, 'flexum ferreus rigor non dabat:' is itaque inpetus erat 'irrevocabilis,' quia in diductam Constantini aciem seso equi flectere non poterant, ferri tegumento inpediti; recta itaque, qua inpetum instituerant, pergebant, et soluta cunei acie effundebantur. Hostium itaque, non Constantini, inpetus est intelligendus. *Arntz.*

Ludificandos] Lege *ludificando*. Acidal. Cf. Wasse ad Sallust. Jugurth. c. 54. parum necessaria est Acidalii conjectura. *Arntz.*

§ 3 *Adflictæ*] *Afflictæ* est ex antiquissima Puteol. lectumque est Gruterum usque, quem in *afflictatæ* reliqui sunt secuti, præter Rivinum in pr. qui in sec. etiam *afflictatæ* prætulit. De hujus tamen scripturæ veritate dubito; clavæ *capitibus adflictatæ* forent frequenter inlisæ, quam significationem ex analogiæ usu huic verbo tribui posse non nego, tamquam frequentativo a 'fligo;' sed utrum loquendi usu tributa sit, non satis mihi liquet. 'Adflictare' est maxime vexare, incommodo adficere, lædere, ut 'morbo adflictatus' apud Sueton. Vespas. 2. ubi etiam in aliis est 'adflictus.' Vid. Oudendorp. Lactantius Instit. II. 1. 10. 'si quis aliqua vi adflictatur.' Est tamen 'adflictare sese' de iis qui in gravissimo dolore pectus tundunt, apud Sallust. Catil. XXXI. 3. et Petron. Sat. cap. 111. at vero hoc frequentem pectoris tundendi actum non adeo quidem indicare videtur, quam universum ritum, quo ex dolore corpus vario incommodo adficiebatur, genis lacerandis, crinibus evellendis, et pectore tundendo. Pronior itaque forem in *adflictæ*, ut apud Sallust. Histor. II. 10. 'saxa, aut quid tale capiti adfligebant.'

Curtium IV. 6. 23. 'saxo crus ejus adfligitur:' notat enim hoc verbum cum flictu aut sono alicui rei inlidere, ut contra alios docet Mencken. Observ. L. L. p. 39. unde frequens est 'adfligere terræ, solo,' de quo Gronovius Observ. IV. 8. Heinsius ad Ovid. Met. XII. 139. Drakenb. ad Silium IX. 631. Duker. ad Florum IV. 12. 5. Not. ad Livium XXIV. 34. 11. Oudend. ad Sueton. Domit. 23. Prætuli tamen *adplicatæ*, quod est in Gnelf. et Mœrl. quia, quare ruebant, caussa erat, quod capitibus ictus adplicabantur. Ita Virgilius Æneid. X. 536. 'Capulo tenus adplicat ensem.' Valer. Max. V. 1. 3. 'adplicatum cervicibus tuis mucronem.' *Arntz.*

Ruere cogebantur] De syllaba *ur* addita vel neglecta dixi supra ad Mamertin. Genethl. VI. § 2. Eumenium Constantio X. § 3. *Idem.*

§ 4 *Reclives*] Vid. Casaub. Gruter. Salmas. ad Vopisci Firmum c. 4. p. 713. ed. Hack. *Jæger.* 'Reclinis toro' est apud Senecam Hippol. 385. 'reclini pectore,' ibid. Herc. Œt. 1643. 'reclinis in antro,' Calpurnius Eclog. IV. 95. ubi etiam alii 'reclivis.' Weitz. ad Val. Flac. I. 147. De hoc infinitivi usu in 'ire,' 'labi,' &c. vide ad Incert. Constantino VII. § 6. *Arntz.*

Sedilibus adtineri] Sellas intelligit; quas 'ephippia' Græci vocant. *Rhenan.* Cf. Lipsium lib. III. Dial. 7. Mœrl. cum Gud. habet *sedibus*, quod non prorsus videtur spernendum. Ita enim Plinius H. N. VIII. 42. de Bucephalo: 'Neminem hic alium, quam Alexandrum, regio instratus ornatu, recepit in sedem.' Nec tamen sollicitanda est lectio vulgata. *Jægerus.* *Adtineri* est detineri. Cf. Livin. et Jæger. ad Incertum Constantin. XIX. § 1. *Arntz.*

Reperto sauciandi] 'Repertum locum' dicit, quia ferro omni ex parte equites erant tecti, quos ideo 'vulneri non patentes' modo dixit, sed in quibus ex vario ad ictus evitandos corporis motu, per ferri fissuras 'reperiri' apertus poterat locus, quo vulnerarentur. *Idem.*

Effreni dolore fundebant] Excutiebant. Ita Livius X. 11. pr. 'ab rapido cursu circumagendo equo effusus.' *Jæger.* Per *effundebant* recte explicat Marckland. ad Statii Silv. p. 1. Eleganter *effreni* de equis. Vid. ad Mamertin. Genethl. XVII. § 1. *Arntz.*

§ 5 *Interfectis*] Sic omnes omnino, excepto cod. Bert. qui post *unum* exhibet *omnibus*, quod, eadem voce proxime sequente, facile a librario potuit omitti. Nec tamen semper additur: nam et Virgil. Æn. V. 687. 'Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum Trojanos:' i. e. si nondum exosus es Trojanos ad unum omnes: ita et hic, *ad unum interfectis*, sc. omnibus iis. Sed placet maxime distinctio Rhenan. et Stephan. incidentis post *omnibus*, quam, nescio qua de caussa ab aliis repudiatam, revocavi. *Jægerus.* Nihil verius hac interpunctione. *Arntz.*

Transtulerunt] Quibusdam forte non satis accurata, nec legibus linguæ accommodata videbitur hæc ratio loquendi. Quum enim unicum modo adsit suppositum, dicendum fuerat ex grammaticorum præceptis, *ad unum interfecti;* nisi forte in verbo *transtulerunt* subaudire velimus nomen 'homines,' crebro omitti solitum. Sed vid. Sanct. Minerv. II. 7. 3. ubi grammaticos refellit, probante Perizonio. *Jæger.*

§ 6 *Antoninus*] L. Antoninus Verus, Marci frater, bellum Parthicum gessit, et ex eo, una cum Marco, triumphavit: de metu autem, et litteris ultro ad regem datis silent, qui historiam illius composuerunt. *Cellar.*

Adversum] De locutione 'armis experiri' vid. ad Incert. Constantin. VIII. § 3. *Arntz.*

In metum venit] Non recordor id in historicis legere. Itaque fides sit

penes auctorem. *Livin.*

Ad regem] Vologæsum. *Idem.*

CAP. XXV. § 1 *Quid ego*] Guelf. *Quid ergo* male. Vid. ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 1. et XVII. § 5. eadem permutatio est in Ciceron. ad Divers. II. 15. ubi Trajectin. cod. 'ergo res R. vehementer exspecto :' et v. 17. 'ergo et memoria nostræ veteris amicitiæ.' Not. ad Plinii Paneg. V. § 7. *Arntz.*

Quod apud] *Quod quum* Guelf. de quo vide mox notata. *Idem.*

Visu astutior] Pene ausim affirmare, legendum esse, *fuga quam vi sua astutior*, ex vestigiis vulgaris scripturæ. Et ita inveni in Fabr. et Pith. *Putean.* *Usu astutior* schedæ Langii. Multa hic corrupta. Lego indubitato, *magnus quidem et acer equitatus, sed fuga quam vi sua tutior, et primo, &c.* Non me ostento, mi lector, sed tamen (fatendum est) egregia emendatio. *Livin.* Lectio vulgata necessario mutanda est. Pro *visu* Lang. habet *usu*, æque inutiliter. In cod. Put. legitur, *quod cum apud, &c.* Mihi τὸ *cum* insertum videtur a correctore, qui animadverterat, in vulgari scriptura male conjunctivum *esset* excipi ab indicativo *contendit.* In eodem libro pro *visu* est *vi sua.* Τὸ *esset* facile ex *sed* nasci potuit. Non dubito itaque, amplecti emendationem Livineii, cui ex parte jam obsecutus est Baunius, pro *quidam* exhibendo *quidem*, ex parte Cellarius, et Patarol, pro *visu astutior* præferendo *vi sua tutior*, uti diserte Gud. Reliqui lectionem depravatam unanimi consensu tenent. *Jægerus.* *Cum apud Brixiam* recipi posset; Jægerum tamen in ejicienda voce *esset* ante *fuga* sequi malim, quamvis *sed* ex Livineii conjectura minus videretur necessarium. Præterea *et* ante *primo* omisit Jægerus. *Arntz.*

Fuga quæ habuerit] Distingue, *ostentanda, fuga, quæ habuerit.* Acidal. Ita Acidalius, quia in Rhenan. hoc modo distinguebatur: *res ostentanda fuga: quæ habuerit.* Acidalii interpunctionem recte dederunt Patarolus et Jægerus, quam alii post *fuga* neglexerant. *Arntz.*

§ 3. *Freta inmanibus copiis*] Cum omnia perpendo, revocanda est lectio exemplaris Viennensis, *ipsa Verona referta immanibus.* Gruter. Loco τοῦ *freta* Cuspin. præfert *referta*, et sic etiam Schonhov. cum cod. Put. et Gud. ad quos proxime accedit Mœrl. qui *refecta* exhibet. Lectionem Cuspin. revocandam censet Gruterus; cui paremus libenter. *Jæger.* Codd. etiam in *referta* obsequor, quod postulant sequentia, 'in unum conduxerat :' et Incertus Constant. VIII. § 1. qui de Verona, 'maximo hostium exercitu tenebatur.' *In manibus* est in Puteol. sed 'inmanes copiæ' sunt, sine ullo consilio in bella ruentes, et, spreto periculo, inaudita tentantes, ut h. l. explicuit pater ad Plinii Paneg. XVII. § 2. *Arntz.*

Metu cunctatior] *Cautior* Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Conjungit utrumque Plinius Ep. II. 16. 4. 'cunctatior fortasse et cautior esse deberem.' *Jæger.*

§ 4 *Expedientissimus belli*] Unde hanc lectionem habuerit Livineius, ignoro; solus eum est secutus Pauli. Stephanus; vulgatam cum codd. habent omnes reliqui. De Ruricio illo plura dixi ad Incert. Constantin. VIII. § 1. *Arntz.*

Tyrannicorum ducum columen] *Columen* hoc loco placuit Elmenhorstio ad Arnob. adv. Gent. I. p. 11. ut 'columen rebus nostris' quidam legunt apud Livium I. 39. 3. 'columen imperii, libertatis, patriæ,' et similia sunt apud eund. VI. 37. 10. XXXVIII. 51. 4. Senecam Octav. 160. Troad. 124. sed eodem sensu quoque est *culmen*, ut apud Claudian. Cons. Manl. Prol. vs. 7. Burman. ad eund. in Rufin. I. 22. idque caussam dedisse videtur, quare utramque vocem sæpe confuderint librarii, et dubium sit, quid

præferas. Vid. Burman. ad Lucan. VII. 593. et ad Servium ad Virgil. Æneid. VIII. 664. hic tamen *culmen*, quod quoque habet Guelf. restitui; ut enim 'culmina rerum, patriæ,' sunt, qui summis dignitatibus præsunt, vid. ad Sedulium I. 347. ita hic notat reliquorum ducum præfectum; ut de Verona etiam Incertus Constantin. VIII. § 1. 'acerrimis ducibus, pertinacissimoque præfecto:' ubi 'præfectus' idem est atque hic *culmen*. Cf. Snakenb. ad Curtium IX. 6. 8. not. ad Lucan. VII. 594. *Idem*.

Admodum mœnia] Salvianus: 'Omnes admodum homines, qui pertinere ad humani officii culturam existimarant, ut aliquod linguarum opus studio ingeniorum excuderent, id spiritali cura elaborarunt,' &c. Rursum: 'Aiunt igitur a Deo omnia prætermitti, quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, et ideo in hoc sæculo deteriorem admodum statum esse meliorum.' Utitur et alias toto opere frequenter. *Livin*. I. e. per tota omnino mœnia. Vid. explicantem hanc vim particulæ *admodum* Facciolatum Epist. 9. p. m. 432. sqq. *Jæger*. Supra XX. 3. 'antiqua admodum res est.' Mamertin. Grat. Act. Julian. XXIV. § 2. 'caritates admodum raræ:' neque alio sunt modo capiendi 'admodum impuberes' in L. 3. § 1. D. de Sepulcr. Viol. de quo Joan. Cannegieter Observ. c. 2. § 6. *Arntz*.

Et apud Brixiam] Vocula *sed*, cum et aptior sit h. l. et jam recepta Cellario Patsroloque, et frequenter cum illa altera permutari solita, nobis quoque visa admittenda. *Jæger*. Cum de variante nihil monuerit Puteanus, in ipsius codd. fuit *et*, ab omnibus etiam Cellario prioribus servatum, neque contra codd. admittendæ in textum Livineii conjecturæ necessitatem video, cum *et* adversativæ quoque vim habeat, de quo ad Mamertin. Genethl. II. § 2. et filius meus, Herm. Arntzenius Epist. Crit. ad Ruardi p. 35. priscam igitur scripturam restitui. *Arntz*.

Fracti ut] *Fracti at ut* schedæ Langii. Forte *atque*. Livin. Non male Livineius. Sed potuit etiam illud *at* perperam scribi pro *ut*; et deinde hæc particula, quippe necessaria, rursus addi. *Jæger*.

Malo adfecta] Forte, *male adfecta*. Livin. Sed vid. Burman. ad Phædr. I. 5. 10. ubi locutionem illam 'malo adfici' adversus Gudium et Bentleium tuetur. *Jæger*. Aliorum cum hoc loca contulit Pricæus ad Pauli Epist. I. ad Corinth. XII. 26. *Arntz*.

Totum exercitum] Aliquid aliud verbi fuisse videtur. Si verum id ipsum, conformanda reliqua erunt, *totum in exercitum timoris contagia dissiparat*. Acidal. Non displicet facilis Acidalii conjectura; in vulgata enim justa deest comparatio; cum ægra corporis parte, valetudinem contaminante comparari nequit militum portio, totum exercitum ex timore dissipans, sed recte conveniunt *pars corporis ægra*, et *multitudinis portio malo adfecta*, deinde valetudo per partem corporis ægram contaminata, et exercitus, in quem timoris contagia sunt dissipata per illam portionem. *Arntz*.

§ 5 *Infirmitas habet*] In Bert. legitur *haberet*, quod ceteris placuit. Acidalius legi jubet *habeat* vel *haberet*. Prius illud utique magis videtur consentaneum. Sed nec damnandum est τὸ *habet*: sæpe enim Latini, more Græcorum, particulis interrogativis, cum vim interrogandi deposuerunt, jungunt indicativum. Vid. Vechner. Hellenolex. I. 2. 36. ibique Heusinger. et A. p. 385. sq. *Jæger*. *Haberet* primum recepit Gruterus, quem reliqui præter Rivinum secuti. Nullam imperfecti hujus necessitatem video; et, cum sola Bertin. auctoritate nitatur, prius *habet* restitui, quamvis in *habeat* sim pronior. *Arntz*.

Movit audacia] Vet. *movet*. Putean.

Movet Bertin. *Livin.* Codd. sum obsecutus. *Arntz.*

Obsidione perspectum] Guelf. *in illa prospectum est*, omisso *obsidione*, male. *Prospectum* est ex vulgato librariorum errore, de quo ad Mamertin. Maximian. VIII. § 2. *Idem.*

§ 6 *Pugnandi causa*] An *facto pugn. casu?* id est, occasione, ut apud Tacitum monstramus exemplis. *Acidal.* Ita Rhenan. Stephan. Livin. cum Cuspin. Quod vitiosum esse judicans Acidalius corrigit, *facto pugnandi casu*, i. e. occasione, ut apud Tacitum exemplis se monstrasse perhibet. Ea sunt puto, Annal. I. 13. 2. et XI. 9. 1. 'casum dare,' ibid. IV. 50. 4. 'casum aperire,' XII. 28. 1. 'si Catti cupidine ulciscendi casum pugnæ præberent,' eodem libro, c. 50. 1. 'casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus.' et XIII. 36. 2. 'bene gerendæ rei casum offerri.' Bert. et Lang. cum reliquis *f. p. copia.* Videtur tamen hæc lectio ab ingenio correctoris profecta, Acidaliique emendatio esse præferenda. Certe multo facilius pro *casu* potuit *causa*, quam *causa* pro *copia* scribi. Sed et lectio illa antiquiorum satis se potest tueri. Nam *causa* etiam occasionem significat, e. g. Cicer. de Divinat. II. 2. 'Ac mihi quidem explicandæ philosophiæ causam adtulit gravis casus civitatis, cum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam, nec nihil agere poteram.' Cf. Cæsar. B. C. II. 28. *Jæger.* Bertiniensis cod. scripturam recepit Gruterus, quem præter Rivinum omnes sunt secuti, sine ulla necessitate. *Caussa* tuetur Guelf. et in suis id quoque habuisse videtur Puteanus, quia ad ed. Rhenan. nihil notavit. Hoc itaque restitui. *Pugnandi caussam* sua dabant eruptione, quæ non fuisset, si intra mœnia sese tenuissent. Cf. Cort. ad Sallust. Jugurth. XX. § 4. *Arntz.*

Eruptionis] Cf. Incertum Constantin. VIII. § 3. *Idem.*

§ 7 *Spe jam lassa*] *Spes lassa* idem esse videtur, atque 'res lassa' apud Plautum Stich. IV. 1. 6. Colvius tamen ad Apuleium Metam. I. p. 74. emendabat *cassa*, id est, nil profutura, in quo metaphoram a nucibus, quæ vacuæ reperiuntur, notat Barthius ad Stat. Theb. IX. 629. ita 'cassa formido' apud Pricæum ad Apul. Metam. VIII. p. 404. 'cassus furor,' Seneca Troad. 679. 'cassa consilia,' ibid. 570. 'cassa fides,' de qua Heinsius ad Silium I. 481. 'cassæ preces,' Lactant. Epit. 71. 7. Si quid tamen emendandum, mallem *lapsa*, quod cum *lassa* confundi docent Heinsius ad Claudian. Cons. Honor. III. 176. Rapt. Pros. III. 352. ad Virgil. Georg. IV. 449. Drakenb. ad Silium X. 606. ubi ex Leid. cod. etiam 'lassas' notatum habeo, nót. patern. ad Plin. Pan. XVIII. § 1. Burman. ad Lucan. II. 340. Cannég. ad Avian. IV. 13. Burman. ad Anthol. Latin. tom. I. p. 532. Klotz Miscell. p. 62. 64. et 70. forte etiam legi posset *re jam lassa*, aut *lapsa*. Idem.

Et adhuc] Pro *et* legendum esse *sed* conjectura adsecutus est Acidalius, et ex Lang. ostendit Livineius; eamque lectionem reliqui jure meritoque tuentur. *Jæger.* Non audeo Acidalii conjecturam, qualis etiam in Lang. esse videtur, contra codd. in contextum admittere; saltem Guelf. tuetur *et*, neque aliter Puteani codd. cum variantem non notaverit; eodem itaque jure hic *et* revocavi, quo hoc cap. § 5. 'et apud Brixiam.' *Arntz.*

Veronam proripuisset] At intra Veronam obsidebatur, et jam præcessit, 'Aderat quidem Ruricius,' &c. Rescribe ergo *Verona.* Superiore Panegyrico: 'Ut ipse etiam dux cum parte copiarum ad accersenda auxilia muris excesserit.' *Livin.* Forte *Verona.* Res eadem narratur Panegyr. incerti Auctoris eidem Constantino dicto: 'Ut ipse etiam dux cum parte copiarum ad accersenda aux-

iis muris excesserit, majorem miser adducturus exercitum, ut majore comitatu cladis occideret.' *Acidalius.* Emendationem Livineii, necessariam prorsus, et πάσης ἀποδοχῆς ἀξίαν, in contextum admisit Cellarius, et Pataroł, quos sequor. *Jæger.* Recte *Verona.* *Proripere Verona* est idem, quod in ipsa hac historia dixit Incertus Constantin. VIII. § 3. 'muris excedere ad arcessenda auxilia,' quæ per *novos exercitus* hic intellexisse videtur. Ita Cæsar B. C. II. 12. 1. 'sese porta foras universi proripiunt:' et Livius II. 24. 7. 'ex tota urbe proripientium:' est enim hujus verbi in iis usus, qui loco exeunt, domo, curia, similibusque, cujusmodi exempla dederunt Drakenb. ad Livium II. 23. 8. Gebhard. ad eumd. VIII. 6. 2. Oudendorp. ad Cæsar. B. C. I. 80. 3. et ad Sueton. Cal. cap. 35. hinc si *Veronam* vera esset lectio, addi debuisset *inde,* aut locus ex quo se proripuisset, ut apud Sallust. Catil. XXXII. 1. 'se ex curia domum proripuit.' Ex his itaque adparet, rationem, quare *Veronam* damnet Livineius, in universum veram non esse; quamvis enim intra Veronam obsidebatur, nihil obstat, quin *Veronam* legi posset, si modo locus, ex quo se proripuisset, fuisset additus, facta nimirum in aliquem locum eruptione, ex quo in urbem sese iterum proripuisset. Potius itaque *Verona* ex rei gestæ serie veri speciem habet. Urbem hanc ab omni parte circumfluebat Athesis, ut docui ad Incert. Constant. VIII. § 1. ab altera igitur evehendis copiis erat tuta, ut illic adfirmat Incertus. Ab obsessis contra Constantinum fit eruptio, duce Ruricio, sed is 'in mœnia rejicitur,' omnibus, qui eruptionem tentaverant, cæsis, ut tradit Incertus d. l. § 3. imminutas vero copias auxiliis supplere conatus est Ruricius; urbe itaque se proripuit ad auxilia illa arcessenda, quod propter eam ab altera parte per flumen tutam facere poterat; ita enim Incertus d. l. 'dux cum parte copiarum ad arcessenda auxilia muris excesserit,' eaque accepisse auxilia videtur, quia *novos* in urbem *exercitus* egisse Noster tradit. *Arntz.*

Egit exercitus] *Cogit* Vet. Forte *coëgit.* Livin. Non deserendam esse lectionem vulgarem et ἔτυμον nominis 'agmen' monet, et exempla alia huic nostro similia. Claudian. Idyll. I. de Phœnic. vs. 83. sq. 'Talis barbaricas flavo de Tigride turmas Ductor Parthus agit.' Cf. J. F. Gronov. ad Livium VI. 28. et XXV. 9. *Jæger.* Curtius V. 4. 39. IX. 10. 14. not. ad Cæsar. B. G. VIII. 7. 7. ad Hirtium Afric. XXVI. 3. *Arntz.*

Præcipitante jam die] Pacatus Paneg. XXXV. § 2. 'præcipiti die manum conserere non poterat:' ubi plura pater meus, et quæ dedi ad Sedul. III. 219. *Idem.*

Detrectavit] Guelf. *detractavit,* quod restitui, quia est constans optimorum codd. scriptura, de quo Cort. ad Sallust. Jug. LIII. 8. Burman. ad Samonic. de Medicin. 481. ad Virgil. Æn. II. 719. Drak. ad Liv. XXXIV. 15. 9. Oudend. ad Frontin. III. 6. 7. Duker. ad Flor. I. 22. 2. III. 6. 12. not. patern. ad Victor. Inlustr. LXIII. 4. Burman. ad Propert. II. 2. 11. *Idem.*

Exitus magis] Guelf. *exercitus magis,* quod de auxiliis accipi posset, quibus se Constantinum repulsurum confidebat, quæ tamen fallebant. Vulgatum vero servare malim. *Idem.*

Potuerat considerati ratio]. *Considerati* (sic enim legendum) id est, circumspecti, scilicet hominis, aut ducis. *Livin.* *Potuerat considerata* edidit Livineius. Voculam *nec* post *potuerat* omittit etiam Rhenan. cum Stephan. At Cuspin. cum reliquis edd. et Mss. eam tuentur. Vid. de geminata negatione negante laudatum jam sæpius Vechnerum I. 2. 35. et quæ in nota (o) adfert Heusinger. *Considerati,* id est, prudentis et circumspecti,

ut jam Livineius monuit, in ceteris omnibus reperitur. *Jæger*. *Nec considerati* Gnelf. In Puteol. est *potuerat considerati*, omisso *nec*: et ita Rhen. Henr. Stephanus, et Rivinus in pr. Livineii scripturam *considerati ratio* secutus est Paull. Stephanus; denique *nec considerati* ex Cuspin. revocavit Gruterus, et sequentes, etiam in sec. Rivinus, quod optime explicuit Livineius. Duplicem negationem, quæ vel pro una ponatur, vel fortius neget, tuentur exempla apud Fabrum ad Ciceron. Acad. Quæst. IV. 44. Cortium ad Sallust. Jugurth. XIII. 5. Duker. ad Flor. III. 17. 9. Drakenb. ad Livium III. 26. 5. Oudend. ad Cæs. B. G. V. 23. 3. VII. 77. 9. Hirtium B. Afric. XXVI. 3. Sueton. Tiber. c. 26. *Arntz*.

CAP. XXVI. § 1 *Æternis*] Male Gueif. *externis*, frequenti permutatione, de qua Drakenb. ad Livium III. 32. 5. Burman. ad Lucan. III. 311. Cannegieter ad Fragm. Vet. Jurispr. pag. 297. Burmann. Secund. ad Anthol. Latin. tom. I. p. 232. et 448. tom. II. p. 717. *Arntz*.

Spiris tenebrisque congressus fortunæ] Aliis *congressis*. Rhenan. *Congressus* Vet. Hic locus sic legendus est, *quod cum spissis tenebris, atque congressus fortunæ, &c.* ut τὸ *congressus* sit gignendi casus. *Putean*. *Eum spiculis tenebrisque* Bertin. Inepte. Tu *spiris* accipe, ut in Enniano fragmento apud Festum, 'Spiras legionibus nexunt.' *Congressu* Vet. Bertin. *congressis* Langii schedæ. Probe. *Livin*. Lego *spissis tenebris*. *Meursius*, Auctar. Philol. c. 31. Amplector et ego Langiani codicis scripturam, *congressis*. Sed tamen mendosum adhuc illud *spiris*, quidquid dicat Livineius. *Gruter*. Lege, *quum spissis tenebris quidem congressis*, vel *quum per tenebras quidem, &c.* Acidal. Retinere malui vulgatam lectionem, quam emendare cum Puteano, et P. De la Baune, *spissis tenebris*. Non est novum durioris phrasis in hisce orationibus exemplum, in hac præcipue quæ longe barbaro dicendi genere abundat. Legimus et apud Ennium, 'Spiras legionibus nexunt,' quod apposite adnotat Livineius, quidquid dicat Gruterus. *Patarol*. Videamus primum de lectione constituenda; deinde de interpretatione. *Cum spiris tenebrisque congressus* edidit Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. et sic etiam Mœrl. habet. Pro *spiris* in Bert. est *spiculis*, quod merito, ut ineptum, rejicit Livineius. Pro *congressus* in cod. Liv. Bert. Mœrl. legitur *congressu*, et sic quoque in Gud. in quo et *spiris* deest: in Lang. et ora ed. Rhenan. *congressis*, quod probat Livineius æque ac Gruterus, qui in textum suum recepit, eumque sequitur Paris. prior, et Patarol. Denique τὸ *spiris* in *spissis* mutavit Baunius, idemque fecit Cellarius, qui, ex Acidalii sententia, etiam particulam *que* in *quidem* reformavit. Vocem *spiris* vix est ut commode retineamus: quumquam et Lipsius de Milit. Rom. lib. II. Dial. 4. eam in hoc Nazarii loco, quem laudat, ut genuinam agnoscat, et σπεῖρας *cohortes* esse ostendat. Sed, qua ratione 'cohortes' et 'tenebræ congressæ esse' non inepte dicantur, mihi quidem obscurum est. Porro pro *tenebrisque, &c.* aut *tenebris atque congressus fort.* ut censet Puteanus, cujus nequaquam spernenda est sententia, aut, cum Acidalio, *tenebris quidem* legendum omnino videtur. Particulas *que* et *quidem* permutari sæpius ad Cornel. Nep. Iphierat. II. 4. et Plinii Paneg. Observ. 21. p. 511. b. sq. docuerunt Heusingerus et Schwarzius. Quod si quis τὸ *spiris* præfracte defendendum suscipiat, possit fortasse intelligere de flexuosis orbibus pugnantium, ut e. gr. Livius XXI. 56. 'milites utrimque in orbem pugnasse' dicit: et tunc sensus erit: Cum nihil non liceret Fortunæ, propter spiras, et tenebras *congressus*,

(gignendi casu) i. e. militibus in orbem, et in tenebris congressis, atque pugnantibus. Verum non ausim hanc interpretationem pro certa et vera venditare. Sequor itaque lectionem Cellarii, cujus hæc est sententia: *cum*, *vobis* (hoc scil. subaudiendum,) *in spissis quidem tenebris pugnantibus*, *Fortunæ totum liceret*, *tu tamen*, *Imperator*, ... *hosti multus instares*, *&c.* Jæger. *Spiris tenebrisque* est in Puteol. quod secuti quoque sunt Paull. Stephanus, et in utraque Rivinus. De reliquis otium mihi fecit adcurata Jægeri diligentia. Est certe hic locus ex vexatissimis unus. Ut *congressus* gignendi casu capiamus, durum mihi contortumque videtur. *Spissis tenebris congressis* etiam non capio: *congressis* enim ad *tenebris* referri nequit; ut vero per ellipsin interpretemur *vobis congressis*, ideo parum placet, quia nihil præcessit, quod 'vos' postulet. Deinde *totum liceret* explicant omnia liceret, id est, ut per tenebras passim hostes interficerentur, omniaque agere liceret, quæ die haud forent permissa, quæ 'noctis licentia' est apud Tacitum Hist. I. 49. sed neque huic interpretationi adquiescere possum, tum quia hoc loquendi genus a Nazario videtur alienum, tum vero etiam quia sequens *tamen* indicat, in hac posteriori periodo sententiam proponi priori contrariam; quod in hac interpretatione non adparet; hæret præterea verborum nexus: *cum* .... *fortunæ totum liceret*, *tu tamen* .... *hosti instares* .... *interritus vadis*. Ut brevis sim, verba sequentia *non intutior tempore* indicare videntur, in præcedentibus actum fuisse de eo, quod *non tutum* erat; deinde *spissis*, quod est ex sola conjectura, omitti posset, cum illud ignoret Guelf. retineatur tamen propter reliquorum codd. in *spiris* consensum, ex quo verisimiliter hoc eruatur, ut 'spissas nubes' dixit Curtius IV. 12. 16. et VIII. 13. 24. Gravissimum vero ulcus est in *totum liceret*; non nisi duriori remedio tollendum. Ex codd. lectione *cum spiris tenebrisque congressu fortunæ totum liceret*, effingo, *cum spissis tenebris*, *quæ congressum fortunæ tutum* (aut *fortunæ tuæ tutum*) *non pollicerentur*. Scriptum fuit, addita lineola, *polliceretur*: cum vero prior forte syllaba *pol* excidisset, ex *liceretur* fecit *liceret* librarius, neglecta toties in passivis *ur* syllaba, de quo ad Mamertin. Genethl. VI. § 2. Eumen. Constantio X. § 3. *non* absorpsit ultima littera in *toto*, ut in codd. addita lineola, pro *totum* fuit scriptum. Denique *totum* in *tutum* mutavi ex frequenti permutatione. Ni fallor, ita omnia apte procedunt: cum tenebris, quæ tutam armis tuis felicibus pugnam non pollicebantur, tu tamen, Imperator, tutus illo noctis tempore hosti instares, per infestas acies interritus vadis. *Arntz.*

Totum liceret] Quod *totum* hic dicitur pro *omnia*, factum id est ex consuetudine ætatis posterioris, de qua vid. Casanb. ad Spartiani Sever. c. 22. p. 638. ed. Hack. *Jæger*. Cf. ad Mamertin. Genethl. X. § 5. sed vid. præced. observat. *Arntz.*

Intutior] (*Non intutior* .... *a Deo tectior*) Tolle ineptam parenthesin. *Acidal.*

Adeo tectior] Similem in *adeo* et *Deo* permutationem notavi ad Mamertin. Genethl. III. § 8. Comparativi notant, æque tutus tempore, quam Deo tectus. Vid ad c. I. § 3. *Arntz.*

Inultus instares] Bene habebit locus, alioquin mire tortuosus, detractis binis tantum literis, si, inquam, scribatur, *multus instare*, *et libertate cædis exultans*, *donum noctis ducere*, *quod*, *&c.* ut sit enallage. *Gruter.* Ego nihil immuto. *Paturol.* Mendose Livineius, *inultus*. *Multus instat*, qui graviter urget, ac premit. Sic Sallust. Jug. LXXXIV. 1. de Mario: 'Antea jam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare.'

Hujus adjectivi non minus elegans quam frequens usus est in illis occasionibus, ubi magnitudinis, multitudinis, atrocitatis, celeritatis, vel in summa cujuspiam in re quacumque exsuperantiæ significatio est; quem ad modum etiam de Græcorum nomine πολὺς ad Viger. III. 10. p. m. 117. Hoogeveen docet. *Jægerus.* *Insultus* soli habent Livineius et Pauli. Stephanus, ex frequenti permutatione, de qua Heins. ad Curt. III. 11. 15. Drakenb. ad Silium IV. 16. et Livium III. 38. 3. Vulgata est in codd. et recte; notat enim identidem, sæpe instares, multus in eo eras, ut instares; ita jam explicuit Gronov. ad Livium XXV. 18. 3. Adde de hoc usu Taubman. ad Plaut. Menæch. II. 2. 41. Duker. ad Flor. IV. 2. 50. Oudend. ad Sueton. Vit. Lucan. p. 995. quo modo *multus* etiam dicitur, qui multum negotii alicui facessit. Cort. ad Cicer. ad Divers. III. 10. 6. Sallust. Jugurth. LXXXIV. 1. 'Hosti instare' explicuit pater ad Plinii Paneg. XVII. § 2. *Arntz.*

Nemo servaret] I. e. observaret; hinc mox: 'Ignoratus adfligis, nisi quod te ipsa vis tua cogit agnosci.' Cf. ad Mamertin. Genethl. III. § 2. Neglectam in quibusdam edd. majorem distinctionem post *servaret*, Patarolum et Jægerum secutus, restitui. *Idem.*

§ 2 *Mortis decus*] Æneas apud Virgilium, interfecto Lauso, Æneid. X. 'Hoc tamen infelix miseram solabere mortem, Æneæ magni dextra cadis.' Camilla quoque, occiso Tyrrheno, ejusdem operis XI. 'Nomen haud leve patrum Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.' *Livin.* Decorum enim, viri fortis telo cadere, nec plebeia perire manu. Sententia ab omnibus fere poëtis expressa. Ovidius Metam. I. 'Solamen habeto Mortis, ab Æmonio quod sis jugulatus Achille.' *Patarol.*

Fractæ voces] Cf. Cannegieter ad Avian. Fab. XIII. 13. *Arntz.*

Permissa casibus] Alias *permixta.* Rhenan. Illud *permixta* ortum ex *permista*, ut nonnulli scribunt, quamvis male, judice Harlesio ad Ciceron. de Orator. II. 52. Si *permixta* placeret, sententia esset, vulneratos occisis permixtos esse, eo loquendi usu, de quo dixi ad Eumen. Constantio VIII. § 4. vulgatum tamen accipio ea sententia, qua 'casibus orbem permittere' apud Claudian. in Rufin. II. 216. ut recte pro 'cladibus' illic emendatum. *Casibus* itaque est morte, ut apud Nepot. Epam. IX. 2. Cort. ad Sallust. Jugurth. LXXIII. 1. Gothofred. et Ritter. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 27. ita vulneratos graviter significat, ut morti velut traditi essent. *Arntz.*

Cadentium] Cf. supra ad Eumen. Constantin. XII. § 2. *Idem.*

Sonitum] Vid. ad Eumen. pro Instaur. Schol. II. § 5. *Idem.*

Non retenta] I. e. prohibita, et repressa. *Livin.* Quia non videbat, quibus ignosceret. *Patarol.* Malim hoc modo interpretari: Intelligi potest, quantum illo in prælio virtus tua perfecerit, cum nec misericordie, unico illo impedimento, retineretur, et, majestate tua, tuta esset ac secura. *Jægerus.* Vera est Jægeri interpretatio, ideoque etiam ex Guelf. scripsi *ut majestate*, pro vulgato in omnibus *et.* Arntz.

§ 5 *Tu unquam*] Male in utraque Rivinus neglexit *tu:* eamdem enim habet efficaciam, atque in *ego* notavi apud Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 1. *Idem.*

Indulgentissimus] Ita etiam infra XXXII. § 3. et XXXVII. § 6. et apud Reines. Inscript. Cl. III. 31. Smetium Inscript. p. 154. n. 8. Hunc titulum a Principum clementia et benevolentia in iis concedendis, quæ peterentur, repetit Cuperus ad Lactant. de M. P. 34. unde 'indulgentia,' de qua dixi ad Eumen. Gratiar. Act. I.

§ 3. paternumque amorem indicat, quo modo 'indulgens pater' bono sensu est apud Nepot. Attic. I. 2. *Idem.*

Majore] Mœrl. non bene *magis*. Jæger. Guelf. etiam *magis*: hæc passim permutari dixi ad Eumen. Constantio IX. § 6. *Arntz.*

CAP. XXVII. § 1 *Sors quædam*] Recte *fors*, sive Fortuna, de quo Zinserl. ad Valer. Flacc. V. 485. Heins. ad Virgil. Eclog. IX. 5. Taubman. ad Plaut. Bacchid. IV. 8. 5. Perizon. Dissert. III. p. 243. Drakenb. ad Livium XXXVI. 9. 8. not. ad Hirt. B. G. VIII. 19. 7. Burman. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 567. Sæpe hæc permutata docent Drakenb. ad Livium I. 4. 4. not. patern. ad Victor. Inlustr. VII. 16. et XIII. 1. Burman. ad Anthol. Lat. tom. I. pag. 155. et 538. Klotz Miscell. p. 62. et 95. apud Boëthium Consol. Philos. II. Pros. 1. et V. Metr. 1. utroque loco cod. meus *sors*; præstare tamen illic videtur vulgata. *Arntz.*

Revocare orationem] *Inde* recepit primus Gruterus, cui etiam favet Guelf. et Cicero pro Muren. cap. 12. 'inde ibi ego te revoco;' reliqui hoc præter Rivinum in pr. recte sunt secuti. 'Ab hoc revocare' dixit Eumen. Constantino I. § 1. de ipso verbo cf. not. ad Plinii Paneg. IX. § 5. *Idem.*

Contenta veniebat] Hic quoque resoluta vox una in duas, ut initio Panegyrici, Constantino item dicti, *exaudita videatur* pro *exaudiatur*. Legerim enim et hic *contendebat*. Acidal. Recte, nec quidquam mutandum. Ad hunc modum Cicero pro Sextio c. 6. 'Ad tribunatum .... contento studio cursuque veniamus.' Claudian. in Eutrop. II. 168. sqq. de hasta Martis: 'Illa per auras Tot freta, tot montes, uno contenta volatu Transilit.' *Jæger.* Hoc 'contento cursu' dixit Cicero pro Muren. 15. Rufinus Hist. Eccles. IV. 15. 'alacritate contentus pergebat.' Adde not. ad Valer. Flacc. III. 136. IV. 748. ad Quinctil. Declam. 308. p. 605. Cannegiet. ad Avian. III. 7. *Arntz.*

Aquileia] Quæ ad hanc historiam pertinent, enarravit supra Incertus Constantin. XI. § 1. et quæ dixi ibid. XV. § 2. *Idem.*

Gratissima] In utraque dedit solus Rivinus *gravissima*, quod præcedens *commoditates*, et quæ sequuntur, satis redarguunt. *Idem.*

§ 2 *Deferebantur*] Simplex *ferebantur* melius sit. *Acidal.* Posset placere Acidalii conjectura, cum navis tempestate 'ferri' sæpe dicatur. Nepos Themistocl. VIII. 6. Heinsius ad Virgil. Æn. III. 268. Burman. ad Phædr. IV. 16. 6. Sed 'deferre gubernacula' hic rectius est, cum harum urbium, sese tradentium, Constantino ita crederentur gubernacula, ut, nisi id factum fuisset, mox scopulis inlisæ fuissent, quo sensu sæpe 'deferre summam imperii,' et similia occurrunt. *Arntz.*

§ 3 *Operosior*] Conjiciebat pater meus *operosior*, quod rei satis congruit. Vid. supra XXI. § 2. sed ejusdem vocis positivo ad augendam sententiam comparativum addidisse videtur. *Idem.*

§ 5 *Facilis accessus*] Omnes ante Gruterum *accessus*, et postea Rivinus. In *adscensus* Gruterum secutus est Baunius, et reliqui. Ubi tamen cod. Bertin. tantum non tribuo, ut contra reliquos omnes ejus lectionem sequar, *Gradui* magis hoc convenire, quod putabat Jægerus, non nego, si de scalis metaphoram Noster sumsisset, quam mihi potius de pede sumsisse videtur, qui ubi semel constiterit in via difficili, ad reliqua datur *accessus*. Pacatus Paneg. VIII. § 1. 'proferamus gradum:' et XXXV. § 3. 'gradu pleno ferentes:' ibid. § 5. 'gradu cedere:' et cap. XXXVII. § 3. 'quocumque tulisses gradum.' Incert. Constantin. XVI. 3. 'referre gradum.'

Supra x. § 3. 'gradum protulerunt:' et xvi. § 5. 'nusquam gradum extulisti.' Mamertin. Julian. xxx. § 2. 'gradum moderans.' Wasse Ind. in Sallust. h. v. Burman. ad Propert. i. 3. 9. *Idem.*

Excedendæ urbis] Vet. *ex ædendæ.* Forte *exedendæ.* Putean. *Exedendæ* primum dedit Gruterus, quem omnes, excepto Rivino, sunt secuti. Recte. Tacitus Annal. ii. 27. 'quæ per tot annos remp. exedere,' id est, paullatim consumsere. Terentius Heaut. iii. 1. 53. 'Quid se futurum censes, quem adsidue exedent?' et forte hoc verbo usus est Nazarius, quia infiniti temporis annonam ex Africa Romæ congesserat Maxentius, teste Incerto Constantin. xvi. § 1. Puteani notam dedi ex excerptis penes me Ms. aliter in ed. Paris. expressam. *Idem.*

Visceribus inhærentem] Consonant dicta superiori Paneg. cap. xiv. *Paterol.*

§ 6 *Potius evocare*] Al. *evocaris.* Melius id quidem. Sed quid hic facit *potius?* Forte legendum, *potueris evocare.* Acidal.

Cap. xxviii. § 1 *Casu*] Hoc referendum est ad 'divinitatis' cap. præced. § 5. ut sæpe 'casus' et 'Deus' opponuntur. Cf. Burman. ad Sueton. Claud. cap. 13. ad Virgil. Georg. i. 416. et quæ dixi ad Mamertin. Maximian. v. § 1. *Arntz.*

Cujus adventus] Duo genitivi sunt. *Rhenan.*

Infestior Deus] *Infestior Deus* sic dixit, ut 'hostis Deus,' Propert. iii. 16. 'Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?' *Livin.* Acidalio magis placet *Deus; ἀντόχως* sic enim in edd. ceteris omnibus, itemque Schonhov. Gud. et Mœrl. reperitur. *Jæger.* Ovidius Trist. i. 4. 26. 'Infestumque mihi sit satis esse Jovem.' *Arntz.*

Quod ita ratio] Vet. *quod ipsa ratio.* Sic forte legendum, *quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit, cum ille mente perdita, implicatoque consilio pugnæ locum caperet, ut, &c.* vel sic potius, nulla mutatione facta, *et percundi maturitas perpulisset, quod ipsa ratio dispon. exercitus docuit illum mente perdita, &c.* Putean. *Ipsa* Vet. Bertin. *ista* Cuspin. Vitiose. Belle *ipsa.* Sed et legam, *quid quod ipsa ratio, &c. non haberet?* Livin. Præcedentibus hæc distinctione jungenda, et porro sic distinguenda: *perpulisset: quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit, illum mente perdita, implicatoque consilio* (scilicet *fuisse*) *quum eum pugnæ locum caperet, &c.* Acidalius. Lectio, in qua corrigenda viri docti laborant, est Rhenan. Stephan. Livin. itemque Cuspin. excepto, quod hic pro *ita* habet *ista,* quod et Schonhov. adnotavit. Rectius codd. Liv. Bert. Put. Mœrl. cum edd. Francof. Paris. Patar. et Cellar. *ipsa.* Verbi *fuisse* ellipsis hic mihi difficilis concoctu videtur. Mallem, si liceret, locum ita reformare, uti priore conjectura Puteanus proposuit. Nam altera difficultatem haud magis tollit, quam Livin. Possis fortasse etiam sic legere, *quod ipsa rat. disp. ex. docuit, illum, mente perdita, implicatoque consilio, cum . . . . imponeret, spem victoriæ non habere.* Sed multo magis arridet Puteani illa emendatio. Ex editoribus nullus plane post *docuit* comma adhibuit; videnturque adeo omnes τὸ *illum* cum *docuit* junxisse, ut sensus sit, *quod ipsa rat. disp. exerc. homini illi turbato, confusoque ostendit,* vel saltem *ostendere potuit.* Verum haud scio, an hæc ratio satis queat probari. De cetero observandum h. l. exemplum particulæ *cum,* paucissimis interpositis, repetitæ, quale et Incerti Paneg. Constantino Aug. c. xviii. 3. habuimus. *Jæger.* *Ipsa* etiam Gnelf. Mihi *illum* a *perpulisset* pendere videtur, et hoc modo esse distinguendum, *et pereundi maturitas perpulisset* (*quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit*) *illum mente, &c.* De 'ratione disponendi exercitus' egit Marckland. ad Statii Silv.

v. 2. 129. infra XXIX. § 1. 'disponendi militiæ tui mirem rationem.' *Arntz.*

Haberet] Cum hoc loco confer Incertum Constantin. XVI. § 2. *Idem.*

Largiter] Male Guelf. *largitus.* Idem.

Certamen lubricum] Patri meo *certamen lubricum* esse videbatur, in quo nescias, quam in partem victoria sit inclinatura, quod cum hic congruere non videretur, ideo conjicit legendum *ludicrum*, quo facili fuga eludi possit victoria, cum in loca tuta, aut castra sese referentes periculum evadant, quo pertinet 'ludificatio' apud Frontin. Strateg. II. 5. 4. *Idem.*

Relaxaverit acies] Sic Pacatus: 'At ubi impulsa acies, fronsque laxata, et fiducia in pedes versa est, ire præcipites,' &c. Tacitus lib. XIX. 'laxati ordines abrumpuntur.' *Putean.* Frontinus Strateg. I. 5. 16. 'laxatis ordinibus.' II. 12. 2. 'neve laxarent agmen.' *Arntz.*

Ad pedes] Cf. Cortium ad Sallust. Jugurth. cap. 74. in fin. Not. ad Pacat. Paneg. XXXVI. § 1. *Idem.*

§ 2 *Bella*] Leg. *prælia.* Acidalius. Quasi vero 'bellum' non sæpissime significet 'prælium;' quod nemo nescit. *Jæger.* Cf. Græv. ad Ciceron. pro Marcell. cap. 2. Schulting. ad Senecæ Controv. III. p. 252. 'Bella amas' interpretor, prælia inire soles, de quo usu Cortius ad Sallust. Jugurth. XXXIV. 1. *Arntz.*

Gradu suo] *Gradum* ex iis esse, quibus pugnantes in terra, tam miles quam gladiator, æstimantur, et statum significare, docet Gronov. ad Senecæ Agamemn. IX. 515. 'Felix vocatur, cadere qui meruit gradu.' Adde Brouckhus. ad Propert. I. 12. 8. *Jæger.*

§ 4 *Ripæ locatos*] I. e. in loco ripæ, in ripa. Vide Sanct. et Perizon. Minerv. II. 2. 10. p. m. 175. *Jæger.* Cum hoc loco confer Incertum Constantin. XVI. § 3. *Arntz.*

Ultra quam visus] Pacatus in Theodosium: 'Universa late, qua visus agi poterat, occuparant.' *Livineius.* Guelf. *ultro*, quod admitti posset ex iis quæ notavi ad Eumen. Grat. Act. IX. § 4. *Arntz.*

Pertineret] Pertingeret, extenderetur. Cicero Nat. Deor. II. 28. 'Deus pertinens per naturam cujusque rei.' Cap. 54. 'Eaque ad pulmones usque pertineat.' Cap. 55. 'Vias, quæ pertinent ad jecur.' Et in fin. 'Inplicationem toto corpore pertinentem.' Drakenb. ad Livium XXIII. 49. 2. XXV. 24. 6. *Idem.*

CAP. XXIX. § 1 *Persequi vellem, quem tenuisset*] Et hic locus non leviter affectus, sed præsens mihi et sub manu medicina. Verum est enim, *persequi velle est, quem ten. loc. cal. exerc. dicere.* Scilicet ē veteribus libris *em* et *est* valet. *Livin.* Male adfecto loco hanc Livineius medicinam attulit, ut *vellem* in *velle est*, et postea *dicam* in *dicere* convertatur. Amara quidem medela, quod autem melior non suppetit, interim applicanda: etiam Acidalianæ, *vile* pro *vellem*, præferenda. *Cellar.* Dulcior medela, quam adfert Puteanus. *Jæger.* Emendationem hujus loci, præfationi tomi posterioris, una cum aliis, insertam merito ingeniosam vocat Bibliotheca Philologica, arreptaque priore illius parte, feliciter totum hunc locum persanat. Ita enim legit verba paullisper immutata: *hoc enim persequi si velim, quem tenuisse locum cælestes exercitus dicam? quamquam illos non arbitror stetisse nisi tecum.* De illis cælestibus exercitibus loquitur Nazarius cap. XIV. atque ad hos ipsos exercitus respicit pronomen *illos*, quod in vulgata lectione, quo referatur, non habet. *Idem.* In codd. et antiquioribus edd. ita hic locus legitur, *hoc enim persequi vellem, quem tenuisset locum cælestis exercitus, dicam: quamquam, &c.* Ex Livineii conjectura pro *dicam* recepit *dicere* Patarolus, totam vero in textum admisit Cella-

rius; denique *dicam* tamquam spurium uncis inclusit Jægerus. Conjecturæ Livineianæ contra codd. locum dare non audeo. Neque is ego sum, qui negem, altera illa Schenckii, aut viri clariss. in Bibl. Philol. locum fieri planum, et ad auctoris mentem satis adcommodatum. Suspicor tamen, utrumne magis nocuerit prava interpunctio, ut legi debeat, *hoc enim persequi vellem? quem tenuisset locum cœlestis exercitus, dicam? quamquam illos, &c.* interrogationem, nulla sequente responsione, fortius aliquid adfirmare, aut negare, docui in Specim. Observ. c. 3. Maius Obs. Sacr. part. I. p. 9. Van Dorp Observ. pag. 66. Duo igitur negat Nazarius, sese disponendi militis rationem non persecuturum, quia mira erat, et incredibilis, neque locum dicturum, quem tenuisset cœlestis exercitus, quia eum in cælo visum verbis designare non poterat, quamquam suspicaretur eo loco stetisse, quo degebat Constantinus, quia, cum difficillimam pugnæ partem sibi eligeret Imperator, maxime erat verisimile, exercitum illum, auxilio venientem, illic fuisse auxiliatum, ubi, periculi caussa, sua maxime opera juvare posset. Neque adsentior, in vulgata lectione nihil esse, quo *illos* referas. Quid enim inpedit, quo minus ad collectivum *exercitus* referatur? Pronior tamen sum, ut legamus, *quem tenuissent locum cœlestes exercitus,* quia plurali etiam usus est Noster supra XIV. § 1. ubi eorum historiam commemorat. *Arntz.*

Cœlestis exercitus] De hoc vide supra cap. XIV. *Puteanus.* Et quæ dixi ad Incert. Constantin. III. § 2. *Arntz.*

§ 2 *Diligis*] *Diligis* contra codd. inde a Livineio fuit retentum, *deligis* in suis quoque habuit Puteanus, quia ad Rhenan. nihil notavit. *Idem.*

§ 3 *Manu etiam cesset*] Delendum *etiam*, nisi transferendum, *si manu cesset, non cessasse etiam consilio.* An legendum, *si manu et armis cesset, non cessasse etiam consilio?* Acidal. Si transferendum esset τὸ *etiam*, possemus id quoque ante *si* collocare: sed rectius deletur. *Jæger.*

§ 4 *Roma victoriis*] Legendum *victoris.* Rhenan. Vet. *victoris.* Puteam. Roma confestim esse debebat ejus, qui prælio vicisset. *Paterl. Victoriis* vitio typographi fuit in Puteolam. *Arntz.*

§ 5 *Securus his quos cum*] Malim legere *securus ab his.* Rhenan. Videtur scripsisse, *sonat ictibus umbo, securibus cassis quas.* Lipsius, Epist. Quæst. IV. 27. Sic Vet. *securus his quos trabalis*, forte *æquus his.* Puteam. Ita puto restituendum esse hunc locum, *securus his, quos trabalis hasta dejecit, insultans ferus preterit;* vel sic potius, *securus is, quos trabalis hasta dejecit ins. fer. prot.* Idem. *Hos quos* Langii schedæ. *Cum* abest a Vet. Bertin. Langii schedis, Cuspin. *Sonat ictibus umbo securus* perspicue sana lectio, et *securus umbo*, qui inpervius telis, ut ante dixit, 'telorum irriti jactus.' Itaque aliud egit vir doctus, cum *ictibus umbo, securibus cassis, quas cum trabalis, &c.* reposuit, meo animo parum cum volentibus Musis. Adeo plerumque lubricæ et incertæ conjecturæ etiam quæ blandiri et addicere videntur. *Livineius.* Legendum cum Mss. aliquot, ejecta voce *cum*, quæ nusquam in iis comparet, *hos quos trabalis, &c.* quamvis etiam abjici poterat illud *hos*, tanquam adsutum a librariis. *Gruterus.* Lege, *sonat ictibus umbo securus; quos trabalis hasta dejecit insultans, &c.* ejectis turbantibus vocabulis *his quum.* Acidal. Rhenani lectionem secutus est Rivinus, eamdem Livineii Paullus Stephanus; denique *hos quos trabalis,* ejecto *cum*, dedit cum Grutero Baunius. *Hos* uncis inclusit Jægerus, pro qua voce in Guelf. est *iis*, quod confirmant codd. in quibus *his*. Mihi locus ita videtur constituendus, *sonat*

ictibus umbo. Securus iis, quos trabalis hasta dejicit, insultans ferus proterit. Iis hostibus, quos ex equis suis Constantini hasta dejecerat, ipsius Constantini equus, ab eorum ictu securus, insultans, id est, cum inpetu insiliens proterebat. Virgilius Æneid. XII. 338. de Turno equo insidente: 'Miserabile cæsis Hostibus insultans.' Idem VIII. 570. 'Hinc capiti insultans.' XI. 600. 'Fremit æquore toto Insultans sonipes.' Et 'hœdi floribus insultare' dicuntur apud eumd. Georg. IV. 11. Translate Ovidius Trist. II. 571. 'Nec tibi credibile est quemquam insultasse jacenti.' Et ex Pont. IV. 3. 27. Illud autem *sonat ictibus umbo* ita expressit Ennius Fragment. XV. Annal. p. 108. 'Tinnit hastilibus umbo.' Ceterum in his Nazarii deprehendere mihi videor veteris poëtæ fragmentum, ita forte constituendum: 'Invadis, solusque irrumpis; obumbrat euntem Telorum jactus;...sonat ictibus umbo; Illis securus, quos dejicit hasta trabalis, Proterit insultans ferus.' 'Jactum' et 'ictum' egregie distinxit. *Cf.* ad Eumen. Constantin. VIII. § 1. De *umbone* egit Barthius ad Statium Theb. II. 671. et VI. 257. Puteani notam dedi ex ejus variantibus penes me Mss. sed vitiose, ut videtur, descriptis: in ed. Paris. ita exhibetur, *securus his quos trabalis equus.* Arntz.

Trabalis] Ingens. Virgilius Æneid. XII. 294. 'Teloque orantem multa trabali Desuper altus equo graviter ferit:' ubi neque hujus est loci inmemor Cerda. Statius Theb. IV. 6. 'Dextraque trabalem Hastam intorsit agens.' *Idem.*

Dejicit] Magis præsens placet, ut eodem momento, quo dejicerentur, equus iis insultaret, quod majorem laudem addit, quam si jam dejectis insiluisset. *Idem.*

Ferus proterit] *Ferus*, i. e. equus. *Rhenan.* *Ferus* ποιητικώτερον equus est. Virgilius Æneid. II. 'Hastam In latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.' Arnobius lib. IV. 'Numquid senex Saturnus, jam dudum obsitus canis, nostris carminibus indicatur ab uxore in adulterio deprehensus induisse formam feri, et sub pecoris specie hinnitibus evolavisse jactatis?' *Livin.* 'Ferum' pro equo explicuit Salmas. ad Capitol. Gord. 33. Bernecc. ad Justin. XXXVII. 2. 4. *Arntz.*

§ 6 *Summa res*] Sensus: Quasi rei summa, et victoria ex uniuscujusque illorum sigillatim dextra penderet. *Patarol.* Quia rem sibi cum Imperatore communem ducebant, de quo Vales. ad Ammian. Marcell. XV. 4. Pacatus Paneg. XXXV. 4. 'Milites pristinæ virtutis, Romani nominis, Imperatorum denique memores causam publicam manu agere.' De 'summa re' dixi ad Mamertin. Geneth. XIII. § 2. Eumen. Constantin. VIII. § 2. *Arntz.*

Teneretur] *Niteretur* Cuspin. Egregie. *Livin.* *Niteretur* recepit Gruterus, et sequentes præter Rivinum; antea lectum est *teneretur*, quod in suis codd. etiam habuisse videtur Puteanus, quia ad Rhenani ed. nihil notavit. Propter codd. consensum id restitui, cum alterum a solo Cuspiniano auctoritatem habeat, quamvis ob Jægeri silentium in Mœrl. legi videatur. Ita laborasse dicit, quasi singuli Imperatorem explerent, sive 'communem caussam tamquam propriam' gererent, ut scribit Ammian. Marcell. XV. 4. 'manu tenere' igitur est, ut apud Curtium VII. 8. 24. 'fortunam tuam pressis manibus tene.' *Arntz.*

CAP. XXX. § 1 *Ripas*] Cf. de eadem hac re Incert. Constantino XVII. § 1. *Arntz.*

Nixu] Cf. ad Mamertin. Maxim. XII. § 7. Eumen. Constantio VIII. § 2. *Idem.*

Eluctantibus gurgitibus] Sic Pacatus:

'spumat decolor cruore fluvius, et cunctantes meatus vix eluctatis cadaveribus evolvit.' *Puteanus.* Ubi vide annotata cap. XXXIV. *Patarol.*

Mors virilis] De morte Maxentii Panegyrico super. dixi. *Putean.* Cf. ad Incert. Constantino XVII. § 1. et 2. *Arntz.*

Fuga turpis] De eodem Virgilio est Æneid. X. 'Lucage, nulla tuos cursus fuga segnis equorum Prodidit.' *Livin.*

Dignum ignaviæ] Vet. *digno.* Putean. Forte *digno.* Livin. *Digno* in eod. Gud. legitur. Et sic restituere volebat Baunius: sed operæ, puto, non paruerunt. *Jæger.* Codd. sum obsecutus. Vulgato more peccarunt librarii, de quo ad Eumen. pro Instaur. Schol. VIII. § 1. et XVII. § 3. *Arntz.*

Exitu] Cf. ad Incert. Constantin. XXIII. § 4. *Idem.*

§ 2 *Perstringi*] Confer ad Sedulium I. 80. Buneman. ad Lactant. Epit. Præfat. *Idem.*

Et pridie] Argumento ex hoc loco ducto, et ex stilo, existimo, superiorem Panegyricum, dictum Constantino, esse Nazarii, et hic intelligi, et in illo Panegyrico pluribus verbis describitur, et ornatur pugna ista, qua Maxentius debellatus est a Constantino, et in veteribus libris iste Panegyricus isti præponitur. *Putean.* Alii *pridem.* Ansa hinc Puteano, et P. De la Baune orationem superiorem Nazario tribuendi, conjectura tamen, meo judicio, nimis infirma; nam videtur mihi sane stilus longe diversus, nec non et Latinæ linguæ usus in Nazario nostro durior et impurior, ac in præcedentis orationis auctore. *Patarol.* *Quod etiam* Guelf. idque propter codd. reddidi. *Pridem* non est Livineii conjectura; cum enim ipse *pridie* ediderit, *prid.* in margine eamdem vocem exhibet. Non ausus sum Acidalii conjecturam in textum recipere. Potuit aliam quoque orationem *pridie* habuisse, quam tamen certum est non fuisse præcedentem, ut illic dixi. *Arntzenius.*

Abuterer] Maxime uterer. Vid. Cicer. Epist. ad Divers. IX. 6. in fin. et X. 15. in princ. et Orat. pro Milon. 2. 7. et ibi Heumann. *Jæger.* Bunemann. ad Lactant. Instit. I. 6. 14. de Ira cap. XI. § 15. Epit. LXI. 2. Reitz. Ambig. p. 17. *Arntz.*

§ 4 *Sonores festus*] Opinor sic leg. *tubarum sonores, festis et.* Rhenan. *festis.* Sed addi vox aliqua debet, et vix ulla potius, quam *festis plausibus et r. f. mutantur. Dicendus in urbem.* Acidal. Cod. Mœrl. pro *festivis* habet *festis.* Utrumque probabile. Ita Claudian. de Laud. Stil. I. 3. 'Connubii necdum festivos regia cantus Sopierat.' Idem ejusd. carm. III. 20. sq. 'Currumque secutus Laurigerum festo fremuisset carmine miles.' Tacit. Annal. XII. 69. 1. 'Ibi monente præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ.' *Jæger.* Virgilius Æn. IX. 651. 'Sæva sonoribus arma.' *Arntz.*

Resultanti favore] I. e. acclamatione, ac plausu repercusso. Vid. supra Paneg. Incerti Constantino Aug. XIX. § 7. laudatumque ad Vopisc. Aurelian. c. 48. et Lamprid. Commod. c. 15. Casaubonum; itemque de verbo 'resultare,' quod de echo, et repercussione soni vocisque usurpatur, Schwarz. ad Plin. Paneg. LXXIII. § 1. *Jæger.* Adde Jæger. ad Coripp. I. 201. Virgilius Æn. V. 150. 'Pulsati colles clamore resultant.' VIII. 305. 'Strepitu collesque resultant.' 'Resultantes saltus,' Tacitus Annal. I. 65. *Arntz.*

Lasciviat oratio] *Lascivit* Vet. *Livin.* Minus recte. 'Lascivire' est voluptate quasi exsultare. Sic ex Pacuvio Tullius, de Divin. I. 14. 'Ut profectione læti piscium lasciviam Intuerentur.' De oratione Quinctilian. IX. 4. 28. 'Quædam vero trans-

gressiones et longæ sunt nimis, ... et interim etiam compositione vitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exsultent, atque lasciviant; quales illæ Mæcenatis: 'Sole et aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exsequias quidem unus inter miserrimos viderem meas.' Quod inter hæc pessimum est, quia in re tristi ludit compositio.' *Jæger.* Plura veterum loca hanc in rem contulit Juret. ad Symmach. Epist. I. 31. *Arntz.*

Urbem conditam] Cum Incerto cap. 19. hunc locum contulit Nourry ad Lactant. de M. P. p. 399. *Idem.*

CAP. XXXI. § 1 *Ante carrum*] Vet. *currum.* Putean. *Carrum* est in Puteol. Rhenan. Henr. Steph. et pr. Rivini. Forte posset videri suo more ita locutus homo Gallus. De Gallico hoc vocabulo vid. Scheffer. Re Vehic. II. 28. Sed *currum* codd. et Guelf. Eutropius IV. 2. 'duxit ante currum;' et cap. 8. 'ducti sunt ante currum;' et VI. 16. IX. 27. Cf. Heinsium ad Sil. Ital. IX. 685. *Arntz.*

Vincti duces] Hostium bello capti, ut mos olim triumphantibus. *Patarol.* Cf. not. patern. ad Plinii Paneg. XVII. § 1. *Arntz.*

Deducti e carcere] Forte *educti.* Prudentius adversus Symmach. I. ad Romam: 'Cum te pestifera premeret Maxentius aula, Lugebas longo damnatos carcere centum, Ut scis ipsa, patres,' &c. *Livin.* Quos Maxentius in vincula conjecerat. *Patarol.* In hac lectione conspirant omnino omnes, præter Bannium et Cellarium, qui, ex Livineii conjectura, ediderant *educti*, aptius sane, et probabilius. *Jæger.* Cellarius tamen *deducti* dedit. Ipse Jægerus Bannium in exprimendo *educti* est secutus. 'Deducere' videtur esse inde abducere, ut Justin. XXVIII. 1. 6. 'Præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent.' Reitzius Ambig. p. 149. *Arntzenius.*

Consulares] Mœrl. falso *Coss.* Qui plura ad illustranda hæc, et quæ sequuntur, desiderat, adeat v. c. Ovid. Trist. IV. 2. 19. sqq. et ex Ponto Ep. II. 1. 19. sqq. aliosque, qui de triumphi ratione exposuerunt. *Jæger.*

§ 2 *Ex hostico*] Cf. ad Eumen. Constantin. XIII. § 1. *Idem.*

§ 3 *Subacta*] Cf. Observ. Miscell. Nov. T. I. p. 144. Hunc locum cum aliis contulit Pricæus ad Psalm. LXXXIV. 11. *Idem.*

Catenata] *Inportunitas* pertinet ad hominem superbum, inpotentem, intolerabilem. Cf. Gronov. ad Senec. de Benef. IV. 3. *Idem.*

§ 4 *Tyranni*] Vide dicta Paneg. antec. cap. XVIII. *Patarol.* Ita per excellentiam Maxentium adpellari docuit Baluz. ad Lactant. M. P. 44. *Arntz.*

§ 5 *Injiciebantur*] Judice Bibl. Philologica, unice vera est lectio codd. *jaciebantur.* Jægerus. Etiam Guelf. *jaciebantur*, ex quo illud probabat Cortius ad Plinium Epist. IX. 13. 9. idque propter codd. consensum recepi. Propertius II. 7. 41. 'In nostrum jacies verba superba caput:' ubi Burman. Cicero pro Syll. 7. 'In quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris.' Parad. 4. 'Jactam et inmissam a te nefariam in me injuriam semper duxi.' Cf. Vorstium ad Valer. Max. I. 5. 8. not. ad Velleium II. 65. 1. Drakenb. ad Livium V. 49. 7. Gronov. ad eumd. XXXIII. 22. 8. *Arntz.*

Mira voluntate] Opinor legendum, *et mira voluptate, conceptus e vita terror, insultatione interritus obterebatur.* Rhenan. Sic Vet. *mira cum voluntate conceptus enita.* Putean. *Mira cum voluptate* Vet. Bertin. Cuspin. *Livin.* Rhenanus *voluptate.* Non convenit. Tale quid fuit, *varietate*, vel *vicissitate.* Acidal. *Cum* habet Guelf. quod recte inseruit Gruterus, iterum neglexit Rivinus. *Voluntate* fluxit ex antiquissima Puteol. sed recte jam *vo-*

codices, et unus aut alter impressus. Alii legunt *descendunt*. In aliis corrupte est *decedunt*. Patarol. Herodotus I. 8. Ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισιν ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν. Horatius A. P. vs. 180. sq. *Accedunt*, quod, Patarolo teste, etiam Vaticani codd. habent, non videtur mutandum: non minus enim huc quadrat, quam *accidunt*. Sic Terent. Hec. III. 5. 32. 'Pamphile, ad aures haud invito sermo mihi accessit tuus.' *Jager*. Consideratis iis, quæ Ruhnkenius ad Rutil. Lup. pag. 58. de turbatis verbis 'accedere' et 'accidere' adfert, præferendam censeo conjecturam Rittershusii scripturæ librorum, præsertim cum locum Terent. Hec. III. 5. 32. quo nitebar, mendosum esse vir summus monuerit. *Idem*. Eumenius pro Instaur. Schol. XX. § 3. 'Quo manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu:' ubi not. In meis edd. nullam deprehendi scripturæ varietatem; et quamvis certum sit, 'accidere ad aures' rectius esse, quod in 'accedere' mutarunt librarii, putantes alterum de solo esse, non de aliis rebus, aut hominibus dici, ut probant Cortius ad Sallust. Jugurth. CVII. 6. Duker. ad Livium X. 41. 7. V. D. ad eumd. XXVII. 15. 16. et Drakenb. ad Epit. LV. tamen 'accedere' hic magis placet propter metaphoram in 'manant,' et 'hauriuntur' ab aquis desumtam, ex qua hæc 'accedere' dicantur, ut aquæ 'subire terram' apud Curtium VI. 4. 7. *Arntz*.

Luceret] *Eluceret* potius. Acidal. Hanc conjecturam in textum tacite admisit Jægerus, quem contra codd. sequi non audeo. 'Lucere' hic eodem modo dicitur, quo beneficia 'fulgere' infra XXXV. § 1. *Arntz*.

§ 6 *Tyranni permulcendam*] *Ad perm.* Vet. Cuspin. Rhenan. *Livin*. Præcipuum Constantini erga Africam amorem exhibent nummi ab Occone citati, in quibus legitur CONSERVATOR AFRICAE. SVAE. et CONSERVAT. KART. SVAE. *Patarol*. A sola Livineii ed. *ad* abest. *Arntz*.

Maxime unus] Vet. *vivus*. Supr. Incertus Constantino cap. XVI. 'quippe omni Africa, quam delere statuerat, exhausta,' &c. *Putean*. *Vivus* Bertin. Langii schedæ. *Livin*. Lege, *quam maxime vivus aff.* Acidal.

Expleret] De 'explere' ad Plautum in Stich. cap. 1. *Acidal*. 'Explere' h. l. est satisfacere alicui, ut in Terent. Heaut. I. 1. 76. sq. 'Cœpi cogitare: Hem, tot mea Solius sollíciti sunt caussa, ut me unum expleant!' *Jager*. Claudianus in Eutrop. II. 333. 'Quorumque profundam Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis, Non freta longinquis Mæotia piscibus explent.' Cf. Observ. Miscell. tom. VIII. p. 70. *Arntz*.

Tempestivo mari] Vegetius V. 9. 'A die VI. Kal. Juniarum usque . . . in diem XVIII. Kal. Octobrium . . . secura navigatio creditur: . . . post hoc tempus usque in III. Id. Nov. incerta navigatio est, et discrimini propior. . . . Et VIII. Kal. Octobr. æquinoctialis evenit acerba tempestas.' Pro *nondum satis* malim *non satis*, vel *non amplius*. Jæger. Emendationis necessitatem non video. Quamdiu enim secura non est navigatio, nondum est mare tempestivum. Accuratius scripsisset Baunius VIII. Kal. Novembris. Vid. ad Incert. Constantin. init. *Arntz*.

Beatissimamque] Id est, felicissimam. Cf. Cuper. ad Lactant. M. P. cap. 8. Huic loco convenit Mamertin. Maxim. XII. in fin. 'cui jam sic tempestatum oportunitas obsequatur:' ubi not. *Idem*.

§ 7 *Titulus*] Nomen Imperatoris. *Patarol*.

§ 8 *Te potens*] Suspicor excidisse *voti*, ut sit *te voti potens Afr.* Ovidius Fastor. III. 'Sæpe potens voti, frontem redimita coronis, Femina lucentes portat ab urbe faces.' Loquitur,

98. Bernart. ad eund. Theb. v. 678. *Arntz.*

§ 3 *Omnia, quo*] Videtur posse legi commodius, *quo minus omnis, qua odium ejus pervaserat, spectac. tyr. fun. explicaret ubique.* Juretus. Vet. *omnium quam;* sed puto legendum *qua.* Puteanus. *Quam* Vet. Cuspin. *qua* schedæ Langii. Neutrum recte. *Livin.* Cum in pluribus autographis restet *quam*, verosimile est Bongarsio, fuisse initio *qua:* et ita malim. *Gruter.* Alii *quæ.* Lege, *quo minus omnes, quos odium ejus pervaserat, sp. tyr. fun. expiaret, Ubique jam quidem, &c.* Acidal. Depravatus est hic locus in nonnullis edd. Livin. habet *Fr. ind. Pr. nemo voluit, quo minus omnia, quo odium ejus pervaserat, &c.* Rhenan. cum Stephan. *Fr. ind. Pr. ea gratia neminem voluit, quo minus omnis, quo odium ejus persuaserat, &c.* Cuspin. cum Schonhov. *Fr. ind. Pr. e gratia neminem voluit, quo minus omnia, quam odium ejus persuaserat, &c.* Iis qui malunt *qua*, in textu ed. suæ obsecutus est Cellarius. At vero sententia postulare videtur non *qua*, i. e. qua via, vel parte, sed potius *quæ*, vel *quo*, i. e. quem in locum, vel in quæ. Cicero pro P. Sulla cap. 19. 'Ubi fuit Sulla, Corneli? num Romæ? Immo longe abfuit. Num in iis regionibus, quo se Catilina inferebat? Multo etiam longius. Num in agro Camerti, Piceno, Gallico? quas oras maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat. Nihil vero minus.' Retineo itaque lectionem edd. Francof. Paris. et Patar. *Jæger.* Rhenanum secutus est Rivinus, nisi quod in pr. *omnis*, in sec. *omnia* ediderit; Livineium vero Pauli. Stephanus. *Quo* etiam Puteol. Stewechius ad Arnob. advers. Gent. pag. 147. emendat, *quo minus omina, queis odium ejus persuaserat:* parum feliciter. Commodior est lectio, quam cum Jægero retinui, sensu satis aperto. *Arntz.*

Pervaserat] De 'pervadere' dixi Specim. Obs. cap. 9. p. 55. *Idem.*

Expiaret] 'Expiare' vel placare significat, et satiare, ut v. c. Cæsar B. G. VIII. 48. 'Comius autem, sive expiato suo dolore, sive magna parte amissa suorum, legatos ad Antonium mittit;' vel lustrare, purgare, quemadmodum Cicero Philipp. I. 12. 'expiatum' esse 'forum' dixit, eversa ara Cæsaris, et exsecrata illa columna. Et sane acumen quoddam inesse videtur, cum omnia spectaculo funeris, cujus alioquin adspectu pollutionis contagio contrahi solet, lustrata atque expiata esse dicuntur. Sed verior tamen est prior illa interpretatio; quia odii, non pollutionis mentio facta. *Jæger.* Non opus itaque, ut cum Jureto paullo superius legamus *explicaret.* Arntz.

§ 4 *Pennata Victoria*] In Panegyrico Incerti Constantino cap. VIII. 'Illa majestas, quæ Jovis subjecta nutui, nec Iridi, Deum nunciæ, sed pennis commissa Victoriæ.' Sæpissime Victoria vocatur 'alata,' sive 'pennata' apud auctores. *Puteanus.* Vid. supra Paneg. Eumenii Constantino Aug. VIII. § 5. *Jæger.* Et quæ ad eum locum monui. Add. not. patern. ad Pacat. Paneg. XXXIX. § 1. *Arntz.*

Fructus] Id est, fruitio. *Livin.* Sic Tullius Catil. II. 4. 'Aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adjuvando, pollicebatur.' Valer. Max. IV. 7. ext. 2. 'Itaque pavi invidiam quorumdam, optimi amici jactura, videlicet quia fructu torseram.' *Jæger.* Cf. Burmann. Secund. ad Anthol. Lat. tom. I. p. 622. *Arntz.*

Languidius accedunt] Insignis sententia, ex Herodoto et Horatio expressa felici imitatione, sed uno verbo depravata. Significantius et verius, meo animo, leges *accidunt.* Plane sic loquitur Plinius Paneg. cap. XCII. 'Major auribus nostris accidat clamor.' *Ritters.* Sic legunt Vaticani

vi dix est ex Puteolana editum usque ad Gruterum, et in pr. adhuc retinuit Rivinus. Gruteri lectionem quoque secutus est Baunius. In Guelf. est, *fistulæ, cum intercepta sunt*, omisso *diu*. Jægerum in textu exprimendo sum secutus, qui recte probat *intersepta*. Cicero pro Balb. 18. ' ne interseptum sit iis iter.' Drakenb. ad Livium VI. 9. 7. utramque vocem permutatam notant eruditi ibid. XXV. 39. 2. *Arntzenius*.

Crassiores] Turbidiores, et inquinatiores. Sic Plinius H. N. XXIII. 9. ' Radix ejus (myrti silvestris) in honore est, decocta vino, ad renum dolores pota, et difficili urinæ, præcipueque crassæ, et grave olenti.' *Jægerus*. Ovidius Amor. III. 6. 8. ' Et turpi crassas gurgite volvis aquas.' Gratius Cyneg. 53. ' Crassæque malum fecere paludes:' ubi not. Lucanus Phars. VI. 364. ' Crassis oblimat Echinadas undis:' ubi Burman. Hinc eo sensu ' crassamen ' in imo aquæ requietæ apud Columellam de R. R. XII. 25. 2. *Arntz*.

Turbide aliquid] Opinor verius *turbidi*. Nam *egerunt* præsens est, ut grammatici vocant, ab ' egero,' non præteritum ab ' ago.' *Livin*. Lege *turbidi*. Ritters. Litteræ *e* et *i* facile permutantur. Non dubito itaque, huic auctoritati parere. *Jæger*. Magis placet vulgata. *Arntz*.

Ruperunt] Meliorem lectionem, *eruperunt*, duce Lang. tuentur ceteri. *Jæger*. Alterum retinui propter codd. consensum, pro *eruperunt*, ut apud Virgilium Georg. I. 445. ' Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rumpent radii:' ubi Heinsius. Aut potest ducta esse metaphora ab iis, quæ ultra modum inpleta rumpuntur, ut ' ilia rumpi ' dicuntur apud Virgil. Eclog. VII. 26. adde Nemesian. Ecl. IV. 70. Calpurn. Eclog. VI. 80. *Arntz*.

CAP. XXXIII. § 1 *Gratulationes*] Cf. ad Incert. Constantin. IV. § 4. Per publicam lætitiam, et adplausus ob gratum nuncium explicat Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. II. pag. 638. *Arntz*.

Benignitas] Id est, *tantum* benignitas, et clementia contulerunt; ut ad *quantum*, quod præcessit, referatur. *Cellar*. Verum est quidem, posito *quantum*, deesse nonnumquam, et omitti *tantum*, vel *tanto*. Sic Livius XXI. 31. ' Postero die, profectus adversa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via esset, sed, quantum a mari recessisset, minus obvium fore Romanum credens.' XXI. 53. ' Gallorum ingentem multitudinem sciebat segnius secuturam, quanto longius ab domo traherentur.' Sed, probata hac ratione, mihi non satis probabili, delendum fuit signum interrogationis, quod tamen reliquit Cellarius. Loco illius (est vero in edd. omnibus, præter Cuspin. Rhenan. Stephan. Patar.) cum Acidalio posui signum, quod vocant, exclamationis, atque admirationis. *Jæger*.

Contulerunt ?] Lege *contulerunt !* Acidal. Acidalii notam modo probavit Jægerus; mihi eadem interrogationis, aut admirationis non placet, cum nudam rei gestæ narrationem continere videatur periodus. *Intulerunt* non male Gud. sive Guelf. sed vulgatum tuetur *congerendis* mox § 4. ubi illud opponitur *exhauriendis*, ut hic *contulerunt* τῷ *evolverunt*. Arntz.

§ 3 *Facultas miseriarum*] Optime Divæus, *vacuitas miseriarum*. Lipsius. Epist. Quæst. IV. 27. *Vacuitas* quidem restitui ex unicis membranis, volente prorsus sententia, neque nimium abeunte scriptura priore *facultas*. Quod si cui malum factum videtur, is eam iterum in possessionem pristinam reducat, licet. *Gruter*.

Facultas] Conspirant in hanc lectionem codd. nam, quas memorat membranas Gruterus, sunt Langii schedæ, in quibus sola mihi videtur

esse conjectura, qua tamen nihil succurrit aptius, ideoque retinui, cum vocem rarius sibi lectam in magis cognitam mutaverint librarii, et vix distent litteræ; quamvis enim 'facultates commodorum' dixerit Cicero ad Attic. I. 16. tamen id parum ad h. l. facit. *Arntz.*

§ 4 *Pro se*] Virgilius Æneid. v. 'Tum validis flexos incurvant viribus arcus Pro se quisque viri.' Rursumque XII. 'Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.' *Livin.*

Exhaurienda] Rhenanus monuit alias legi *exhauriendo:* quod si verum est, excidit vocula *malo*, aut aliqua similis. Plane illud *exhaurienda* turbat. *Gruterus.* Alii *exhauriendo.* Utrum horum recipias, deest alia vox huic jungenda, forte *exhaurienda calamitate*, vel *miseria.* Acidalius. Optime Put. et cum Gud. Mœrl. *exhauriendis malis*, quam lectionem jure meritoque recipimus. *Jægerus.* Confirmant eam præcedentia § 2. 'Obsitam urbem gravissimis malis evolverunt:' et suadet sequens oppositum 'congerendis commodis.' Probavit quoque in margine ed. suæ Cortius. *Arntz.*

Reddiderunt: facilior] Distingue, *reddiderunt. Facil.* Acidal.

§ 5 *Vulnerare integrum*] Hæc non satis cohærent cum antecedentibus. Nisi evidentissimum esset, *integrum sauciato* opponi, putarem, deesse particulam *magis*, sæpe omitti solitam. Vid. Cort. ad Sallust. Catil. VIII. 1. IX. 5. et *integrum*, subaudito *est*, interpretarer, nobis licet, in potestate nostra est. Verum hoc parum placet. Puto itaque, aut excidisse quædam, v. *g. pronius*, vel *expeditius est*, aut ex superioribus repetendum, et intelligendum esse, *facilius et multo proclivius est*. Jægerus. Nulla locus difficultate laborat. Ex consueto enim more, quo modi variant, *vulnerare* est positum pro 'vulnerandi.' *Facilior est via vulnerare* Græco more, de quo Bentl. ad Horat. Od. I. 1. init. et ipse ad Arator. Epist. ad Vigil. 4. et II. 325. *Arntz.*

Dissipare rupta] *Reperta* Vet. Inepte. Forte *apta.* Livineius. Sic edd. omnes. In cod. Mœrl. corrupte legitur, *dissipare reperta, quam reperta componere.* Pro *rupta* in suo quoque codice, cum quo consentit Gud. *reperta* invenit Livineius; quo repudiato, conjicit *apta;* Acidalius *rupta;* alii *parta.* Sed neutrum horum satis convenit. Quemadmodum *sauciato* opponitur *integer*, ita etiam adesse debet aliquid, quod *divulsis* opponatur. Id vero Livineii *apta*, id est, juncta et connexa esse, mihi quidem persuasissimum est. Cicero in Orat. ad M. Brutum c. ultimo: 'Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere.' *Jæger.* *Rupta* emendabat quoque pater meus ad Vict. O. G. XVIII. § 2. Potior tamen est Jægeri ratio, præcipue cum accedat Eldikii nostri, cui acutissimo multum tribuo, auctoritas, cui *apta* quoque in mentem venerat. Ita 'connexio apta,' supr. VI. § 3. add. Drakenb. ad Livium I. 46. 7. *Arntz.*

§ 6 *Sexennio*] Cf. ad Incert. Constantin. XVI. § 2. *Idem.*

Bimestris] Non accipio de tempore, quo Romæ sit commoratus, sed de facta contra Maxentium per duo menses expeditione, ut latius dixi ad Incert. Constantin. princ. Cum Baunio tamen hunc locum interpretantur Nourry Dissert. ad Lactant. de M. P. p. 408. Bauldri et Baluz. ad eumd. c. 45. et 48. Gothofred. Proleg. ad Cod. Theodos. p. 6. *Idem.*

Sanavit dico?] Affirmate legam, non interroganter. *Livin.* Sic omnes, præter Baunium, qui, obsecutus monito Livineii, adfirmate, non interroganter legendum in contextu dedit; sed hanc rationem in interpretatione rursus deseruit. *Jæger.* Interrogationis necessariæ rationem mox recte exponit Jægerus. *Arntz.*

Dolori] Guelf. *dolores.* Sed *per-*

mulcendo dolori respondet sequentibus, 'arcessendæ gratulationi.' *Idem.*

Non et arcessendæ] Negationem deleam, quæ perspicue sententiam turbat, si penitius attendas. *Livineius.* Quam magis attendo nexui orationis, tam minus accedere possum Livineio, arbitranti negativam vocem delendam, imo sine ea sententia hujus loci et fracta est, et disjecta, vel potius nulla. *Gruterus.* *Etiam* Guelf. quod reddidi. Idem cod. *accersendæ*, male; et male Acidalius contra melioris ætatis usum, de qua ad Incert. Constantin. VIII. § 2. Ceterum additæ interrogationis rationem mox dabo. *Arntz.*

Amplius postules] Scilicet ab eo, qui te affecerit beneficio, id est, ab Imperatore. *Livin.* Lege, *postulet.* Acidal. Acidalii conjectura minus videtur necessaria, cum recte explicuerit Livineius. *Arntz.*

Sui non pœniteat] Hoc est, beneficii ab se præstiti. *Livin.* Potius interpretor, quam ut civi non displiceant ea, quæ in restituto statu publico egerit imp. ut apud Terent. Phorm. I. 3. 20. 'Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet.' *Arntz.*

Qui solitario modo] Vet. *qui solita non modo.* Puteanus. *Qui solita non modo* Vet. Bertin. Scriptam lectionem non reperio, qui extricem. Planum, quod in Langii schedis, *qui non modo id egit, &c.* sed a litteris abit plusculum. Succedam ego, et tanquam tertio pedato, *qui non solummodo id egit, &c.* reponendum arbitror. *Amiseras* quoque, *doleres, gauderes,* audacter corrigam. *Livin.* Male habitus locus, cui tamen non medeor, nisi quatenus promo, videri hæc dici de ipso Constantino. Veniebat quidem sub stylum, *atqui non modo id egit, ut recuperatis, quæ amiseras, non doleres, sed etiam ut novorum adoptione gauderes.* Proxime quidem ad scripturam codicis Langiani, in quo *pœniteat, qui non modo id egit, &c.* nisi quod adhuc *t* literam bis, ter mutem charactere ei adsito *s*, quemadmodum item tentarat solertissimæ industriæ Livineius. *Gruterus.* Lege, *si solummodo id egit, ut r. q. a. non doleret, nisi id etiam, ut nov. adept. &c.* Acidalius. Scriptura h. l. non minus turbata est, quam interpretatio. Cuspin. habet, *nec amp. p. q. ut eum s. n. pœniteat, q. solita non modo id egit, ut r. q. a. n. d. sed etiam, ut novorum adeptione gauderet.* Ita quoque codd. Livin. Bertin. Put. itemque Schonhov. excepto, quod hic pro *solita* præfert *solito.* Rhenan. Steph. Livin. *pœniteat, qui solitario modo id egit, &c.* et sic etiam Gruter. et Paris. prior. Porro Patarol. et Cellarius, *pœniteat, qui non solummodo id egit, u. r. q. a. n. doleret, sed etiam n. a. gauderet.* Hæc lectio vera esse nullo modo potest, et sententiæ aperte repugnat cod. Mœrl. et Gud. *qui solita diligentia non modo id egit, ut r. q. a. n. d. sed etiam, ut dolorum adeptione g.* Quæ corrupta esse, et interpolata, facile intelligitur. Reservavi in ultimum locum lectionem Baunii, ex ingenio, puto, ita concinnatam, *qui solitario modo id egit, ut, recuperatis, quæ amiserat, non doleret: non etiam, ut novorum adeptione gauderet.* Verba *non et arcessendæ gratulationi* in notis sic explicat: 'Nonne satis erit ad gratulationem Imperatori nostro merendam?' quo admisso, etiam sequentia interrogative legenda videntur; parum probabiliter, et contra Baunii ipsius interpretationem. Postremo in interpretatione, textui subjecta, totum locum satis speciose explanat hisce verbis: 'Quid dico sanavit?' &c. ubi vide. Possit fortasse etiam hunc in modum lectio constitui, *sed ampl. post. quam v. e. s. n. p. qui non solummodo id egit, u. r. q. a. n. d. sed etiam, &c.* ut sensus sit; Restitutio in pristinum statum sufficit quidem ad leniendum dolo-

rem, sed non ad excitandam lætitiam. Sed ab eo, qui, recuperatis amissis, non modo nullam dolendi, sed potius, novis auctus bonis, largam habet gaudendi materiam et caussam, aliquid amplius exspectandum, atque adeo exigendum est, quam ut tantum tristitia et dolore careat. Reliqui, in hac dubitatione fluctuatus, lectionem Baunii; sublato tantummodo sphalmate, quod etiam edd. Livin. Francof. Paris. Patar. et Cellar. insedit, in quibus sc. pro *adeptione*, legitur *adoptione*. Revocavi etiam signum interrogationis, quod Baunii interpretatio, quæ optima mihi videtur, requirit, et quod indicat, oratorem sibi parum satisfecisse, dicendo, Principem sanasse vulnera rei publicæ: cum hæc sanatio solummodo doloris vacuitatem, non gratulationem, et lætitiam adferre potuisset. *Jæger.* Pro *solitario modo* legendum forte *insolito ac raro modo*, nisi 'solitarium' idem fere esse putes, ut e. g. Cicer. de Invent. I. 44. 'solitarium aliquod aut rarum judicatum' dixit. Rhenani scriptura jam exstitit in antiquissima Puteol. eamque retinuit Paull. Stephanus et Rivinus. Codd. tamen alio nos ducere videntur. *Solita diligentia* habent Guelferb. et Mœrl. quod confirmat *solita* in Put. et duobus Livineii, in quibus librarii oscitantia excidisse *diligentia* suspicor, et unde ex margine orta videtur glossa, *solitario modo*. Deinde iidem consentiunt in *sed etiam*, contra quos Jægerum, ex Baunii scriptura *non etiam* exprimentem, sequi non sum ausus. Textum itaque secundum eosdem dedi. In tanta variarum lectionum, et interpretationum copia, sola ex præcedentibus eruenda est Nazarii sententia. Duo nimirum memorat, tum fortitudinem, qua malis et miseriis urbs erat liberata, tum Imperatoris liberalitatem benignitatemque, qua commoda et bona erant collata. Solum malorum finem non sufficere addit, eumque parum esse gratum, nisi etiam sequatur lætitia propter addita bona. Mala pergit esse sanata bimestri cura, qui itaque erat miseriarum finis, cui cum etiam adcedere deberet publica lætitia, de qua tamen nihil dixerat, ideo se revocat Nazarius interrogando, *Sanavit dico*, id est, utrum eo solo, quod miseriis finis sit impositus, sanatus est reip. status? an vero hunc finem consequi etiam debet suscepta ex commodis bonisque collatis lætitia? Quid itaque est simplicius, quam ut locum ita interpungamus: *Sanavit dico? Redintegratio status pristini permulcendo dolori satis est, non etiam arcessendæ gratulationi;* i. e. utrum restitutus reip. status solus tendit ad leniendum dolorem ex fine malis inposito, et non etiam ad provocandam ex bonis lætitiam publicam, quam *gratulationis* esse notionem supra § 1. dixi. Sequentia autem ita interpretor; nec amplius ab Imperatore, reip. statum restituente, postulare fas est, quam ut illos cives facti sui non pœniteat, qui id egerunt, ut non solum non dolerent propter recuperatum reip. statum, sed etiam gauderent propter nova commoda, quæ ex Imperatoris liberalitate sint adepti; verbo: ab Imperatore nihil amplius postulare poteris, quam ut fortitudine pristinum reip. statum reddat, liberalitate vero nova beneficia conferat. Prius factum dicit *solita diligentia*, quia hoc vulgo contingere solet, rarius autem postremum, quia, ut dixit § 1. 'facilior est lædendi, quam commodandi via.' Denique *eum sui non pœniteat* retuli ad cives, non, ut fecit Livineius, ad Imperatorem, qui beneficium præstiterat, quia id postulat sequens *adeptione*, quod indicat eos, qui beneficium acceperint. *Arntz.*

Novorum adeptione] In Mœrl. esse *dolorum adeptione* supra notavit Jægerus, quod etiam in Gud. sive Guelf.

legi testatur, ex quo tamen illud notatum non habeo. Pro *adeptione* dedit Livineius *adoptione*, quod secuti sunt omnes reliqui præter Rivinum in sec. et Jægerum, et exstat in Guelf. sed littera *e* suprascripta. *Idem.*

§ 7 *Monstrosa labes*] Maxentius. Sic de P. Clodio Cicer. Orat. pro Domo sua, c. 1. 'Illa labes ac flamma reipublicæ.' Claudian. in Rufin. II. 498. sqq. 'Hunc superum labes, hunc insatiabilis auri Proluvies, pretioque nihil non ause parato, Quodque mihi summum scelus est, hunc improbe legum Venditor, Arctoi stimulator perfide Martis.' Patar. exhibet *monstruosa.* Jæger. *Monstruosa* quoque Guelf. quod reddidi, quia hoc prosæ, alterum versui convenientius indicat Heinsius ad Petron. Sat. c. 69. quod sequuntur Burman. ad Quinctil. Declam. IV. 20. et XIX. 15. Drakenb. ad Livium XXIX. 1. 5. Buneman. ad Lactant. Instit. I. 20. 36. quamvis inferioris ævi librariis tribuat Oudend. ad Sueton. Tib. c. 43. Domit. c. 4. 'Labem' recte de eo dixit, qui publicam infert calamitatem, de qua vocis notione Barth. ad Statium Theb. VIII. 34. not. ad Victor. Cæs. IX. 6. *Arntz.*

Facta publiciter] *Publicitus* sequor. Ausonius Gratiar. Actione ad Gratianum: 'Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti.' Usi et veteres aliquot apud Nonium in 'Publicitus.' Quem adi. *Livineius. Publicitus* scripti cum edd. ceteris magno consensu tuentur. *Jæger. Publicitus* etiam Guelf. et excerpta Schonhovii, quod recte ex Cuspin. restituit Gruterus, et sequentes præter Rivinum in pr. Ante ex Puteol. legebatur *publiciter;* unde Livineius hauserit *publice*, ignoro, quem tamen secutus est Paull. Stephanus. *Arntz.*

Quamquam ex singulis] Post *quamquam* inserit *cum* cod. Mœrl. quam particulam *cum* vel *quum* ob similitudinem, quæ ei est cum voce præcedenti, excidisse recte monet Gruterus. *Jæger.*

Sint augmenta reip.] *Sit coagmentata respubl.* malui cum tribus libris, duobus quidem manu scriptis, tertio edito quidem, sed pari bonitate quibuslibet membranis. Ante cusi, *quamquam ex singulis sint augmenta reip.* Neutra tamen lectio adhuc sana. Forte fuit, *publicitus explicare: quamquam ex singulis coagmentata respublica, quidquid in eam confertur ad omnes proportione permanat: ut vicissim necesse est, quod sigillatim omnes adipiscuntur, in commune reip. redundare.* Nisi melius est priora sic supplere, *explicare, quamquam quum ex singulis sit coagmentata resp.* quod mihi videtur; ut *quum* scilicet exciderit ob similitudinem, quæ ei cum voce præcedenti. *Gruter.* Vulgatam cum Cuspin. prætulit Gruterus, et sequentes, eaque tantum est vera. Columella de R. R. IV. 29. 8. 'coagmentat surculus fissuram;' hinc cum 'copulare' junxit Cicero Tuscul. Quæst. I. 29. 'coagmentatum, compositum, et compactum.' Idem de Finib. III. 22. add. Taubmann. ad Plaut. Mostell. III. 2. 142. *Arntz.*

Proportione permanat] Vet. *pro portione.* Puteanus. *Proportione* melius hic divise scribi videtur *pro portione.* Reposui *permanet* pro *permanat*, exigente sententia, ac sequens *et* ante *viciss.* delevi. *Jæger.* Lectionem cod. Puteanei dedi ex excerptis penes me Mss. in quibus divise exstat; quod neglectum est in ed. Parisin. idque Jægeri exemplo in textu expressi, quem tamen in *permanet*, delendoque *et* non sequor; si hæc conjungerentur cum *sit coagmentata*, necessarius esset subjunctivus *permanet*, sed potius repetitione *et* duo significat auctor; quamquam et ad omnes permanat, et vicissim necesse est. *Arntz.*

Singillatim] Ita scripsi, quamvis ex Guelf. nihil notatum habeam, pro *si-*

gillatim, quod est in omnibus. Vid. supra XVIII. § 1. *Idem.*

Communne reipublicæ] Forma Græca, de qua vid. Heins. ad Ovid. Met. XII. 7. *Jæger.*

CAP. XXXIV. § 1 *Forma emendatior*] Credo rectum. Sic Petron. Arbitr. 'Laterique meo applicat mulierem, omnibus simulacris emendatiorem.' *Acidal.* Cf. Gronov. ad Senec. de Ira I. 5. not. ad Petron. Sat. cap. 126. *Arntz.*

Boni sui piguit] I. e. formæ et pulchritudinis. Vid. Burmann. ad Phædrum III. 8. 15. *Jæger.* Ovidius Metam. X. 563. 'Formæne bono præstantior esset:' ubi Burmann. Art. Am. II. 113. 'Forma bonum fragile est.' *Piguit* recte cum eo, quod de verbo 'pœnitere' tradit Gellius Noct. Att. XVII. 1. illic contulit Gronovius. *Arntz.*

Licentiæ] Incertus Constantin. VII. § 5. 'Te matrum, te virginum quæque duplici fructu fruebantur, cum pulcerrimi Imperatoris formam viderent, et licentiam non timerent.' Ideo 'continentiam' Constantino tribuit Incertus Maximian. III. § 4. ubi Puteau. *Idem.*

Ornatrix] Recte et hoc. An tamen *hortatrix*. Acidal.

§ 2 *Laudatio*] Forte *laudatio est*. Livin. Dignissima Principe, inquit Lipsius Monit. c. 17. *Patarol.* Non opus, ut cum Livineio hic *est* inseratur, quod mox post *jactata* addendum jubet codd. auctoritas. *Arntz.*

Sæpe in ipsis] Ita Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. Particulam *et* post *sæpe* habet cod. Livin. ex eoque edd. posteriores. Offendit etiam τὸ *in*, quod nemo hic desideret. *Jæger.* *Et* ignorat quoque Guelf. Ex quo illud Gruterus inseruit, reliqui servarunt præter Rivinum et Jægerum, quem secutus sum. *In* non æque me offendit; interpretor enim inter philosophos, de quo usu dixi in Dissert. ad L. 2. D. de In jus vocand. cap. 3. *Arntz.*

§ 3 *Remittamus*] Intactum, et indictum relinquamus, in ejus virtutibus non commemoremus. *Jæger.* Ita sæpe pro cessare, desinere, omittere, et relinquere. Cicero in Verr. I. 9. 'Ne quam horam de meis legitimis horis remittam.' Velleius Pat. II. 88. 2. 'Ex negotio remitti possit.' 'Remittere pugnam' Sallust. Jugurth. LX. 3. ubi Cortius: 'ambage remissa' Ovidius Heroid. VII. 149. Heinsius ad eumd. Art. Am. II. 78. Metam. VI. 34. Burman. ad Virgil. Æn. IV. 436. *Arntz.*

Arbitremur] Lege *arbitretur*. Aliter βαρβαρίζει τὸ *suarum*. Acidal. Sic Mss. et edd. omnes, præter Baun. et Cellar. in quibus, ex emendatione Acidalii, legitur *arbitretur*. Sed mutatio hæc minus est necessaria, nec ulla barbarismi suspicio nascetur locum recte consideranti. Nam *suarum* hic pro *ejus*, vel *illius* adhiberi posse, tam certum est, quam quod certissimum. Vid. Bosii Ind. in Cornel. Nep. v. 'Suus;' et, qui ibi laudantur, viri docti. Revocavi itaque veterem lectionem; quamquam recentior illa Gud. quoque auctoritate se tueatur. *Jæger.* Non dissentio; 'suus' pro 'ejus' probavi ad Sedul. III. 320. quamvis neque hoc necesse, si *ipsius* cum *naturæ* construatur. *Arntz.*

§ 4 *Faciles aditus*] Similis commendatio Theodosii apud Pacatum cap. XXI. 'Nec videri modo patiens, sed facilis adiri, e proximo accipis vota hominum tuorum.' Vide Juret. in Symmach. Ep. II. 8. *Putean.* Adde Fabrum Semestr. II. p. 379. et ad Mamertin. Genethl. XI. § 1. *Arntz.*

Renidentem] Videbitur hic potius *renitentem*. Acidal. *Renitentem* potius visum est Acidalio, mihi non item. 'Renidere' est leniter et blande arridere. Sic Mamertin. Paneg. seq. c. XIV. § 6. 'Maximus Imperator, serenum renidens.' Ovid. Met.

VIII. 195. sqq. 'Puer Icarus una Stabat; et, ignarus sua se tractare pericla, Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura, Captabat plumas:' et sic sæpius poëtæ. Verba ista facile, et haud raro permutantur: e. g. Virgil. Georg. II. 282. *Jæger*. Etiam Guelf. *renitentem*. Sed Jægero adstipulor. Est enim 'renidere' diductis leviter labris subridere. Vid. Seneca Med. 389. Hippol. 277. Barth. ad Statium Theb. IV. 789. Torren. ad Valer. Max. III. 2. ext. 6. Jæger. ad Mamertin. Grat. Act. XIV. § 6. neque tantum amabilem, sed perfidum etiam risum indicat. Pricæus ad Apul. Metam. III. p. 158. Heins. ad Ovid. Metam. X. 558. Burman. ad Valer. Flacc. IV. 224. *Arntz*.

Devinciebantur] I. e. adficiebantur, et tenebantur. Cicero Brut. c. 80. 'Duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo, et animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate.' *Jæger*.

Tam omnes] Τὸ *omnes* importune repetitum videtur; uncis itaque inclusi. *Idem*. Sed defendatur potius ex usitata ejusdem vocis repetitione, de qua dixi ad Mamertin. Genethl. II. § 1. Eumen. Constantio VII. § 4. imo vero istiusmodi repetitiones Nostro inprimis sunt propriæ, veluti mox in fin. et princ. cap. seq. 'quod tali principe tam sero fruerentur. Longum est, ex illo percensere beneficia Principis.' Et propius ad h. l. supra XXXIII. § 7. 'Ad omnes pro portione permanat ... quod singillatim omnes adipiscuntur.' Adde cap. I. § 1. 'Ultra omnium seculorum Principes eminet, quantum a privatis ceteri Principes recesserunt.' XIII. § 1. 'Roma, doluisti ... Hoc enim, Roma.' XX. § 1. 'Macedones bello lacesserunt ... verum Macedones cum bellum reficerent.' XXVII. § 5. 'liberandæ urbis gradus, ... quod illum semper exedendæ urbis.' XXVIII. § 4. 'Acies pertineret, ... ut acies.' *Arntz*.

Ita diu] Mœrl. *tam diu*. Sed recte se habet vulgata. Solet enim *ita* pro tam adverbiis jungi. Cicero ad Divers. XIII. 21. 4. 'Mihi molestissimis temporibus ita fideliter, benevoleque præsto fuit, ut si a me manumissus esset.' *Jæger*.

Fruerentur] Vid. supra ad Incertum Constantin. VII. § 5. *Arntz*.

CAP. XXXV. § 1 *Ex illo*] Scil. tempore. Virgil. Æn. XII. 31. sq. 'Promissam eripui genero; arma impia sumsi. Ex illo, qui me casus, quæ, Turne, sequantur Bella, vides.' Cornel. Nep. Att. VIII. 1. ex interpunctione Staverii: 'Secutum est illud, (sc. 'tempus,' quam vocem codd. nonnulli hic insertam præferunt) occiso Cæsare, quum respublica penes Brutos videretur esse, et Cassium.' Terent. Adelph. III. 2. 1. sq. 'Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant, Atque huic malo salutem quærant, auxilii nihil adferant:' ubi Donatus: 'Nunc illud est. Utrum periculum, an tempus? Est enim ἔλλειψις.' *Jæger*.

In urbem] *Orbem* ex emendatione Livineii edd. Francof. Paris. Cellar. Patar. Antiquiores vitiose præferunt *urbem*. Livius III. 36. 'Quum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem, suam cujusque vicem, per omnes iret: subito omnes cum duodenis fascibus prodiere.' *Idem*. Codd. etiam Guelf. *urbem*. Livineii conjecturam in textum admisit Gruterus, et sequentes præter Rivinum, neque hanc propter *redeuntia* et *contexta* damnare ausim, cum potuerint peccare codd. ex frequenti illa permutatione, quæ notata est ad Incertum Constantin. XIV. § 5. Claudianus in Eutrop. II. 185. 'Inque orbem tereti mitra redeunte capillum.' Pacat. Paneg. X. § 1. 'Et in se quodam orbe (negotiis) redeuntibus.' Livius V. 19. fin. 'Senæ horæ in orbem operi adtributæ sunt.' Si

quis tamen codd. scripturam *urbem* tueri velit, forte rectius legerit *in urbem redundantia*, a qua locutione non alienus est Nazarius: cap. XIV. § 7. 'In eum ipsum tua munera redundarunt.' XXXIII. § 7. 'In commune reip. redundare.' *Arntz.*

Sine modo] Sine fine. Horat. Od. II. 6. 7. 'Sit modus lasso maris et viarum Militiæque:' ubi Vet. Schol. 'modus nunc pro fine dixit.' Cf. Cort. ad Sallust. Cat. XI. 4. et XXIV. 2. *Jæger*. Et quæ dixi ad Arator. Epist. ad Parthen. 2. *Arntz.*

Contexta] Inserendum *ita contexta*, quamquam malim etiam pro hoc *connexa*. Acidal. Minus necessaria mutatio. Cicer. Tuscul. Quæst. V. 33. in fin. 'Ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, cum exspectatio. speratarum voluptatum perceptarum memoria jungeretur.' *Jæger*.

Oblivione gratiam] Sic edd. omnes. *Oblivionem gratiæ* Mœri. expresse præfert. Utraque lectio satis proba est. Variat his locutionibus Plinius, in locis compluribus Hist. Nat. v. g. XXIX. 4. 'Fit et e stellionibus malum medicamentum. Nam, cum immortuus est vino, faciem eorum, qui biberunt, lentigine obducit.' Poterat dicere: 'faciei eorum, qui biberint, lentiginem obducit:' sicut II. 48. dixerat: 'Exhalante terra (repentini flatus) coorti, rursusque dejecti, interim obducta nubium cute, multiformes existunt.' Ubi versa vice, pro 'obducta' scil. iis, 'n. c.' dicere licebat 'obducti n. c.' Propert. IV. 5. 1. 'Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum.' Claudian. de Rapt. Proserp. I. 115. 'Obducam tenebris lucem.' Et sic plures. Contra vero Tullius Acad. Quæst. IV. 6. 'Conatus est clarissimis rebus tenebras obducere.' Idem ad Divers. IX. 2. 8. 'Et tamen λεληθότως consuetudo diuturna callum jam obduxit stomacho meo.' et Tusc. Q. II. 15. in fin. 'Labor quasi callum quoddam obducit dolori.' Utramcumque igitur ex lectionibus hisce sequamur, parum interest. Mihi tamen altera illa e Mss. *ut n. oblivionem gratiæ obd. sit*, h. l. elegantior videtur. Quia nimirum 'obducere' etiam significat opponere, et tamquam adversarium objicere, vid. Turneb. Adversar. XXIV. 34. explicari potest ita, ut 'oblivio,' velut adversaria, opponatur 'gratiæ,' et memoriæ beneficiorum. *Jæger*. Etiam Guelf. *oblivionem gratiæ*, quod restitui, cum alteram lectionem adhuc retinuerit Jægerus. Hoc codd. auctoritati dedi, quare etiam recte mihi apud Quinctilian. Declam. VI. 15. emendare videtur Burmannus: 'tenebras luminibus nox obduxerat:' altera locutio quoque est apud Lucan. IX. 109. 'Caput ferali obduxit amictu.' *Arntz.*

§ 2 *Arcem*] Cicero in Catilin. Orat. IV. 6. 'Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium.' Vid. supra Paneg. Mamertin. Maxim. XIV. § 3. Cf. Erinnæ Ode in laudem Romæ, in Fragment. Poëtar. Lyricor. H. Stephan. p. 402. et Claudian. de Cons. Stilich. III. 130. sqq. *Jægerus*. Add. Cirino de Urb. Roma cap. I. § 17. Elmenh. ad Arnob. adv. Gent. II. p. 67. supr. ad Mamertin. Genethl. XII. § 1. *Arntz.*

Provinciis optimates] Pulchre Rutilius Numatianus Itinerario priore: 'Religiosa patet peregrinæ Curia laudi, Nec putat externos, quos decet esse suos.' At Constantinum aperte Julianus incusabat, quod barbaros omnium primus adusque fasces auxerat, et trabeas consulares. Verba sunt Ammiani Marcellini e lib. XXI. Tu, mi lector, vide reliqua. *Livin.* Constantini beneficentia, ac benignitas eo pervenit, ut alienigenas etiam Romanis honoribus decoraret, teste Eusebio Vit. IV. 7. *Pataról.* Et quidem his præsertim hono-

ribus eos adfecisse barbaros videtur, qui strenuam contra Maxentium operam præstiterant, quos, præsertim in curia, præmii loco haberent. Conf. Spanhem. Orb. Roman. cap. 20. pag. 496. Lipsium Magnit. R. IV. 2. Juret. ad Symmach. Epist. I. 46. Sitzman. ad Rutilii Iter I. 13. quare Constantinum, tamquam novatorem, et priscarum legum turbatorem, et augendæ barbaricæ vilitatis auctorem notavit Imp. Julianus, quamvis ne ipse quidem a barbaris legendis abstinuerit. Cf. Ammian. Marcell. XXI. 10. fin. et cap. 12. fin. De Optimatum in Senatoribus titulo egerunt Cerda ad Virgil. Æn. I. 430. Demster. ad Rosin. Antiq. VII. 5. *Arntz.*

Pigneraveris] Utitur forma activa ita, ut alias deponens solet usurpari. 'Pignerare,' ex lege grammaticorum, significat pignori dare; 'pignerari' vero capere pignus, sive accepto quasi pignore suum facere, sibi adserere. Ita Cicero Phil. XIV. 12. 'Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet.' Idem in Fragm. de Repub. lib. I. 'Sed ut plurimas, et maximas nostri animi, ingenii, consilii prima ipsa sibi ad utilitatem pigneraretur.' Ovid. Met. VII. 621. 'Quod das mihi, pigneror omen.' *Jægerus.* Cf. Heins. ad Ovid. d. l. 'Pigneraretur' in Ciceronis loco pro 'pigneraret' accipit Nonius de Propriet. Serm. 17. n. 84. *Arntz.*

Nomine] Eleganter opponitur *re*, de quo pater meus ad Pacat. Paneg. XVIII. § 4. supra ad Mamertin. Geneth. II. 4. *Idem.*

Orbis flore] Locutionem inlustrat Cortius ad Plinii Epist. VIII. 6. 3. et quæ dixi ad Arator. Epist. ad Florian. I. ubi et Græcum ἄνθος adtigi, quod hac elegantia est apud Æschyl. Pers. 59. et 252. Agam. 205. De ipsa re egit Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 106. *Idem.*

§ 3 *Relata*] Reducta et revocata. *Livin.* Sic Tullius Divinat. in Q. Cæcil. c. 21. 'Neque enim magis animos hominum nocentium res umquam ulla commovit, quam hæc majorum consuetudo, longo intervallo repetita ac relata; sociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertissimum; susceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide, diligentiaque sua posse defendere. Hoc timent homines: hoc laborant: hoc institui, atque adeo institutum referri ac renovari moleste ferunt.' *Jæger.* Heinsius ad Velleium Pat. II. 112. 3. ita hunc locum constituit, *venerabilis ad imaginem antiquitatis, elata non licentia, et effrenis exsultat.* Sed ita posteriora parum recte cohærere videntur. Emendatione vulgata non indiget. 'Referre' est comparare, æstimare. Cicero Philipp. X. 10. 'referre facta ad virtutem:' de Orat. I. 52. 'referre omnia ad voluptatem corporis.' Velleius Pat. II. 77. 1. 'referens hoc dictum ad loci nomen.' Nepos Epamin. I. 1. 'ne alienos mores ad suos referant.' Schulting. ad Senecæ Controv. I. pag. 89. *Arntz.*

Languide jacet] Animo dejicitur. Cf. Heins. ad Velleium II. 112. 3. *Idem.*

Divi Principis] Recte vulgatum habet Guelf. aliique codd. de vivente enim Constantino agit, qui Impp. dicebantur 'divini,' unde 'divinæ aures' apud Eumen. Constantio I. § 5. post mortem vero demum *Divi*. Cf. supra ad Incertum Constantin. XXV. § 4. *Idem.*

Flexibilis et tenera] Recte: neque mutem nunc *flexibili tenore duc.* Acidal. Sapienter mutatione abstinuit Acidalius. *Tener* de omnibus rebus dici potest, de quibus *mollis* dicitur. Cicero de Orat. III. 45. 'Nihil est tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio.' Idem in Oratore ad M. Brut. cap. 16. 'Est oratio mollis, et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas.'

Jæger. De hoc populi R. erga Principes temperamento exposuit Vales. ad Ammian. Marcell. XVI. 10. et Barthius Advers. XLVIII. 11. *Ad nutum* explicuit Jæger. supra ad Incertum Maximian. XII. § 8. *Arntz*.

Profundum] Mamertin. Maxim. XIV. § 4. 'profundissima licet pace florentes:' alii 'altum' dicunt, de quo ad Arator. I. 43. *Idem*.

§ 4 *Delectamento pacis*] Puta ludos, spectacula, et similia. *Patarol*.

Quæ urbis] *Quæque* cod. Mœrl. et edd. accuratiores. Rhenan. Stephan. vitiosa etiam interpunctione, *delectamenta pacis adhibere celeberrima, quæ urbis, &c.* Livineius puncto post *adhibere* posito, *Celeberrima quæ urbis, &c. Celeberrima urbis*, ubi maxima hominum frequentia; forma Græca, sicuti Tacit. Annal. IV. 67. 6. 'Celeberrimo fori effigiem Divi Augusti amplecti, populumque ac senatum auxilio vocare.' *Jæger*. De notione τοῦ 'celebris' vid. ad Eumen. pro Instaur. Schol. X. § 3. *Arntz*.

Nobis operibus] De hoc urbis ornatu vid. Lipsius Magnit. Rom. III. 5. *Idem*.

Redivivo cultu] Videtur hic sollemni vitio codicum in hac voce peccari, legendumque esse *recidivo*: 'recidivum' enim est, quod renascitur, et a casu resurgit: 'redivivum' de materia dicitur, et lapidibus, qui, ædificio destructo, ita salvi sunt exemti, ut ad aliud struendum adhiberi possunt. Vid. Gronov. ad Senec. Troad. vs. 472. et cf. supr. Incerti Paneg. Constantino Aug. XIII. § 4. *Jæger*. Nihil peccatum puto propter ea, quæ monui ad Incert. Constantin. XIII. § 4. *Arntz*.

§ 5 *Idcirco ipse maxime*] Bene *ipsi* et *Maximo*. Sed et primori voce peccatum, quæ æquo longior. Curto, et emendo *Circo*. Aurelius Victor: 'A Flavio etiam post Circus Maximus excultus mirifice, atque ad lavandum institutum opus, ceteris haud multo dispar.' *Livineius*. Lege *Circo ipsi Maximo sublimes port*. Acidal. Ita Rhenan. Stephan. Livin. itemque Cuspin. nisi quod hic una cum codd. Liv. et Bert. pro *ipsæ* habet *ipsi*. Iidem codd. *maximo* exhibentes Livineio facem prætulerunt ad locum hunc, resecta a primori voce syllaba prima, plane emendandum, quem ita emendatum exhibent edd. posteriores cum cod. Mœrl. *Jæger*.

Speculi voluntate] *Spectaculi voluptate* verum, non quod in textu *speculi voluntate*. Acidal. Rhenan. et Stephan. itemque Livin. in contextu habent *speculi;* sed veram lectionem summo consensu libri scripti, et excusi reliqui confirmant. Cod. Put. præfert *spectandi*. Jæger. De cod. Puteaneo est dubium. *Spectandi* dederunt Parisienses, sed in excerptis penes me Mss. est *spectaculi*, quod in eo exstitisse mihi fit verisimile, quoniam ita etiam Schonhovii excerpta, et Guelf. *Speculi* retinuit adhuc Rivinus. *Voluntate* est in Puteol. Rhenan. Stephan. et Rivin. in reliquis *voluptate*, quod confirmant codd. sicut hæc etiam permutata sunt apud Incert. Maxim. II. § 3. et supra XXXII. § 8. *Arntz*.

CAP. XXXVI. § 1 *Campos honorum*] Rhenan. Stephan. corrupte *campos honorum;* etiam Schonhov. et Cuspin. *honorum* habet. Cod. Put. et Mœrl. ita, ut in edd. ceteris legitur, locum exhibent. *Jægerus*. *Compos bonorum* Guelf. ex Puteaneo in variantibus penes me Mss. non *bonorum*, ut est in ed. Paris. sed *honorum* notatur. Vulgatam inde a Livineio reliqui expresserunt; *compos honorum* tamen Rivinus. *Arntz*.

Habuit insuper] Lege *communia, insuper ingentis spei fructum propositum sibi ex Cæsar.* ejectis *habuit* et *quem*, quæ inserta velut ad fulciendam structuram. *Acidal*. *Haurit* scripti, et edd. meliores omnes. Rhenan.

Stephan. Livin. *habuit*, quod verbum una cum sequenti pronomine *quem* ejectum vult Acidalius. Sed blandior et tutior est medicina librorum Mss. nec audiendi sunt illi, qui locutionem hanc, *haurire fructum*, ut absonam damnant. Quodni enim 'haurire dolorem, luctum,' et similia, exemplo Tullii, et optimi cujusque recte dicitur; quidni etiam 'haurire fructum,' (h. e. voluptatem, ἀπόλαυσιν, non poma, quæ multis, quando 'fructus' fit mentio, obversantur,) citra reprehensionem usurpemus? *Jæger.*

Quem propositum] Sic edd. omnes. Mihi vero melior videtur scriptura cod. Liv. et Put. itemque Gud. *quam propositam*; ut ad *spem* referatur. Ita e. g. Cicer. pro Milon. c. 12. 'Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei caussam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse.' Idem pro C. Rabirio cap. 5. 'Nisi forte hanc conditionem vobis esse vultis, quam servi, si libertatis spem propositam non haberent, ferre nullo modo possent.' *Jæger.* 'Positam in pernicie spem habere' est apud Nepot. Eumen. XI. § 2. *Arntzenius.*

Cæsaribus nobilissimis] Cæsarum, ab Augustis distinctorum, fere est proprium, ut 'Nobilissimi' dicantur. Nummi, lapides passim loquuntur. *Cellarius.* Cf. infra XXXVIII. § 2. *Idem.*

Habet] Brouwer. Annal. Trevir. III. p. 211. citat *alit*, notato in margine, pro varia lectione, *habet*, quæ frequenter permutata notavi ad Sedul. II. 81. Arator. I. 196. *alit* in nullo inveni, quamvis 'spem alere' proba sit locutio, ex iis quæ dicta sunt ad Sedulium d. l. Vulgatam tuetur Cicero pro Rabir. 5. 'spem propositam non haberent.' 'Spem habere' dixit Nepos Alcib. III. 5. Ovidius Heroid. XVIII. 176. ex Pont. IV. 15. 61. quod 'in spe habere' Sallustius Catil. cap. 32. *Idem.*

Veneramur] Pith. *venerantur*. Forte *veneratur*, Roma scilicet. *Puteanus.* Quos veneramur, tanquam jam nomine Cæsaris insignes, licet adhuc non sint. *Patarol.* Vulgatum tuetur sequens *nostra*. Arntz.

Vota nostra] Scilicet pro eorum successione in imperio. *Livin.*

Iterum proferuntur] Totus hic locus legendus, et interpungendus est in hunc modum: *veneratur, et si vota nostra interim proferuntur* (*ne Lacedam. mag. lic. h. inst. R. t. suam, cum r. n. ex st. H. non haberent*) *tuos Const. &c.* Emendavi *interim*, quanquam fortassis *iterum* non improbandum est, propter ea, quæ dixit Nazarius supr. cap. II. 'Sed,' inquit, 'auguramur jam vicennalia,' &c. *Putean.* *Interim* Vet. Bertin. *Proferuntur* vero est differuntur. *Livin.* Lege, *interim properent, ne Lacedæm.* Acidal. Pro *interim* Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. *iterum*, quod non improbandum putat Puteanus. Ipse tamen, cum reliquis, *interim* in contextum admisit; recte, ut videtur: explicitior certe hujus sententiæ ratio est, quam alterius illius. Porro *proferri* idem hoc loco esse, quod differri, bene monuit Livineius. Vid. Heins. ad Ovid. Rem. Amor. vs. 93. ubi hæc verba permutari etiam docet. Nec opus est, ut cum Acidalio rescribamus pro illo *properent*. Jæger. 'Proferre' hac notione est apud Terent. Andr. II. 1. 28. 'Saltem aliquot dies Profer, dum proficiscor aliquo.' Seneca Hercul. Fur. 189. 'Nulli jusso cessare licet, Nulli scriptum proferre diem.' Justinus II. 15. 6. 'diem de die proferendo.' Burman. ad Quinctil. Declam. V. 7. *Arntz.*

§ 2 *Nec Lacedæmoniis*] Ominatur longum, et perpetuum quendam ordinem Imperatorum e stirpe Constantini Magni. In quo frustra fuit unam Constantio, Constantini F. co-

teris extinctis fratribus, Julianus patruelis successit. *Livin.* Non opus est, ut eum Acidalio *nec* mutemus in *ne*, quod tamen Puteano quoque placuit. Vulgata profecto satis salva est, et perspicua. *Jæger.* Cf. Puteau. præced. observ. *Arntz.*

Rempublicam] Guelf. *reipæ*, id est, *reipublicæ*, ut ad *instituto* referatur, quod tamen minus necesse. *Idem.*

Stirpe Herculis] Vide Corn. Nepotis Agesilaum cap. 1. *Cellar.* Ex Aristodemo enim, seu Aristomacho juxta Ælianum, qui de Herculis progenie fuit, nati Euristhenes, et Procles, seu Patrocles, qui auspicia geminis familiis dedere, e quibus Spartæ reges continua serie profluxerunt. Fuse Pausanias lib. III. Strabo lib. VIII. e recentioribus Meursius Miscell. Lacon. III. 9. Vide etiam dicta ad Mamertin. Paneg. Maxim. cap. IX. *Paterol.*

Tuos, Constantine] *Tui*, et *liberi* grammaticæ leges postulant. Sed perpetuus Græcismus est, qualis in hoc Luciani: Ὅστις δὲ ἀγαθὸς τοξότης, καὶ τούτῳ ὅμοιος, ἀκριβῶς ὄψεται τὸν σκοπὸν, εἰ μὴ σφόδρα μαλακὸς, εἰ μὴ στεῤῥότερος τοῦ βέλους. Et passim in optimis scriptoribus, ut exempla congerere non sit necesse. Imitatus et Capitolinus Pertinace: 'Eumque petiit per litteras, ut ad Britannias proficisceretur.' *Livin.* Lege *haberent. Tuos Constant.* Acidal. Cf. Hensinger. ad Vechner. Hellenolex. I. 2. 16. p. 262. *Jæger.*

Optat] Scil. Roma. *Livin.*

Tanto a pluribus] Livineius, transpositis vocibus, *a tanto pluribus* legendum putat; sed elegantior videtur lectio vulgata, in qua utrobique præpositio postponitur, *tanto a pluribus, quanto ad majora.* Jæger.

Quando ad majora nascuntur] Sic Vet. *quanto majora noscuntur*, unde puto legendum, ut est notatum in margine edit. Basil. *quanto ad majora nascuntur.* Putean. Rhenan. Stephan. in textu vitiose, *quando ad majora nascuntur;* meliore tamen lectione in margine adnotata. Cod. Gud. itidem corrupte, *quanto majora noscuntur.* Jæger.

§ 3 *Cæsarum*] *Cæsaris* Vet. inepte: præcessit enim, 'ex Cæsaribus nobilissimis,' Crispo scilicet et Constantino. *Maximi* ergo expone natu maximi. *Livin.* Maximus natu Crispus ex tribus illius temporis Cæsaribus. Pueri enim Constantinus et Licinius juniores erant. *Cellar.*

Gloriis triumphalibus] Francis devictis. *Livin.* Male Sigonius Opp. tom. II. part. II. p. 107. citat *gladiis tr.* De plurali *gloriis* dixi ad Eumen. pro Instaur. Schol. VI. § 4. Crispum similiter ita laudat supra III. § 5. 'Jam obterendis hostibus gravis terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen suum cœpit:' ubi not. *Arntz.*

Capisse et patrem] Lege *nisi cæpisse patrem cogit.* Retineri tamen *et* posait. *Acidal.* Verba hæc adeo inepta sunt, frigidaque, ut nihil magis; miror sane, ne cæteros nominem, optimum virum Livineium non vidisse ineptum illud schema. Quid enim hoc est? *nisi cæpisse et patrem cogitaremus;* quæ vis, quis sensus, quæ emphasis? utique pater, et omnes mortales prius incipere debebant, quam finirent. Quæ hæc absurda locutio? sed extra culpam ingeniosus est orator, qui solito declamatoribus istis acumine scripsit, *Cujus ita jam uberes scatent laudes, ut plenæ possent videri, nisi sic cæpisse et patrem cogitaremus.* Vocula *sic* vicinis utrinque vocibus absorpta fuit. Et jam sententia pulcherrima. Nihil addo præter hæc pauca. Claudian. Cons. Olybr. et Prob. vs. 67. 'Cœpisti, qua finis erat; primordia vestra Vix pauci meruere senes.' Sidon. Apoll. Carm. V. 220. 'Res ordine currit, Hanc ambit famam, quisquis sic incipit.' Paulinus Petrocor. de Vit. Martin. I. 120.

'Quisnam, quæso, bonus sic consummare valeret, Ut cœpit teneris felix Martinus in annis?' *Withof.* Specim. Gunther. p. 81. *Cœpisse et partem* edidit Patarol, quem sequor. *Jæger.* In *cœpisse et patrem* consentiunt codd. quorum scripturam retinui, quamvis facilis sit Acidalii conjectura ob vulgatum in his librariorum errorem, de quo pater meus ad Victor. Cæsar. III. 8. et ipse ad Arator. I. 36. et 391. sed in qua vix video, ut *et* commode retineatur; magis enim *tantum, modo,* aut simile quid scripsisset, si de *parte* cogitasset. Ad Nazarii mentem satis est adcommodata Withovii conjectura, ut indicet Constantinum rebus, in adolescentia gestis, laudem quidem reportasse, sed minus plenam, at vero auctam per bella deinde fortiter et feliciter confecta. Quid igitur? Potius legerim, *nisi cepisse* (eas laudes) *et patrem cogitaremus;* ita enim in ducta a fonte metaphora perget, quam indicant vocabula, *uberes scatent,* et *plenæ.* Expeditionem scilicet innuit, quam, anno hunc Panegyricum præcedente, contra Francos, et Alemannos in Galliis feliciter egerat Crispus. Vid. Baunius Vit. Constantin. supr. Schœpflin. Alsat. Inlustr. tom. I. p. 395. Laudes ex ea reportatas fonti comparat, cujus uberes scatent aquæ, quique plenus foret, nisi ab alio aquæ inde jam essent captæ. Ob laudes itaque in Galliis, ex Francis devictis, a Constantino patre præceptas, eædem a Crispo reportatæ non erant plenæ; ita enim magis jam a patre domitos, et tantum rebellantes, Francos coërcuisse, et in officium redegisse, quam novos hostes, et viribus integris, demuisse videbatur. 'Capere laudes' itaque dixit, ut Cicero Philipp. II. 44. 'Eam gloriam consecuti sint, quæ vix cælo capi posse videatur.' Læl. de Amic. 7. 'maximam gloriam ceperit.' *Arntz.*

§ 4 *Nunc nobilissimus*] *Nunc* abest Bertin. Vitio. *Livin.* *Nunc* recte retinetur; domitis enim Francis, Crispus e Galliis, præsenti tempore, ad patrem in Pannoniam erat profectus, de quo Gothofredus Proleg. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 21. De 'nobilissimo Cæsare' vid. infr. XXXVIII. § 2. *Arntz.*

Fruendum] Cf. ad Incertum Constantin. VII. 5. *Idem.*

§ 5 *Intractabile*] Similia exempla dedit Wopkens. Observ. Miscell. Nov. tom. ult. p. 220. Geminus huic locus est Mamertini Genethl. IX. § 1. *Idem.*

Alacritatibus] Vet. *alacritati.* Sic legendum. *Putean.* Recte sane: alioquin enim pronomen *qui* non habet, quo referatur. *Jæger.* Guelf. etiam *alacritati,* quod primus recte restituit Jægerus, qui tamen cum, ex Livineii conjectura, *ejus* addiderit, in eo quidem non adsentio. Sequens *qui* refero ad *confecit;* hoc enim in quibusdam edd. duobus punctis male est a sequentibus sejunctum, cum tota uno sit spiritu legenda periodus. *Arntz.*

A suis] Suorum conspectu. *Livin.*

Instituerit voluntatem] Forte *institerit voluptatem.* Livin. Lege *instituerit voluptatem.* Acidal. Sic edd. omnes, præter Stephan. pro *instituerit* exhibentem *instruxerit.* Pro *ipsam* Put. legi jubet *ipse,* et sequentia hoc modo corrigit, *quam a suis petebat, tam laboriosam instituerit militiam.* Sed τὸ *militiam* a *voluntatem* nimis longe recedit. Loco vocis *laboriosam* Mœrl. vitiose *gloriosam.* Baunius lectionem vulgatam ita interpretatur: 'Ut intelligamus, nihil vivido ejus animo esse difficile, qui prior habuerit illam voluntatem adeo strenuam, quam a suis militibus reposcebat.' Sed vellem, docuisset, quo modo hæc cum superioribus recte copulentur, et qua Latinitatis ratione *laboriosam instituere voluntatem* idem significet, quod 'habere voluntatem strenuam.' Si vul-

gata retinenda est, malim hunc in modum explicare: nihil difficile esse ei, qui laboriosam illam voluntatem, i. e. laborum alacriter ferendorum studium, et patientiam, quam a suis poscebat, ipse instituerit, sc. animis eorum, eosque suo ipsius exemplo ad illam erudierit, et adduxerit. Sic certe transtulit Patarol: *avendo egli avvezzato a stenti si grandi, come bramava, l'animo ancora de' suoi.* Sed hæc quoque interpretatio nec vera, nec superioribus satis accommodata videtur. Livineius *a suis* optime exponit 'a suorum conspectu,' et pro *instituerit voluntatem*, conjicit *institerit voluptatem*. *Voluptatem* vult quoque Acidalius; quæ voces facillime misceantur; et omnino satis est proba Livineii emendatio. Potest tamen etiam illud, quod supra memoravi, *instruxerit* explicari. 'Instruere' dici pro struere certissimum est. Sic e. g. Nepos Themistocl. VI. 4. 'Postquam autem audierunt, muros instrui.' Tacit. Hist. V. 12. 3. 'Struxere muros in pace.' Cicero pro L. Murena c. 9. 'Tu actionem instituis; ille aciem instruit.' Tacitus vero Hist. IV. 24. 3. 'Civilem stare contra, struere aciem.' Livius XXVI. 13. 'Iis apud me hodie epulæ instructæ paratæque sunt.' Tacitus Annal. XV. 55. 4. 'Enimvero liberales semper epulas struxisse.' Idem Hist. II. 22. 3. 'Legionarius instruit aggerem.' Contra vero Annal. II. 18. 2. 'Miles in loco prælii Tiberium Imperatorem salutavit, struxitque aggerem.' Idem Hist. IV. 69. 6. 'Haud perinde instruendo bello intentus.' Atticus ad Ciceron. IX. 10. 'Ad posterum bellum ἄσπονδον strui existimo.' Verbum 'instruere' itaque, non modo 'ornare rebus necessariis et munire,' sed etiam, sicut simplex 'struere,' significat 'machinari,' 'parare.' Tacitus Annal. XIV. 11. 2. 'Pericula que viris illustribus instruxisset.' Justinus IX. 8. 9. de Macedoniæ rege Philippo: 'Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, solennis illi consuetudo.' Cicero ad Att. V. 21. 'Sed dices, me ipsum mihi sollicitudinem struere.' Quod si igitur licet 'sollicitudinem sibi struere,' quidni liceat etiam *instruere voluptatem?* Ad epitheton *laboriosam* quod adtinet, tenenda est observatio Burmanni ad Phædr. II. 6. 13. 'Quotiescumque adhibentur adjectiva, ubi videtur requiri adverbium, aut adjectivum adverbii modo positum, vel contra; aliquando eumdem debere exire sensum, si illud adjectivum mutetur in adverbium, vel vice versa adverbium in adjectivum; aliquando autem paullum discrepantem.' Convertamus nunc orationem, et pro *laboriosam* scribamus *laboriose*, tunc existet sententia planissima et commodissima: Cæsar hic fruitur nunc adspectu suorum, seque fruendum præbet. Iter difficillimum ad suos celerrime confecit. Possumus itaque intelligere, nihil alacritati ejus asperum esse, qui voluptatem, quam e suorum conspectu petebat, tam laboriose sibi paraverit, et perferendis tot, tantisque molestiis redemerit. Sed Livineii emendatio, ut jam dixi, optima mihi videtur. *Jæger.* Puteani conjecturam *institerit militiam* commendare posset Grævii opinio, illud verbum per 'cœpit' explicantis, ita ut librariis cognita parum notio effecerit, ut 'cœpit' et 'instituit' frequenter sint permutata. Vid. ad Ciceron. Verr. V. 60. Sueton. Vitell. c. 2. sed, ut mittam, hanc interpretationem non esse veram, quia 'institit' magis ad eum pertinet, qui facere pergit, 'instituit' qui incepit, ut ad Suetonii locum docet Oudendorpius, eadem ad h. l. non est adcommodata, quo non de cœpta, sed peracta militia agitur. Victis enim Francis hoc iter, ut supra dixi, in Pannoniam

suscepit Crispus. Si Livineium in explicatione *a suis* sequaris, haud dubie legendum est *voluptatem*; hanc enim, non *voluntatem*, ex suorum conspectu petiisset; sed dubito, utrum hoc *a suis petere voluptatem* indicare queat. In qua Stephani ed. *instruxerit* invenerit Jægerus, ignoro: utraque enim Henr. Stephani, quæque eamdem repetiit Chouetiana, habent *instituerit*; neque aliter Paull. Stephanus; quare cum neque codd. neque editi *instruxerit* tueantur, de eo quidem non valde laboro. Locum potius interpretor, qui illud propositum, et consilium, quod a suis militibus et exercitu petebat, tantis incommodis obnoxium, ipse in se suscepit. *A suis* cum Bunnio explico a suis militibus, qui suarum erant partium, et ita dicuntur, ut *hostibus* opponantur, quam notionem inlustravit Drakenb. ad Livium IV. 9. 5. et XXXIV. 16. 3. ab his eam petebat voluntatem, ut ipsa hieme iter, gelu intractabile, ingrederentur, si id ad hostes coërcendos necessarium videretur. Nunc vero ipsam illam, quam ab his petere solebat, *voluntatem instituit*, id est, difficillimi itineris propositum, consilium suscepit, ingressus est, ad id se composuit; hac notione 'voluntas' est apud Livium XXIX. 5. 6. 'summam ad id suam voluntatem esse:' et Ciceron. in Verr. IV. 11. 'summa illorum voluntate devertit.' Porro 'instituere' est incipere, quo sensu cum 'instruere' passim confundi docet Oudendorp. ad Cæsar. B. G. II. 30. 3. inde orta est ingrediendi, suscipiendi, et sese ad aliquid componendi significatio. Sallustius Jugurth. XIV. 5. 'amicitiam instituit,' de quo Drakenb. ad Livium VII. 31. 2. Plautus Epid. III. 2. 27. 'Ego hanc astutiam institui.' Tacitus Hist. IV. 25. 'instituitque pessimum facinus.' Add. Cortius ad Ciceron. ad Divers. XVI. 20. hæc autem 'voluntas' erat 'laboriosa,' id est, propter iter difficile variis incommodis obnoxia. Velleius Pat. II. 113. 3. 'secutusque longo, et perquam laborioso itinere:' cui proxime congruit Mamertinus Grat. Act. XII. in fin. 'Laboriosissima negotiorum præoptans ipse agere, quam aliis imperare.' Forte etiam ex præcedenti *iter* est repetendum, tamquam scripserit, *tam laboriosam itineris instituerit voluntatem*, ut supra V. § 7. 'Maturiorem cursum instituistis, qui moram considerandi itineris non habetis.' *Arntz.*

Cap. XXXVII. § 1 *Tanto intervallo*] Constantinus aliquanto temporis intervallo Crispum filium non viderat, quia ipse in Illyrico Sirmii, ac Serdicæ multum agebat, et alibi; Crispus vincebat in finibus Germaniæ. *Cellar.* Cf. Gothofred. Proleg. ad Cod. Theodos. tom. I. p. 21. *Arntz.*

Videre victorem] Sic Cellarius aliique. Alii legunt *victoriam*, meo judicio minus apte. *Paterol.* *Victoriam* est in sola Paris. quam Puteanam vulgo dicunt. *Arntz.*

§ 2 *Suam gratiam*] *Sui* Bertin. Forte *tui*. *Livin.* *Tuam* in nulla ed. reperi; citat tamen ita Sigonius Opp. tom. II. part. II. p. 107. *Arntz.*

§ 3 *Audivit frater*] Constantinum significat, Constantini Magni ex Fausta filium. *Rhenan.* Constantinus junior, adhuc puer, etiam Cæsaris honore ornatus. *Cellar.*

Sibi favit] Bene. 'Favere alicui' est illo delectari. Ita Cicero ad Divers. III. 6. 1. 'Cum meum factum cum tuo comparo, etsi non magis mihi faveo in nostra amicitia tuenda, quam tibi, tamen multo magis meo facto delector, quam tuo:' i. e. etsi me, meisque in amicitia tuenda factis non magis delector, &c. etsi communis illa φιλαυτία me non decipit. Plinius Pan. XCIV. § 1. 'Te præcipue, Capitoline Jupiter, precor, ut beneficiis tuis faveas, (i. e. εὐδοκῇς, eaque conserves) tantisque muneri-

bus addas perpetuitatem.' Tibull. v. 5. 116. 'Et faveo morbo, tam juvat ipse dolor.' Ovid. Met. III. 386. sqq. 'Huc coëamus, ait: nullique libentius umquam Responsura sono, Coëamus, retulit Echo, Et verbis favet ipsa suis.' *Jæger*. Non dissimiliter de hoc Constantino Incertus Constantin. III. 5. 'Si quid intactum aut parens, aut frater reservat, declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincit ætatem:' ubi not. *Arntzenius*.

§ 4 *Reverentem*] Cuspin. et Gudian. vitiose *reverentem*. Jæger. *Iterum iterumque* exemplis confirmavit Schwarzius ad Plinii Paneg. LXXIX. § 1. *Arntz.*

Neque enim] Nectenda hæc superioribus, et ita locus totus distinguendus, et scribendus: *Nunc te, Constantine maxime, omnes rogamus, quum præsentem laudaveris, quum jam reip. flagitanti, quum Galliis desiderantibus reddes, iterum atque iterum monens reverentem, (neque enim persuaderi facile potest,) ut si quando armis vestris contusa barbaria aliquid tamen moverit, sit ille animo, sit consilio tui similis: temperet modo dextræ, manui parcat, et sit aliquid, quæsumus, in quo te interim nolit imitari.* Acidal.

Et si quando] Veram interpunctionem, ac lectionem jam restituit Acidalius, adstipulantibus codd. Livin. Bert. Put. Mœrl. et edd. reliquis. *Jæger.*

Contusa barbaria] Grave verbum est 'contundere,' cujus vim explicat Brouckhus. ad Tibull. III. 6. 13. 14. et Schwarz. ad Plin. Pan. XLIV. § 6. *Idem.*

Manui parcat] Eam cohibeat. Florus II. 6. 17. 'Itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Hannibal diceret militi suo, Parce ferro.' Seneca Med. vs. 174. sq. 'Compesce verba; parce jam demens minis, Animosque minue.' Idem Herc. Œt. vs. 1013. sq. 'Parce verberibus, precor, Megæra, parce; sustine Stygias faces.' In cod. Bert. et ed. Cusp. legitur *manu*, per apocopen, ut Virgil. Æn. I. 261. 'Parce metu, Cytherea.' Vid. Voss. de Analog. II. 13. *Jæger*. Hæc ταυτολογεῖν nemo non videt. Bibliotheca Philologica verba *manui parcat*, tamquam adventicia, atque a glossatoris ingenio profecta excludit. Si quis forte nec hoc remedium probare, nec tautologiam ferre posset, putem, pro *manui* substitui posse *ferro*. Utrumque certe jungit Lucan. VII. 728: 'Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natare Sanguine, parcendum ferro manibusque suorum Jam ratus.' Sed multo satius est abjicere additamentum supervacaneum. *Idem*. Quid si interpungamus? *temperet modo, dextræ manui parcat*. De notione τοῦ 'parcere' vid. Burman. ad Claudian. Rapt. Pros. I. 67. et Burman. Secundum ad Anthol. Lat. tom. II. p. 96. Apocopen illam in *manu* adtigi ad Mamertin. Maxim. VI. § 5. *Arntzenius*.

Et sit aliquid] Vet. *et si tale quid*. Putean. Ita etiam Guelf. Vulgatum tuetur præcedens *sit*, et oppositio in *sit tui similis*, et *sit aliquid, in quo nolit imitari*. Arntz.

Te iterum] Audaciam tuam, καὶ τὸ φιλοκίνδυνον. *Livin*. Scribe *te interim noluit*. Tamen *iterum* forte possit retineri, ut sit amplius, posthac. *Acidal.* Recte *iterum*; prima enim vice in vincendis Francis et Alemanis, brevi ante hoc iter, Constantinum erat imitatus. *Arntz.*

§ 5 *Incrementum*] Cf. Juret. ad Symmach. Epist. I. 43. et Cerda ad Virgil. Eclog. IV. 49. 'Bonum publicum' eodem modo est infra apud Mamertinum Grat. Act. XXX. § 4. et Sallust. Jugurth. XXV. 3. *Idem.*

Quibus modis] *Votis* libri tres, quod malim, quam retro vulgatum *quibus modis*. Gruter. *Votis* magno consensu scripti, et edd. meliores pro *quibus*

modis, ut Rhenan. Stephan. Livin. exhibent. *Jaeger*.

Romana felicitas] Sigonius Opp. tom. I. part. II. p. 107. citat *humana felicitas*, quod in meis non inveni. Similis permutatio est apud Eumenium Constantio XV. § 4. *Arntz*.

Pollíceris] Paterno, quo gaudes. *Paterol*.

Evocet] *Revocet* in margine Rhenan. Stephan. et Lang. cum accuratioribus. Cuspin. Schonhov. Rhenan. et Stephan. in textu, itemque Livin. *evocet*. Jaeger. *Evocet* omnes codd. etiam Guelf. *Revocet* forte in Langii schedis est ex conjectura, quam primus in textum admisit Gruterus, eumque secuti sunt reliqui præter Rivinum, et ipse supra ad Eumen. pro Instaur. Schol. I. § 2. Ex constanti codd. scriptura mallem *avocet*; jam video ita citasse Sigonium Opp. tom. II. part. II. p. 107. quod unde habuerit, non liquet. Cf. ad Mamertin. Genethl. XIII. § 3. *Arntz*.

Deducit] Cicero de Orat. I. 30. 'quo intendas, ferat, deducatque.' II. 45. 'Ut ad fletum, misericordiamque deducatur:' ubi tamen in cod. Traject. est 'ducatur.' *Idem*.

Maturato studio] Mœrl. cum Gud. *maturus st.* ut, subaudito *es*, ad Cæsarem referatur; sed minus recte. *Jaeger*.

§ 6 *Per te*] Videtur requirere sensus, *et quæ per se concedit*. Gruterus. Grutero auctore *per se;* ita sensu postulante: vulgo *per te*. Cellarius. Emendationem Gruteri in contextum recepit Cellarius: mihi vero illa minus necessaria videtur, quamquam haud ineptam esse facile largiar: nam *per se* pro ipse, vel sua sponte usurpatur. Vide Cort. ad Sallust. Cat. XXXIX. 6. et Jug. XCVI. 2. Sed et vulgata sensum satis commodum habet, *quæ per te*, i. e. te loco, et nomine ipsius subscribente, *concedit*, atque indulget, *ad tuam gratiam referri*, i. e. tibi, quam sibi accepto referri, *mavult*. Jaeger.

CAP. XXXVIII. § 1 *Ut utamur*] Non dubito, quin legendum sit *et utamur*, ut duo significet, primum, præsenti jam tempore ex Cæsaribus reip. obvenire commoda, deinde, alia futuro tempore per integram ætatem superesse. *Et* cum *ut* permutatum quoque in Guelf. offendes apud Eumen. pro Instaur. Schol. IV. § 3. Constantio XVII. § 1. et centies aliis horum Panegyricorum locis. *Arntz*.

Commodis] Cum prima jam ætate Crispus per victos Alemanos talia commoda dedisset, qualia in provectiori demum alii conferre soleant, fortunatum ducit, quod integra in ipso, et præsertim fratre Constantino adhuc supererat humana ætas, qua plura conferre, et inpense juvare imperium possent. Obscurior est Baunii interpretatio, neque Nazarii mentem exprimit. *Idem*.

Nihil imminuitur] Jungam præcedentibus, et, ut jungam, sic conformem, *ut utamur maximis eorum commodis, et integra ætas supersit, ut nihil imminuatur, et plurimum sumatur, ut quum res larg. &c.* Acidalius. Hoc vero minus placet. *Jaeger*.

Res largiter] Quum multa jam bona per Cæsares habeamus, majora tamen ab iisdem speremus. *Cellar*.

Illibata] Haud imminuta. Ita apud Vell. Paterc. II. 48. 2. 'Pompeius quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos.' *Jaeger*.

Quinquennüs] Primum per quinquennia honores Cæsarum numerabantur; mox per plura decennia, quæ in posteros sese proferrent, sperabatur. *Cellar*.

Cæsarum nobilissimorum] Alio sensu hic sumi, quam quo 'nobilissimatus' dignitatem sanguine proximis conferre dicuntur Impp. docet Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. V. p. 23. Cf. Trevorium in Obs. Apol. cap. 10. Thesaur. Otton. tom. I. p. 228. *Arntz*.

Bonis temporum] Commodis et felicitatibus. Tacit. Hist. III. 81. 1. 'Cœptabat permixtus manipulis, bona pacis, ac belli discrimina differens, armatos monere.' Claudian. de IV. Cons. Honor. vs. 491. sqq. 'Fruimurque quietis Militiæque bonis; ceu bellatore Quirino, Ceu placido moderante Numa.' *Jæger.*

Reip. utilitatibus] *Reip. rationibus* citat Sigonius Opp. tom. II. part. II. p. 107. quod tamen in nullo inveni, quamvis locutio satis sit elegans, neque a dicendi ratione, qua utitur Nazarius, abhorreat, ut patet ex iis quæ dixi supr. cap. X. § 4. *Arntz.*

§ 2 *Latere Galliarum*] In finibus, et communi limite Germanorum Gallorumque. *Cellar.*

Aut in sinu tuo] Emendem *suo*, id est, suis ipsius sedibus, et solo, atque intimo recessu. *Livin.* Ultra fines, in interiore Germania. *Cellar.* Sic omnes fere. Pro *aut* Schonhov. adfert *ac*, Acidalius *at*, quod minus probum est. Livineius rescribit *sinu suo*, i. e. suis ipsius sedibus, et solo atque intimo recessu, in interiore Germania. Hanc emendationem, a Cellario et Patarolo jam receptam, merito et nos in textum admittimus. 'Sinum' pro intimo recessu poni docet Gronov. ad Senec. Troad. vs. 172. *Jæger.* 'Sinum' per extremam imperii partem, sive limitem, et quidem Rheni, explicat Schœpfiln. Alsat. Inlustr. tom. I. p. 395. mihi potius de interiore parte capiendum videtur, ut 'interiorem imperii sinum' dixit Mamertin. Genethl. XIV. § 1. ubi vide; alter Mamertin. Julian. VI. § 2. 'in medio Illyrici sinu.' Livineii conjecturam *suo* probavit etiam Sigonius Opp. tom. I. part. II. p. 107. locum ita excitans: tantum tamen illi tribuere non audeo, ut contra codd. omnesque ante Cellarium edd. in textum admittam, cum *tuo* sit fortius. Constantinum nimirum adloquitur; *in sinu tuo* itaque dixit eadem elegantia, qua Eumenius Constantio VI. § 1. 'Statim itaque Gallias tuas, Cæsar, veniendo fecisti.' Ceteroquin legi quoque posset *in sinu tuto*, ut hæc permutantur apud Incert. Constantin. II. § 6. 'Rhenum tutum reliquisti:' et infr. hoc cap. § 5. Sed *tuo* præstat. *Arntz.*

Per se ipsa] De ingenio sic rescripseram: *fusa barbaria. Persæ ipsi, potens nat. &c. in terr. secunda, amicitiam, &c.* Quo nihil verius, et ecce liquido Bertin. confirmat, in quo idem post repperi. *Livineius.* Hæc misere depravata sunt in edd. Cuspin. Rhenan. Stephan. Livin. *per se ipse pot. natio: et post R. m. i. t. secunda. Amicitiam, &c.* Hæc Livineius primum ex ingenio correxit, deinde Bert. scriptura correctionem suam reperit confirmatam, cui etiam exempla emendatiora reliqua accedunt. *Persæ*, i. e. Parthi, quo nomine ante instauratum ab Artaxerxe Persarum imperium proprie appellati, et Romanis non parum formidati fuerunt. Pompeius in Lucan. Pharsal. VIII. 298. sqq. 'Primi Pellæas arcu fregere sarissas, Bactraque, Medorum sedem, murisque superbam, Assyrias, Babylona, domos. Nec pila timentur Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras..... O utinam non tanta mihi fiducia sævis Esset in Arsacidis! fatis nimis æmula nostris Fata movent Medos, multumque in gente Deorum est.' *Jægerus.* Depravata lectio est ex Puteol. quam secundum Bertin. emendavit Gruterus, neque retinere in pr. debuisset Rivinus; simili ratione apud Eumen. Constantin. X. § 7. pro 'Perses' olim legebatur 'pro se.' Parthos et Persas eosdem esse dictum est supr. ad Mamertin. Genethl. V. § 4. Eumenium Constantio III. § 3. et X. § 2. *Arntz.*

Romanam magnitudinem] Guelferb. *Romanæ*, ut ex præcedentibus repe-

tatur *nativitis*. Idem.

Tum ferox] Male Guelf. *fera*. Idem.

§ 4 *Foris placita*] *Placida* Puteol. et in pr. Rivinus. Male illud in *placita* mutavit Livineius, quem etiam secuti sunt Paull. Stephanus et Bunnius. Hæc enim vox notat ea, de quibus convenerint, quæ placuere, ut ' placita pax,' de qua Drakenb. ad Sil. I. 11. ubi tamen ex Leid. etiam ' placidam ' notatum habeo: male. *Placida* hic confirmat Noster supr. XXXV. § 3. ' Placidam quippe rerum quietem . . . . gentes perdomitæ condiderunt.' Passim hæc confusa, de quo Heins. ad Ovid. Heroid. XIX. 208. Metam. I. 704. ad Valer. Flacc. I. 265. not. ad Virgil. Georg. II. 425. Æn. IV. 38. IX. 445. Cort. ad Sallust. Jug. LXXXI. 1. Graug. ad Juven. I. 21. not. ad Caton. Dist. IV. 32. et Klotz. Miscell. Crit. p. 86. *Idem*.

An non ubertate] *Annonæ* Langii schedæ: egregie. Sed ne sic quidem omnia purgata. Juvem ego, et distinguam, *prospera annonæ ubert. fruct. copia. Exornatæ, &c.* Nec dubito, quin vere. *Livin*. Lege *annonæ ubertate, fructuum cop.* Acidal. Admodum corrupta hæc sunt in edd. antiquioribus, nimirum, *prospera. An non ubertate; fructuum copia exornatæ, &c.* Veram lectionem, et interpunctionem Livineius et Acidalius restituerant, uterque ingenio, ille schedis etiam Lang. adjutus. Accedit auctoritas Mss. Mœrl. et Put. quorum tamen hic, sicut et Gud. pro *ubertate* satis bene præfert *ubertas*. Jæger. Nondum locus Livineii cura erat sanatus, quem secundum codd. dedi; hæc enim eodem modo concise dicuntur, atque mox, ' Puder tutus; munita conjugia.' Depravata lectio, quæ ex Puteol. manavit, retenta est ad Gruterum, et postea a Rivino in pr. *Arntz*.

Mirandum in modum] Refert Eusebius Vit. Constantin. præcipue lib. III. quam magnifico ille ingenio fuerit, et quanta construxerit. Civitates etiam ab eodem scimus de integro pene restitutas, Constantinopolim et Helenopolim. *Patarol*. Guelferb. *mirandum in nomen*, quod notaret honorem, dignitatem: vid. ad Incert. Constantin. XXII. § 6. nisi forte Constantini et Helenæ nomina cogitaverit, ex quibus quædam urbes sunt adpellatæ, sed eorum nomen non ideo est *mirandum*; præstat igitur vulgata. *Arntz*.

Gerendis moribus] Litteris inversis legerem potius *regendis*. Potest etiam legi *serendis*. Sic Marc. Tullius de Legib. lib. I. ' Serendi sunt mores, nec scriptis omnia sancienda.' *Juretus*. *Regendis* legendum. Suetonius Octav. c. 27. ' Recepit et morum legumque regimen.' *Petr. Faber*. Vide, sis, apud Euseb. Vit. Constant. II. 30. *Patarol*. Male illud ex ed. Puteolani hausisse Puteanum tradit Jægerus, in qua est *gerendis*, quod usque ad Gruterum fuit lectum, et post eum retinuit Rivinus. Ita hæc passim confundi dixi ad Arator. I. 796. Apud Boëthium Cons. Phil. IV. p. 220. in cod. inveni, ' bonis summa rerum regenda deferatur,' non male pro vulgato ' gerenda. ' De illo Constantini in legibus ferendis consilio, præsertim anno CCCXIX. et CCCXX. latis, vid. Gothofredus Chronol. Cod. Theodos. p. 17. et 19. clariss. de Rhoer de Effect. Relig. Christian. in Jurisprud. Diss. II. p. 63. Præter ea, quæ mox memorat Nazarius, sunt quoque aliæ de aliis caussis latæ, quas adcurate indicat idem Gothofredus Comment. ad Cod. Theodos. tom. I. pagg. 291. 404. 413. 466. tom. III. pp. 89. 181. 261. 410. Reland. Fast. Consul. p. 302. sqq. *Arntz*.

Calumniosæ ambages] Aurel. Victor de Constantino: ' Commodissimus multis rebus fuit, calumnias sedare legibus severissimis,' &c. Vide

Euseb. lib. IV. de Vit. Constantini. Vide L. 15. C. de Testam. L. 1. C. de Formul. et impetr. act. subl. supra Incerti Paneg. Constantino Aug. cap. IV. 'te abolitarum calumniarum,' &c. *Putean.* Adnotavi ad Incerti Paneg. Constantino Aug. cap. IV. *Patarol.* Male hunc Puteanus refert L. 15. C. de Testam. qua, abrogata verborum in herede instituendo sollemnitate, id quibuscumque fieri posse constituit Constantinus: de hac enim, lata demum anno CCCXXXIX. adeoque octavo et decimo post hunc Panegyricum, ne cogitavit quidem Nazarius. Neque huc facit L. 1. C. de Formul. quia, lata demum est anno CCCXLII. quo mortuus jam erat Constantinus, adeoque potiori jure ipsius filiis tribuitur, de quo pluribus Gothofredus ad Cod. Theodos. tom. v. p. 230. Potius huc binas leges referam, a. CCCXIX. datas, quarum altera constituit, ut, si quis se fundo dejectum diceret, neque probare posset, tamquam calumniæ reus eadem pœna adficeretur, qua, facto probato, adficiendus fuisset adversarius, L. 3. C. Theodos. ad Leg. Jul. de vi publ. L. 7. C. Justin. eod. altera, qua pœnas in reorum delatores constituit, voluitque, 'ne judices calumniam, nec vocem deferentis admitterent,' L. 2. C. Theodos. de Petition. Add. Balduinus de Legib. Constantin. p. 220. Gothofred. ad Cod. Theodos. tom. v. p. 230. et quæ dixi ad Incert. Constantin. IV. § 4. Nazarii quoque dicta probari per L. 3. C. Theodos. de Fid. test. L. 9. C. Justin. de Test. qua constituit, ut testes jurare deberent, et honestioribus sola fides haberetur, tradit Van de Water Observ. Jur. III. 7. in quo tamen eumdem, quem Puteanus, errorem committit; lata enim demum illa lex est post hunc Panegyricum, anno CCCXXXIV. *Arntz.*

§ 5 *Pudore tuo*] Forte *pudore tuto.* Vide L. Quamvis 30. Cod. de Adulter. *Putean.* *Pudor tutus*] Ita codd. veterum triga, et aurum est atque argentum præ olim vulgato, *pudore tuo munita conjugia.* Gruterus. Frequens est hæc vocum permutatio. Cf. ad Incert. Constantin. II. § 6. Iterum male L. 30. C. ad Leg. Jul. de Adulter. huc refert Puteanus, latam demum postea, anno CCCXXVI. Potius huc pertinet L. 1. C. Theodos. de Rapt. virgin. qua puellam, sive volentem, sive invitam, cum raptore puniendam jussit; adde, quæ a. CCCXX. hunc Panegyricum præcedente, lata est, L. 1. C. de Concubin. qua, durante matrimonio, concubinam habere vetuit; extra matrimonium itaque concubinatum non sustulit, in quo Constantinum ex temporum conditione excusat Balduinus de Legib. Constantin. II. p. 151. Add. Gothofred. Chronol. Cod. Theodos. p. 18. Ritter. ad eumd. Cod. tom. III. p. 78. Male Gothofredus huc quoque refert L. 1. C. Theodos. de Mulier. quæ se serv. hanc enim demum a. CCCXXVI. esse latam ostendit Ritterus in not. ad illam legem, tom. I. Cod. Theodos. p. 78. Alias Constantini de nuptiis leges, sed quæ sequentibus sunt annis latæ, tangit cl. de Rhoër. de Effect. Relig. Christ. in Jurispr. Diss. II. § 14. in fin. *Arntz.*

Securæ facultates] Sublatis delatoribus. Vid. supra Paneg. Incerti Constantin. c. IV. ibi 'prohibitarum delationum.' *Putean.* Leges de coërcendis delatoribus magis retulerim ad 'calumniosas ambages,' modo memoratas. Ad 'securas facultates' præcipue pertinet L. 2. C. Theod. de Sponsal. ex qua formavit Tribonianus L. 15. C. Justin. de Donat. ante nupt. lata a. CCCXIX. qua noluit donationem sponsalitiam, nuptiis non secutis, apud donatarium retineri: præterea lex, qua in pignore pactum commissorium vetuit, L. 1. C. Theod. de Commiss. rescind. L. ult. C. Justin. de Pact. pign. denique qua

advocatorum pactiones prohibuit, qui, salarii loco, fundos, pecora, et mancipia in se transscribere clientes cogebant, eosque ita 'spoliabant, et denudabant,' L. 1. C. Theodos. de Postul. quam ad a. CCCXX. pertinere in notis ostendit Gothofredus. *Arntz.*

Ambitione sui] I. e. gaudent se ambiri et quæri. Vid. Græv. ad Justin. XII. 15. 11. In Mœrl. mendose scriptum est *amb. sua.* Jæger. *Sua* etiam Guelf. Vulgatum tuentur notata ad Eumen. Constantin. VI. § 2. *Arntz.*

Magna verecundia] Id est, pudor. *Livin.*

Obtinendæ] Hoc est, servandæ, et fortiter tenendæ: quo in significatu verbum 'obtinere' usurpari non novum puris etiam Latinis. *Patarol.* H. e. conservandæ, ac tuendæ, retinendæ. Terent. Andr. IV. 5. 22. 'Antiquum obtines.' Hecyr. V. 4. 17. 'Antiquam tuam venustatem obtines.' Mox vs. 19. 'Morem antiquum, atque ingenium obtines.' Livius IX. 38. 'Cum legati gratias agerent, obstinatum silentium obtinuit, ac sine responso legatos dimisit.' Cicero de Orat. III. 60. 'Ad vocem obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio.' *Jæger.* Cicero ad Divers. IV. 7. 'Nihil tibi deesse arbitror ad tuas fortunas omnes obtinendas.' IV. 13. 'Obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem.' *Arntz.*

Votum geramus] I. e. habeamus, ut sæpe. Phædrus I. 13. 7. 'Quantum decoris corpore, et vultu geris!' ubi vid. Burman. *Jæger.*

Augendæ cupiditatis] Non dubito, quin verum sit *cupiditatem.* 'Obtinere felicitatem,' et 'augere' eamdem recte opponuntur. At *votum augendæ cupiditatis* inepte dicitur. *Ritters.* Lege *cupiditates.* Acidalius. Rittershusii conjecturam tacite in textum admisit Jægerus. Melius tamen opponuntur 'obtinendæ felicitatis,' et 'augendæ cupiditatis.' Referenda est 'cupiditas' ad præcedens 'habendi;' ita 'habendi cupiditatem' inlustravit Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 78. 'plus habendi cupiditatem' dixit Ammian. XIV. 11. 'aviditatem plus habendi' idem XIX. 11. Rittershusii notam in ed. Parisin. neglectam, ex ipsius Observ. ad Panegyricos, post Goldasti Paræneticos, huc revocavi. *Arntz.*

§ 6 *Fieri posset*] Sic Livin. Gruter. et utraque Parisin. cum Patar. et Cellar. Melius Cuspin. Rhenan. Stephan. cum Mœrl. *quo fieri possit.* Jæger. *Possit* quoque Guelf. antiquissima Puteol. et in pr. Rivinus, quod mutare non debuisset Livineius; alterum enim postulat præcedens *est.* Arntz.

Roma felicior] Ex his apparet, hanc Nazarii orationem non in Gallia, sed Romæ fuisse habitam, quia pro Romanis orat, ut præsentia Constantini, et filiorum frui liceat. *Cellar.*

Conservatorem] Vid. ad Incertum Constantin. IV. § 4. *Arntz.*

Fruendi] Vid. ad Incert. Constantin. VII. § 5. Huic voto, sequenti anno CCCXXII. satis fecisse videtur Constantinus, misso Romam Crispo cum Helena, et data criminum venia propter illius itineris adparatum, ut pro *partum* in L. 1. C. Theod. de Indulgent. Crim. legit Gothofredus, quam ad hoc iter pertinere suspicatur. *Id.*

Et nos alacres] *Ut* est ex solo Bertin. quare ex reliquis codd. *et* recepi. In suo etiam vidit Puteanus, quia ad ed. Rhenani diversam lectionem non notavit. *Idem.*